Digitized by Google

Digitized by Google

NILI MYSTICI,
EX PARADISO VOLUPTATIS, SIVE VERBI DIVINI, SEPTEMPLICI ALVEO DEFLUENTIS,

ET

Totidem Effuſionibus Pretioſi Sanguinis

D. N. JESU CHRISTI

SACRI,

ALVEUS SECUNDUS,

Sive

SECUNDUS ANNUS

Concionum in Dominicas, & Feſta per Annum.

Additis centum viginti pretioſis Cogitationibus ex meditatione paſſionis, ſive duodecim Exhortationibus ad Sodales Chriſti in crue agonizantis.

AUCTORE

R. P. PHILIPPO KISELIO, Fuldenſi, è Societate JESU.

Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.

BAMBERGÆ,
Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOLINI.

Anno M DC LXXV.

SOC. JESU BIBL. SEC.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google



Auctore R. P. PHILIPPO KISELIO e Societate IESU

Digitized by Google

Digitized by Google



Jean Bap de Rell ad vi um pinxit Anno 1656 Jacob Sandrart sculpsit Norimberg

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO, D.

PHILIPPO VALENTINO,

ECCLESIÆ BAMBERGENSIS EPISCOPO,

S. R. IMPERII PRINCIPI,

Domino Suo Clementiſſimo.

DIonyſius, cum, ſubjugata ſibi armis Aſiâ, victorem exercitum per vaſtas Libyæ ſolitudines duceret, & deficientibus undique aquis, militum quoque robur vireſq; præ ſiti deficerent: *Aries* ei (teſte Suida & Ariſtopha-

ne,) apparuiſſe fertur, quem cùm fugientem perſequeretur, ad liberalem amœniſſimi fontis ſcaturiginem, è colle defluam pervenit, ex qua cùm ſe ſuosque abundè refeciſſet, quod reliquum erat viæ, & feliciter, & glorioſe confecit; magnum profectò hoc *Ariete* Ductore, & continuandi itineris, & proſequendæ victoriæ nactus ſubſidium. Simile quid *Illuſtriſſime Princeps, Nilo meo Myſtico* accidit. Hic ſiquidem in Alveum jam alterum per Eccleſiæ Catholicæ agros, ad immenſum majoris DEI gloriæ oceanum erupturus, dum de ductore anxius ſollicitusque circumſpectaret, *Arietem* vidit: at qualem? *Arietem* Epiſcopali pedo, & mitra conſpicuum, Principali exornatum corona, atratis munitum leonibus, ac longa comitatum ſerie heroum, bellica laude, ac rebus præclare geſtis inclytorum: quem dum venerabundus ſequitur, ad *Celſitudinem Tuam Illuſtriſſime Princeps*, Fontem utpote variis Clementiæ, Sapientiæ, Humanitatis, Prudentiæ cæterarumq; virtutum rivis celebrem, ac longe lateque nominatum, cum incredibili ſuo gaudio ſe deductum conſpexit, ratus optimum ſe nactum, viæ, & Comitem, & Ductorem: ſi ſub hiſce rivulis & juxta illos defluere concederetur: ſic enim undis ſuis, & æſtimationis non parvam, &

maxi-

Digitized by Google

maximam incrementi acceſſionem polliceretur. Patere ergo, *Illuſtriſſime Princeps*, ut Alveus hic *ſecundus Nili Mei Myſtici* hoc *ſecundo* fluat curſu. Permitte ut juxta illuſtrem Prudentiæ tuæ, & Sapientiæ ſcaturiginem erumpat: ſine, ut prope *Clementiæ Tuæ* fontes decurrat: da ut virtutum tuarum fluentis actus majori cum fructu, & pondere curſum ſuum conſummet: hoc gratioſiſſimo favore totum me *Nilumque* meum *Illuſtriſſimæ Celſitudini Tuæ* devotiſſimum facies. Atque ut hujus meæ habeas obligationis obſidem, Gentilitium tuum *Arietem* amœnum ſupra collem ad fontes *Clementiæ Tuæ* ſtantem & excubantem in Fronte *Nili* mei colloco. Quo volo ut in hoc emblemate veluti in ſpeculo, tota videat ſciatque Europa, *Nilum* hunc meum, ſub perilluſtri *Arietis* tui ſidere, tuis favoribus ac gratiarum fluentis auctum, *irrigare* uberius, *impinguare* delicatius, *maturare* copioſius, felicius *vivificare*, ſuavius *recreare*, *locupletare* liberalius, decorem denique & ſalutem efficacius *offerre*. *Sic ſalvat quos perdidit Hortus*. Siſto eum virides inter granatas, ac florentes inter herbas frugesque medium, ut mundo notum faciam univerſo, quantis habeat in deliciis *Celſitudo Tua* ſacra verbi divini paſcua, & quo

ſtudio quibusve conatibus Dux gregis præeundo, te tuumq; gregem ad omnem perfectionem Chriſtianam ſaginare adnitaris. His nimirum tuus
Faſt.3. *Aries gaudet florentibus herbis.* Teſtatur hoc eximius *Celſitudinis Tuæ* zelus, quo & ſollicitè procuras, & religioſiſſime invigilas, ut concreditæ tibi oves pinguibus cœleſtis doctrinæ paſcuis enutriantur. Teſtatur hoc principalis omnino *Tua Providentia*, quâ ſedulò incumbis in hoc, ut *Imperiali Tuæ Cathedræ*, cæterisque per urbem ac Diœceſin Eccleſiis ferventes Evangelii præcones præficiantur. Teſtatur denique ſingularis tua in concionibus frequentandis, in pagis etiam & oppidis, dum te in iis gregi tuo viſitando intentum dies feſtivus invenit, aſſiduitas, qua ad pabulum verbi Divini avidiùs ſumendum alios excitare contendis. Igitur bonis avibus *Nile* mi *Myſtice* vere ſecunde, perge & *Clementiſſimi* hujus *Arietis* fonti undas tuas admiſce; nec eſt quod obſtacula vereare, aut deviationem pertimeſcas, undis hiſce comitantibus tutiſſimus ibis. Perge, & quæ ſumma votorum meorum eſt, in fidelium animos totum te effunde, illosque fœcundos redde, ut veræ Religionis ſemina avide recipiant, deſideria ſancta facilè concipiant, & copioſos virtutum fructus ad

Eccle-

Eccleſiæ Catholicæ incrementum, propriarum animarum ſalutem, Reipublicæ Chriſtianæ incolumitatem, *Principis* noſtri *Clementiſſimi* laudem, & majorem denique DEI optimi maximi gloriam feliciſſime enitantur. Quod ut fiat, divinam Clementiam obſecro quam poſſum demiſſiſſime, & ardentiſſime ſimulque, ut *Illuſtriſſimam Celſitudinem Tuam* ad ſubditorum tuorum ſolatium, patriæ bonum ac publicam tranquillitatem in ultimam uſque ſenectam hoſpitem ac incolumem placeat conſervare. Bambergæ 6. Februarii, Anno Chriſti M DC LXVIII.

Reverendiſſimæ & Illuſtriſſimæ Celſitudinis veſtræ.

humillimus ſervus

PHILIPPUS KISELIUS, *Soc. JESU.*

PRIVILEGIUM CÆSAREUM, ET POTESTAS BIBLIOPOLÆ FACTA à R. P. PROVINCIALI PROVINCIÆ RHENANÆ SUPERIORIS SOCIETATIS JESU.

CUm Sacræ Cæſareæ Majeſtatis decreto, omnibus, & ſingulis Typographis, & Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus ſeriò, firmiterque inhibeatur, ne quiſquam ullos libros à noſtris Patribus hactenus editos, vel inpoſterum edendos, intra S. R. Imperii, Regnorum, & Dominiorum, ſuæ Cæſareæ Majeſtatis Hæreditariorum fines, ſimili, vel alio characteris genere, aut formâ, ſive in toto, ſive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, & diſtrahere, clàm, vel palàm, audeat, vel præſumat, concedo ego NICOLAUS LUTZ, Societatis JEſu, per Rheni ſuperioris Provinciam præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi ad id factâ ab admodum R. P. Generali JOANNE PAULO OLIVA, Joanni Eliæ Höffling Bibliopolæ Bambergenſi, facultatem excudendi NILI MYSTICI Alveum ſecundum, ſive ſecundum Annum Concionum in Dominicas & Feſta, à R. P. Philippo Kiſelio Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum. In cujus rei fidem hoc ei teſtimonium dari curavi. Bambergæ 8. Maji, Anno 1667.

L. S.

D. Joannes Elias Höffling ceſſit Privilegium hoc Cæſareum Joanni Arnoldo Cholino.

NICOLAUS LUTZ.

APPRO-

APPROBATIO P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS PROVINCIÆ RHENANÆ SUPERIORIS.

EGo Nicolaus Lutz *Societatis JEſu in Provincia Rhenana ſuperiore Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reverendo admodum Patre* Joanne Paulo Oliva *Præpoſito Generali*, Nili Myſtici *Alveum ſecundum, ſive ſecundum Annum Concionum in Dominicas & Feſta, à R. P.* Philippo Kiſelio *Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, atque à deputatis ad id, Societatis ejusdem Theologis lectum & approbatum, typis mandari permitto. In cujus rei fidem has litteras manu propriâ ſubſcripſi, conſuetoq́; officii ſigillo munitas dedi.*

Bambergæ 8. Maji, Anno 1667.

L. S.

NICOLAUS LUTZ.

oDe
De aLtero nILI aLVeo
R. P. PHILIPPO KISELIO
oCCasIone frontIspICII
InsCrIpta.

ABſiſte tandem Memphi, ſuperbiùs
Nili tumentis munere fertiles
Jactare campos, quos pererrat
Fœtiferis ſemel actus undis:
Quando furens incendia Sirius
Intentat agris, & quatiens Leo
Jubasque caudamque ex apertis
Rictibus ejaculatur igneis.
Fruſtra trigonam, quam facit, inſulam
Jactas, & urbes portubus inclytas,
Gemmasque fallaces, & ortum
Ancipitem Phialæque nomen,
Et Chriſtiani funera militis,
Cladesque Regum, & pondera quæ vehit
Carasque merces, quæque gignit
Monſtra ſuis metuenda noxis.
Majora noſtro MYSTICUS hic facit
In orbe NILUS, dum micat ARIETIS
RINECRIANI illuſtre ſidus
Et BAMBERGIACI mitratum.
LEONIS aſtrum ſuaviter influit,
Et Principalis lumine gratiæ
Eclipſin, atratasque nubeis
Perpetuò facit exulare.
Procul procellis, ſic popularium,
Multo ſacrorum fœnore fructuum,
Mentes inundat, duplicique
Ecce viâ fluit hinc & inde.

Hinc

Hinc copioſo ſemine turgidas
Plantas pererrans *irrigat* uberi
Humoris urnâ fructuumque
Spem facit emicuiſſe flores.
Et per meatus atque cuniculos
Aperta terræ lapſus ad ubera
Succus paratur, perque venas
Perque fibras ſubiens medullas.
Malo famenti pabula ſuggerit,
Per ima trunci viſcera ſpargitur,
Prolique gignendæ *ſaginat*:
Sic vegetum *parit* indè pomum
En, ut decorâ prole ſtat inclyta
Granata: nec jam ſuſtineant onus
Rami laborantes, gravique
Brachia ſint cumulata fœtu.
O Fauſta ſacro flumine MYSTICI
BAMBERGA NILI! cûi licitum tuas,
Favore cœli, poſſe plantas
Niliaco ſatiare rivo.
I, finde ſulcos pectoris: effode
Mentis canales: cor cava in Alveum
Et affluentem hunc ſuge NILUM
Hæc parit *unda* tibi *decorem*
Hinc multa plantæ exſucca cadavera
Et depilatas frondibus arbores
Et emedullatas edaci
Mulciberi ſpolium daturas
Malos comatis frondibus induit
Nilus; medullâ replet & inſtruit,
Succumque vitalem *miniſtrat*,
Et fugientem animam moratur.
Urente capri frigore languidas,
Et obrigeſcentes tegit ARIETIS
Calente lana quamque fervens
Fundit, aquâ *recreat* fovetque.
Et liberalis multiplici beat
Maturrimorum pignore fructuum;
En ut *locupletavit*! Aureâ
Cytrea, punica mala jactant,

BAMBER-

BAMBERGA felix! cûi quoties libet
Patente ſacras Nilus ab alveo
Profundit undas in ſalutem
Divitiaſque ſacras Tuorum :
Largos canales affer & antlias
Pleno ore , latis faucibus ebrios
Juvabit hinc hauſiſſe, namque
Hæc parit *unda* tibi *ſalutem.*
Quærisnè gemmas ? quas oculis ciet
Virtutis ardor , vel ſcelerum pudor,
Has Nilus undas præbet, hiſque
Ex lacrymis facit uniones.
Triangularem ſi cupis inſulam,
Vide, ut piorum mentibus indidit
Numen Triunum ? ſi requiris
Tres hydrias, quibus eſt figura
Cordis; ſacratas Nilus hic hydrias
Replet ſacrati flumine Spiritûs,
Et lingua manans ſpiritali
Nectare, lingua tua eſt Philippe.
Ne quære ſtrages atque cadavera:
Dat namque vitam; monſtra fugat, necat.
Origo cœlum eſt: huc supernâ
Merce graves revehit Carinas.
Atque ut quietè tuta ſtet anchora:
Ex quinque Chriſti vulneribus facit
Et quinque portus. Quàm hic abundè
Potus & eſca, ſaluſque proſtant.
O perge NILUM fundere MYSTICUM
Philippe! plures, perge, fac alveos!
Perge, in ſalutem plurimorum
Ore tuo fluet ille NILUS.

Actinebat Auctori

P. CUNO LANGMESSER, è Soc. JESU,
in Acad. Ottoniana Bambergenſi, Phyſicæ
atque Matheſeos Profeſſor, Facultatis Artium p. t. Decanus.

INDEX RERUM.

Littera C. indicat Concionem; §. Paragraphum.

A.

ABſolonis mors infelix. c. 64. paragr. 6.
Accuſatio Chriſti D. coram Caipha. c. 20. §. 25.
Adhortatio ad amandum Jeſulum. c. 59.
Adventus, quomodo recolendus. c. 1. §. 1. 16.
Eſt duplex. c. 2. §. 1.
Adventus Spiritus S. Apoſtolis fuit neceſſarius. c. 70. §. 3.
Affectus virtutum erga Chriſtum Crucifixum. c. 17. §. 11.
Agnus Paſchalis fuit figura ſacrificii Miſſæ. c. 36. §. 3.
Alapa inflicta Chriſto D. c. 28. §. 17.
Alphonſi Salmeronis pia mors. c. 45. paragr. 12.
Amatores Jeſuli. c. 59. §. 10.
Amatores Chriſti crucifixi non moriuntur infeliciter. c. 26. §. 14.
Amatorum Crucifixi ardentes affectus. c. 13. §. 14.
Amor Chriſti D. erga homines. Vide multa c. 23.
Amor Chriſti in Euchariſtia eſt liberalis. c. 30. §. 10.
Et liberalis. Ibid. Item. c. 32. §. 1.
Amor Chriſti diſponit nos ad gloriam cœleſtem. c. 25. pargr. 11.
Eſt circulus bonitatis in Euchariſtia. c. 32 §. 2.
Eſt ingenioſus. c. 34. §. 5.
Offert ſaccarum. c. 34. §. 7.
Amor Chriſti in Euchariſtia. c. 19. §. 6.
Amoris pictura. c. 34. §. 2.
Amor Chriſti ex eo maximè elucet, quod pro nobis mori voluerit in cruce. c. 13. §. 2. & ſeq.
Amor Patris erga filium prodigum. c. 13. §. 1.
Amor Verbi incarnati. c. 1. §. 10.
Amor quærit unionem. c. 31. §. 2.
Amor Dei excludit omnem alium amorem. c. 42.
Amore Jeſu nihil dulcius. c. 60. §. 3.
Facit nos beatos. §. 10.
S. Andreas agit de illo. c. 89.
Angeli. Vide multa c. 84. Varia elogia, beneficia.
Aſſiſtunt Agonizantibus. §. 13.
Animæ ſanctæ, vel Hominis Juſti, quanta pulcritudo. c. 43. §. 9. c. 52. §. 7. 8. Pretium. §. 11.
Animæ vel hominis elogia. c. 52.

Animæ in Purgatorio. Vide Exhort. feſto Animarum. ibi. media illas juvandi.
Apoſtoli viri ignei. c. 71. §. 10.
Arcæ feneſtra fuit figurâ aperti lateris Chriſti. c. 13. §. 9. con. 16. §. 6.
Aſcenſio Chriſti D.
Vide multa c. 69.
Aſſumptio B. V. Mariæ. Vide multa c. 18.
Avaritia eſt hydrops. c. 46. §. 1. 9.
Aurora. Vide multa. c. 75. & c. 82.
Confertur cum B. Virgine Nata & Viſitante. ibidem.

B.

Blaſphemiæ Judæorum contra Chriſtum D. c. 20. §. 38.

C.

Captivitas Chriſti. c. 20.
Caſtitas requiritur in ſtatu matrimoniali. c. 7. §. 4.
Chriſti D. liberalitas in Euchariſtia. c. 32. § 13.
Chriſtus D. primus communicavit. c. 34. §. 4.
Chriſtus D. Venator. c. 34. §. 6.
Carbo ignitus. paragr. 10.
Chriſtus D. vincit pulcritudine. c. 59.
Adeſt morientibus. c. 8. par. 13.
Quare ſubinde afflictis non ſtatim ſuccurrat. c. 9. §. 3.
Succurrit cùm omnia videntur deſperata. c. 9. par. 5.
Et cùm id nobis eſt utile. c. 9. §. 9.
Chriſtus D. agit ſuaviter cum peccatoribus. c. 57. §. 11.
Eſt Medicus. §. 13.
Chriſtus D. Leo & Agnus. c. 54. paragr. 3. & ſeq.
Chriſtus D. radix. c. 47. §. 6.
Filius David. ib. multa.
Quare fleverit ſupra Jeroſolymã. Vide multa. c. 39.
Chriſtus D. Speculum Divinitatis. c. 40. parag. 5.
Benignus erga Mariam Magdalenam. c. 76. §. 3. & ſeq.
Per crucem vicit ſuos hoſtes. c. 66. parag. 1.
In Reſurrectione hoſtibus terribilis. parag. 4.
Per mortem reconciliavit nos Deo, & fecit pacem. Vide multa c. 15.
Quomodo ſuos protegat. c. 8. parag. 5.
Ejus amor erga peccatores. c. 10. paragr. 6.
Cum patientia expectat eorum pœnitentiam. c. 10. §. 8.
Quare elegerit mortem crucis. Vide 7. Conc. per Dominicas Quadrag.
Variæ devotiones erga Chriſtum Crucifixum. c. 15. parag. 1.
Exinanivit ſe in Euchariſtia. c. 32. parag. 8.
Quàm fuerit liberalis in inſtitutione Euch. c. 30. §. 2.
Induit in illa varias formas. c. 30. parag. 6.
Chriſtus D. ſolatium Agonizantium. c. 26. parag. 11.
Chriſtus D. ſapientiſſimus, c. 6. parag. 1. 2. & ſeq.
Similis Aquilæ. c. 2. §. 2.
Chriſti Judicis facies terribilis. c. 2.

parag.

parag.3.
Cur moriens inclinaverit caput. c.2.§.6.
Chriſtus D. in Euch. quærit unionem.c.12.&22.
Chriſtus Leo & Paſtor. c.23. §.1.
Terribilis & ſuavis. ib.
Chriſtus D. gaudium Sanctorum in cœlis.c.25.§.5.6.
Chriſtus D.cedrus.c.40.§.4.
In Euchariſtia Sol.32.parag.4.
Faſciculus myrrhæ.31.§.9 &10.
Chriſtus D. ardens amor in Euchar. c.31.parag.7.
Cineres. Vide multa in Exhort. diei cinerum.
Codri Regis mors
Cœlum. Vide gloria cœleſtis.
Cogitationes piæ. c.38.
Confeſſio Paſchalis. Vide multa c.18.
Debet eſſe integra. ibid.
Non eſt differenda. c.18. parag. 10.& ſeq.
Concionatoribus ardenter dicendũ eſt de B.V.c.80.§.1.
Concionatores debent invocare Spiritum S. c.70.§.9.
Concionator ſit agnus & leo. c. 54. §.7.& ſeq.
Concionatores ferventes. c.20.paragraph.3.
Congregatio Agoniæ. Ejus laudes. c.26.§.5.& ſeq.
Concupiſcentia inſatiabilis. c. 46. parag.7.
Conjugibus pia documenta ſuggerit. c.7.
Conſuetudo peccandi eſt periculoſa. c.41.§.2.& ſeq.
Converſio S. Mariæ Magd. c.3.§.3.
Converſio impii unde frequenter pendeat.c.12.§.5.
Converſio latronis in cruce ingens Miraculum.c.41.§.11.
Varia in tali converſione innovantur miracula.parag.5.
Ad converſionem peccatoris concurrunt tres Perſonæ SS. Trinitatis.c.57.§.2.
Converſio vanæ fœminæ ex amore Jeſuli.c.58.§.14.
Cor humanum ſit altare ſacrum SS. Trinitati.c.29.§ 3.
Quale cor Deus à nobis deſideret. c.42.§.13.
Corporis Chriſti feſtum & Proceſſio. c.72. per totam.
Crucis variæ figuræ. c. 17.paragr.8. & ſeq.
Crucifixi memoria utiliſſima. c. 15. §.13.
SS.Crucis elogia.c.13.§.6.
Cunæ Mariæ natæ ornantur variis ſymbolis.c.82.§.10.& ſeq

D.

Davidis nomen glorioſiſſimum. c. 47.paragr.4.
David Rex ob manſuetudinem fuit figura Chriſti. c 47. paragr. 11.
Quid David ſignificet. c.47.
David humilis.c.40.§.9.
Dedicatio Eccleſiæ. Vide multa c.90.
Deſponſatio animarum cum Chriſto Crucifixo.c.23.§.14.
Devotio Chriſti D. quomodo imitanda.c.6.§.8.
Varia devotionis elogia & utilitates.ib.§.ſeq.

Deus ſolus vult diligi. c.42. paragr.2. & ſeq.
Ex malo elicit bonum. conc. 10. §.12.
Expectat pœnitentiam, ſi differatur tandem punit.c.41.§.5.
Non deſerit in ſe ſperantes. c.44. §.9.
Non ſtatim punit c.10 §.2.
Eſt Protector ſuorũ.c.8 §.5.&ſeq.
Dies Feſti, quâ devotione celebrandi. c.6.§.13.
Dilectio mutua. Vide multa c.85.
Variæ ejus figuræ ex S. literis.§.7. & ſeq.
Quantum noceant, qui illam lacerant.§.10.
Eſt ſignum æternæ Prædeſtinationis.§.13.& ſeq.
Dilectio inimicorum. Vide multa c.51.
Divitum ſtatus periculoſus. c.46. §.1. & ſeq.

E.

Eccleſia Chriſti eſt inædificata petræ, c.74.§.2.
Eſt invincibilis. Ibidem.
Quomodo Deus illam conſervarit.ib.
Cur comparetur malo punico. c.85.§ 3.
Cur Exercitui.§.4.
De Eccleſiarum dedicatione. Vide multa.c 90.
De modeſtia in illis ſervanda, ib.
Educatio prolis quid requirat.c.50. variis §§.
Euchariſtia, In ejus ſumptione communicatur nobis Spiritus S. c.27. §.9.
Chriſti D. in illius inſtitutione liberalitas.c.30.§.2.& ſeq.
Euchariſtia, Teſtamentum Chriſti. c.32.§.6.
Eſt terminus liberalitatis Divinæ. c.32.§.7.
Opus D. omnipotentiæ. con.33. §.3.
Comparatur pluviæ.ib.§.4.
Opus D. liberalitatis §.5.
Ejus ſuavitas.c.72.§.1. 2. & ſeq.
Laudandus eſt Chriſtus D. in Euchariſtia.§ 5.

F.

Fallacia mundi.c.24.§.12.
Fides ſine operibus eſt lampas ſine oleo c.11.§.3.
Navis ſine anchora.§.4.
Radix arboris ſine trunco. c. 11. §.5.
Ficulnea, cui maledixit Chriſtus D. §.6. &.ſeq.
Fidelitatem exigit ſtatus matrimonii. c.7.§.5.6.
Fidere oportet Deo, Omnipotentiſſimo, Sapientiſſimo, Optimo, c.53.§.6.
Fiducia in Deo. c.44.§.2. & ſeq.
vide multa c 48. Varia illius elogia & utilitates.
Fiducia S. Auguſtini & S. Bernardi erga Chriſtum Crucifixum. §.15.
Figuræ variæ mortis Chriſti Dn. in cruce. c.17.§.3.&ſeq.
Filius prodigus ſpeculum veri pœnitentis.c. 3. §.6.

Forti-

Fortitudo eſt virtus Chriſtiano plane neceſſaria. Ejus laudes & proprietates. c. 79.

G.

Gaudium ex amore Chriſti.c.25.§.7.
Gaudium in ejus Reſurrectione.c.21. §.6.& ſeq.
Gaudium ex viſione Chriſti in Cœlo. c. 25.§.3.
Gloria cœleſtis. Vide de illa multa c.25.
Aſpera reddit ſuavia. c.86. §.4.
Solatur nos in tribulatione ejus memoria.c. 81. Item c.68. Vide ibi varia.

H.

Hæreſis hactenus nihil potuit nocere Eccleſiæ.c.74.§.8. & ſeq.
S. Hieronymi piiſſima mors.c.45.paragr.6.7.
Hiſtoria affectuoſa de Coreſo & Calithoe.c.13.§.12.
Hiſtoria tragica de ingrato famulo. c.19.§.5.
Hiſtoria tragica, ſive, atrox ſupplicium in recidivos.c.22.paragr.14. Alia c.31. §. 6.
Homo. Ejus elogia. c.52.
Humilitas eſt primus gradus pœnitentiæ.c.40.§.1.
Eſt virtus neceſſaria. §.2.
Docuit illam Chriſtus D.§ 3.
Eſt menſura Sanctitatis.§.4.
Humilitas Davidis.c.40 §.9.
Reperies in eadem Conc. varia virtutis elogia,&c. 63.

I.

Jacobi Patriarchæ ſuavis mors. c.45. §.9.
Jeroſolyma, quare ab Ezechiele depicta fuerit in latere. In exhort. Cinerum.
S. Ignatius.
De ejus devotione in monte Serrato, antro Manreſano & variis itineribus atque virtutibus agit. c.78.
Imago crucifixi reperta in corde Anonymi.c.19.§.2.
Incarnationis myſterium eſt incomprehenſibile.c.1.§.4.
S. Joannes Baptiſta ſtella matutina. c.73.
Varia ejus elogia,ib. per totam. Quid ſignificet vocula *Joannes.* ibidem.
Joſeph condonans fratribus illatam injuriam, figura Chriſti Dn. c.51. §.4.
Ira Dei graviſſima.c.2.§.9.& 10.
Iris figura Crucifixi.c. 16. §.14.
Judas proditor c. 20. paragrapho 9. & ſeq.
Judicium Salomonis de dividendo puero.c.42.§.6.
Judicium particulare, quid ſit. c.38. §.1.& ſeq.
Juliani infelix mors. c.50. §.11.
Juſtitiæ D. non potuit ſatis fieri, niſi per mortem crucis.c.15.§.3.
Juſtus ſperans in Domino,eſt ſimilis monti.c.9.§.6.
Juventus invidet fræno, c. 50. paragr.7.

L.

Lacrymæ movent ad commiſeratio-nem.c.31.paragr.2.& ſeq.
Multa illarum elogia. ib.per totam concionem.
Ligant manus Judicis.ib.
Extinguunt flammas divinæ Juſtitiæ.ib.
Firmant amicitiam cum Jeſu. ib.
De lacrymis S.Mariæ Magd. per totam c.76.
Alia elogia.ib.
Lapſus in peccatum,poteſt eſſe cauſa magni boni.c.10.paragr.13.
S.Laurentius.
De ejus fortitudine multa concione 79.
Pulcerrima porrò elogia invicti Martyris ex Sanctis Patribus. ibid.
Liberalitas Aſſueri. conc.26. paragraph. 3.
Liberalitas Dei, dum miſit Spiritum Sanctum.conc.28.§.1.
Liberalitas Chriſti Domini in Euchariſtia.
Vide multa concione 32. con.33. conc.34.
Lilium eſt ſymbolum humanitatis. c.40. §.8.
Luxuriæ turpitudo. concione 43. §.2.
Adverſatur Chriſto Domino. paragr.4.
Opponitur gratiæ.ib.
Ejus effectus miſerabiles in anima c.43.

M.

Sanctæ Mariæ Magdalenæ converſio. concione 3. §.3.
Amor erga CHRISTUM: de ejusdem lacrymis. concione 76.
MARIA Mater DEI tota pulcra. concione 56. paragrapho 12.
Immaculata ejus conceptio variè aſtruitur.ib.
Varia illius Emblemata, paragrapho 9.
Maria nata.Vide multa in c.82.
Comparatur Auroræ.ib.
De ejus præſentatione agitur concione 88.
In annuntiatione Roſa. concione 65.
Fuit benedicta inter mulieres. concione 67. paragrapho 11. & ſeq.
De ejus gaudio in Reſurrectione Filii.concione 67. multa.
De ejus gaudio in Filii Aſcenſione. concione 68. paragr. 1. & ſeq.
MARIA lætitia hominum & Angelorum. concione 64. paragrapho 1.
In Purificatione humillima. concione 63. paragrapho 7. & ſequent.
Cur legi Purificationis ſe ſubjecerit. ib.
De ejus viſitatione agitur conc.75. per totam.

De ejus Aſſumptione. concione 80.
Placat iram Filii, ib.& varia Elogia.
S. Martinus.
Vide varia, quæ applicari poſſunt cuivis Operario in vinea Eccleſiæ. concione 87.
SS. Martyrum heroica dicta. c.89. §.12.
Matrimonium felix tria requirit. c.7.§.3.
Miſericordia Chriſti D. concione 16. §.4.
Erga peccatores. concione 83.
Modicum.
Vide multa concione 24.
Mors Abſolonis infelix. conc. 64. §.7.
Mors Chriſti, quibus precipuè ſit utilis. in conc. Domin. per Quadrag.
Mors juſtorum ſuavis, c.45.parag.4. & ſeq.
Mundi fallacia. concione 24. paragrapho 12.
Ejuſdem vanitas.ib.

N.

Nati Jeſuli typus. concione 58. paragrapho 4.
Nativitas Chriſti Domini. ead. c.
Angelorum ſumma admiratio & profundiſſima Reverentia. paragrapho 3.
Natus Jeſulus. Vide Parvulus de Bethleem.
Natalis Beatæ Virginis. concione 82. §. 8.
Natæ Mariæ Virginis varia emblemata. ib. §.10 11.
Nativitas Beatæ Virginis comparatur exorienti Auroræ. ib. §.4.
de Nativitate ejusdem ſæcula quædam certaſſe, ib. §.6.
Nativitati Regum adhibiti quidam Ritus. c.82. §.1.
Nativitati magnorum quorundam virorum concurrentia prodigia. ib. §.2.
plura per totam conc. 82.
Nilus ſymbolum Euchariſtiæ c. 33. §.9.
Nox Paſſionis. concione 20. paragrapho 35.

O.

Obſtinatio cordis unde naſcatur. c.41.§.4.
Octavianum Imp. Puerum pavit aquila. c. 34. §. 1.
Oculi Chriſti D. ſunt radii ſolis. c.83. § 8.
Oratio impetrat omnia c.26.§.1.
Meretur ſanctam mortem, §.4.
Varia illius elogia. §. 7.
Oratio, quàm debeat eſſe accenſa. c. 27. §.4. & ſeq.
Requiritur perſeverantia. §. 8.
Oſculum Judæ. Vide multa c. 20. §.9.& ſeq.

P.

Palma ſymbolum ſacroſanctæ Crucis & hominis juſti.c. 68. par. 1. & ſeq.
Symbolum viri fortis. c. 81.§.9.

Parentes debent bene educare prolem.c.50.per totam.
Parentes mali puniuntur.ib.
Paſcha. Diei hujus ſolennitas. c. 66.
Paſſionis Chriſti memoria animavit Martyres. c.89.per totam.
Paſſio fuit continua contradictio Judæorum contra Chriſtum.c.5.§.7.
Paſſio Chriſti poteſt conſiderari dupliciter.c.14.§.8.
Paſtor bonus. Vide multa c. 23.
Patientia. Vide multa c.79.
Pati pro Chriſto eſt magna gloria. c.68.§.12. c.77.
Summa proſperitas.c.81.
Parvulus de Bethleem. Vide multa. c.58.&c.59.& 60.
Pax eſt fructus Paſſionis.c.22. §.1.
Peccatum mortale, pondus graviſſimum. c.64.§.2. & ſeq.
Fuit cauſa mortis crucis. c.14. §.2. & ſeq.
Quàm abominabile.c.54. §.1.
Peccatorum multiplicatio evacuat Dei miſericordiam.c.41.§.6.
Peccatoribus datur locus Pœnitentiæ.c.3.§ 1.
Paccatores ſunt ſagittarii contra Chriſtum.c.5 §.12.13.
Petra ſtillans aquam in deſerto fuit figura Euch. c.33. §.7.
Petri negatio.c.20.§.33.
Pharao quo tempore diei fuerit ſubmerſus.c.11.§ 4.
Pœnitentiæ varii fructus. c.3.§.2.
Ejus ſpeculum filius prodigus. c.3. §. 6.
Pœnitentes ſunt dilecti filii Chriſti D.c.3.§.9.
Pœnitentia eſt vera præparatio ad Nativitatem Chriſti D.c.3.§.1.
Diſſipat peccata. ib. §.11.
Pœnitentia non eſt differenda. c.4. §.1.
Sera eſt periculoſa. c.4.§.3.
Exempla ſerò pœnitentium.
Non exaudiuntur à Deo. c.4.§.6.
In agone pœnitere nō poſſunt.§.7.
De pœnitentiæ utilitate & neceſſitate vide c.19.
Politici veſtiunt ſua vitia. c.37.§.3.
Impii Politici fuerunt Saul, Achab,&c. ib.§.3. & ſeq.
Illorum fraudes & peſtilens doctrina. §.6. & ſeq.
Deus illos punit. §.10.
Poma Sodomitica. In exhort. Ciner.
Praxis aurea colendi SS.Trinitatem. c.29. §.5.6.
Præparatio ad Pentecoſten. c.27. paragr.2.3.
Præſentatio B. V.c.80.
Præſepium Chriſti D. principalis thronus.c.61.§.2.
Altare.§.3.
Regius currus. §.4.
Cathedra. §.5.
Floridus lectulus. §.7.
Aurea concha. §.8.
Areola florum.§.9.
Urna aurea. §.10.
Aurea menſa. §.11.
Propitiatorium. §.12.
Proceſſio in feſto Corporis Chriſti. conc.72.
Propitiatorium fuit figura Crucifixi, c.16. §.13.
Providentia Divina. Vide multa c.53.
Quàm agat nobiſcum ſuaviter, c.38.§.4.
Sub ejus alis tuti deliteſcimus. c.44. §.13.

Ejus

Ejus elogia ibid.
Habet vigiles oculos.§.14.
vertit mala in bonum. conc.77. parag.
Publicanus fuit ſpeculum pœnitentis.c.40.

R.

Recidiva periculoſa.c.22. paragr.5. & ſeq.
De eadem vide multa c.41.
Redemptio noſtra fuit copioſa. c.1. §.15.
Redemptio per mortem crucis. Vide 7. conc. Quadrag.
Reſurrectio Chriſti D. Vide multa c.66.&.67.
Ejus ſymbola varia.c.21. parag.1. & ſeq.
Roſa. Vide multa c.65.

S.

Sacramentum Pœnitentiæ & fructus mortis Chriſti in cruce c.18. 2.§.
Sacrificium Miſſæ eſt holocauſtum. c.36.§.5.
Gratiſſimum Deo munus. c.35. parag.1.
Vera oblatio in utraque hac concione.
Applicantur per illud nobis merita Chriſti Domini. conc.35. parag.8.
Pretioſus ejus ſanguis §.9.
Miſſa eſt repræſentatio Paſſionis.§.10.
Ejus elogia. parag.11. & concione 36.§.9.
Eſt ſatisfactorium & imperatorium.§.6.
Quare frequenter debeamus audire.c.36.§.12.13.
Sacrilegè confitentes citantur ad S. Crucem.c.18.§.8.
Sacrilegè communicantes. Contra utroſque vide multa in concione 19.
Sagittæ Jonathæ ſunt ſuſpiria ad Crucifixum.c.16.§.11.
Sapientiæ pulcritudo.c.59.§.2.
Sanguis Chriſti delet chirographum. c.15.§ 11.
Mundat lepram animæ. conc.43. §.12.
Ejus memoria accendit Martyres. c 89.§.10.
Signum. Quid ſignificet hæc vocula. c.5.§.2.
Spes. Ejus elogia.c.9.§.7.
In quibus fundari debeat. c.44. §.8. & ſeq.
Spiritus S. Vide multa c.28.§.2. & ſeq.
Fuit Apoſtolis neceſſarius ob varias cauſas.c.7.§ 3.
Varia illius elogia.ib.
Eſt Ventus: Lingua: Ignis: Aqua. c. 71.per totam.
Sponſa, quomodo deſcripſerit ſponſum.c.60.§.14.
Stella, quæ Magos duxit ad præſepium per totam c.62.
Symbola regiarum virtutum. c.62.
Symbolum Margaritæ Reginæ Navarræ.c.63.§.9.
Symbola varia Reſurrectionis. c.21. parag.1.
Symbola vanitatis.c.24.

T.

Tribulatio. Ejus fructus. c.53. §.9.
Solatur nos in illa memoria cœleſtis gloriæ, c.68. §. 4.
Vide multa per totam c. 77.
Quatuor fontes gaudii in trib. c.81.
Compellit nos ad orandum. c.81. §.13.
Ingens in tribulatione ſolatium ex memoria Chriſti patientis. c.18. per totam.
In tribulatione orandum. c.9. §.15.
SS. Trinitas quomodo amanda. c.29. §.1. & ſeq.
SS. Trinitatis Cultores ſanctè moriuntur. §. 8.
Tullıæ crudelitas. c. 19. §.8.

V.

Vanitas rerum hujus mundi. c.24. multa.
Verbi Divini efficacia. c. 12 §.5.
Cur comparetur ſagittæ. c.12. §.6.
Excitat peccatores. §. 8.
Eſt medicina §.9.
Eſt frænum. §.12.
Vide ibidem multa de ejus utilitate & neceſſitate.
Victoria Chriſti D. in reſurrectione, c. 66. multa.
Virtus eſt circa difficilia. c. 79. §.1.
Virtus non debet ſervire vitio. c.37. §. 2.
Vitæ humanæ miſeria. c.53. §.
Ejus brevitas. c. 24. § 1. & ſeq.
Viſitatio B. V. c. 75. per totam.
Vox Domini eſt potens & efficax. c. 12. §.2.
Vulnera Chriſti ſunt fontes miſerationum, c.16. §.2.
Et amoris. §.3.
Comparantur cum roſis. c. 26. §.10.
Pia cauſa, ob quam cicatrices retinuit. c.69. §.7.
Pia erga illa devotio. c.57. §.14.

X.

S. Xaverius. Vide multa, de ejus geſtis in India. c. 55.

Z.

Zizania cur toleret Deus. c.10. paragr.10.

Finis Indicis Rerum.

INDEX THEMATUM

Concionum in omnes Dominicas ab Adventu uſque ad Pentecoſten.

Thema.
Pro Dominica I. Adventus.
Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, Matth.21.v.5. p.3.

Thema.
Dominica II. Adventus.
Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, Lucæ 21. v.27. p.10.

Thema.
Dominica III. Adventus.
Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuã ante me, Matthæi 11.v.10. p.18.

Thema.
Dominica IV. Adventus.
Ego vox clamantis in deſerto: Dirigite viam Domini, Joan. 1. v.23. p.25.

Thema.
Dominica infra octav. Nativ.
Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignũ cui cõtradicetur, Luc.2.v.34.p.32.

Thema.
Dominica I. poſt Epiphaniam.
Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe, Luc.2.v.49. p.39.

Thema.
Dominica II. poſt Epiphan.
Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, Joannis 2. v. 1. p.48.

Thema.
Dominica III. poſt Epiphan.
Domine, ſi vis, potes me mundare, Matth. 8.v.2. p.54.

Thema.
Dominica IV. poſt Epiphan.
Ecce motus magnus factus eſt in mari, Matth. 8. v.24. p.61.

Thema.
Dominica V. poſt Epiphan.
Sinite ea creſcere uſque ad meſſem, Matth. 13. v.30. p.68.

Thema.
Dominica Septuageſimæ.
Voca operarios, & redde illis mercedem, Matth.20.v.8. p.76.

Thema.
Dominica Sexageſimæ.
Semen eſt verbum Dei, Luc.8.11.p.82.

Thema.
Dominica Quinquageſimæ.
Poſtquam flagellaverunt, occident eum, Luc.18.v.33. p.91.

Thema.
Pro die Cinerum.
Pulvis es & in pulverem reverteris, Gen.3.v.20. p.99.

Thema.
Dominica I Quadrag.
Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, 1. Cor.1.v.23. p.104

Thema.
Dominica II. Quadrag.
Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, 1.Cor.1.v.23. p. 112

Thema.
Dominica III. Quadrag.
Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, 1.Cor.1. v.23. p.120

Thema.
Dominica IV. Quadrag.
Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, 1.Cor.1. v. 23. 127

Thema.
Pro Dominica Paſſionis.
Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, 1. Cor.1.v.23. p. 138

Thema.
Dominica Palmarum.
Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, 1. Cor.1.v.23. p.142

Hiſtoria cruentæ Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti die Veneris ſacro. p.149

Thema.
Dominica Reſurrect. Chriſti.
Surrexit & non eſt hic, Marc.16.6.176

Thema.
Dominica in Albis.
Pax vobis, Joan.20.v.27. p.183

Thema.
Dominica II. poſt Paſcha.
Ego ſum paſtor bonus, Joan.10.11. 190

Thema.
Dominica III. poſt Paſcha.
Modicum; & jam non videbitis me, Joan. 16.v.16. p.198

Thema.
Dominica IV. poſt Paſcha.
Vado ad eum qui miſit me: quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implebit cor veſtrum, Joan. 16.v.5. p.204

Thema.
Dominica V. poſt Paſcha.
Petite & accipietis. Joan.16.24. p.211

Thema.
Dominica IV. poſt Paſcha.
Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre meo, Joan.15. v.26. p 219

INDEX THEMATUM
Concionum in Dominicas à Pentecoſte uſque ad Adventum.

Thema.
In Feſto Pentecoſtes.
Paracletus autem Spiritus S. quẽ mittet Pater in nomine meo. Joan.14.26.p.228

Thema.
Pro Dominica SS. Trinitatis.
Baptizantes in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Matth.28.v.19. p.234

Thema

Thema.
Dominica I. poſt SS. Trinit.
Epulabatur quotidie ſplendidè, Luc. 16. v. 19. p. 241

Thema.
Dominica II. poſt SS. Trinit.
Homo quidam fecit cœnam magnam, Lucæ 14. v. 16. p. 248

Thema.
Dominica III. poſt. SS. Trinit.
Erant appropinquantes ad Jeſum publicani & peccatores, Luc. 15. v. 1. p. 256

Thema.
Dominica IV. poſt SS. Trinit.
Menſuram bonam & confertam & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum, Luc. 6. v. 38. p. 263.

Thema.
Dominica V. poſt SS. Trinit.
Laxate retia veſtra, Luc. 5. v. 4. p. 270.

Thema.
Dominica VI. poſt SS. Trinit.
Si offers munus tuum ad altare, Matth. 5. v. 23. p. 284

Thema.
Dominica VII. poſt *SS.* Trinit.
Miſereor ſuper turbā. Marc. 8 2. p. 291

Thema.
Dominica VIII. poſt *SS.* Trinit.
Attendite à falſis Prophetis, Matth. 7. v. 15. p. 298

Thema.
Dominica IX. poſt *SS.* Trinit.
Redde rationem villicationis tuæ, Luc. 16. v. 2. p. 306

Thema.
Dominica X. poſt *SS.* Trinit.
Flevit ſuper illam, Lucæ 19. v. 41. p. 313

Thema.
Dominica IX. poſt SS Trinit.
Deus propitius eſto mihi peccatori, Luc. 18. v. 13. p. 321

Thema.
Dominica XII. poſt SS. Trinit.
Apprehendens eum de turba ſeorſum, Marc. 7. v. 33. p. 328

Thema.
Dominica XIII. poſt *SS.* Trinit.
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Luc. 10. v. 27. p. 335

Thema.
Dominica XIV. poſt *SS.* Trinit.
Occurrerunt ei viri decem leproſi, Luc. 17. v. 12. p. 343

Thema.
Dominica XV. poſt *SS.* Trinit.
Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, Matthæi 6. v. 24. p. 350

Thema.
Dominica XVI. poſt *SS.* Trinit.
Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ, Luc. 7. v. 12. p. 357

Thema.
Dominica XVII. poſt *SS.* Trinit.
Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum, Luc. 14. v. 3. p. 364

Thema.
Dominica XVIII. poſt *SS.* Trinit.
Quid vobis videtur de Chriſto? Matth. 22. v. 22. p. 370

Thema.
Dominica XIX. poſt *SS.* Trinit.
Confide fili, Matth. 9. v. 2. p. 377

Thema.
Dominica XX. poſt *SS.* Trinit.
Ligatis manibus & pedibus projicite in tenebras exteriores, Matth. 22. 13. p. 384

Thema.
Dominica XXI. poſt SS. Trinit.
Domine deſcende priusquam filius meus moriatur, Joan 4. v.49. p 391.

Thema.
Dominica XXII. poſt SS. Trinit.
Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, Matth.18.v.35. p.398.

Thema.
Dominica XXIII. poſt SS. Trinit.
Cujus eſt imago & ſubſcriptio, Matth. 22.v.20. p.405.

Thema.
Dominica XXIV. poſt SS. Trin.
Confide filia, Matth.9.v.22. p.411.

Thema.
Dominica XXV. poſt SS. Trin.
Cum videritis abominationem deſolationis, Matth.24. v.15. p.418.

INDEX THEMATUM

In Feſta ab Adventu uſque ad Pentecoſten.

Thema.
Pro Feſto Franciſci Xaverii Indiarum Apoſtoli.
Laudemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua, Eccleſ. 44. v.1. p.426.

Thema.
Feſto Immaculatæ conceptionis B.V.
De qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus, Matth.1. v.16. p.433.

Thema.
Feſto S. Thomæ Apoſtoli.
Inſer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum, Joan. 20. v.27. p.441.

Thema.
Feſto Nativitatis Chriſti.
Natus eſt hodie vobis Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, Luc.2.v.11. p.448.

Thema.
Feſto S. Stephani.
Natus, datus nobis puer, eſt pulcerrimus. p.455.

Thema.
Feſto S. Joannis Evangeliſtæ.
Vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus, Joan.21.v.20. p.462.

Thema.
Feſto Circumciſionis D. N. Jeſu Chriſti.
Vocatum eſt nomen ejus Jeſus, Lucæ 2. verſ.21. p.469.

Thema.
Feſto Epiphaniæ.
Vidimus ſtellam ejus in oriente & venimus adorare eum, Matth.2 3. p.477.

Thema.
Feſto Purificationis.
Poſtquã impleti ſunt dies purificationis, Mariæ

Maria ſecundum legem Moyſis, Luc. 2. verſ. 22. p. 482.

Thema.
Feſto S. Matthiæ Apoſtoli.
Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, Matth. 11. v. 28. p. 489.

Thema.
Feſto Annuntiationis B. V.
Ego quaſi plantatio Roſa in Jericho, Eccleſiaſtici 24. v. 18. p. 495.

Thema.
Feria II. Paſchatis.
Aperti ſunt oculi eorum, & cognoverũt eum, Lucæ 24. v. 31. p. 502.

Thema.
Feria III. Paſchatis.
Venit Jeſus & ſtetit in medio, Joan. 20. verſ. 26. p. 508.

Thema.
Feſto SS. Philippi & Jacobi.
In domo Patris mei habitationes ſunt multa, Joan. 14. v. 2. p. 514.

Thema.
Feſto Aſcenſionis Chriſti.
Videntibus illis elevatus eſt, Actor. 1. verſ. 9. p. 521.

INDEX THEMATUM

In Feſta à Pentecoſte uſque ad Adventum.

Thema.
Feria II. Pentecoſtes.
Sic Deus dilexit mundum, Joan. 3. 16. p. 530.

Thema.
Feria III. Pentecoſtes.
Ego veni ut vitam habeant & abundantius habeant, Joannis 10. 18. p 537.

Thema.
Feſto Corporis Chriſti.
Caro mea verè eſt cibus, Joan. 6. v. 56. p. 544.

Thema.
Feſto S. Joannis Baptiſtæ.
Ioannis eſt nomen ejus, Lucæ 1. v. 63. p. 550.

Thema.
Feſto SS. Petri & Pauli.
Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Matth. 16. v. 18. p. 556.

Thema.
Feſto Viſitationis B. V.
Qua eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, Cant. 6. v. 9. p. 562.

Thema.
Feſto S. Mariæ Magdalenæ.
Lachrimis cœpit rigare pedes ejus, Luc. 7. v. 44. p. 568.

Thema.
Feſto S Jacobi Apoſtoli.
Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum, Matth. 20. v. 22. p. 575.

Thema

Thema.
Feſto *S.* Ignatii.
Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, pſal. 67. v.36. p.583

Thema.
Feſto S. Laurentii Martyris.
Niſi granum frumenti, cadens in terrã mortuum, Joan.12.v.24. p.590

Thema.
Feſto Aſſumptionis B.V.
Salve Regina, mater miſericordiæ, ex ſymb. *S.* Bernardi. p.598

Thema.
Feſto *S.* Bartholomæi.
Exiit Jeſus orare in montem, Luc.6. v.12. p.604

Thema.
Feſto Nativitatis B.V.
De qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus, Matth.1. v.16. p.610

Thema.
Feſto *S.* Matthæi Apoſtoli.
Vidit Jeſus hominem ſedentem in telonio, Matth.9. v.9. p.617

Thema.
Feſto *S.* Michaelis Archangeli.
Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, Matth.18.v.10. p.622

Thema.
Feſto *SS.* Apoſt. *S*imonis & Judæ.
Hæc mando vobis, ut diligatis invicem, Joan.15.v.17. p.626

Thema.
Feſto omnium *S*anctorum.
Beati qui perſecutionem patiuntur propter Iuſtitiam: quia ipſorum eſt regnum cœlorum, Matth.5.v.10. p.636

Thema.
Feſto Commemorationis Animarum.
Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, Job.19.v.21. p.643

Thema.
Feſto *S.* Martini Epiſcopi.
Sint lumbi veſtri præcincti, Luc.12.v.35. p.647

Thema.
Feſto Præſentationis B.V.
De qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus, Matth.1.v.16. p.654

Thema.
Feſto S. Andreæ Apoſtoli.
Vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, Matth.4.v.18. 660

Thema.
In feſto Dedicationis Eccleſiæ.
Hodie ſalus huic domui facta eſt, Luc. 19.v.9. p.666

FINIS.

Digitized by Google

ALVEI SECUNDI,

Sive

CONCIONUM

IN

Omnes Dominicas ab Adventu uſque ad Pentecoſten,

PARS PRIMA.

Digitized by Google

CONCIO I.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, Matth. 21. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN citatum verſum ex Evangeliò, explanatur ex circumſtantiis divinæ Incarnationis & Redemptionis humanæ, particula *Quomodo*, & è variis ſacræ Scripturæ Sanctorumque Patrum locis, Divinus Amor in hoc myſterio elucens, extollitur. Affectus amoris mutui & gratitudinis.

§. 1. *Pii Chriſtiani per Adventum cum gaudio recolunt myſterium Incarnationis.*

§. 2. *In puritate cordis, in vita ſancta, ſobria, juſta, pia.*

§. 3. *Propoſitio Aget hæc Concio de una circumſtantia illius myſterii*, Quomodo.

§. 4. *Modum Incarnationis ipſi Seraphini non comprehendunt, attribuunt tamen Spiritui S. ſive Amori.*

§. 5. *Pulchris verbis id declaravit Zeno.*

§. 6. *Et ſimili ſumpto ex fabula de Narciſſo.*

§. 7. *Applicatur Verbo Incarnato.*

§. 8. *Confirmatur ex Pſ. 68.*

§. 9. *Pium deſiderium ad B. Virginem.*

§. 10. *Verba Apoſtoli*, Habitu inventus ut homo, *declarant amorem Verbi Incarnati.*

§. 11. *Hiſtoria de Codro, Rege Græcorum.*

§. 12. *Applicatur Chriſto Domino morienti pro genere humano.*

§. 13. *Proſecutio.*

§. 14. *In toto myſterio Redemptionis ſummum argumentum infiniti amoris eſt ipſa mors Chriſti. Pulcher locus de apertione lateris in Cruce, & affectus gratitudinis erga Chriſtum Dominum.*

§. 15. *Ejuſdem amoris indicium & copioſa Redemptio.*

§. 16. *Chriſtus D. præ amoris magnitudine paſſionem vocavit* Calicem.

§. 17. *Epilogus ex affectuoſis verbis S. Ambroſii.*

Digitized by Google

§. 1. *Pii Chriſtiani per Adventũ cum gaudio recolunt myſterium Incarnationis.*

SI ita affecti eſtis, Auditores humaniſſimi, prout me affectum ſentio, ſi eo deliburi gaudio vivitis, quo pii Chriſtiani hoc acceptabili ſacri Adventus tempore dulciſſimum myſterium Incarnationis Chriſti recolere, cum ingenti gratiarum actione conſueverunt, & mihi, & vobis gratulor: Ecquid enim ſuavius & dulcius homini eſſe poteſt, quam meminiſſe illius gratiſſimi temporis, menſis, diei, momenti, quo pro homine in utero Virginis Filius Dei factus eſt homo? ſive, in quo myſterio homo pius, majori cum ſolatio exercere poteſt fidem, corroborare ſpem, accendere chatitatem, quàm in abſcondito hoc ſacramento Verbi Incarnati? Et huic quidem quæſtioni; quæ ſit illa magna lætitia, magnum illud gaudium, abunde, ni fallor, ſatisfecit flumen illud aureum S. Chryſoſtomi hom.64. ad pop. *Neque regni delectatio*; (addo ego, neque divitiarum copia, neque honores) *aliquid magnum eſt, ad id quod dicendum eſt, hoc eſt enim omnium maximum, Chriſtum amatum ſimul habere, & amantem. Quæ mens exprimere poterit hujus animæ beatitudinem?* Sed quid ego in limine concionis, me & meos Auditores piiſſimorum affectuum pelago immergo?

§. 2. *In purita-*

Quin potius antequam id faciam, fuſius de illo myſterio diſcurrendo, commonitos vos cupio cum S. Auguſtino l. de agone Chriſti c. 16. *Revera magnum eſt mente conſpicere generationem Verbi ab æterno, & ejus Incarnationem in tempore. Non poteſt fieri ut illi hac videant, qui in terrena oculorum atque animi aciem defigunt, qui fumo ſe vitiorum involvunt, qui ſibi contentionibus & pugnis fermè quotidianis nebulas excitare non ceſſant.* Hæc videtur eſſe mens S. Auguſtini. Si hoc ſacro tempore Adventus gratis animis recolere volumus Adventum Filii Dei in carne in hunc mundum, ex cordibus noſtris excludi oportet fumum iræ, diſpelli caliginem invidiæ, eliminari vapores ſuperbiæ, & vel maximè proſcribi nebulas luxuriæ; id quod monet S. Paulus ad Titũ cap.2. v. 11. *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, juſtè & piè vivamus, expectantes adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.*

te cordis, invita ſancta, ſobria, pia, juſta.

§. 3. *Propoſitiõ. Agit hæc Concio de una circumſtantia illius myſterii. Quomodo, ſive de infinito amore Dei, qui*

Quare cum de tali diſpoſitione meorum Auditorum non dubitem, arbitror non ſine meo, veſtroque omnium ſolatio futurum, ſi hac concione de unica tanti myſterii circumſtantia tractem. Variæ illæ ſunt, *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Ad *quomodo* pertinet, quod Filius Dei ex infinito amore factus ſit Homo, & nos redemerit. Advertere

in illo clauſu. tere poteſtis ex his verbis, acturum me de maximo beneficio Redemptionis, non quatenus Incarnationem tantum includit, ſed ſecundum totum hoc complexum ex ſymbolo S. Athanaſii; *Deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt: crucifixus etiam pro nobis, & mortuus.* Huic noſtro Redemptori & Amatori ſit laus, honor & gloria.

§. 4. Modum Incarnationis ipſi Seraphini non comprehendunt. Attribuunt tamen Spiritui S. ſive Amori.

Poſtquam Archangelus Gabriel, facie rutilans, veſte coruſcus, inceſſu mirabilis (ut loquitur S. Auguſtinus ſer. 14. de nativ. Domini) poſt Angelicam ſalutationem, legationis ſuæ argumentum ſanctiſſimæ Virgini propoſuiſſet, Luc. 1. v. 31. *Ecce concipies in utero, & paries filium.* Ipſa modeſtè quæſivit v. 34. *Quomodo fiet iſtud?* Reſpondit cœleſtis paranymphus, v. 35. *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* q. d. Modum, quo tantum myſterium, quod annuntio, peragetur: modum, quo Virgo concipiet, modum, quo natura Divina unietur humanæ, & multa talia, non equidem ipſe comprehendo; fiet enim ſub umbra, id eſt, in ſecreto & abſcondito; in quo & ſimilibus myſteriis coram throno ſanctiſſimæ Trinitatis, etiam Seraphini & Cherubini Iſaiæ 6. v. 2. tegunt ſuos pedes, velant faciem & oculos avertunt. Hoc tamen non ignoro, Spiritus Sanctus id operabitur. Et cur Archangelus nominat Spiritum S. non Patrem? cujus infinita eſt potentia, quæ in hoc myſterio maxime elucet. Cur non Filium, cujus eſt immenſa ſapientia, quæ illud de Incarnatione Verbi conſilium ſuggeſſit? Solido fundamento quæſtio hæc innititur; certum enim eſt in ſcholis, tantum myſterium toti ſanctiſſimæ Triadi, & ſingulis tribus Perſonis adſcribendum eſſe: ſed non ſine ratione Archangelus Gabriel Spiritum Sanctum nominavit, non tantum, quia Spiritus hic eſt fons omnis Sanctitatis & chariſmatum, quæ ſecum hoc myſterium trahit; ſed quia ipſe eſt illa Perſona in ſacroſanctâ Trinitate, cui Amor appropriatur, imo eſt ipſe Amor, & infinitus ille Amor, qui & Patrem movit, ut mundo daret Filium, & Filium, ut fieret homo, induxit. Ex amore erga hominem Verbum Patris deſcendit de cœlis.

§. 5. Pulchris verbis id declaravit Zeno.

Audiamus quid Zeno ſer. 3. de Nat. ſenſerit. *Mira res!* exclamat: *Concepit Maria; mirabili modo, permanens Virgo facta eſt Mater, admirabilis infantis, hominis Dei: O nova ratio: amore imaginis ſuæ coactus in infantē vagit Deus:* id eſt, ut Deus amorem ſuum infinitum, erga hominem, qui imago ipſius eſt, oſtenderet, factus eſt homo, natus eſt homo, & quidem mortalis, paſſibilis, ad labores, dolores, pœnas & tormenta, quibus divinæ Juſtitiæ pro Redemptione humani generis debuit ſatisfacere, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Itaq; Amor extenuavit Deũ in infantem. Amor illum coëgit cœlos deſerere, amor illi venire in hunc mundum perſuaſit. Spiritus S. fuit auctor tanti operis.

§. 6. Et ſimili

Videtur Zeno, dum hæc dixit, præ ocu-

ſumpto ex fabula de Narciſſo. oculis habuiſſe figmentum Poëtarum de Narciſſo: hunc ſiquidem fabulantur juvenē fuiſſe formoſiſſimum, qui dum in aquis, veluti ſpeculo ſuam ſpectaret imaginem, vel potius umbram, ſed formoſam & venuſtam contemplaretur, amore ejus raptus proſiliit in undas, vel ut juveni tam ſpecioſo adeſſet, vel potius ut eum ex aquis præſenti ſubmerſionis periculo vindicaret. Fuit ah: fuit illa aqua Narciſſo puteus amoris, & doloris, in quo interiit merſus amore. Non amo fabulas in ſacris diſcurſib. niſi piè & eleganter, rem de qua agitur, explicent, ut hic Narciſſus facit.

§. 7. *Applicatur Verbo Incarnato* Creatus fuit homo ad imaginē Dei; ſive Adamo in prima creatione impreſſa fuit perfectiſſima ſimilitudo Sanctiſſimæ Trinitatis, & imago, pulcherrimis grata coloribus, ornata gemmis virtutum. Sed prô, calamitas! paulo poſt dejecta fuit in barathrum peccati, in puteū miſeriarū, in tribulationū abyſſū, in quoddā mare infelicitatis (Tanti extitit cauſa mali peccatum) deturbanda deinde in igneum mare damnationis æternæ, & deturbata fuiſſet, niſi formoſiſſimus flos campi, niſi venuſtiſſimus cœlorum Narciſſus, ab Amore coactus in Infantem, in puteum, imò & in oceanum tribulationum ſe miſiſſet, & ſuam ſuo periculo, ſuo damno, caſu ac vulnere, imaginem extraxiſſet. Extraxit, ſed amando & ſic extrahendo interiit. Amore imaginis ſuæ præcipitavit ſe in altitudinem maris ſuæ Paſſionis.

§. 8. *Confirmatur ex pſ. 68.* Superſediſſem vobis hanc exponere fabulam Auditores, niſi præter Zenonē ipſe regius Pſaltes in perſona Filii Dei dixiſſet pſ. 68. v. 23. *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam, infixus ſum in limo profundi. Veni in altitudinē maris, & tempeſtas demerſit me.* Hæc oravit Chriſtus Dn. in rubro mari ſui ſanguinis, oravit hæc ad columnam, oravit in ſpinea coronatione, oravit in Cruce, & quis Filium Altiſſimi eò præcipitavit? Amor ſuæ imaginis. Quis hunc divinum Narciſſum, in hunc non jam pellucidum & cryſtallinum, ſed turbulentum, ſed obſcurum, ſed ſanguineum fontem demerſit? Amor imaginis: Imago illum decepit. Sit venia verbo: non eſt hoc decipi: ſed amare, ſed ſuaviter affici, eſt ardentes animi æſtus temperare. Quid volumus? Amor fecit.

Antequam à fonte Narciſſi diſcedam, non poſſum diſſimulare intimum animi mei deſiderium, quo mihi opto fatum hujus adoleſcentis, ſi tamen fatum dicendum eſt: Nam ô dulce fatum, mergi in Oceano gratiarum. Te intelligo ô Sanctiſſima Virgo Maria, tu divinorum chariſmatum fons es, tu rivulus aquarum viventium, imo tu Oceanus gratiarum. Tua me delectat imago & pulchritudo, nec tua ſolum ſed & Filii tui, humanitatem meam, formamque induti humanam. Hinc ipſum quaſi divinum diligo Narciſſum, hinc in tuam me lympham, ô Diva Nympha: volo dicere, in tuos favores, amoreſque, in tua me demergo flumina eloquentiæ. §. 9. *Pium deſiderium ad B. Virginem.*

S. Paulus, dum Philippenſibus vult inculcare magnam æſtimationem §. 10. *Verba Apoſtoli ad Phi-*

Digitized by Google

Ep. 2. Habitu inventus ut homo, declarant infinitum illum amorem.

nem myſterii humanæ Redemptionis, ſic illos alloquitur c. 2. v. 6. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinâ arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo.* Variæ his verbis proponuntur circũſtantiæ beneficii Redemptionis humanæ. Meo judicio Apoſtolus præcipuè intendit commendare Amorem, qui cauſa fuit, ut Filius Dei deſcenderet de cœlis, ut in Virgine conciperetur, ut in ſtabulo naſceretur; ut deinde tanta perferret tormenta, ut deniq; animam in cruce efflaret: Hunc amorem præcipuè colligo ex illis verbis, ***habitu inventus ut homo.*** Nam DEI veſtis erat lux quædam inacceſſibilis, Sol quidam gloriæ infinitæ, immenſa magnificentia & majeſtas, ſed ut amorem ſuum admirabili modo oſtenderet, habitum mutavit, & depoſita, vel contecta ſaltem veſte priori, habitum hominis induit, factus eſt homo. Sed age, an hæc veſtium depoſitio, an hæc habitus mutatio, de qua loquitur Apoſtolus, tanti eſt argumentum Amoris? Videtur diſcurſus meus paulò obſcurior, ſed lux illi non modica affulgebit, poſtquam brevem vobis hiſtoriam in memoriam revocavero.

§. II. Hiſtoria de Codro Rege Græcorum.

Teſte Valerio Magno, Codrus Rex Græcorum, Athenis ab hoſtibus arctè obſeſſus conſuluit oraculum Apollinis, quo modo vel medio urbs præſenti poſſet periculo liberari. Reſponſum Tripodis fuit, nonniſi unicum ſuppetere medium, nimirum ſi Rex hoſtium manibus occumberet, ſi ſubditi ſalvi eſſe velint, Regi eſſe moriendum. Oraculi reſponſum rumor & communis fama detulit etiam ad aures hoſtium, adeo ut in illorum caſtris prohibitum fuerit, ne quis militum erumpenti ex urbe Regi manus injiceret. Quid igitur Codrus? Amor erga ſubditos pulcherrimum illi ſuggeſſit ſtratagema, quo & hoſtem eluſit, & ſuos, licet ſua morte, è periculo liberavit, Pater patriæ. Militis ergo gregarii veſtes indutus Codrus, cum lecta ſuorum manu erumpens ex urbe, hoſtili mox telo confixus occubuit: Sed ſanguine ſuo prius ſibi ſcripſit hoc epitaphium: ***Amore morior*** Occiſo Rege tantus hoſtes invaſit terror, ut fugam extemplo capeſſere non dubitaverint. Sic morte Regis, qui mutato in habitu pro ſuis vitam & ſanguinem dedit, hoſtium deſideriis ac manibus ereptæ fuerunt Athenæ.

§. III. Applicatur Chriſto Domino morienti pro genere humano.

Ipſe S. Auguſtinus, dum Salvatoris erga nos amorem deprædicat, utitur hac hiſtoria; cujus ego dum veſtigiis inſiſtere cogito; operæ precium duxi, diſcurſum meum elevare ex ſacra ſcriptura, & quidem ex cap. 6. Iſaiæ. Noſtro modo diſcurrendi videtur in conſilio Sanctiſſimæ Triados fuiſſe inſtituta deliberatio, cuinam ex tribus perſonis ad redimendum genus humanum, proficiſcendum. Sic enim Dominus, quem Propheta vidit ſedentē in ſolio, fuit locutus v. 8. *quē mittam, & quis ibit nobis?* Scilicet ut captivum & miſere oppreſſum populum redimat ex Ægypto. Refert Iſaias aſtantes Seraphinos cecinisse triſagion, ***Sanctus, Sanctus, Sanctus***, ad quæ-

quæſtionem verò propoſitam nullus reſpondit. Quid hoc ô cœleſtes Spiritus? quale hoc ſilentium? quid dicitis? nemone unus ex vobis ſe offert, ut in hunc terratum orbem deſcendat, & hominem liberet? ubi veſtri ardores? ubi in Patres veſtros caritas? ubi honoris divini & animarũ Zelus? Verum non ſine cauſa tacuerunt, quis enim illorum tanto par eſſe operi potuiſſet? Seraphinorum nullus hominem redimere potuit. An igitur de illius erit ſalute conclamatum? an ergo Deus à ſe illum projiciet in æternum? hoc contigiſſet, niſi divina Sapientia dixiſſet; ut homo æternum non pereat, moriatur Rex regum & Dominus dominantium, moriatur Filius Dei, & dixit, *Ecce ego: mitte me*, Iſ. 6. v. 8. Pſ. 39. v. 9. ad Hebræos 10. v. 7. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam Deus*; volo ut fiam homo, volo: ut moriar in cruce, volo. O Seraphini canite *Sanctus Pater*, qui conſenſit & filium dedit mundo. *Sanctus Filius*, qui venit, *Sanctus Spiritus S.* qui opus tantum perfecit.

§. 13. *Profecutio.* Sed ingens iterum oritur difficultas, Filius Dei quomodo poterit mori? jam priorem hiſtoriam revocate in memoriam. Certe in habitu & veſte Divinitatis mori non potuit: ut poſſet, quid fecit? habitum hominis induit cœleſtis Codrus, factus, natus eſt homo, paſſibilis, mortalis. In hoc habitu pugnans in monte Calvariæ contra ſuos hoſtes, proſtratus eſt in terram, cecidit, effudit ſanguinem, expiravit, ſed ſuo lapſu & morte, ſuo ſanguine & vulneribus Mortem, Peccatum & Diabolum contrivit, hominem redemit, ut pretioſo ejuſdem ſanguine trophæo Crucis inſcribere poſſimus; Amore mortuus eſt pro homine. Ad hoc eum coëgeſti *ô amor, ô caritas*, exclamat Zeno, *quàm potens, tu Deum in hominem commutare potuiſti:* jam credo advertitis, an non bene dixerit S. Paulus, *Hoc enim ſentite in vobis, &c.*

§. 14. *In toto myſterio Redemptionis, ſummum argumentum infiniti amoris eſt ipſa mors Christi. Pulcer locus de apertione lateris in Cruce: & affectus gratitudinis erga Chriſtum Dominũ.* Præcipuum amoris hujus infiniti argumentum in toto myſterio humanæ Redemptionis eſt ipſa mors Filii Dei, & quidem in Cruce, ut bene monet S. Thomas 3. p. q. 4. art. 5. *Dilectio Dei ad homines, manifeſtatur non ſolùm in ipſa aſſumptione humanæ naturæ, ſed præcipuè per ea, quæ paſſus eſt in humana natura pro aliis hominibus*, juxta illud Rom. 5. v. 8. *Commendat autem Deus ſuam caritatem in nobis, quia cum inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Ideo in ipſa morte oſtendere voluit, amorem fuiſſe cauſam præcipuam mortis tam ignominioſæ. Ex ſimili intelligemus. Moritur aliquis Princeps, vel Perſona in dignitate conſtituta, nec de cauſa inexſpectatæ mortis quicquam conſtat, mirantur ipſi Medici & Doctores; ut ergo cauſam ſciant, aperiunt corpus, rimantur viſcera, inteſtina explorant. & inſpiciunt, an defectus in pulmone, an in hepate, an ipſo in corde. Moritur in Cruce Chriſtus Filius Dei, ad inſolitam mortem ſtupent ſidera, ideo patiuntur eclipſin: Stupent ſol & luna, ideo luridum induunt colorem, ſtupet terra, ideo contremiſcit, ſtupent petræ, ideo ſciſſæ ſunt. Dionyſius Areopagita inter hos naturæ mo-

Digitized by Google

motus adeo obſtupuit, ut dixerit, *Aut auctor naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur.* De Judice Pilato ait textus, *Pilatus mirabatur ſi jam obiiſſet.* Et quid miraris impie Præſes; nunquid unica ſpina ſpineæ coronæ, cerebro benedicti capitis, altùm infixa ſufficiens fuit ad inferendam ei mortem, ut nihil dicam de duris clavis, de tot vulneribus, de tanta copia emiſſi ſanguinis: ſcio hæc, ſed aliunde notum mihi eſt, nulla dolorum inſtrumenta, nullum tortorum barbariem, nullam crudelitatem Filio Dei potuiſſe inferre necem, niſi voluiſſet, & niſi alia cauſa ſubfuiſſet, quæ ut omnibus pateſiat, placuit Patri Cœleſti aperiri corpus Filii, & ecce, adeſt Longinus, qui lancea aperuit latus & ipſum benedictum Cor Chriſti Domini, *Unus militum, &c.* in corde, in domicilio, in hoſpitio, in ſede & aula ſive regia amoris, apparet cauſa, ob quam Filius Dei tali morte mori voluit, quæ alia non fuit, niſi amor. Amor illum coronavit ſpinis, amor affixit cruci, amor amantem peremit, ut dicere poſſimus cum S. Bonaventura: *O Domine Jeſu, quam nimium diligendus es, & ineffabiliter totis deſideriis expetendus, quia in tantum nos dilexiſti*, (ut non tantum volueris fieri homo: naſci in ſtabulo &c.) *ſed ut deſideranter cuperes pro nobis crucem ſubire & mortem.* Et quænam noſtra hoc ſacro tempore Adventus erunt deſideria pro Chriſto, Auditores? quas fovemus cogitationes de dignis operibus pœnitentiæ, ad præparandam viam adventanti Regi noſtro? Si redamamus illum, qui adeo nos dilexit, cogitabimus magna, deſiderabimus multa: Amor noſter non erit contentus parvis, vel paucis, excreſcet in heroem; opera ſe digna, id eſt, ſumma, cœleſtia, divina patranda ſuſcipiet.

Neq; enim amori Chriſti ſatis fuit quocunque modo nos redimere; ſed voluit Redemptionem noſtram eſſe copioſam & abundantem, ut eò majorem poſſet in nos amorem oſtendere. Apud Theologos hoc certum eſt, unica cogitatio Chriſti Dei hominis, unica actio theandrica, unica gutta divini ſanguinis, tanti fuit meriti & valoris in conſpectu Patris, tanti ponderis in libra Divinæ Juſtitiæ, ut ſufficiens fuerit & ſit, pro ſatisfactione peccatorum totius generis humani. Sed ut impleretur verſus 7. Pſ 129. *Apud Dominum miſericordia & copioſa apud eũ redemptio*, Redemptor mundi ſanguinem ſuum liberaliſſimè voluit effundere. S. Bernardus, *Copioſa: ſiquidem non gutta, ſed unda ſanguinis, per quaſque corporis partes emanavit.* Cauſam paucis, ſed aureis verbis dedit aureus Chryſoſtomus. *Quod ſufficiebat Redemptioni, non ſatis erat amori.* Sufficiebat Redemptioni, cum unam tantùm in Circumciſione guttulam lapideus culter expreſſiſſet, at non Amori dulciſſimi Infantis: ſufficiebat Redemptioni in horto Gethſemani divina frons guttulis tincta in ſanguineo ſudore, non ſufficiebat Amori. Sufficiebat Redemptioni, primus in flagellatione inflictus ictus, at non amori, avidior erat, quàm ut paucis tantùm guttulis ſaturaretur, totos ſibi fontes, totos rivulos, tota flumina ſitiebat. Magis

c. 15. Ejuſdem amoris indicium eſt copioſa Redemptio.

giſexarſit amoris ſitis in ſpinea coronatione; denique in Cruce ardens ſitis extingui non potuit, niſi ultimâ guttulâ reſidui in corde ſanguinis. Sed, *Dic quaſo mi Domine*, (ait S. Bonaventura in opuſculo de perfect. vitæ cap. 16.) *Dic, cùm unica gutta ſanguinis potuiſſet ſufficere ad totius mundi redemptionem, cur tantum ſanguinis de corpore tuo profundi permiſiſti? Scio Domine, & verè ſcio, quia non propter aliud feciſti, niſi ut oſtenderes, quanto affectu diligeres me.*

§. 16. *Chriſtus D. præ amoris magnitudine Paſſionem vocavit calicem.* Inſuper præ amoris magnitudine, omnia quæ paſſus eſt, parvi fecit. Sacra Scriptura de ejus paſſione loqui ſolet velut de aliquo mari, *Veni in altitudinem maris.* Chriſtus Dominus verò, amator ardentiſſimus hoc mare vocat calicem, *tranſeat à me calix iſte, calicem quem dedit mihi Pater, &c. Matth. 26. v. 39.* quomodo eadem paſſio eſt mare & calix? reſpondet Theophilactus in c. 26. Matth. *Poculum dicit Dominus ſuam mortem: Oſtendens quod ipſe propter amoris magnitudinem, ſic ſuaviter accedat ad mortem, ut mare paſſionum calix quidam ei videatur.* Sed de hoc alibi.

Finio, & quæro cum S. Ambroſio l. 6. in Luc. c. 7. *Quid ei reſeremus? qui ſta dilexit nos, ei, qui amore ſuæ imaginis mergi voluit in mari tribulationum? ei, qui in peregrino habitu pro nobis vitam & ſanguinem ſuum dedit?* (hoc modo fieri poteſt repetitio brevis totius Concionis.) *Væ mihi ſi non dilexero*: væ illis, qui ingrati ſunt tanto amori, *Reddamus ergo amorem.* Amorem, qui paratus ſit, hoc tempore adventus abnegare impietatem, & ſæcularia deſideria: amorem, qui paratus ſit vivere ſobriè, piè, juſtè: Amorem, qui expectet adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Ut hoc modo, Chriſtum habeamus amantē ſimul, & amatum, in quo ſumma noſtra conſiſtit felicitas, & æterna beatitudo; ad quam nos perducat Pater, Filius & Spiritus S. Sanctiſſima Trinitas, cui ſit honor & gloria in ſæcula. §. 17. *Epilogus ex affectuoſis verbis S. Ambroſii.*

* * *

CONCIO II.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna, Luc. 21. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUi dum vixerunt, contempſerunt ſigna Dei humilis & amabilis, in illa die ſigna videbunt, Dei irati Judicis tremenda. Vel ut ait D. Chryſoſtomus; *qui ſcire noluerunt, quam ſit ſuavis illius miſericordia, intelligent quam ſit*

Digitized by Google

ſit gravis ira illius. Hæc, in terrorem impiorum, aliquot Scripturæ locis atq; exemplis oſtendo hac Concione. Miſcentur affectus timoris, deſideria accelerandæ pœnitentiæ, &c.

§. 1. *Adventus Filii Dei in hunc mundum eſt duplex : & Propoſitio Concionis.*

§. 2. *Aquila Apocalyptica* cap. 8. *fuit ſimilis Chriſtus Dominus in quibuſdam Concionibus. Similes illis eſſe debent Concionatores, cum dicunt de extremo die judicii.*

§. 3. *Nihil illâ die erit terribilius, quàm videre faciem irati Dei, & Judicis Chriſti Domini. Ex S. Chryſoſtomo, & cap. 14. Job. Iterum de variis circumſtantiis extremi Judicii.*

§. 4. *Quo tempore? die vel nocte ſubmerſus fuerit Pharao? quanta pœna, quod id contigerit diluculo. Cum ſubmergerentur Ægyptii diluculo, viderunt in nube iratam faciem Angeli.*

§. 5. *Applicantur hæc impiis, cùm in anguſtiis extremi judicii, cogentur aſpicere iratam faciem Judicis.*

§. 6. *Chriſtus Dn in Cruce elevatis oculis commendans Spiritum Patri, mox inclinavit caput, ne aſpiceret vultum irati Patris.*

§. 7. *Adhortatio ad celerem pœnitentiam agendam.*

§. 8. *Vocat quidem omnes benignitas Chriſti; ſed multos tardat malitia.*

§. 9. *Graviſſima eſt ira Dei, in hoc quod æternum deſerat damnatos.*

§. 10. *De gravitate hujus iræ Chriſtus Dominus fuit conqueſtus in Cruce illis verbis,* DEUS meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me.

§. 11. *Verſus ex Pſalm.* 70. Dominus dereliquit eam, comprehendite eam, quia non eſt qui eripiat.

§. 1. Adventus Filii Dei in hunc mũdum eſt duplex & Propoſitio Concionis.

DUplicem Adventum Filii DEI in hunc mundum, per annum celebrat Eccleſia. Prior jam contigit ante annos mille ſexcentos ſexaginta quinque in Nativitate Chriſti; poſterior erit in fine & conſummatione mundi. Annus, menſis, dies & hora ſoli Deo ſunt cognita. Licèt verò nos tempus illud exploratum non habeamus, de hoc tamen non dubitamus, Filium Dei adhuc aliquando in hunc mundum deſcenſurum. De primo adventu dixit Iſaias c. 62. v. 11. *Ecce Salvator tuus venit.* De ſecundo ait S. Matth. c. 25. v. 31. *Cum venerit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ.* Sed, prô! quanta inter utrumque adventum erit differentia? In primo ſtillarunt montes dulcedinem & colles fluxerunt lac & mel. Hæc eſt phraſis ſcripturæ. In Cod. ſacro legimus ex c. 4. v. 36. Baruch. *Surge Jeruſalem, vide jucunditatem quæ tibi veniet à Deo tuo.* Aliam verò faciem montium ait fore Jeremias c. 4. v. 24. in altero adventu : *Vidi montes, & ecce erant trementes, & univerſi colles turbati à facie iræ ejus.* In primo adventu venit in

Digitized by Google

humilitate, paupertate, manſuetudine, totus amabilis, ſuavis, decorus, dilectus, *Dicite Filiæ Sion: Ecce Rex tuus, &c. Matth. 21. v. 5.* In altero, in tantâ veniet majeſtate, tam terribilis & tremendus, *quod totus tremet mundus*, ut loquitur S. Vincentius Ferrarienſis. In primo venit ad nos Deus abſconditus, in utero Virginis, in ſtabulo, in præſepio, *habitu inventus ut homo, ſed in altero*, ait S. Chryſoſtomus, *veniet manifeſtè, non jam velatus in corpore, ut vix eum etiam boni cognoſcerent, ſed manifeſtus in gloria, ut etiam mali eum confiteantur inviti.* D. Remigius. *Nam in Majeſtate Deitatis judicaturus adveniet, qui in humilitate ſervi judicandus apparuit.* Elegantiſſime D. Chryſoſt. ſuper illa verba, *Videbunt Filium hominis. Tunc enim qui contemſerunt Deum in humilitate, cognoſcent eũ in poteſtate, & qui ſcire noluerunt, quam gravis ſit ira ejus; & iratam ejus faciem aſpicere cogentur*: quod in illa die erit terribilium omnium terribiliſſimum. Quod cum luculentius hâc meâ Concione explanare decreverim, vos rogo, ut ex eâ fructum aliquẽ atq; emolumentũ ſalutis reportare conemini.

§. 2. *Aquila Apocalyptica c. 8. v. 13. fuit ſimilis Chriſtus Dominus in quibusdam Conc. Similes illis ſint Concionatores.*

Apocalypſis c. 8. v. 13. S. Joannes vidit in aëre volantem aquilam grandẽ, & quod eſt mirabile, audivit loquentem hæc verba, *Væ, Væ, Væ, habitantibus in terrã.* Regia illa avis figura eſt Chriſti Salvatoris, qui ſæpius, potiſſimum autem in ſuis concionibus de extremo judicio, eadẽ vocula, *Væ, Væ*, ſuos exterruit Auditores. Exemplo Chriſti Dn. hodierna ſecunda Dominica Adventus Concionatores ſolent eſſe tales Aquilæ, dum altum inclamant, *Væ habitantibus in terra, cum aderit dies ille magnus & tremendus.* Et me quod attinet, Auditores, fateor, conatus fui hiſce diebus eſſe Aquila, conatus fui alis piarum cogitationum evolare in petram, quæ eſt Chriſtus Crucifixus. In altiſſimis poſui nidum meum, in maceriis petræ, in Vulneribus Salvatoris, in illis conſideravi, quæ mox dicturus ſum. Ex vulneribus Chriſti ad vos revolo, & occaſione hodierni Evangelii, voce qua poſſum clamo *Væ*! *Væ*! Quale *Væ*? cum citati è ſepulcris ad judicium, videbunt eclipſatum ſolem, ſanguinolentam lunam, cadentes de cœlo ſtellas veluti fulgura atque fulmina.

Cum dicendum eſt de ſignis extremi Iudicii.

Erunt tum hæc ſigna: Quale *Væ*, cum aſpicient totum mundũ conflagrantem: Quale *Væ*, cum columnæ cœli contremiſcent. Quale *Væ*, quam horrendum *Væ*, cum omnes creaturæ prodibunt armatæ, in exitium impiorum, *Venient cum eo omnes Angeli ejus.* Quale *Væ*, cum tandem videre cogentur venientem judicem in nube ſuæ Majeſtatis. Quale *Væ*, cum ſe videbunt ſeparari à bonis, & ſtatui à ſiniſtris; Denique quale *Væ*, cum poſt brevem diſcuſſionem, poſt momentaneam manifeſtationem conſcientiarum, æternum decretum fulminabitur, *Diſcedite maledicti in ignem æternum.* †. Miſerandũ, lugubre, triſte ululabit *Væ*, cum reprobi ſtygiis miſcebuntur Spiritibus, & ſimul omnes præcipitabuntur in tartara. Tum ſcilicet qui modo agnoſcere nolunt, quam dulcis ſit Miſericordia Patris; agnoſcent, quam gravis ſit ira, quam horrenda Judicis vindicta.

† *Matth. 25. v. 41.*

Id

§. 3.

Nihil illa die erit terribilius quam videre iratū vultum DEI & Christi Judicis, ex S. Chryſoſt. ex cap. 14. Iob.

Id quod non obiter quondam conſideravit S. Chryſoſtomus, cum dixit homilia 5. in cap. 2. epiſt. ad Romanos. *Quid facturi ſumus, quod ipſum omnium terribilium terribiliſſimum eſt, cum DEO obviam occurremus? nam ſi quis eſt, qui ſenſu ac mente praditus eſt, is certe inferni pœnam tolerare maluerit quam adverſo DEO ſtare.* Corruiſſe ſæpe in terram reos, velut exanimes coram vultu irati judicis, complures teſtantur: quid facient impii in illa die, quid facient? in præſentia Judicis, qui venit ut impios tandem fulminet, ut deturbet in inferos, & æternum perdat. Terrebunt illos ſigna in Sole; non erit hoc terribilium terribiliſſimum: neque luna etiam ſanguinea, neque fulmina & fulgura, neque fremitus aquarum, nec ſonus tubæ, nec tremor montium, neque incendium orbis: terribilium terribiliſſimū erit videre vultum irati Judicis. Cum piiſſimus Jobus à longè, ſicut & nos modo facimus, eum conſideravit, terrore plenus dixit, cap. 14. v. 13. *Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me? Donec pertranſeat furor tuus.* Eheu! Væ! ſtare aliquando coram irato & juſto Judice, & hoc evitare non poſſe. Sed ſibi imputent impii. Modo ſtat piiſſimus Salvator, & pulſat ad oſtium cordis noſtri: modo ſtat & offert veniam peccatorum; modo ſtat, atque exhibet offertque ſanctiſſima ſua Vulnera, ſuum ſanguinē, gratiam & cœlum. Sed nolunt agnoſcere peccatores, quàm dulcis ſit ejus miſericordia: digniſſimum eſt, ut in illa die ſtent coram eodem Judice, coram eadem facie, coram iiſdem oculis, & in præſentia eorundem ſanctiſſimorum Vulnerum, & intelligant, ſed eheu! nimis ſerò *Væ! Væ!* quam gravis ſit ira ejus. Deſiderium citati S. Chryſoſtomi fuit: *Maluerim infinita fulmina ſuſtinere, quàm iratam DEI faciem adverſantem videre.* Hoc idem erit deſiderium impiorum, in ultima mundi confuſione & devaſtatione: terrebunt illos fulmina, inſonabunt tonitrua, erunt ſigna horrenda in ſole & luna, exanimabunt illos inſtrumenta Paſſionis, hiabit tandem ſub pedibus terra, erumpet ex inferno ignis & fumus, in illo mille terribiles apparebunt dæmones, ut maledictos damnatos ſecum rapiant ad tartara, *Væ! Væ!* deſiderabunt tamen hæc tolerare libentius, quam iratam Dei & Chriſti faciem adverſantem ad ictum oculi videre. Hoc illos affliget, hoc faciet deficere, cum agnoſcent, quam ſit gravis ira Dei, & Filii hominis, qui fuit tam ſuavis & dulcis in miſericordia! O impii! qui adhuc vivitis, dum adhuc tempus eſt gratiæ, tempus acceptabile dulciſſimi adventus, quare non modo fugitis ad Chriſtum ſalvatorem, quare non modo agnoſcitis, quam ſit bonus, quam dulcis ſit ejus miſericordia; modo, dum parvus puſio latet in utero Virginis, modo cum nobis adeſt in Sanctiſſimo Sacramento Altaris, modò, dum nobis offert ſua Vulnera, modo, cum eſt totus mitis & ſuavis; ne aliquando cogamini agnoſcere, quam terribilis ſit ejus ira, cùm tremendum aget Judicem.

Iterum de variis circumſtantiis extremi Judicii.

Sæpiſſimè Auditorib. meis in memoriam

§. 4. *Quo tempore, an die vel nocte ſubmerſus fuerit Pharao. Quanta pœna, quod id contigerit diluculo.*

riam revoco hiſtoriam ex ſacris literis, omnibus probè cognitam, quomodo Exodi 14. obſtinatus Pharao, Dei voluntati rebellis, tandem cum exercitu ſuo demerſus fuerit & ſuffocatus in mari rubro. Non memini, me unquam facere mentionem circumſtantiæ temporis, quando & quo tempore, quâ horâ diei, vel noctis contigerit: ait autem textus contigiſſe *in vigilia matutina*. Nocte tranſiverat mare ſicco pede populus Iſraëlis; mare autem aperuit, diviſit & illuminavit ignea columna, ex illa parte, quâ Iſraelitis ſe oſtendit, lucidiſſima; ex altera parte, quâ reſpexit Pharaonem & Ægyptios, tam fuit opaca, denſa, atra, ut eoſdem planè obſcurarit, & omnem illis facultatem videndi eripuerit. Oriente tandem aurorâ, adverterunt & viderunt Iſraëlitas tranſiiſſe mare; & quia conſpexerunt patere adhuc ſemitam, quam tenuerant, ſtareque adhuc utrimque aqueos muros immobiles, eandem tenere viam, & profundo pelagi cum curribus & equis ſe committere non dubitarunt: Perſequenteſque Ægyptii ingreſſi ſunt poſt Iſraëlitas, & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus & equites per medium maris. Magnis animis pergebant, v. 24. *& ecce reſpiciens Dominus per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum, & ſubvertit rotas curruum, ferebanturq; in profundum.* Dixerunt ergo Ægyptii, *Fugiamus Iſraëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos*, ſed in momento reverſum eſt mare ad priorem locum, fugientibuſq; Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus, nec unus quidem ſuperfuit ex iis. Addit textus, ut dixi v. 24. *jamq; advenerat vigilia matutina*, cum mare ſunt ingreſſi & v. 27. *reverſum eſt mare primo di'uculo.* Verùm, nunquid hæc ſtrages, fuiſſet terribilior ſi contigiſſet in nocte? cum media nocte fit clamor; exundare fluvios, erumpere è vallibus torrentes, dirui ab aquis aggeres, tum longè major eſt terror; quam ſi de die talia fierent; experientia docet, quantum nocturnæ tenebræ augeant terrorem.

ibidem cũ ſubmergerentur Ægyptii, in nube viderũt iratam faciẽ Angeli.

§. 5. *Applicantur hæc impiis cũ in anguſtiis extremi judicii cogentur aſpicere iratam faciem judicis.*

Audite, tremite, ululate impii, latet in hac circumſtantia temporis, ingens myſterium & peculiaris pœna, quâ iratus Deus Pharaonem & Ægyptios voluit punire: cum illos fluctibus voluit involvere, tam diu expectavit, donec illuceſceret, donec adeſſet aurora, ut ſimul dum ſubmergerentur, reſpicerent in altum, & opem, ut hiſce in caſibus fieri conſuevit, implorantes, prius in nube iratam Angeli faciem intuerentur, qui loco Dei præſidebat in columna nubis. Nimirum hoc videntes exclamarunt, *Dominus pugnat contra nos*, intuentes hanc faciem ſubmerſi ſunt, primo diluculo; in vigilia matutina, dum jam ſol maria & omnia illuminaret. Hugo de S. Victore: *hoc factum eſt, ad eorum confuſionem, ſcilicet ut viderent ſe in arcto poſitos, & Deum contra ipſos pugnantem.* Advertitis ni fallor, pulcherrimam imaginem extremi judicii. Non ſatis erit ad pœnam & terrorem impiorum, fore

ſigna

Digitized by Google

ſigna in ſole : non ſatis, illum tenebris involvi : non ſatis, lunam in colorem abire ſanguineum : non ſufficient tonitrua & fulmina, non cœli terræque jam jam velut ruituræ fragores, non ipſa totius univerſi, quæ fingi poteſt, perturbatio. *Væ, væ*: hoc erit terribiliſſimum, cum videbunt ſe in arcto poſitos, ſe abſorberi à terra, ſe demergi in tartara, contra ſe armari creaturas. (Hoc patheticè & affectuose debet exprimi.) Videntes ſe inter anguſtias elevabunt oculos in altū ad petendum auxilium. Coget illos ſol, &c. Sed nihil videbunt niſi iratum Dei vultum. In illo veluti ſpeculo videbunt ſuperbiam, quâ contempſerunt Chriſtum in humilitate ſuâ, videbunt divitiarum abundantiam, quâ Chriſtum in ſua paupertate irriſerunt, &c. & ſimul, quàm ſit gravis ira Dei. Elevantes capita in altum cogentur videre Filium hominis ſedentem in nube majeſtatis ſuæ, cogentur intueri iratum ejus vultum, cogentur agnoſcere, quàm ſit terribilis in ira, qui tam ſuavis fuit in miſericordia: hæc pœna erit longe acerbiſſima, *Væ, væ*, hic ingens erit cruciatus.

§. 6. *Chriſtus D. in Cruce elevatis oculis commendans Spiritum Patri mox inclinavit caput, ut aſpiceret*

Spectaſtis Pharaonem ſubmerſum in mari rubro, convertite oculos ad Chriſtum Salvatorem veſtrum fluctuantem in mari ſui ſanguinis, præſertim dum tempus eſt ut Spiritum ſuum tradat in manus Patris, ut moriatur. Scio, varias me legiſſe rationes pias, ob quas, cum Chriſtus in Cruce dixiſſet, *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum*; mox inclinarit caput ſuum, & ſic expirarit: Inclinato capite emiſit Spiritum. Admiratione dignum eſt; quod in hoc advertit S. Auguſtinus myſterium, in Enchiridio: Et eſt illud. Chriſtus D. morti proximus, ut animam Patri commendaret, oculos lachrymis ſanguine plenos, cum vertice coronato ſpinis elevat in altum ad Patrem: verùm ut vidit eum in Judæos & omnes reprobos iratum, & deſignantem eos cum diabolis ad mortem æternam; vultu tam terribili & conſpectu tremendi & irati Judicis, perterritus & perculſus, caput & oculos ſtatim inclinavit, & ſic mori voluit. *Et ſic intuitum aſpectus irati Dei, in agone pœnam intolerabilem, & ſolis damnatis propriam eſſe indicavit. Hanc pœnam videndi Deum & Judicem iratum damnatis reliquit.* Anguſtias in ſudore ſanguineo, vincula, colaphos, ſputa, flagra, ſpinas, crucem, mortem perferre & ſuſtinere voluit; ſed non iratum vultum Patris Judicis. *Væ, væ*, quale tormentum erit impiis in illa die in facie Chriſti, in ardentibus ejus oculis, in divina fronte, in ſupercilio tremendo, legere, agnoſcere, experiri, quam Dei ſit gravis ira, cujus tanta fuit miſericordia. *Tunc videbunt Filium hominis.*

vultum irati Patris.

§. 7. *Adhortatio ad celerem pœnitentiam agendam.*

Sed age quis evadendi hanc ingentem calamitatem modus? Utinam in una circumſtantia, Pharaonem licèt impium, imitaremur. Plurimis flagellis territus tamen noluit permittere ut populus abiret in deſertum, donec, cum media nocte audiret occiſos ſubitaneâ morte, omnes Ægyptiorum primogenitos, ſtatim vocatis Moyſe & Aron nocte ait, *Surgite & egredimini de populo meo.* No-

Nocte ? cur non expectavit mane? *Præ timore* (inquit Lyranus) *diem non expectavit*: timuit, ne gladius irati Dei pergeret percutere. In hoc imitemur Pharaonem, dum tempus eſt, præ timore mortis, ob metum judicii & inferni, non expectemus ulterius differre pœnitentiam: modo, ſtatim, agnoſcamus, quam ſit ſuavis ejus miſericordia, ſi tum fugere volumus à facie iræ ejus. Modo inquam, hoc ſacro tempore Adventus ſurgendum nobis eſt, modo egrediendum, modo faciendum, quod per omnem ſecuturam æternitatem factum vellemus. Modo ſuavis & bonus eſt Chriſtus Dn. modo miſericors eſt, quis ſcit an cras nobis talis ſit futurus. Sed

§. 8. *Vocat quidem omnes benignitas Chriſti, ſed multos tardat malitia.* Timeo, ne fortaſſis aliquis ex meis Auditoribus cogatur fateri & dicere cum S. Auguſtino cap. 2. in medit. *Tua, me Domine, hortatur benignitas.* Verè, ſic eſt, O mi dulciſſime Salvator! tua bonitas, tua benignitas, tua miſericordia iterum hoc ſacro adventu nos vocat ad pœnitentiam; ſed malignitas noſtra nos tardat. Bonitas Jeſu nos invitat ad imitationem humilitatis, paupertatis, manſuetudinis. Sed tardant nos, noſtra ſuperbia, noſtra ira, noſtræ cupiditates. Benigniſſimus Salvator ait, *Venite ad me omnes, &c. Matth.* 11. *v.* 28. Sed eheu: malumus adhuc verſari apud porcos, inter ſiliquas & ſordes. Vos ego obteſtor Auditores, agnoſcite modo, quam ſit ſuavis illa miſericordia, ne, *cum videbimus Filium hominis venientem in nube majeſtatis*, cogamur aſpicere iratum ejus vultum, & agnoſcere, quam ſit gravis ira ejus.

§. 9. *Graviſſima eſt ira Dei in hoc quod æternum deſerat damnatos* Æternum ſeparari à Majeſtate divina, æternũ arceri à conſpectu illius ſuaviſſimi vultus, in quem deſiderant Angeli proſpicere, repelli, proſcribi, eliminari à facie Patris, nullam relinqui ſpem, omnem præſcindi expectationem, illius olim poſt mille annos, imò poſt multa annorum millia, poſt multas chiliades Myriadesque, poſt infinita ſæcula conſpiciendi. *O dolor: ô tormentum, ô calamitas, ô miſerabile exitium*: à Deo diſcedere, à Deo æternum deſeri & relinqui; Tonitrua, fulgura, fulmina, ſanguinolenta luna, ſol obtenebratus, & quæcunque alia ſigna, omnis rabies elementorum, omnis ira & furor creaturarum, iterũ nihil ſunt, ludrica ſunt, tolerabilia ſunt, ſi conferantur cum hoc tormento; agnoſcere ſe ab irato Deo relinqui æternùm: in hac pœna, nimis gravis eſt ira Dei.

§. 10. *De gravitate hujus iræ Chriſtus Dominus fuit conqueſtus in Cruce, illis verbis, Deus meus, &c* Ipſe Filius Dei, Chriſtus Salvator noſter iterum in Cruce oſtendere voluit, quod huic pœnæ ſufferendæ par non eſſet, elevans enim triſtiſſimos oculos in cœlum ad Patrem ait, Matth. 27. v. 46. *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me.* Scio varias expoſitiones difficilium verborum. S. Leo ait, Chriſtum Dominum duo tum habuiſſe præ oculis. 1. omnia illa ſcelera & horrenda peccata, quæ ex infinita caritate, in ſe ſuſceperat. 2. Vidit clarè & agnovit, multis mortem ſuam non profuturam, ſed fore, ut ob ſpontaneam malitiam, plurimi æternum projiciantur à facie Dei. Plurimos æternum deſerendos ab irato Deo, quos tamen ipſe tenerrimè amabat, itaq; conquæritur & ait, *Deus meus quid me derelinquis*; dũ derelinquis eos, pro quib. ego tã atrocia

pa-

Digitized by Google

patior tormenta: Siſtite nonnihil animæ piæ, levare in altum oculos ad imaginem Crucifixi, & quid hoc? vepres pungunt caput, ſilet, non loquitur, non queritur: clavi dilatant manuum, pedumque vulnera, ſtupent omnes nervi præ dolore, contremiſcunt oſſa: ſilet, non loquitur, non queritur: ſaturatæ ſunt aures ejus mille horrendis blaſphemiis, ſilet; niſi quod pro blaſphemis oret. Aceto potatur, ſuſtinet: in omnibus tormẽtis obmuteſcit ut Agnus; de hoc loquitur, de hoc queritur, & clamat, quod deſeratur à Patre, in hoc quod milliones damnatorum ob ſua peccata æternùm deſerendi ſint à Deo. Deſertio Patris erga reprobos illum affligit, & clamorem exprimit in Cruce, quia hoc tormentum, hæc ira Patris, tam fuit gravis, ut etiam Filius Dei ſine querelâ ad modicum tempus perferre noluerit, quid erit æternum deſeri à Deó. Addo verba S. Leonis ſerm. 16. de paſſione. *Quod in Pſalmo eructaverat, id in Cruce voce clamabat, Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquiſti me. Oſtendens, quantum horribile malum ſit, derelinqui à Deo.* Quàm magna pœna, quam gravis ira Dei, æternum deſerere hominem. Qualis ſit ira, iratis oculis aſpicere damnatos inter ignes in omnem æternitatem. Doleo quod aliqui gravitatem iræ Dei in hâc pœnâ damni, ut vocant ſcholæ, nõ ſatis agnoſcant. Sunt fortasſis inter vos, qui terrentur magis, cum audiunt, aliquem impium converti in beſtiam, quod contigit Nabuchodonoſori: Alii: ſi in convivio alicui ſonet magnum horologium mortis, veluti Regi Balthaſari. Vel dum audiunt, aliquos vivos devorari à vermibus, ut voratus eſt Herodes: Alium mori intolerabili fœtore, ut mortuus eſt Antiochus: Alium capillis ſuſpendi in arbore, vel in patibulo, ut ſuſpenſi ſunt rebellis Abſolon, & infidus Aman. Terrentur alii magis cum audiunt, impios ſibi ipſis intuliſſe violentas manus, quod fecerunt Saul & Nero: Vel tangi fulmine, ut tactus fuit Anaſtaſius, vel occidi à manu incognitâ, ut occiſus eſt Julianus, &c. Sacra ſcriptura, & hiſtoriæ plenæ ſunt Exemplis, ex quibus patet, quàm ſit gravis ira DEI. Me movet magis iratus DEI & Chriſti Judicis vultus, quo in illa die aſpiciet damnatos. *Tunc videbunt.*

Eodem momento, poſt prolatam à Judice ſententiam, *Diſcedite maledicti:* dicent dæmones ex Pſ. 70. v. 11. *Deus dereliquit eam, cumprehendite eam, quia non eſt qui eripiat.* Oleaſt. c. 35. Ex. *Quemadmodum omnes adverſum viduam conſurgere ſolent, quia non habet, qui poſſit, vel qui velit illam defendere: ita & adverſus damnatos, cum viderint eos à Deo, à Chriſto Dn. ab omnibus Sanctis, à tutelaribus Angelis derelictos,* dicent inimici dæmones, *comprehendamus, ligemus eos, trahamus ad inferos, quia non eſt, qui eripiat. Talia dicentes, ut canes, ut leones, ut tigrides arripient reprobos, & corpore & anima præcipitabunt in ignem æternum. Væ! Væ!* Spectabit hæc Deus, ſpectabit Chriſtus Dn. iratus judex irato vultu, & tolerabit. *Væ! Væ!* ô pœnam: ô iram DEI! Abſolvi concionem,

§. II. Verſus 11. ex Pſ. 70. Dominus dereliquit eam, comprehendite eam, quia non eſt, qui eripiat.

cionem ; revolabo inſtar Aquilæ ad vulnera mei Salv. Vos ite Auditores, hæc perpendite,&æternum non peccabitis.

CONCIO III.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Ecce ego mitto Angelum meum, ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te, Matth. 11. c. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit hæc Concio aliquos fructus veræ pœnitentiæ ; obtinet enim peccatorum veniam, delet illa veluti ſpongia : qui per pœnitentiam ſe ipſos judicant, non judicantur à Chriſto : rapiunt de ore ejus ſententiam, quam volunt. Pœnitentia peccata quaſi annihilat. Affectus varii pœnitentis.

§. 1. *Ingens DEI bonitas eſt, quod peccatori det locum pœnitentiæ, cujus aliquos fructus exponit hæc Concio.*

§. 2. *Pœnitentia obtinet veniam peccatorum, delet illorum maculas, impetrat ſententiam, quam vult, illos, qui ſe ipſos judicant, non judicat Chriſtus Dn.*

§. 3. *Videre hæc licet in ſpeculo pœnitentiæ, in Maria Magdalena. Deſcribitur ejus Converſio.*

§. 4. *Ideo Chriſtus D. illam non condemnavit.*

§. 5. *Apoſtrophe ad Auditores, ut imitentur Magdalenam pœnitentem.*

§. 6. *Pœnitentes non tantùm non judicantur à Chriſto, ſed impetrant novos favores. figura fuit filius prodigus.*

§. 7. *Idem filius prodigus, quia judicavit ſe ipſum, non fuit judicatus à Patre, ſed receptus cum magno favore.*

§. 8. *Proſecutio.*

§. 9. *Pœnitentes ſunt dilecti filii Chriſti Dn. ſecundum cor ejus. Pulcher locus de Davide pœnitente.*

§. 10. *Quomodo per pœnitentiam nos diſponere debeamus ad Nativitatem Chriſti.*

§. 11. *Si impius agat pœnitentiam, bonus Deus obliviſcitur omnium peccatorum, quaſi non fuerint : probatur ex v. 4. Pſ. 29.*

§. 12. *Confirmatur ex Pſ. 1. Pœnitentia diſſipat peccata, velut ventus pulverem.*

§. 13. *Epilogus monet, ut utamur tempore accepto, & diebus ſalutis, agendo Pœnitentiã : Mora eſt pernicioſa.*

Tran-

Digitized by Google

§ 1. Ingens DEI bonitas eſt quod peccatori det locũ pœnitentiæ cujus aliquos fructus proponit hæc Concio.

TRanſiit jam media pars adventus. Dies undecim, qui hoc anno 1665. reſtant ante Chriſti Domini Nativitatem, vocantur à Sanctiſſimis Patribus, & ſunt, *dies pœnitentiæ*, ut ſcilicet per illam ad adventum tanti Regis nos diſponamus. Ob eandem cauſam duo Evangelia, hodiernum, & quod legetur poſt octiduum, nobis ob oculos ponunt prædicatorem & ſpeculum pœnitentiæ S. Joannem Baptiſtam, qui fuit illa vox clamans in deſerto, ille Angelus qui dixit, Luc. cap. 1. verſ 23. *Dirigite viam Domini, facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et hæc eſt infinita Dei bonitas, quod nobis hoc acceptabili tempore Adventus det adhuc *locum pœnitentiæ*, Job. 24. verſ 23. in hebraico eſt, *dat nobis fiduciam*: Vatablus legit, *ſecuritatem*. Cajetanus, *Confidentiam*: quæ omnia includit vera & digna pœnitentia: id eſt, qui operatur fructus pœnitentiæ, ille fidat, confidat, ſit ſecurus & certus moraliter, de venia peccatorum, & obtinendâ DEI miſericordiâ. Affectuoſa, & quæ me cœleſti quodã implevit ſolatio, cogitatio eſt Cajetani ſuper hæc verba; *Cui Deus dat locum & tempus poenitentiæ, non caſtigando, non infligendo promeritas poenas, non puniendo ſubitaneâ morte, non vocando ad judicium; tali ſimul tribuit fiduciam, confidentiam addit, & quandam ſecuritatem, quod ad damnationis ſententiam nolit deſcendere, modo impius convertatur, modo poeniteat, modo doleat, modo reſipiſcat.* Poteſt eſſe, ut fortaſſis ex vobis aliqui ſint actu in ſtatu peccati mortalis, & proinde in præſentiſſimo æternæ damnationis periculo, ſed quia bonus JESUS dat tempus pœnitentiæ, quia dedit vobis gratiam veniendi atque audiendi hanc Concionem cum cogitationibus ſanctis de præparatione ad excipiendum JESUlum; confidite! non, non vult bonus Deus vos perire; benignisſimus Salvator non cupit vos condemnare. Et hoc eſt intimum deſiderium cordis mei, ut nullus ex præſentibus pereat. Mi JESU! (utar verbis tuis, quibus aliquando allocutus es Patrem tuum Joann. 17. verſ. 11.) *ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi. Tui ſunt*, tu creaſti, tu redemiſti, tu emiſti tuo ſanguine, hâc horâ mihi eos dediſti, ut me audiant, & ex me verba tua; concede, ut ſic audiant, ut nemo pereat. Si præſens eſt aliquis Filius perditionis, ut fuit Judas inter Auditores Chriſti, hunc cuperem abeſſe, quia, audiviſſe hanc Concionem, erit ipſi ad majorem pœnam. Bonis, quales vos eſſe puto, proficuum erit, audire, quam dulces, ſuaves & ſalutares fructus proferat arbor pœnitentiæ. Illos Deo dante, vobisque ut ſpero, benevolè audientibus, hâc concione luculenter exponam.

§. 2. Pœnitentia obtinet veniã peccatorum, delet illorũ maculas, impetrat ſenten-

Vera & digna pœnitentia infallibiliter obtinet veniam peccatorum. Pœnitentia peccatorum maculas veluti ſpongia delet. Pœnitentia placat iratum Judicem, & impetrat ſententiam, quam vult. Quod de unica lacryma cordis contriti dixit Petrus Cellenſis, dicere ego multò magis audeo de poenitentia.

tiam quã velit. Illos qui ſe ipſos judicant. non judicat Chriſtus dominus.

O pœnitentia! humilis eſt deprecatio tua, ſed tua eſt potentia, tuum eſt regnum, tuum dominium: Tu rapis ſententiam de ore Judicis. Elegans eſt diſcurſus S. Cypriani, ſer. de paſ. Chriſti: *Cum judicis & tortoris vices, non parcens peccator aſſumit, dum confeſſionem confuſione honorat, holocauſti hujus inceſio, in conſpectu DEI veniam impetrat; neq; enim bis in idipſum judicat DEUS, ſed impœnitentes ipſe judicat, & damnat: pœnitentes verò à ſe ipſis judicatos abſolvit; neq; judicio, quod humana pœnitentiæ ſeveritas protulit, aliquid Juſtitia cœleſtis opponit.* Videamus hæc in vivido illo pœnitentiæ ſpeculo in S. Maria Magdalena.

§. 3. Videre hæc licet in ſpeculo pœnitentia in Maria Magdalena. Deſcribitur ejus converſio.

Enim verò illa ut cognovit gravitatem ſuorum ſcelerum, ut vidit iniquitatem ſuam, vices Judicis aſſumpſit & ſe ipſam judicavit, has autem tulit ſentẽtias, hæc ipſi imperavit Pœnitentia. Vade Magdalena, exue ſtatim ſuperba veſtimenta vanitatis, indue ſaccum luctus; dictum factum. Videor mihi videre Magdalenã, prout depingitur, lacerantẽ collaria ſplẽdida ſuperbiæ, projicientem annulos, monilia & armillas, confringentẽ ſpecula, diſſolventem capillos, & ſpargentem cineres ſuper caput ſuũ. Pœnitentia hanc tulit ſententiam, Magdalena, tot & tanta tua ſcelera, eluenda ſunt lachrymis & fletu; mox Magdalena flevit amariſſimè & largiſſimè. Hanc Magdalena ſibi ipſi dixit ſententiam; quia publica fuerunt tua ſcelera, ſit publica pœnitentia; Salvator tuus accumbit menſæ in domo Simonis, vade, agnoſce illum tuũ Judicem, proſterne te ad genua ejus. Statim Magdalena à ſe ipſa judicata hæc fecit, abiit, cucurrit per plateas, acceleravit ad domum Simonis, intravit ſolicita, judicem ſupremum agnovit, in genua ſe abjecit, quod animo meditata fuit contrito, ipſo mox opere fuit executa. Hanc Magdalena tulit ſententiam; Eja peccatrix, effunde lacrymas tam uberes, ut ſanctiſſimi pedes tui Salvatoris illis rigentur. Hoc tibi faciendum eſt, humiliare coram eo in conſpectu Phariſæorum: ridebunt, perge tu! dicent, ſapitne Magdalena? perge tu: indignabuntur; perge tu, & ad pedes Chriſti te proſterne: pedes rigatos lacrymis, inunctos balſamo, terge capillis. Capilli peccarunt, peccarunt oculi, peccavit Magdalena: luat & hanc agat pœnitentiam. Et fecit Magdalena hæc omnia: inſuper intus in corde condemnans ſe ad mille actus doloris & amoris. Hæc fuit pœnitentia Magdalenæ, hæc ſeveritas; qua ſibi impoſuit talia opera ſatisfactionis pro ſuis peccatis: ſed quàm modica & levia illa ſunt, ſi ſeveritatem divinę Juſtitiæ velimus conſiderare. Juſtitia ſententiã ferre potuit, talem peccatricem injiciendam eſſe rogo, imponendam ardenti craticulæ, lacerandam forcipibus, mille excruciandam tormentis. Omnes has pœnas, imò ipſum infernum merita fuit Magdalena, vel unico peccato mortali. Sic eſt; tam abominabile, tam horrendum eſt peccatum, ut mereatur hæc omnia, ſed in illis qui non pœnitent, merentur ii, quos obſtinatos in malo, divina judicat atque condemnat Juſtitia.

In Magdalenã, quia ſe ipſam judicavit, *quia* (verba ſunt S. Petri Chryſologi, *§. 5. Ideo Chriſtum D. illã*

Digitized by Google

in condemnavit.

ſologi, ſer. 2. de Magd.) *à ſeveritate ad clementiã, à manibus Iuſtitiæ, ad pedes miſericordiæ confugit,* Chriſtus Judex aliam ſententiam non tulit, neque illam condemnavit, ſed contentus lacrymis, acquieſcens humilitate, placatus contriti dolore animi, conciliatus pœnitentiæ ſuſpiriis, exclamat: *remittuntur tibi peccata tua: Vade in pace Lucæ 7. v. 47. 50.* Pœnitẽtia Magd. infallabiliter obtinuit veniam peccatorũ: pœnitentiâ, quaſi ſpongiâ delevit omnes maculas: Pœnitẽtia Magd. placavit Judicẽ, & obtinuit ſive rapuit de ore Judicis ſententiã, quam voluit.

§. 5. *Apoſtrophe ad Audit. ut imitentur Magdalenam.*

Quæſo mei Auditores, num agnoſcitis vos eſſe reos læſæ divinæ Majeſtatis? permittite mihi ut veſtrã poſſim cauſam diſcutere, ut ſim veſter Judex; hanc pronunciabo ſententiam, mitem & benignam: Inſtat feſtũ Nativitatis, ut veniat ad nos Chriſtus Salvator & Rex noſter: ne veniat tanquã Judex, vos prius ite ad ſacerdotem, & ſeriam facite confeſſionem. Mitem proferam ſententiam: Eſtis rei, ite & quantam poteſtis in cordibus veſtris excitate Contritionem, procumbite ad ſanguineos Chriſti pedes, ibi ingemiſcite, ibi dicite millies cum publicano, *IESV Fili David, propitius eſto mihi peccatori. Luc. 18. v. 13.* Deinde ad hoc vos potiſſimũ condemno, ut non peccetis amplius. Sit ita! exigat Juſtitia, ut ardeatis, fulminet ſententiam mortis, mutabit illam Chriſtꝰ Judex, ſi pœnitentiã egeritis. Producat Juſtitia rotas & cruces, minetur flamas & mille pœnarũ inſtrumenta, omnia effugietis, ſi pœnitentiam dilexeritis: irruat armata cruciatibus, inſtructa furoribus, tormentis metuenda; ſi vosmet modò judicetis ipſi Auditores, nihil eſt, quod timeatis, nihil ulterius exiget Judex JESUS: jã ego vos ipſius nomine abſolvo, remittuntur vobis peccata veſtra: Ite in pace, & in cordibus veſtris præparate JESUlo pias cunas. Confirmo omnia ex citato S. Chryſologo. *Si nos peccatores eſſe noverimus, & eſſe peccatores nolimus, pedibus demus Chriſti lacrymas, figamus oſcula, ut dicatur nobis, dimittũtur vobis peccata, quoniã dilexiſtis multũ;* quoniam vos ipſos judicaſtis, quia pœnitentiam egiſtis. Pœnitentia infallibiliter obtinet veniam peccatorum, &c.

§. 6. *Pœnitẽtes non tantũ non judicantur à Chriſto, ſed impetrant novos favores. Figura fuit filius prodigus.*

Imò hæc eſt infinita DEI miſericordia erga peccatores pœnitẽtes, quod non tantum, ſi ſe ipſos judicent, ab illis nõ exigat alias pœnas, neq; condemnet, ſed quod novos illis largiatur favores, novis proſequatur gratiis, novis cumulet beneficiis. Quod myſteriũ, in Patre filii prodigi bene obſervavit Ruricius Epiſcopus ep. 1. *Ipſe eſt Pater, qui prodigo filio, & paternæ ſubſtantiæ decoctori, adde, vel ſerò redeunti, non ſolum crimina anteriora non imputat, verum etiã præmia amiſſa multiplicat, dum ulnis fovet, oſculis permulcet, muneribus ditat; non tantum ad ejus indignatus abſceſſum, quàm lætatus ad reditum;* adeo ut non indignatus fuerit ſenior filius, *revocatione & benigna tractatione junioris.* Ideoq; hæc hiſtoria eſt parabola, quæ declarat infinitam miſericordiam & bonitatem, quâ Chriſtus D. pœnitentes peccatores, ad ſe redeuntes ſolet ſuſcipere.

§. 7. *Idem filius prodigum quia judicavit ſeipſum*

Hic iterum repeto, quod ante dixi in laudem pœnitẽtiæ; Peccatores, etiam graves, qui ſe ipſos judicant, non judicat Chriſtus Dn. nihil addit pœniten-

Digitized by Google

[illegible]ſen fuit judicatus à Patre ſed receptus cum magno favore.

nitentiæ, quam pœnitens anima ſibi injungit, ut ſit ſeria. Jucundum eſt conſiderare, quomodo filius prodigus inter porcos ſe ipſum judicarit, quam ſibi pœnitentiam injunxerit. O me infelicem filium, ait, quid hic mihi cum ſiliquis? cum immundis hiſce beſtiis? cur non revertor ad amantiſſimi Patris ædes; & in his cogitationibus ſibi ipſi imperavit. Vade ergo; hoc faciendum eſt; cum veneris in conſpectum Patris, procumbe ante genua ejus, percute pectus & dic cum lacrymis, *Pater peccavi in cœlum & coram te.* Quæ cogitavit, quæ dixit, ſtatim fecit, videns venientem patrem à longè, accurrit, procubuit, apprehendit pedes, percuſſit pectus & dixit, *Pater peccavi!* Puto filium prodigum hanc quoq; tuliſſe ſententiam in ſeipſum: hoc tibi faciendum eſt, ut pater videat te affligi, quod domum ejus deſerueris, cum jacebis humi ante pedes ejus, vide ut uberes fundas lacrymas, cum profundis ſuſpiriis in gemitu cordis tui: forte hæ lacrymæ movebunt cor irati patris ad compaſſionem erga afflictiſſimum filium: ſententiam quâ ſe ipſum pœnitens judicavit, mox dedit executioni. In Conſpectu patris flevit amarè! Verbo, filius prodigus ſe ipſum judicavit. Ultro pœnitentiam egit.

§. 8. Profectio.

Sed nunquid offenſus pater dicere potuiſſet; quid video? an non hic eſt degener meus filius? ille rebellis filius, qui tot injuriis me affecit? qui ſubſtantiam ſuam decoxit? quid dexteram cohibeo; cur non baculum in ingratum caput ita impingo, ut ſentiat, quàm egerit ſtolidè? cur non in carcerē & vincula conjicio? imò in tenebras ut ibi lugeat ſuam malitiam, ut ibi in fame & ſiti ſciat ſe lentè mori! Talia meruit, his dignus eſt. Potuiſſet omnino pater talia dicere, potuiſſet ejuſmodi ferre ſentētias in ingratum filium; niſi ipſe præveniſſet, niſi pœnituiſſet: quia ſalutari tactū pœnitentiâ reverſum vidit genitor; quia illum jam ſuimet ipſi⁹ judicem fuiſſe animadvertit, nihil porro huic ſentētiæ addendū exiſtimans, illum non vituperiis, ſed laudibus, non conviciis, ſed blanditiis, nō verberibus, ſed amplexib⁹, non ædium proſcriptione, ſed amico convivio, non carcere, ſed dulci harmonia, & omnib⁹ ſinceræ lætitiæ ſignis atq; argumentis excepit. Verâ pœnitentiâ filius prodig⁹ peccatorū veniā obtinuit, maculas deterſit, iratū patrem placavit, & de ore ejus rapuit ſententiā, quam voluit, imò novas & majores gratias, & favores promeruit.

§. 9. Pœnitētes ſunt dilecti filii Chriſti D. ſecundū Cor ejus. Pulcher locus de Davide.

Aliis verbis pœnitentiæ fructus ſic proponunt SS. Patres. Veri pœnitētes ſunt quaſi dilecti filii cœleſtis Patris vel Chriſti Domini, & per pœnitentiā peccata illorū ſic delentur, ut nec veſtigiū eorum remaneat. David videtur fuiſſe talis filius, tam dilectus ut Deus dixerit, *Inveni David hominem ſecundū cor meum.* Ille ne qui adulterā plus amavit, quàm Deum? Ille qui innocentē Uriam percuſſit gladio? cum tanto ſcandalo regni? Sic eſt: peccavit David. Sed S. Auguſtinus pro ejus defenſione eleganter ſic loquitur: *Deliquit David, ſed per regiam & publicam pœnitentiā peccata ſua ita annihilavit, ut peccaſſe non videatur.* Turpiſſima macula fuit ejus adulterium, turpis labes innocens cædes Uriæ, ſed regiis lacrymis delevit, ac ſi in Davide nunquā extitiſ-

titiſſent. Fuit Rex ſecundum cor Dei. Ita, quia David lap ſ⁹ fuit, Juſtitia meritas potuiſſet exigere pœnas, & Nathan fuit illas minat⁹. Ita; quia David merit⁹ fuit deturbari ſolio, exui purpurâ, infelici fato defugi, qualia Sauli contigerunt. Sed impedita fuit Juſtitia, ligatæ illi fuere manus, quia David pœnituit, quia ſemet judicavit ipſe, quia ſeveri partes judicis prudenter prævertit. Saulem divina Nemeſis horrendum punivit, quia fuit impœnitens. Addo jam verba S. Aug. in lib. Reg. *Cum enim Deus ſciret peccaturū, & licet ſecundū cor Dei non eſſet, nec omnes voluntates ejus feciſſet, tamen ſecundū cor Dei fuit, eò quod pro peccatis ſuis congruâ pœnitentiâ ſatisfecit & peccata ſua pœnitentia delevit.* S. Ephrem. *David vera pœnitentia effecit, ut ne peccati veſtigiū in ipſo remaneret.* Vera pœnitentia eſt ſpongia, quæ graviſſima delet peccata, quaſi non fuerint.

§. 10. *Quomodo per pœnitentiam nos diſponere debeamus ad Nativitatem Christi.*

Ex his advertere poteſtis, quomodo ad Chriſti Dom. Nativitatem vos diſponere debeatis. Eſt fortaſſis in vobis aliqua macula ſuperbiæ? adhibite ſpongiā pœnitentiæ: convertite corda veſtra in phialas plenas lacrymis contriti cordis, aſpergite guttas pretioſi ſanguinis Salvatoris, intingite hāc ſpongiā, ſuperbię nęvos delete, & eritis dilecti filii, ſecundū cor Jeſu; naſcetur in vobis. Quid ſi quis veſtrum inveteratū turpis luxuriæ nævum cōtraxerit? Utatur hâc ſpongiâ. Quid ſi te avaritiæ ſordes, & varia in juſtitiæ genera jam à multis annis cōtaminarint? accede tamen, facilis eſt, modò ſeriò velis, facilis inquam, eſt ſpongiæ hujus uſus: at ſeriò velle, ſeriâ uti oportet pœnitentia. Quid ſi turpitudinē & flavedinem vultui tuo atq; oculis induxerit invidia? quid ſi faciem furore ardentem ira inflamavit? quid ſi Æthiopem te fecerit ater Spiritus deſperationis? Revertere tamen, revertere, utere ſpongia pœnitētiæ, imerge illam lacrymis, terge atq; abſterge, quantū potes, mutabitur in formam deformitas, in candorem nigredo, in lucem umbra, in pulcritudinē turpitudo, eris mox ſecūdum Cor Jeſu. Veniet in corda veſtra, ut ibi per gratiā & amorē iterū naſcatur.

§. 11. *Si impius agat pœnitentiā, bonus Deus obliviſcitur omnium peccatorum, quaſi non fuerint.*

Pſ. 29. v. 4. hortatur David omnes ad pœnitentiā mirabili argumento. *Convertimini*, ait, *filii hominum, quoniā mille anni ante oculos, tanquam dies heſterna, quæ præterit.* Et quale hoc motivū converſionis, quod peccator ſciat, mille annos quaſi unum diem præteriiſſe. Nunquid fortius peccatorū corda cōcuſſiſſet, ſi ej⁹ cythara ita inſonuiſſet: *Convertimini*, quia potens eſt quē offendiſtis, poteſt quibuscunq; in vos poenis animadvertere: *Convertimini*, quia acuit ut fulgur gladiū ſuum. *Convertimini*, pluet alioquin ſuper vos laque⁹, ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarū, &c. Pſ. 10. v. 7. Forte David peccatores moviſſet fortius, ſi ceciniſſet ſuavius: *Convertimini*, quoniā bonus eſt Dominus. *Convertimini*, quoniā miſericors eſt & miſerator, quoniam miſericordia ſuper omnia opera ej⁹. Et hanc deprædicat David in citato verſu, de mille annis, quos ait præteriiſſe inſtar unius diei: Hactenus, ut aliis variis interpretibus ea mihi ſtetit ſententia, Pſaltē illis verbis agere de brevitate vitæ humanæ, de vanitate voluptatū, in quibus etiā mille anni cōſumpti, tamen reſpectu æterniatis ſunt velut una dies, quæ pręteriit. Quod ipsū eſt potentiſſimum motivū, ut filii hujus

mundi

mundi convertantur, & tempeſtivè deſerant, quæ poſt breviſſimũ temp⁹, poſt unam diem deſerere coguntur in agone. Sed altior & ſublimior longè fuit ſenſus Davidis, cum dixit, *Convertimini, quoniam mille anni, &c.* Peculiarem quandam Dei miſericordiã tum habuit præ oculis, nimirũ hanc, quod ſit adeo bonus, adeò miſericors, ut ſi pœnitens, licet viginti, vel triginta annis impiè vixerit, licet innumera & graviſſima cōmiſerit peccata, tamen ſi ſeriò convertatur & pœnitentiam agat, bonus De⁹ omnium ſcelerũ obliviſcatur, ut omnes illi dies peſſimi ante oculos ejus ſint, quaſi nō fuerint: mille adulteria, deleta per pœnitentiã quaſi non fuerint: mille blaſphemiæ, mille odia, quaſi nō fuerint. Hoc itaq; David voluit dicere, *Cōvertimini*, licet diu impiè vixeritis. *Convertimini*, licet numerus peccatorũ veſtrorum adæquet arenas in littore maris; quia bonus eſt Deus, omniũ obliviſcitur. Ita Nyſſenus tr. 1. in Pſ. *Qui convertitur, qui pœnitentiam agit, licet vita infinitis ſcelerum maculis notata ſit, ut collatio illa peccatorum mille annorum eſſe videatur, pro nihilo totam illam congeriem reputatum iri, dummodo pedem referat.* Infinita peccata nihil ſunt in conſpectu Dei, ſi videat in nobis pœnitentiã. O humilis pœnitētia! tua eſt poteſtas, tuum Regnum, tuum in præterita ſecula dominium.

§. 12. *Cōfirmatur ex Pſ. 1. Pœnitentia diſſipat peccata ſicut ventus pulverē.*

Pſal. 1. v. 4. ait David ſubtiliſſimè: *Non ſic impii, non ſic; ſed tanquã pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* S. Chryſoſt. hom. 34. ad pop. arbitratur, quod quævis etiã gravia peccata, ſuũ adulterium, homicidium Uriæ, vocet pulverem. Sed quomodo? peccatum pulvis? quod aliàs vocat *plumbum, ſaxum, pondus, onus, jugum*, quomodo vocat *pulverem?* Fecit id Pſaltes cum magno myſterio: advertere enim oportet, quando, quo tempore ſic vocarit: ſcilicet cum pœnituit, cum lacrymis rigavit ſtratũ ſuum, cum ex intimis cordis ſui viſceribus doluit ſe peccaſſe, tum ejus peccata fuerunt quaſi pulvis: *Quia pœnitētia* (S. Chryſoſt.) *omnia peccata tollit, ut vehemens ventus disjicit*, diſſipat, deturbat. Itaq; ſuſpiria, anhelitus, gemitus contriti cordis, illæ voces, *Miſerere mei Deus, Pſ. 50. 1. &c.* ſunt venti, qui peccata graviſſima quaſi pulverē diſpergunt. Lacrymæ ſunt mare, in quo hi pulveres ſubmerguntur, & velut annihilantur. In Vulneribus Chriſti, in pretioſo ejus ſanguine delentur & pereunt, quaſi non fuerint. Pœnitentia cũ meritis Salvatoris eſt ſpongia, quæ illa delet, ut nec veſtigium remaneat.

§ 13. *Epilogus monet, ut utamur tempore accepto, & diebus ſalutis agendo pœnitentiã. Mora eſt periculoſa*

Finio Concionē illo diſcurſu, quo illam incepi, quàm immenſa ſit Dei miſericordia, quod hoc ſacro tempore Adventus nobis det locum pœnitentiæ; id eſt, ut loquitur S. Paulus 2. ad Cor. 6. v. 2. *tempus acceptabile, dies ſalutis.* In quibus poſſumus negotiari, & rē noſtram agere, antequã appropinquet tempus rigidi judicii & ſentētiæ; de quo egi ante octiduum. Budæ⁹ ait, in forenſibus alios eſſe dies utiles vel legitimos, in quibus differtur ſententia Judicis, quibus reus ſe poteſt defendere: Alii verò ſunt dies ſententiæ, dies ceſſionũ, dies juſtitiæ; Nunc ergo, ait Apoſtol⁹, negotiamini, nunc agite pœnitentiam, quando ſunt dies ſalu-

Digitized by Google

ſalutis, dies dilationis, dies utiles; Iſaias c. 44. vocat *tempus acceptum*, vel ut alii legunt, *dies induciarum*, quibus Judex exſpectat, an velimus agere pœnitentiam, antequam veniant dies ceſſionum, ſententiæ & Juſtitiæ. Finitis induciis pœnitentiam amplius agere non licet. Expertus fuit infelix Chryſaorius, cujus in terribili agone voces fuerunt, *inducias, inducias uſq; mane*; ſed inter illa lamēta Diabolus ex infelici corpore rapuit animam. Si impii ſimili morte volunt mori, omittant pœnitentiam.

CONCIO IV.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini,
Joannis cap. 1. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MOneo, non eſſe in longum differendam Pœnitentiam. Adducuntur in miſerabile exemplum, Saul, Eſau, Antiochus, Semei; vel larvati, vel planè non pœnitentes. Oſtenditur, quàm difficile ſit pœnitere inter timores mortis. Affectus Timoris ſalutaris.

§. 1. *Concionatores frequenter prædicent pœnitentiam. Concio itaq; hæc oſtēdit, illam non eſſe differendam. Pœnitentia ſera, eſt difficilis & periculoſa.*

§. 2. *Oſtenditur hoc ex cap. 9. Iob.*

§. 3. *Pœnitentia ſera ob nimium timorē mortis, plerumq; eſt tantū larva pœnitētiæ. Qualis fuit pœnitentia Saulis.*

§. 4. *Et ſceleſti Eſau.*

§. 5. *Et multorū hodie in ſupremo morbo pœnitentium.*

§. 6. *Lachrymæ & orationes taliter pœnitentiū, non exaudiūtur à Domino. Expertus id fuit poenitens Antiochus.*

§. 7. *Timor mortis non permittit tum ſeriam agere poenitentiam, ut Saul fuit expertus.*

§. 8. *Et hodie multi experiuntur.*

§. 9. *Semei, paucis verbis Salomonis damnatus ad mortem, totus obſtupuit.*

§. 10. *Acerrima exprobratio Chriſti ad procraſtinatores Poenitentiæ ex c. 1. Prov. Variis vocibus explicatur calamitas mortis, in qua difficilis erit poenitentia.*

§. 11. *Vlterior explicatio ex Pſ. 9.*

§. 12. *Pulchrum ſimile ex citatis Pſalmi verbis.*

§. 13. *Epilogus eſt pathetica allocutio ad ſerò poenitentes.*

§. 1. *Concionatores frequenter prædicēt Pœnitentiam.* ITerum hâc Concione cum voce clamantis S. Joan. Baptiſt. prædicabo pœnitentiam, ne miremini Auditores; movent me ad hoc minæ, quas mihi intentat in faciē Deus per Ezechielem: cap. 3. v. 18. *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam* (multò magis ſi peccatoribus in iniquitate ſua obſtinatis, *non prædicaveris pœnitētiam,*) *ſanguinē ejus de manu tua requiram.* Averte hoc à me, mi Jeſu! ut ſanguis, ut animæ meorum *Concio itaq; hæc oſtēdit illam non eſſe differendam. Pœnitentia ſera*

Digitized by Google

Nocte ? cur non expectavit mane? *Præ timore* (inquit Lyranus) *diem non expectavit* : timuit, ne gladius irati Dei pergeret percutere. In hoc imitemur Pharaonem, dum tempus eſt, præ timore mortis, ob metum judicii & inferni, non expectemus ulterius differre pœnitentiam : modo, ſtatim, agnoſcamus, quam ſit ſuavis ejus miſericordia, ſi tum fugere volumus à facie iræ ejus. Modo inquam, hoc ſacro tempore Adventus ſurgendum nobis eſt, modo egrediendum, modo faciendum, quod per omnem ſecuturam æternitatem factum vellemus. Modo ſuavis & bonus eſt Chriſtus Dn. modo miſericors eſt, quis ſcit an cras nobis talis ſit futurus. Sed

§. 8. *Vocat quidem omnes benignitas Christi, ſed multos tardat malitia.* Timeo, ne fortaſſis aliquis ex meis Auditoribus cogatur fateri & dicere cum S. Auguſtino cap. 2. in medit. *Tua, me Domine, hortatur benignitas.* Verè, ſic eſt, Omi dulciſſime Salvator! tua bonitas, tua benignitas, tua miſericordia iterum hoc ſacro adventu nos vocat ad pœnitentiam; ſed malignitas noſtra nos tardat. Bonitas Jeſu nos invitat ad imitationem humilitatis, paupertatis, manſuetudinis. Sed tardant nos, noſtra ſuperbia, noſtra ira, noſtræ cupiditates. Benigniſſimus Salvator ait, *Venite ad me omnes, &c. Matth.* 11. *v.* 28. Sed eheu : malumus adhuc verſari apud porcos, inter ſiliquas & ſordes. Vos ego obteſtor Auditores, agnoſcite modo, quam ſit ſuavis illa miſericordia, ne, *cum videbimus Filium hominis venientem in nube majeſtatis*, cogamur aſpicere iratum ejus vultum, & agnoſcere, quam ſit gravis ira ejus.

§. 9. *Graviſſima eſt ira Dei in hoc quod æternum deſerat damnatos* Æternum ſeparari à Majeſtate divina, æternũ arceri à conſpectu illius ſuaviſſimi vultus, in quem deſiderant Angeli proſpicere, repelli, proſcribi, eliminari à facie Patris, nullam relinqui ſpem, omnem præſcindi expectationem, illius olim poſt mille annos, imò poſt multa annorum millia, poſt multas chiliades Myriadesque, poſt infinita ſæcula conſpiciendi. *O dolor : ô tormentum, ô calamitas, ô miſerabile exitium* : à Deo diſcedere, à Deo æternum deſeri & relinqui; Tonitrua, fulgura, fulmina, ſanguinolenta luna, ſol obtenebratus, & quæcunque alia ſigna, omnis rabies elementorum, omnis ira & furor creaturarum, iterũ nihil ſunt, ludrica ſunt, tolerabilia ſunt, ſi conferantur cum hoc tormento; agnoſcere ſe ab irato Deo relinqui æternùm : in hac pœna, nimis gravis eſt ira Dei.

§. 10. *De gravitate hujus iræ Chriſtus Dominus fuit conqueſtus in Cruce, illis verbis, Deus meus, &c.* Ipſe Filius Dei, Chriſtus Salvator noſter iterum in Cruce oſtendere voluit, quod huic pœnæ ſufferendæ par non eſſet, elevans enim triſtiſſimos oculos in cœlum ad Patrem ait, Matth. 27. v. 46. *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me*. Scio varias expoſitiones difficilium verborum. S. Leo ait, Chriſtum Dominum duo tum habuiſſe præ oculis. 1. omnia illa ſcelera & horrenda peccata, quæ ex infinita caritate, in ſe ſuſceperat. 2. Vidit clarè & agnovit, multis mortem ſuam non profuturam, ſed fore, ut ob ſpontaneam malitiam, plurimi æternum projiciantur à facie Dei. Plurimos æternum deſerendos ab irato Deo, quos tamen ipſe tenerrimè amabat, itaq; conquæritur & ait, *Deus meus quid me derelinquis*; dũ derelinquis eos, pro quib. ego tã atrocia

pa-

patior tormenta: Siſtite nonnihil animæ piæ, levate in altum oculos ad imaginem Crucifixi, & quid hoc? vepres pungunt caput, ſilet, non loquitur, non queritur: clavi dilatant manuum, pedumque vulnera, ſtupent omnes nervi præ dolore, contremiſcunt oſſa: ſilet, non loquitur, non queritur: ſaturatæ ſunt aures ejus mille horrendis blaſphemiis, ſilet; niſi quod pro blaſphemis oret. Aceto potatur, ſuſtinet: in omnibus tormētis obmuteſcit ut Agnus; de hoc loquitur, de hoc queritur, & clamat, quod deſeratur à Patre, in hoc quod milliones damnatorum ob ſua peccata æternùm deſerendi ſint à Deo. Deſertio Patris erga reprobos illum affligit, & clamorem exprimit in Cruce, quia hoc tormentum, hæc ira Patris, tam fuit gravis, ut etiam Filius Dei ſine querelâ ad modicum tempus perferre noluerit, quid erit æternum deſeri à Deó. Addo verba S. Leonis ſerm. 16. de paſſione. *Quod in Pſalmo eructaverat, id in Cruce voce clamabat, Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquiſti me. Oſtendens, quantum horribile malum ſit, derelinqui à Deo.* Quàm magna pœna, quam gravis ira Dei, æternum deſerere hominem. Qualis ſit ira, iratis oculis aſpicere damnatos inter ignes in omnem æternitatem. Doleo quod aliqui gravitatem iræ Dei in hâc pœnâ damni, ut vocant ſcholæ, nō ſatis agnoſcant. Sunt fortasſis inter vos, qui terrentur magis, cum audiunt, aliquem impium converti in beſtiam, quod contigit Nabuchodonoſori: Alii: ſi in convivio alicui ſonet magnum horologium mortis, veluti Regi Balthaſari. Vel dum audiunt, aliquos vivos devorari à vermibus, ut voratus eſt Herodes: Alium mori intolerabili fœtore, ut mortuus eſt Antiochus: Alium capillis ſuſpendi in arbore, vel in patibulo, ut ſuſpenſi ſunt rebellis Abſolon, & infidus Aman. Terrentur alii magis cum audiunt, impios ſibi ipſis intuliſſe violentas manus, quod fecerunt Saul & Nero: Vel tangi fulmine, ut tactus fuit Anaſtaſius, vel occidi à manu incognitâ, ut occiſus eſt Julianus, &c. Sacra ſcriptura, & hiſtoriæ plenæ ſunt Exemplis, ex quibus patet, quàm ſit gravis ira DEI. Me movet magis iratus DEI & Chriſti Judicis vultus, quo in illa die aſpiciet damnatos. *Tunc videbunt.*

Eodem momento, poſt prolatam à Judice ſententiam, *Diſcedite maledicti:* dicent dæmones ex Pſ. 70. v. 11. *Deus dereliquit eam, cumprehendite eam, quia non eſt qui eripiat.* Oleaſt. c. 35. Ex. *Quemadmodum omnes adverſum viduam conſurgere ſolent, quia non habet, qui poſſit, vel qui velit illam defendere: ita & adverſus damnatos, cum viderint eos à Deo, à Chriſto Dn. ab omnibus Sanctis, à tutelaribus Angelis derelictos,* dicent inimici dæmones, *comprehendamus, ligemus eos, trahamus ad inferos, quia non eſt, qui eripiat. Talia dicentes, ut canes, ut leones, ut tigrides arripient reprobos, & corpore & anima præcipitabunt in ignem æternum. Væ! Væ!* Spectabit hæc Deus, ſpectabit Chriſtus Dn. iratus judex irato vultu, & tolerabit. *Væ! Væ!* ô pœnam: ô iram DEI! Abſolvi concionem,

§. II. *Verſus 11. ex Pſ. 70. Dominus dereliquit eam, comprehendite eam, quia non eſt, qui eripiat.*

cionem ; revolabo inſtar Aquilæ ad vulnera mei Salv. Vos ite Auditores, hæc perpendite, & æternum non peccabitis.

CONCIO III.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Ecce ego mitto Angelum meum, ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te, Matth. 11. c. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit hæc Concio aliquos fructus veræ pœnitentiæ ; obtinet enim peccatorum veniam, delet illa veluti ſpongia : qui per pœnitentiam ſe ipſos judicant, non judicantur à Chriſto : rapiunt de ore ejus ſententiam, quam volunt. Pœnitentia peccata quaſi annihilat. Affectus varii pœnitentis.

§. 1. *Ingens DEI bonitas eſt, quod peccatori det locum pœnitentiæ, cujus aliquos fructus exponit hæc Concio.*

§. 2. *Pœnitentia obtinet veniam peccatorum, delet illorum maculas, impetrat ſententiam, quam vult, illos, qui ſe ipſos judicant, non judicat Chriſtus Dn.*

§. 3. *Videre hæc licet in ſpeculo pœnitentiæ, in Maria Magdalena. Deſcribitur ejus Converſio.*

§. 4. *Ideo Chriſtus D. illam non condemnavit.*

§. 5. *Apoſtrophe ad Auditores, ut imitentur Magdalenam pœnitentem.*

§. 6. *Pœnitentes non tantùm non judicantur à Chriſto, ſed impetrant novos favores. figura fuit filius prodigus.*

§. 7. *Idem filius prodigus, quia judicavit ſe ipſum, non fuit judicatus à Patre, ſed receptus cum magno favore.*

§. 8. *Proſecutio.*

§. 9. *Pœnitentes ſunt dilecti filii Chriſti Dn. ſecundum cor ejus. Pulcher locus de Davide pœnitente.*

§. 10. *Quomodo per pœnitentiam nos diſponere debeamus ad Nativitatem Chriſti.*

§. 11. *Si impius agat pœnitentiam, bonus Deus obliviſcitur omnium peccatorum, quaſi non fuerint : probatur ex v. 4. Pſ. 29.*

§. 12. *Confirmatur ex Pſ. 1. Pœnitentia diſſipat peccata, velut ventus pulverem.*

§. 13. *Epilogus monet, ut utamur tempore accepto, & diebus ſalutis, agendo Pœnitentiâ : Mora eſt pernicioſa.*

Tran-

Digitized by Google

§ 1. *Ingẽs DEI bonitas eſt quod peccatori det locũ pœnitentiæ cujus aliquos fructus proponit hæc Concio.*

TRanſiit jam media pars adventus. Dies undecim, qui hoc anno 1665. reſtant ante Chriſti Domini Nativitatem, vocantur à Sanctiſſimis Patribus, & ſunt, *dies pœnitentiæ*, ut ſcilicet per illam ad adventum tanti Regis nos diſponamus. Ob eandem cauſam duo Evangelia, hodiernum, & quod legetur poſt octiduum, nobis ob oculos ponunt prædicatorem & ſpeculum pœnitentiæ S. Joannem Baptiſtam, qui fuit illa vox clamans in deſerto, ille Angelus qui dixit, Luc. cap. 1. verſ. 23. *Dirigite viam Domini, facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et hæc eſt infinita Dei bonitas, quod nobis hoc acceptabili tempore Adventus det adhuc *locum pœnitentiæ*, Job. 24. verſ 23. in hebraico eſt, *dat nobis fiduciam:* Vatablus legit, *ſecuritatem.* Cajetanus, *Confidentiam:* quæ omnia includit vera & digna pœnitentia: id eſt, qui operatur fructus pœnitentiæ, ille fidat, confidat, ſit ſecurus & certus moraliter, de venia peccatorum, & obtinendâ DEI miſericordiâ. Affectuoſa, & quæ me cœleſti quodã implevit ſolatio, cogitatio eſt Cajetani ſuper hæc verba; *Cui Deus dat locum & tempus poenitentiæ, non caſtigando, non infligendo promeritas poenas, non puniendo ſubitaneâ morte, non vocando ad judicium; tali ſimul tribuit fiduciam, confidentiam addit, & quandam ſecuritatem, quod ad damnationis ſententiam nolit deſcendere, modo impius convertatur, modo poeniteat, modo doleat, modo reſipiſcat.* Poteſt eſſe, ut fortaſſis ex vobis aliqui ſint actu in ſtatu peccati mortalis, & proinde in præſentiſſimo æternæ damnationis periculo, ſed quia bonus JESUS dat tempus pœnitentiæ, quia dedit vobis gratiam veniendi atque audiendi hanc Concionem cum cogitationibus ſanctis de præparatione ad excipiendum JESUlum; confidite! non, non vult bonus Deus vos perire; benignisſimus Salvator non cupit vos condemnare. Et hoc eſt intimum deſiderium cordis mei, ut nullus ex præſentibus pereat. Mi JESU! (utar verbis tuis, quibus aliquando allocutus es Patrem tuum Joann. 17. verſ. 11.) *ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi. Tui ſunt*, tu creaſti, tu redemiſti, tu emiſti tuo ſanguine, hâc horâ mihi eos dediſti, ut me audiant, & ex me verba tua; concede, ut ſic audiant, ut nemo pereat. Si præſens eſt aliquis Filius perditionis, ut fuit Judas inter Auditores Chriſti, hunc cuperem abeſſe, quia, audiviſſe hanc Concionem, erit ipſi ad majorem pœnam. Bonis, quales vos eſſe puto, proficuum erit, audire, quam dulces, ſuaves & ſalutares fructus proferat arbor pœnitentiæ. Illos Deo dante, vobisque ut ſpero, benevolè audientibus, hâc concione luculenter exponam.

§. 2. *Pœnitentia obtinet veniã peccatorum, delet illa & maculas, impetrat ſententiam*

Vera & digna pœnitentia infallibiliter obtinet veniam peccatorum. Pœnitentia peccatorum maculas veluti ſpongia delet. Pœnitentia placat iratum Judicem, & impetrat ſententiam, quam vult. Quod de unica lacryma cordis contriti dixit Petrus Cellenſis, dicere ego multò magis audeo de pœnitentia.

tiam quã vult. Illos qui ſe ipſos judicant, non judicat Chriſtus dominus.

O pœnitentia! humilis eſt deprecatio tua, ſed tua eſt potentia, tuum eſt regnum, tuum dominium: Tu rapis ſententiam de ore Iudicis. Elegans eſt diſcurſus S. Cypriani, ſer. de paſ. Chriſti: *Cum judicis & tortoris vices, non parcens peccator aſſumit, dum confeſſionem confuſione honorat, holocauſti hujus incẽſio, in conſpectu DEI veniam impetrat; neq; enim bis in idipſum judicat DEVS, ſed impœnitentes ipſe judicat, & damnat: pœnitentes verò à ſe ipſis judicatos abſolvit; neq; judicio, quod humana pœnitentiæ ſeveritas protulit, aliquid Iuſtitia cœleſtis opponit.* Videamus hæc in vivido illo pœnitentiæ ſpeculo in S. Maria Magdalena.

§. 3. Videre hæc licet in ſpeculo pœnitentiæ in Maria Magdalena. Deſcribitur ejus converſio.

Enim verò illa ut cognovit gravitatem ſuorum ſcelerum, ut vidit iniquitatem ſuam, vices Judicis aſſumpſit & ſe ipſam judicavit, has autem tulit ſentẽtias, hæc ipſi imperavit Pœnitentia. Vade Magdalena, exue ſtatim ſuperba veſtimenta vanitatis, indue ſaccum luctus; dictum factum. Videor mihi videre Magdalenã, prout depingitur, lacerantẽ collaria ſplẽdida ſuperbiæ, projicientem annulos, monilia & armillas, confringentẽ ſpecula, diſſolventem capillos, & ſpargentem cineres ſuper caput ſuũ. Pœnitentia hanc tulit ſententiam, Magdalena, tot & tanta tua ſcelera, eluenda ſunt lachrymis & fletu; mox Magdalena flevit amariſſimè & largiſſimè. Hanc Magdalena ſibi ipſi dixit ſententiam; quia publica fuerunt tua ſcelera, ſit publica pœnitentia; Salvator tuus accumbit menſæ in domo Simonis, vade, agnoſce illum tuũ Judicem, proſterne te ad genua ejus. Statim Magdalena à ſe ipſa judicata hæc fecit, abiit, cucurrit per plateas, acceleravit ad domum Simonis, intravit ſolicita, judicem ſupremum agnovit, in genua ſe abjecit, quod animo meditata fuit contrito, ipſo mox opere fuit executa. Hanc Magdalena tulit ſententiam; Eja peccatrix, effunde lacrymas tam uberes, ut ſanctiſſimi pedes tui Salvatoris illis rigentur. Hoc tibi faciendum eſt, humiliare coram eo in conſpectu Phariſæorum: ridebunt, perge tu! dicent, ſapitne Magdalena? perge tu: indignabuntur; perge tu, & ad pedes Chriſti te proſterne: pedes rigatos lacrymis, inunctos balſamo, terge capillis. Capilli peccarunt, peccarunt oculi, peccavit Magdalena: luat & hanc agat pœnitentiam. Et fecit Magdalena hæc omnia: inſuper intus in corde condemnans ſe ad mille actus doloris & amoris. Hæc fuit pœnitentia Magdalenæ, hæc ſeveritas; qua ſibi impoſuit talia opera ſatisfactionis pro ſuis peccatis: ſed quàm modica & levia illa ſunt, ſi ſeveritatem divinę Juſtitiæ velimus conſiderare. Juſtitia ſententiã ferre potuit, talem peccatricem injiciendam eſſe rogo, imponendam ardenti craticulæ, lacerandam forcipibus, mille excruciandam tormentis. Omnes has pœnas, imò ipſum infernum merita fuit Magdalena, vel unico peccato mortali. Sic eſt; tam abominabile, tam horrendum eſt peccatum, ut mereatur hæc omnia, ſed in illis qui non pœnitent, merentur ii, quos obſtinatos in malo, divina judicat atque condemnat Juſtitia.

In Magdalenã, quia ſe ipſam judicavit, *quia* (verba ſunt S. Petri Chryſologi, *§. 5. Ideo Chriſtus D. illã*

Digitized by Google

non condemnavit. ſologi, ſer. 2. de Magd.) *à ſeveritate ad clementiã, à manibus Iuſtitia, ad pedes miſericordia confugit,* Chriſtus Judex aliam ſententiam non tulit, neque illam condemnavit, ſed contentus lacrymis, acquieſcens humilitate, placatus contriti dolore animi, conciliatus pœnitentiæ ſuſpiriis, exclamat: *remittuntur tibi peccata tua: Vade in pace Luca 7. v. 47. 50.* Pœnitẽtia Magd. infallabiliter obtinuit veniam peccatorũ: pœnitentiâ, quaſi ſpongiâ delevit omnes maculas: Pœnitẽtia Magd. placavit Judicẽ, & obtinuit ſive rapuit de ore Judicis ſententiã, quam voluit.

§. 5. Apoſtrophe ad Audit. ut imitentur Magdalenam. Quæſo mei Auditores, num agnoſcitis vos eſſe reos læſæ divinæ Majeſtatis? permittite mihi ut veſtrã poſſim cauſam diſcutere, ut ſim veſter Judex; hanc pronunciabo ſententiam, mitem & benignam: Inſtat feſtũ Nativitatis, ut veniat ad nos Chriſtus Salvator & Rex noſter; ne veniat tanquã Judex, vos prius ite ad ſacerdotem, & ſeriam facite confeſſionem. Mitem proferam ſententiam: Eſtis rei, ite & quantam poteſtis in cordibus veſtris excitare Contritionem, procumbite ad ſanguineos Chriſti pedes, ibi ingemiſcite, ibi dicite millies cum publicano, *IESV Fili David, propitius eſto mihi peccatori. Luc. 18. v. 13.* Deinde ad hoc vos potiſſimũ condemno, ut non peccetis amplius. Sit ita! exigat Juſtitia, ut ardeatis, fulminet ſententiam mortis, mutabit illam Chriſt⁹ Judex, ſi pœnitentiã egeritis. Producat Juſtitia rotas & cruces, minetur flamas & mille pœnarũ inſtrumenta, omnia effugietis, ſi pœnitentiam dilexeritis: irruat armata cruciatibus, inſtructa furoribus, tormentis metuenda; ſi vosmet modò judicetis ipſi Auditores, nihil eſt, quod timeatis, nihil ulterius exiget Judex JESUS: jã ego vos ipſius nomine abſolvo, remittuntur vobis peccata veſtra: Ite in pace, & in cordibus veſtris præparate JESUlo pias cunas. Confirmo omnia ex citato S. Chryſologo. *Si nos peccatores eſſe noverimus, & eſſe peccatores nolimus, pedibus demus Chriſti lacrymas, figamus oſcula, ut dicatur nobis, dimittũtur vobis peccata, quoniã dilexiſtis multũ;* quoniam vos ipſos judicaſtis, quia pœnitentiam egiſtis. Pœnitentia infallibiliter obtinet veniam peccatorum, &c.

Imò hæc eſt infinita DEI miſericordia erga peccatores pœnitẽtes, quod non tantum, ſi ſe ipſos judicent, ab illis nõ exigat alias pœnas, neq; condemnet, ſed quod novos illis largiatur favores, novis proſequatur gratiis, novis cumulet beneficiis. Quod myſteriũ, in Patre filii prodigi bene obſervavit Ruricius Epiſcopus ep. 1. *Ipſe eſt Pater, qui prodigo filio, & paternæ ſubſtantiæ decoctori, adde, vel ſerò redeuntis, non ſolum crimina anteriora non imputat, verum etiã præmia amiſſa multiplicat, dum ulnis fovet, oſculis permulcet, muneribus ditat; non tantum ad ejus indignatus abſceſſum, quàm lætatus ad reditum;* adeo ut non indignatus fuerit ſenior filius, *revocatione & benigna tractatione junioris.* Ideoq; hæc hiſtoria eſt parabola, quæ declarat infinitam miſericordiam & bonitatem, quâ Chriſtus D. pœnitentes peccatores, ad ſe redeuntes ſolet ſuſcipere. *§. 6. Pœnitẽtes non tantũ non judicantur à Chriſto, ſed impetrant novos favores. Figura fuit filius prodigus.*

Hic iterum repeto, quod ante dixi in laudem pœnitẽtiæ; Peccatores, etiam graves, qui ſe ipſos judicant, non judicat Chriſtus Dn. nihil addit pœniten- *§. 7. Idem filius prodigus quia judicavit ſeipſum*

[...]ſem fuit judicatus à Patre ſed receptus cum magno favore.

nitentiæ, quam pœnitens anima ſibi injungit, ut ſit ſeria. Jucundum eſt conſiderare, quomodo filius prodigus inter porcos ſe ipſum judicarit, quam ſibi pœnitentiam injunxerit. O me infelicem filium, ait, quid hic mihi cum ſiliquis? cum immundis hiſce beſtiis? cur non revertor ad amantiſſimi Patris ædes; & in his cogitationibus ſibi ipſi imperavit. Vade ergo; hoc faciendum eſt; cum veneris in conſpectum Patris, procumbe ante genua ejus, percute pectus & dic cum lacrymis, *Pater peccavi in cœlum & coram te.* Quæ cogitavit, quæ dixit, ſtatim fecit, videns venientem patrem à longè, accurrit, procubuit, apprehendit pedes, percuſſit pectus & dixit, *Pater peccavi!* Puto filium prodigum hanc quoq; tuliſſe ſententiam in ſeipſum: hoc tibi faciendum eſt, ut pater videat te affligi, quod domum ejus deſerueris, cum jacebis humi ante pedes ejus, vide ut uberes fundas lacrymas, cum profundis ſuſpiriis in gemitu cordis tui: forte hæ lacrymæ movebunt cor irati patris ad compaſſionem erga afflictiſſimum filium: ſententiam quâ ſe ipſum pœnitens judicavit, mox dedit executioni. In Conſpectu patris flevit amarè! Verbo, filius prodigus ſe ipſum judicavit. Ultro pœnitentiam egit.

§. 8. *Proſecutio.*

Sed nunquid offenſus pater dicere potuiſſet; quid video? an non hic eſt degener meus filius? ille rebellis filius, qui tot injuriis me affecit? qui ſubſtantiam ſuam decoxit? quid dexteram cohibeo; cur non baculum in ingratum caput ita impingo, ut ſentiat, quàm egerit ſtolidè? cur non in carcerē & vincula conjicio? imò in tenebras ut ibi lugeat ſuam malitiam, ut ibi in fame & ſiti ſciat ſe lentè mori! Talia meruit, his dignus eſt. Potuiſſet omnino pater talia dicere, potuiſſet ejuſmodi ferre ſentētias in ingratum filium; niſi ipſe præveniſſet, niſi pœnituiſſet: quia ſalutari tactū pœnitentiâ reverſum vidit genitor; quia illum jam ſuimet ipſi[9] judicem fuiſſe animadvertit, nihil porro huic ſentētiæ addendū exiſtimans, illum non vituperiis, ſed laudibus, non conviciis, ſed blanditiis, nō verberibus, ſed amplexib[9], non ædium proſcriptione, ſed amico convivio, non carcere, ſed dulci harmonia, & omnib[9] ſinceræ lætitiæ ſignis atq; argumentis excepit. Verâ pœnitentiâ filius prodig[9] peccatorū veniā obtinuit, maculas deterſit, iratū patrem placavit, & de ore ejus rapuit ſententiā, quam voluit, imò novas & majores gratias, & favores promeruit.

§. 9. *Pœnitētes ſunt dilecti filii Chriſti D. ſecundū Cor ejus. Pulcher locus de Davide.*

Aliis verbis pœnitentiæ fructus ſic proponunt SS. Patres. Veri pœnitētes ſunt quaſi dilecti filii cœleſtis Patris vel Chriſti Domini, & per pœnitentiā peccata illorū ſic delentur, ut nec veſtigiū eorum remaneat. David videtur fuiſſe talis filius, tam dilectus ut Deus dixerit, *Inveni David hominem ſecundū cor meum.* Ille ne qui adulterā plus amavit, quàm Deum? Ille qui innocentē Uriam percuſſit gladio? cum tanto ſcandalo regni? Sic eſt: peccavit David. Sed S. Auguſtinus pro ejus defenſione eleganter ſic loquitur: *Deliquit David, ſed per regiam & publicam pœnitentiā peccata ſua ita annihilavit, ut peccaſſe non videatur.* Turpiſſima macula fuit ejus adulterium, turpis labes innocens cædes Uriæ, ſed regiis lacrymis delevit, ac ſi in Davide nunquā extitiſ-

Digitized by Google

titiſſent. Fuit Rex ſecundum cor Dei.
Ita, quia David lapſ⁹ fuit, Juſtitia me-
ritas potuiſſet exigere pœnas, & Na-
than fuit illas minat⁹. Ita; quia David
merit⁹ fuit deturbari ſolio, exui pur-
purâ, infelici fato defûgi, qualia Sauli
contigerunt. Sed impedita fuit Juſti-
tia, ligatæ illi fuere manus, quia David
pœnituit, quia ſemet judicavit ipſe,
quia ſeveri partes judicis prudenter
prævertit. Saulem divina Nemeſis
horrendum punivit, quia fuit impœ-
nitens. Addo jam verba S. Aug. in lib.
Reg. *Cum enim Deus ſciret peccaturũ,
& licet ſecundũ cor Dei non eſſet, nec o-
mnes voluntates ejus feciſſet, tamen ſe-
cundũ cor Dei fuit, eò quod pro peccatis
ſuis congruâ pœnitentiâ ſatisfecit & pec-
cata ſua pœnitentia delevit.* S. Ephrem.
*David vera pœnitentia effecit, ut ne pec-
cati veſtigiũ in ipſo remaneret.* Vera pœ-
nitentia eſt ſpongia, quæ graviſſima
delet peccata, quaſi non fuerint.

§. 10. *Quomodo per pœnitentiam nos diſponere debeamus ad Nativitatem Christi.*

Ex his advertere poteſtis, quomo-
do ad Chriſti Dom. Nativitatem vos
diſponere debeatis. Eſt fortasſis in
vobis aliqua macula ſuperbiæ? adhi-
bite ſpongiã pœnitentiæ: convertite
corda veſtra in phialas plenas lacry-
mis contriti cordis, aſpergite guttas
pretioſi ſanguinis Salvatoris, intingite
hãc ſpongiã, ſuperbię nęvos delete, &
eritis dilecti filii, ſecundũ cor Jeſu; na-
ſcetur in vobis. Quid ſi quis veſtrum
inveteratũ turpis luxuriæ nævum cõ-
traxerit? Utatur hâc ſpongiâ. Quid ſi
te avaritiæ ſordes, & varia in juſtitiæ
genera jam à multis annis cõtamina-
rint? accede tamen, facilis eſt, modò
ſeriò velis, facilis inquam, eſt ſpongiæ
hujus uſus: at ſeriò velle, ſeriâ uti o-
portet pœnitentia. Quid ſi turpitudi-
nẽ & flavedinem vultui tuo atq; oculis
induxerit invidia? quid ſi faciem furore
ardentem ira inflamavit? quid ſi Æthio-
pem te fecerit ater Spiritus deſperatio-
nis? Revertere tamen, revertere, utere
ſpongia pœnitẽtiæ, imerge illam lacry-
mis, terge atq; abſterge, quantũ potes,
mutabitur in formam deformitas, in
candorem nigredo, in lucem umbra, in
pulcritudinẽ turpitudo, eris mox ſecũ-
dum Cor Jeſu. Veniet in corda veſtra,
ut ibi per gratiã & amorẽ iterũ naſcatur.

§. 11. *Si impius agat pœnitentiã, bonus Deus obliviſcitur omnium peccatorum, quaſi non fuerint.*

Pſ. 29. v. 4. hortatur David omnes ad
pœnitentiã mirabili argumento. *Con-
vertimini*, ait, *filii hominum, quoniã mille
anni ante oculos, tanquam dies heſterna,
quæ præterit.* Et quale hoc motivũ con-
verſionis, quod peccator ſciat, mille an-
nos quaſi unum diem præteriiſſe. Nun-
quid fortius peccatorũ corda cõcusſiſ-
ſet, ſi ej⁹ cythara ita inſonuiſſet: *Cõver-
timini*, quia potens eſt quẽ offendiſtis,
poteſt quibuscunq; in vos poenis anim-
advertere: *Convertimini*, quia acuit ut
fulgur gladiũ ſuum. *Convertimini*, pluet
alioquin ſuper vos laque⁹, ignis & ſul-
phur, & ſpiritus procellarũ, &c. Pſ. 10.
v. 7. Forte David peccatores moviſſet
fortius, ſi ceciniſſet ſuavius: *Converti-
mini*, quoniã bonus eſt Dominus. *Con-
vertimini*, quoniã miſericors eſt & mi-
ſerator, quoniam miſericordia ſuper o-
mnia opera ej⁹. Et hanc deprædicat Da-
vid in citato verſu, de mille annis, quos
ait præteriiſſe inſtar unius diei: Hacte-
nus, ut aliis variis interpretibus ea mihi
ſtetit ſententia, Pſaltẽ illis verbis agere
de brevitate vitæ humanæ, de vanitate
voluptatũ, in quibus etiã mille anni cõ-
ſumpti, tamen reſpectu æterniatis ſunt
velut una dies, quæ prętęriit. Quod ipsũ
eſt potentisſimum motivũ, ut filii hujus
mundi

mundi convertantur, & tempeſtivè deſerant, quæ poſt breviſſimũ temp⁹, poſt unam diem deſerere coguntur in agone. Sed altior & ſublimior longè fuit ſenſus Davidis, cum dixit, *Convertimini, quoniam mille anni, &c.* Peculiarem quandam Dei miſericordiã tum habuit præ oculis nimirũ hanc, quod ſit adeo bonus, adeò miſericors, ut ſi pœnitens, licet viginti, vel triginta annis impiè vixerit, licet innumera & graviſſima cõmiſerit peccata, tamen ſi ſeriò convertatur & pœnitentiam agat, bonus De⁹ omnium ſcelerũ obliviſcatur, ut omnes illi dies peſſimi ante oculos ejus ſint, quaſi nõ fuerint: mille adulteria, deleta per pœnitentiã quaſi non fuerint: mille blaſphemiæ, mille odia, quaſi nõ fuerint: Hoc itaq; David voluit dicere, *Cõvertimini*, licet diu impiè vixeritis. *Convertimini*, licet numerus peccatorũ veſtrorum adæquet arenas in littore maris; quia bonus eſt Deus, omniũ obliviſcitur. Ita Nyſſenus tr. 1. in Pſ. *Qui convertitur, qui pœnitentiam agit, licet vita infinitis ſcelerum maculis notata ſit, ut collatio illa peccatorum mille annorum eſſe videatur, pro nihilo totam illam congeriem reputatum iri, dummodo pedem referat.* Infinita peccata nihil ſunt in conſpectu Dei, ſi videat in nobis pœnitentiã. O humilis pœnitẽtia! tua eſt poteſtas, tuum Regnum, tuum in præterita ſecula dominium.

§. 12.

Cõfirmatur ex Pſ. 1 Pœnitentia diſſipat peccata ſicut ventus pulverẽ.

Pſal. 1. v. 4. ait David ſubtiliſſimè: *Non ſic impii, non ſic; ſed tanquã pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* S. Chryſoſt. hom. 34. ad pop. arbitratur, quod quævis etiã gravia peccata, ſuũ adulterium, homicidium Uriæ, vocet pulverem. Sed quomodo? peccatum pulvis? quod aliàs vocat *plumbum, ſaxum, pondus, onus, jugum*, quomodo vocat *pulverem?* Fecit id Pſaltes cum magno myſterio: advertere enim oportet, quando, quo tempore ſic vocarit; ſcilicet cum pœnituit, cum lacrymis rigavit ſtratũ ſuum, cum ex intimis cordis ſui viſceribus doluit ſe peccaſſe, tum ejus peccata fuerunt quaſi pulvis: *Quia pœnitẽtia* (S. Chryſoſt.) *omnia peccata tollit, ut vehemens ventus diſjicit*, diſſipat, deturbat. Itaq; ſuſpiria, anhelitus, gemitus contriti cordis, illæ voces, *Miſerere mei Deus, Pſ. 50. 1. &c.* ſunt venti, qui peccata graviſſima quaſi pulverẽ diſpergunt. Lacrymæ ſunt mare, in quo hi pulveres ſubmerguntur, & velut annihilantur. In Vulneribus Chriſti, in pretioſo ejus ſanguine delentur & pereunt, quaſi non fuerint. Pœnitentia cũ meritis Salvatoris eſt ſpongia, quæ illa delet, ut nec veſtigium remaneat.

§ 13.

Epilogus monet, ut utamur tempore accepto, & diebus ſalutis agendo pœnitentiã. Mora eſt periculoſa

Finio Concionẽ illo diſcurſu, quo illam incepi, quàm immenſa ſit Dei miſericordia, quod hoc ſacro tempore Adventus nobis det locum pœnitentiæ; id eſt, ut loquitur S. Paulus 2. ad Cor. 6. v. 2. *tempus acceptabile, dies ſalutis.* In quibus poſſumus negotiari, & rẽ noſtram agere, antequã appropinquet tempus rigidi judicii & ſentẽtiæ; de quo egi ante octiduum. Budæ⁹ ait, in forenſibus alios eſſe dies utiles vel legitimos, in quibus differtur ſententia Judicis, quibus reus ſe poteſt defendere: Alii verò ſunt dies ſententiæ, dies ceſſionũ, dies juſtitiæ; Nunc ergo, ait Apoſtol⁹, negotiamini, nunc agite pœnitentiam, quando ſunt dies ſalu-

ſalutis, dies dilationis, dies utiles; Iſaias c.44. vocat *tempus acceptum*, vel ut alii legunt, *dies induciarum*, quibus Judex exſpectat, an velimus agere pœnitentiam, antequam veniant dies ceſſionum, ſententiæ & Juſtitiæ. Finitis induciis pœnitentiam amplius agere non licet. Expertus fuit infelix Chryſaorius, cujus in terribili agone voces fuerunt, *inducias, inducias uſq; mane*; ſed inter illa laměta Diabolus ex infelici corpore rapuit animam. Si impii ſimili morte volunt mori, omittant pœnitentiam.

CONCIO IV.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini,

Joannis cap. 1. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MOneo, non eſſe in longum differendam Pœnitentiam. Adducuntur in miſerabile exemplum, Saul, Eſau, Antiochus, Semei; vel larvati, vel planè non pœnitentes. Oſtenditur, quàm difficile ſit pœnitere inter timores mortis. Affectus Timoris ſalutaris.

§.1. *Concionatores frequenter prædicent pœnitentiam. Concio itaq; hac oſtēdit, illam non eſſe differendam. Pœnitentia ſera, eſt difficilis & periculoſa.*

§.2. *Oſtenditur hoc ex cap. 9. Iob.*

§.3. *Pœnitentia ſera ob nimium timorē mortis, plerumq; eſt tantū larva pœnitētia. Qualis fuit pœnitentia Saulis.*

§.4. *Et ſceleſti Eſau.*

§.5. *Et multorū hodie in ſupremo morbo pœnitentium*

§.6. *Lachrymæ & orationes taliter pœnitentiū, non exaudiūtur à Domino. Expertus id fuit poenitens Antiochus.*

§.7. *Timor mortis non permittit tum ſeriam agere poenitentiam, ut Saul fuit expertus.*

§.8. *Et hodie multi experiuntur.*

§.9. *Semei, paucis verbis Salomonis damnatus ad mortem, totus obſtupuit.*

§.10. *Acerrima exprobratio Chriſti ad procraſtinatores Poenitentiæ ex c. 1. Prov. Variis vocibus explicatur calamitas mortis, in qua difficilis erit poenitentia.*

§.11. *Vlterior explicatio ex Pſ. 9.*

§.12. *Pulchrum ſimile ex citatis Pſalmi verbis.*

§.13. *Epilogus eſt pathetica allocutio ad ſerò poenitentes.*

§.1. Concionatores frequenter prædicēt Pœnitentiam. Concio itaq; hac oſtēdit illam non eſſe differendam. Pœnitentia ſera

ITerum hâc Concione cum voce clamantis S. Joan. Baptiſt. prædicabo pœnitentiam, ne miremini Auditores; movent me ad hoc minæ, quas mihi intentat in faciē Deus per Ezechielem: cap.3. v.18. *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam* (multò magis ſi peccatoribus in iniquitate ſua obſtinatis, *non prædicaveris pœnitētiam*,) *ſanguinē ejus de manu tua requiram*. Averte hoc à me, mi Jeſu! ut ſanguis, ut animæ meorum

Digitized by Google

eſt difficilis & periculoſa. Auditorum, vel unius, à me requirãtur. Exaltabo potius quaſi tuba vocem meam, ero cum Joanne Baptiſta vox clamantis ex hac cathedra: *Dirigite viam Domini, facite dignos fructus pœnitentiæ: convertimini ad Dominum Deum veſtrum, ut vivatis, & non æternum pereatis.* Videtur has minas Ezechielis præ oculis habuiſſe S. Auguſtinus ſer. 67. de tempore, cum ait. *Hæc ergo cogitans fratres chariſſimi, me tam pro mea, quàm pro veſtra ſalute rationẽ redditurum eſſe, ante tribunal æterni Iudicis; eligo aſpera quidem, ſed ſalutaria medicamenta ingerere.* Medicamentũ aſperum, amarum, ingratum ſenſualitati, ſed ſaluberrimum animæ, eſt vera & ſincera Pœnitentia. Sanat enim momento putridiſſima vulnera animæ; eſt ſpongia, quæ intincta partim lacrymis contriti cordis, partim pretioſo ſanguine Chriſti Salvatoris, delet peccatorum maculas, licet ſint abominabiles. Pœnitentia tam eſt potens, ut ſi ipſa judicet peccatorem, talis non judicetur à Chriſto, imo ut de ore ejus rapiat ſententiã, quam vult, præter eximios favores, quos apud eundem Judicem meretur. Hæc & ſimilia vobis propoſui ex hoc loco ante octiduũ, hâc concione vos monebo, opera illa perfectæ pœnitentiæ, non eſſe vel in ſenium, vel tempus morborum, vel ipſum etiam agonem, protrahenda. Pœnitentia ſera, eſt periculoſa, ardua, difficilis, neq; miſericordiam conſequitur à Domino. Materiam aggredior perquam utilem, vos itaque benevolè atque attentè, ut ſoleris, decentem audite.

§. 2. *Oſtẽditur* Difficile & arduum quid eſt, in agone, in ultima lucta cum morte, imo tempore adhuc morbi, ſeriam agere pœnitentiam: id eſt, talem, qualis requiritur, ut obtineat veniam peccatorum, & ut impius non condamnetur à Chriſto. cap. 9. v. 12. quærit Job: *Si repente interroget, quis reſpondebit?* Ob voculam Hebræam *Cataph*, quæ varia ſignificat, rapere, diripere, abducere, & quidem ex inſidiis, quod latrones in viis & ſylvis facere ſolent, vel fures in ædibus; citat' Jobi verſus variè legitur. Hebræi ſic vertũt, *Si rapuerit*, hominem, vel impium mors, repente, improviſo, ut fur; S. Auguſtinus legit, ſi homo, vel peccator, *tradatur morti* veluti lictori, vel ſatelliti divinæ Juſtitiæ, à quo cum violentia, invitus, dum minimè cogitavit, rapiatur & abducatur ad tribunal Judicis. Alii, *ſi diripiat*, id eſt, cum mors miſerum hominẽ momento ſpoliabit divitiis, honoribus, voluptatibus, deliciis & bonis hujus mundi; & nudus trahatur in conſpectum Judicis, quis tum inter illas anguſtias, Judici interroganti de variis, de tot annis malè tranſactis, de tot cogitationibus, de tot verbis, tot operibus, tot ſceleribus; tam facilè reſpondebit? Hâc quæſtione ſanctus Job nobis vult inſinuare, non futurum hoc, fore nimis arduum & difficile, tum agere ſeriam pœnitentiam. *hoc ex c. 9. Iob.*

Et etiamſi ſubinde aliqui, qui pœnitentiam in multos annos diſtulerunt, videantur tandem pœnitere, valde incertum & dubium eſt, an ſit vera pœnitentia, & non potius tantũ ejus larva, ut Sanctiſſimi Patres loquuntur. In promptu ratio eſt. Unde enim *§. 3. Pœnitentia ſera ob nimium timorem mortis, plerumq; eſt tantũ*

Larva pœnitentia. Qualis fuit pœnitentia Saulis. enim ille, quem in moribundis ſolemus animadvertere timor? Unde illę, animi undique coarctati anguſtiæ? illi pavores? ſudor ille frigidus? ille cordis manuumque tremor? ille animi quaſi ad incitas redacti dolor? an ex motivo veræ Contritionis? Utinam! an ex ſeria culparum totius vitæ anteactæ cognitione? optandum! An ex offenſa ſummi atque infiniti boni? Vereor, ne nihil minus. Timor gehennæ, infernalium formido flammarum, extremi metus ſupplicii; ſæpe non talia, (hæc enim cum Sacramento pœnitentiæ ſufficerent ad ſalutem) ſed inopinata & violenta per mortem avulſio à chariſſima conjuge, à prole, à divitiis, à deliciis ex hoc mundo in longiſſimam æternitatem. Hæc ſunt, quæ doloris ſigna, quæ animi anguſtias, quæ pavores, tremoreſque incutiunt. Impius Saul fuit expertus; dum libr. 1 Regum cap. 15. v. 8. excitata ex inferis per Pythoniſſam umbra Samuelis, horrendis minis: *Projecit te Deus, ſcidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud meliori te*. Dum, inquã, his verbis terribilis umbra Saulem terruit, deprehenſus inter anguſtias, ſemel atque iterum dixit, *Peccavi!* ſed *ficte*, ait Lyranus, *ex timore pœnæ ne regnum perderet*. Larvam tantum aſſumſit pœnitentiæ, ſive fuit larvatus pœnitens. *ib. v. 30.*

§. 4. Et ſceleſti Eſau. Exemplar & ſpeculum ſic dolentium, fuit Eſau Gen. 25. v. 34. cap. fratri Jacobo pro edulio lentis vendidit primogenita; vel parvi illa pendens, vel ſibi blandiens de nimio favore Patris, quem ſperabat non conſenſurũ, vel cogitans, ſe cum tempore omnia aliter velle diſponere. Cùm verò audivit Jacobum ab Iſaac abſtuliſſe primam benedictionẽ, & jus primogenituræ ad hæreditatem, ploravit, flevit, cum magno ejulatu, cum lacrymis accumbens ad pedes patris exclamat, c. 27. v. 34. *Benedic etiam & mihi, Pater mi!* Sed ait S. Paulus ad Heb. c. 12. v. 17. *Profanus Eſau, propter unam eſcam vendidit primitiva ſua, & poſtea cupiẽs hæreditare benedictionem, reprobatus eſt, non enim invenit pœnitentiæ locum, quãquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Et merito: æquum enim fuit, ut qui ſic parvi æſtimavit primatum, ut minus illum faceret, quam aliquod edulium, poſtea locum pœnitentiæ apud Iſaac non inveniret, etiam quando cũ lacrymis illam rogitaret; erant enim lacrymæ falſæ, ſimulatæ & fictæ, non ex dolore culpæ, ſed ſupplicii profectæ, & ideo fuerunt reprobatæ.

§. 5. Et multorum hodie in ſupremo morbo pœnitentium. Documentum hic vobis capesſite peccatores, qui ob vilisſimas quaſque res regnum cõmutatis cœlorum, qui jus ad hæreditatem æternæ gloriæ, quod Chriſtus Salvator ſuâ morte & ſanguine crucis vobis acquiſivit, diabulo venditis, ſæpe pro momentanea voluptate: & quidem, quia cogitatis vos olim velle reſilire ab hac venditione, quia vobis blandimini de meritis Chriſti, quia ejus bonitati & miſericordiæ nimium confiditis: verbo, cogitatis vos olim per pœnitentiam velle & poſſe obtinere miſericordiam. Sed attendite obſecro, videte, & contremiſcite, ex hoc, ne juſto judicio Deus indignatus, deinde veram vobis pœnitẽtiam deneget; etſi pœnitebitis poſtea, ſed, timeo! ficte: effundetis lacrymas,

ſed nequicquā profuturas: lacrymas, non cordis, ſed carnis. Lacrymæ carnis, propter damna, propter jacturā damnorū, propter vim morbi & dolorum, facile ſolent promanare, etiā ex impiorum oculis, dum ſcilicet ſe jam inter dolores inferni conſtitutos perſpiciunt. Non ita tum fluunt lacrymæ, & gemitus cordis, id eſt, ex motivo veri doloris propter offēſam Dei, ſed potius propter ea à me modo dicta, ſcil. vim morbi & doloris, &c. Modo dum ſani vivimus, dum vita ſuperſtes eſt, petram cordis percutere oportet, ut doleamus perfectè. Lacrymæ ex oculis Magdalenæ fluxerūt, non dum ægra eſſet, non dum jaceret in lecto, ſed cum ſana; & ſtatim, ut cognovit, accurrit ad Chriſtum, & ſe projecit ad pedes ejus. Et hodie illa pœnitentia longè eſt tutior, quæ à peccatore, dum ſanus eſt, peragitur ad alicujus Crucifixi, ad pedes alicuj⁹ Confeſſarii, quàm quæ fit in lecto. In lecto, in ſupremo agone, cor impii, qui pœnitentiam protraxit, plerumq; durum & inſenſibile eſt, inſtar ſilicis. Admove virgam ſanctiſſimæ Crucis, percute hanc petram, non tamen fluent lacrymæ cordis, nimirum eſt difficilius aliquid, quam vulgo putatur, flere ex ſolo amore DEI. Licet proinde audiamus aliquos in ſupremo morbo clamare, *Peccavi*, volo confiteri, advocate confeſſarium, benedic mihi mi JESU! non eſt fidendum: fortaſſis ſunt voces & lacrymæ Eſau; forte cupientes hæreditare reprobātur à DEO: quis ſcit an locum pœnitentiæ tandem invenerint, licet cum lacrymis quæſiverint; ægri, ſed qui ſani de lacrymis, de vitæ emendatione, de ſeria confesſione, de deponendis odiis, præſertim hoc ſacro tempore Adventus, ad dirigendā viam Domini, nihil voluerunt audire. Moriuntur tales plerumq;, juſto Dei judicio, vel ſine omni pœnitentia, vel pœnitentes larvati.

Terribile nobis exemplum reprobatæ in fine vitæ pœnitētiæ ſacra ſcriptura proponit in ſceleſto Antiocho. Certè, licet impie vixerit, tamen cum illis pœnitentiæ ſignis fuit extinctus, ut niſi Spiritus Sanctus diceret contrarium, omnino illum inter ſalvatos numerarem. Unde colligere licet, & quàm difficile ſit inter timores mortis, verè pœnitere, & quàm rarò in illo puncto, qui diu in peccatis vixit, à DEO miſericordiam obtineat, licet exterius pœnitere videatur. Rex ſceleſtus, impius Antiochus, gravi infirmitate percuſſus, cum vidit ſe mori; humiliavit ſe coram Domino, ſive ut ait l. 2. Mach. c. 9. v. 11. *Cœpit ex gravi ſuperbia ad agnitionem ſui venire divina admonitus plaga, per momenta ſingula doloribus ſuis augmenta capientibus, & cum nec ipſe jam foetorem ſuum ferre poſſet, ita ait: Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria DEO ſentire:* Humili cognitioni addidit orationem; efficax medium ad conſequendam DEI miſericordiam. Promiſit præterea, ſe omnibus ſatisfacturum, præcipue templo quod ſpoliaverat. Cogitavit de mutatione vitę, ſuper hæc & Judæum ſe futurum, & omnem locum terræ obambulare ſtatuit, & prædicare DEI poteſtatem. Quis dubitaret, hanc verā fuiſſe pœnitentiam? quis dubitaret de ſalute Antiochi?

§. 6. *Lacrymæ & orationes taliter pœnitentium non exaudiuntur à Domino: Expertus id fuit pœnitens Antiochus.*

Sed

Sed alia ſunt judicia DEI, alia hominum! eheu! omnia hæc ſigna in Antiocho fuerunt larva tantum profanæ pœnitentiæ: certũ enim eſt Antiochum à Deo fuiſſe reprobatũ, certum eſt, non inveniſſe locum pœnitẽtiæ & miſericordiæ, licet cum lacrymis inquiſiverit, ait enim ſacer textus claris verbis cit. cap. v. 13. *Orabat hic ſceleſtus Dominũ, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Cautam obſervavit Lyranus, dum ait: *Pœnitentia Antiochi, nõ fuit propter offenſam DEI, ſed propter occaſionẽ flagelli.* Cum vidit ſe vorari à vermibus, cum intolerabilem ſenſit fœtorem, divinâ percuſſus plagâ, verbo, cũ vidit ſibi moriendũ, propter talia doluit, flevit, miſericordiam tamen nõ fuit conſecutus. Utinã miſerandum Antiochi fatum non ſit præludium illorum morti, qui de mente in menſem, de anno in annũ procraſtinant pœnitentiam. Ingemiſcunt quidem ſubinde impii in mortis articulo, at non propter DEum amantisſimum Patrem, ſed ſeverisſimum Judicem. Curant advocari viros ex omni ordine religioſos, eorum ſe precib⁹ cõmendant, orant ipſi Dominum, promittunt mira; ſed quia diductas jam vident fauces inferni, quia vidẽt ſe rapi, ſua diripi à morte, ſe invitos trahi ab illo lictore ad tribunal judicis, ad æternitatẽ; tam male diſpoſitos, affixos adhuc huic mundo; Scilicet, *non propter offenſam DEI, ſed propter occaſionem flagelli:* moriuntur larvati pœnitentes.

§. 7. *Timor mortis nõ permittit ſeriã*

Timor, pavor, anguſtiæ mortis, ſunt nimis fortes, & repentinæ, improviſæ, inexpectatæ, ut nõ permittãt ægrum cogitare ſemel de ſeriâ pœnitentiâ. Saul maluit mori, & irruere in proprium gladium, quam illas anguſtias perferre. Nunquid temp⁹ erat cogitandi de DEO, de petenda venia, de pœnitẽtia? nihil horum cogitavit Saul; hoc tantum quæritur, *tenent me anguſtiæ:* Alia lectio habet, *tenent me oræ veſtimenti:* unde videtur territus fuiſſe à ſacerdotib⁹, quos juſſerat occidi, quorum umbræ & larvæ in ſanguineis veſtibus ipſi in illis anguſtiis apparuerunt: & illum ipſi incuſſerunt pavorẽ, ut nihil cogitans de pœnitentiã, violentas manus ſibi ipſi intulerit.

agere pœnitentiam, ut Saul fuit expertus.

Ite impii, & pœnitentiam differte in ultimum vitæ tempus. Cum repẽte mors ante oculos veſtros ſtabit, cum vos rapiet, abripiet invitos, improviſo, ex inſidiis, inſtar furis, tum cogitatis vos velle dolere, & agere pœnitentiã? O miſeri! mortis anguſtiæ nõ permittent: occurrentes tormentorum iminentium formidines nequaquã id ſinent. Heu! Sanguinea veſtis ſummi ſacerdotis, quem affixiſtis Cruci, illa vulnera, ille ſanguis, qui jam veniam vobis offert, qui jam, ſi lubet, pacem clamat & miſericordiã; tum in illo fatali lectulo & articulo, in illo agone plus quàm terribili, in illo momento, à quo tota, quanta eſt, pendet æternitas: tum inquã, cum pavores mortis ingruunt, tum, cum diabolorum circum undique ſtantium furor vos circumvallabit, vos, nimio terrore conſternatos propemodum exanimabũt. Major erit horror, quã ut tum de verâ pœnitentiâ; major anguſtia, quam ut de Dei offẽſâ cogitare permittat. Fieri poterit, ut cum Antiocho vos humilietis, ut oretis; ut cum Eſau irrugiatis; cum dolore, ut cum Saule, frigidam vocẽ, frigidè pronuntietis: fiet

§. 8. *Et hodie multi experiũtur.*

Digitized by Google

fortaſſis,ut per unum Pater & Ave de decem,de viginti annis,peragatis cōfeſſionem; fiet fortaſſis,ut à Sacerdote aliquo accipiatis abſolutionē; Sed heu! terrent me verba Spiritus S. de Antiocho: *Orabat ſceleſtus Dominum, à quo miſericordiā nō eſt cōſecutus.* Moriuntur multi in larvâ tantum pœnitentiæ. Pœnitētia ſera, eſt periculoſa, ardua, difficilis.

§. 4. Semei, paucis verbis Salomonis, damnatus ad mortem: totus obſtupuit.

Repeto; timores inferni, anguſtiæ mortis, non permittent cogitationes de pœnitētia.lib.3.Reg.c.2.v.44. Salomon adducit & rapi ad ſe jubet deriſorē parentis Semejum, paucis verbis illum allocutus, ſimul tulit mortis ſententiam. *Tu noſti omne malū, cujus tibi eſt conſcium cor tuum, quod feciſti David Patri meo, reddidu tibi Dominus malitiam tuam in caput tuum.* Pauca verba, & iratus Salomonis pacifici vultus, ita illū ſtupidū, & velut rationis, linguæq; expertem reddiderunt, ut ne muſſitare quidem fuerit auſus contra ſententiam Regis. Quid hæres infelix Semei, quid hæres? adeone ſubito obmutuiſti, qui nuper tot conviciis facundus audiebaris? nihilne in tui defenſionem loqueris? quod mitiſſimus David tibi vitam cōdonarit; cur non ſupplex ſceleris tui veniā rogas? cur non aſylum clementiæ, regios pedes amplecteris? ſed ſurdo fabulam! ſtupet Semei, & velut attonitus hæret, quid Regi opponat, quid reſpondeat, non ſuccurrit, nimis illum terruit irata facies & ſententia Salomonis. Hæc eſt pœnā pertinaciū peccatorum! in agone cœleſtis Salomo, Chriſtus Judex, dum abripiuntur à morte, aperit illorum cōſcientiā, quæ ſubito ita conturbatur, ita dilaniatur, ita flagellatur, ita confunditur obruiturq; delictorum gravitate, ut miſer moribundus de pœnitentia nihil poſſit cogitare.

§. 10. Acerrima exprobratio Chriſti ad procraſtinatores pœnitentiæ, ex c. 1. Prov. Variis vocibus explicatur calamitas mortis in qua difficilis erit pœnitētia.

Quid denique aget talis procraſtinator, cum repente, præter rigidiſſimum examē, præter accuſationes dæmonū, præter ſtimulos murmurantis conſciētiæ, à Salomone, à Chriſto Judice audiit illam acrem exprobrationem ex c. 1. v. 14. Proverbiorū: *Quia vocavi & renuiſtis, extendi manū meam & nō fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoq; in interitu veſtro ridebo; cum irruerit repētina calamitas, tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Interpretes variis & diverſiſſimis utuntur vocibus, ut gravitatem harum minarum nobis explicent. Aliqui legunt ex textu Hebraico: *Ego in fracturâ tua ridebo.* Veluti figulus teſtaceum vas confringit in fruſta, ita repentina mors cōfringet impios; ridebit Chriſtus judex: & ô ſceleſti, in hâc fracturâ veſtrâ cogitatis vos velle pœnitere! Aquila legit: *In inundatione veſtra ridebo.* Nimirum rapidus torrens eſt repentina mors, quæ invitos rapit momento ad ſepulchrum: in hâc impiorum ſubmerſione ridebit illos Chriſtus: & cogitāt ſe tum velle agere pœnitentiā! Alii legunt: *In evulſione animæ veſtræ ridebo.* vel, in laceratione veſtrâ, in deſperatione veſtra ridebo. O impii, veſtras animas, cum nō putatis, immitis mors evellet, & lacerabit ex infelici corpore, ridente vos Chriſto Judice, & ſperatis vos tum acturos pœnitentiā, tum, cum ob enormitatē ſcelerum, ob minas Judicis, &c. fortaſſis planè deſperabitis: inter illos

fluctus

fluctus imanis tempeſtatis. Alii legũt: *In ſuffocatione veſtra ridebo.* Ego æſtimo, furẽ mox ducẽdum ad patibulũ, & tamen dicẽrem, cùm carnifex collo injiciet funem, cum illum conſtringet, tum pœnitebo, eſſe ſtolidum & ſtultum: æquè ſtolidus eſt, qui differt pœnitentiam, in ſupremum agonem, in horâ mortis, quæ nihil aliud eſt quàm horribilis quædam ſuffocatio, in quâ quod eſt terribiliſsimũ, Chriſtus Judex ridebit impios.

§. 11. *Ulterior explicatio.*

De quib⁹ pulchre ait David, & ſimul citata verba aliis voculis explicat Pſ. 9. 16. *Infixæ ſunt gentes in interitu, quẽ fecerunt; in laqueo iſto, quem abſcõderunt.* Pſaltes fatetur ſe ipſũ fuiſſe infixum *in limo profundi.* Ergo mors eſt quædã abyſſus, eſt quidam laque⁹, eſt terribilis clavus. O impii! & putatis, tum, cum vos repentina mors præcipitabit in hanc abyſſum, in hoc profundum, tum cum injecto laqueo vos ſuffocabit, tum, cum clavo fatalis neceſſitatis capita veſtra affigit terræ, ut quondam Jahel affixit dormientem Siſaram, cum vitam ſopori mortis ſociabitis, vos cogitaturos de pœnitentia.

§. 12. *Pulcrum ſimile ex citatis Pſalmi verbis.*

Aliud ſimile, quo oſtẽdi poteſt, quã ſit periculoſum differre pœnitentiã, mihi ſuggerunt binæ Davidis voculæ; *laqueus & fortis clavus.* In Hiſpania moris eſt, ut in publico foro agitentur feroces tauri. Cogitate eſſe aliquem qui ſciat ſe nõ eſſe tutum, impetendũ ſe à bellua; cogitate vos videre, quod nihilomin⁹ talis forti fune ſe cõſtringat, & eundẽ funem trabali clavo affigat trunco, licet ſciat, ſe ſuis viribus rurſus eundẽ extrahere non poſſe, ſed opus fore auxilio fabri ferrarii, vel alterius auxiliante manu. Tali homini, quis non dicet, Amice, noſtin' quid agas? an neſcis jam jam ex clauſtris emittendos in forum tauros; quid ſi te invadant? peribis. Si verò ipſe reſponderet; nihil timeo, quamprimũ videro minantem cornibus taurum, vocabo fabrũ, qui hunc clavum extrahat, qui ſolvat nodos, qui confringat hanc catenã: ipſe mox aderit, & à præſenti mortis periculo me vindicabit. An non rideretis hunc ſtolidũ hominem? Stulte! unde ſcis, quod irruens in te beſtia tantum tibi temporis ſit cõceſſura, ut voces fabrum? quid ſi nolit venire? quid ſi renuat ſuccurrere, cũ fortaſsis illũ offenderis, quid ſi rideat tuum interitũ? quid ſi claudat aures, ut clamantem non audiat; oculos, ut te in calamitate tua non aſpiciat?

§. 13. *Epilogus eſt pathetica allocutio ad ſerò pœnitentes.*

O impii, qui peccatis peccata cumulatis quotidie, illâ fiduciâ velle vos aliquando agere pœnitentiam. Mundus hic, in quo vivitis, eſt quidam circus: Ferociens taurus, terribilis bellua eſt mors; invadet vos, quando minimè putatis: ſtulti! cur vos nodis peccatorum conſtringitis, quid vobis catenas injicitis, cur in limo profundi vos infigitis? Audio, quid dicatis: Cùm male nobis erit, advocabimus Confeſſarium; ipſe diſſolvet nodos, ipſe nos extrahet ex periculo æternæ damnationis; aderit nobis Chriſtus Salvator, ejus miſericordia nos non deſtituet. Stolidi! unde ſcitis Deum daturum tempus, ut hæc faciatis: quid ſi ille taurus repente vos deprehendat, vos laceret, vos dilaniet cornibus? quid ſi rideat Redem-

Digitized by Google

Redemptor tuus, cui modo nimium fidis? Fit plerumq; juſto Dei judicio, ut tales in ſua morte, in interitu, in illa calamitate, inter iſtos laqueos & clavos ſe movere non poſſint, ut cogitēt de Deo; juxta illud Pſ. 6. v. 6. *Quoniā non eſt in morte, qui memor ſit tui.* D. Th. opuſc. de princ. l. 5. c. 8. ex S. Auguſtino: *Hâc juſtâ animadverſione percutitur impius, ut moriens obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt Dei.* Itaque tutius eſt Auditores, ut dum locus datur pœnitentiæ, hoc acceptabili tempore Adventus, ut his diebus utilibus & induciarum, cogitemus de pœnitentia, ut tractemus de ſeria ſcelerum exomologeſi, &c. ut Jeſulo dirigam' pulcherrimas vias, per quas feſto Nativitatis veniat in corda noſtra, ibique habitet per gratiam, donec per ſanctam mortem ad æternam gloriam nos deducat, Amen.

CONCIO V.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIV.

Ecce, hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionē multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur, Lucæ c. 2. v. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEclaratur illud ſignum, & quomodo illi contradictum à Judæis, quomodo à gentilibus, quomodo item à malis Chriſtianis & Peccatoribus, deſumptâ metaphorâ ab artis jaculatoriæ ad ſcopum petitis. Epilogus eſt vehemēs allocutio ad crudeles & barbaros ſagittarios, qui acutis & igneis ſagittis in ſcopum, qui Chriſtus eſt, iterum collimant.

§. 1. *Prophetia Simeonis de nato Puero. Aſtrologi ſolēt obſervare tempus, quo naſcuntur filii Regum.*

§. 2. *Quid ſignificet hac vocula*, ſignum, *ex P. Maldonato.*

§. 3. *Metaphora ſumpta à ſigno vel ſcopo, duplici de cauſa cōvenit Chriſto D.*

§. 4. *Quam diu, quàm variè illi Iudæi contradixerint.*

§. 5. *Præcipuè ejus Omnipotentiæ, & ſapientiæ.*

§. 9. *Ejus excellentiæ, patriæ, vitæ, converſationi, &c.*

§. 7. *Paſſio Chriſti D. fuit continuata cō- (tradictio.*

§. 8. *Permanet illa apud Iudæos in hodiernum diem.*

§. 9. *Et apud Gentiles.*

§. 10. *Injuria illata Imagini Crucifixi, captâ Conſtantinopoli.*

§. 11. *Mors impii Iuliani.*

§. 12. *Magis dolendū eſt, Chriſto adhuc contradici, non tantùm ab Hæreticis, ſed malis Chriſtianis & Catholicis.*

§. 13. *Quibus id faciant ſagittis.*

§. 14. *Proſecutio.*

§. 15. *Quanta id faciant crudelitate, declaratur tragica Hiſtoria, quam refert Diod. Siculus lib. 2.*

§. 16. *Epilogus eſt vehemens allocutio ad hos crudeles ſagittarios, ſive Peccatores: cum pathetica repræſentatione Crucifixi.*

§ 1. *Prophetia Simeonis de nato*

CUm Hiſpaniarū vel Galliarum Regi naſcitur Filius, præſertim primogenit', in Hiſpaniis Princeps Infans, in Gallia Delphinus, non deſunt Aſtrologi, qui obſervent conjunctionem ſiderum, in quo ſigno, in qua domo cœleſti verſetur Sol & alii Planetæ, ex qua

Puero Aſtrologi obſervare tempus

Digitized by Google

quo naſcuntur filii Regum.

qua ſtellarum obſervatione, & aſpectibus, multa audent prædicere, multa capere rerum futurarum auguria, & ſcribere, etiam in Calendariis, an natus Infans proſperæ an adverſæ futurus ſit fortunæ pullus: an pacificus vel bellicoſus: an mitis & clemens, an ſeverus & crudelis. Multa talia præſagia non fuiſſe vana, rerum deindè eventus & experientia comprobavit. Natum ante dies aliquot Infantulum in ſtabulo Bethlemitico, in hodierno Evangelio ejus parentes, Joſeph & Maria deferunt in templum. Proceſſioni ſe miſcet, ſenex, ſed pius Aſtrologus, & Propheta Simeon. Enim verò hic, non ex vaga aſtrorum circumvolutione, non ex aſpectu ſiderum, non ex Aſtronomorum tabulis, non ex Arithmeticorum numeris, ſed ex aſpectu Pueri, & ſacræ Scripturæ figuris, quarum, tanquam Sacerdos erat peritiſſimus, & illuminatus peculiari luce Spiritus Sancti prævidit, annis triginta tribus poſt, menſe Martio, in die veneris, inſolitam fore eclipſin, cum illa, turbationem cœli, obſcurationem planetarum, commotionem terræ, ſciſſionem petrarum, nimirum ob infamen mortem innocentiſſimi Filii Dei, pendentis in Cruce, talia prævidens Spiritu Sancto plenus ait: *Ecce hic poſitus eſt*, in illud ſignum cui contradicetur, in illum, ut ſcopum, volabunt ſagittæ, in hoc centrum dirigent arcus ſuos impii, hunc quem modò oculis haurio, ſuaviſſimum puellum, hunc gratioſiſſimum Infantem, hunc amabilem Jeſulum, hunc, ah! eloqui dolor vix ſinit, eloquar tamen, hunc inquam puſionem; hunc, ſignum, cui ab omnibus contradicetur, pronuntio. O Simeon! Puero tam amabili, tam dulci, tã formoſo quis contradicet? Verùm, quid moror? ex dicendis à me hac Concione hæc tria patebunt. 1. Quomodo toto tempore ſanctiſſimæ vitæ Salvatoris à Judæis illi fuerit contradictum, & adhuc hodie contradicatur. 2. Quomodo à Gentilibus. 3. A peccatoribus inter Chriſtianos & Catholicos; & hinc illa ruina innumerabilium hominum in abyſſum æternæ damnationis. Quicunque de vobis Auditores chariſſimi, ab hac impia in Deum contradictione abhorrent, quicunq; ſceleſtas eas, quibus DEI Filius impetitur, ſagittas execrantur, me nunc eadem de re diſſerentem, in ejus quem diligunt, Jeſuli gratiam, attentè tantiſper audire non gravabuntur.

§. 2. *Quid ſignificet hæc vocula, ſignũ ex Patre Maldonato.*

Contradictio hæc contra Chriſtum Dn. paucis poſt Nativitatem diebus incepit, & duravit triginta trib. annis, quibus in hoc mundo vixit: neque tamen per ejus mortem fuit ſublata; ſed poſt Reſurrectionem quoque acrius ſævriit, atque etiam violentius, non à Judæis & Gentilibus tantùm, ſed ab aliis impiis hucusque illi contra dicitur, & contradicetur uſque ad conſummationem ſæculi: His omnibus expoſitus eſt Chriſtus Dominus tanquam ſignum. P. Maldonatus doctè explicat hanc voculam, dũ ait ſignum nil aliud eſſe, quam illam arborem, vel rotundam potius tabulam, in quam ſagittarii collimare aſſolent. Græci vocãt ſcopũ. Tale ſignũ fuit Chriſtus Salv. noſter, prout per Je-

Jeremiam conqueritur in Threnis c. 3.v.12. *Tetendit arcum ſuum*, ſcilicet impius, *& poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam*, q. d. Sagitta fuit, odium Synagogæ contra me: ego fui ſcopus. Sagittæ fuerunt eorum contumeliæ; ego ſignum. Sagittæ fuerunt, immanes dolores, eorumque inſtrumenta, virgæ, ſpinæ, clavi, crux, lancea: ego fui ſcopus. Jam verò quod Sanctus Simeon myſteria Paſſionis præcipuè habuerit præ oculis, quod ea & prævideri, & prophetando de illis ſit locutus, patet ex verbis, quæ poſt triſtiſſimum hoc oraculum; *Ecce hic poſitus eſt in ruinam multorum*, mox dixit ad Matrem v. 35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, nimirum doloris, cum ſtabis juxta Crucem.

§. 3. *Metaphora ſumpta à ſigno vel ſcopo, duplici de cauſa convenit Christo Domino.*

Et certè hanc de ſigno metaphoram Chriſto patienti duabus potiſſimum de cauſis propriè convenire exiſtimo, ut enim ſcopus à globis & ſagittis verè configitur, transfoditur, laceratur: pari ratione ipſe à virgis, ſpinis, clavis, verè vulneratus, laceratus, & transfixus fuit, in pedibus, in manibus, toto copore, denique ipſum pectus & benedictum Cor, fuit ſcopus, lanceæ Longini vel Centurionis expoſitus. Accedit altera ratio comparationis: inter Sagittarios eſt lis, contentio atque æmulatio, quis in transfigendo ſigno propius accedat ad centrum, vel illud ipſum tangat, maximè cum magnum aliquod præmium propoſitum eſt victori: talis fuit rabies & æmulatio inter Judæos, quis magis Chriſto contradiceret, quis horribiliſſimas proferret blaſphemias: Deinde inter carnifices, quis crudeliſſimè illum torqueret; quaſi hic præmio præ reliquis inſigniore mactandus foret.

§. 4. *Quamdiu, quàm variè Iudæi contradixerint illi.*

Neque in uno, ſed in pluribus Chriſto Judæi contradixerunt. Quamprimum initio prædicationis, & verbis profeſſus eſt, eſſe ſe verum Meſſiam & Filium DEI, & miraculis hanc veritatem cœpit comprobare, mox acerbè idipſum tulerunt Judæi: diſplicuit illis hæc concio: putabant ſiquidem Meſſiam venturum, tanquam Filium Davidis & Salomonis, valde magnificum & glorioſum, cum magna pompa & regio ſatellitio, ut ſuo populo totum ſubjiceret orbem terrarum; cum verò viderunt ejus humilitatem, cum paupertatem obſervarunt, cum mundi pompæque contemptum in eo animadverterent; non tantùm hoc illis diſplicuit, non ipſi adhærere, ſed in omnibus, duræ cervicis atque obſtinati cerebri homines ipſi & illis præcipuè perfectionibus, quæ Meſſiæ ob divinam naturam communicatæ fuerunt, omnibus, per graviſſimas blaſphemias contradixerunt.

§. 4. *Præcipuè ejus Omnipotentia, Sapientia.*

Quod ut clarius videatis, omnipotentiam primum conſiderate, an non hanc per ſummum ſcelus blaſphemarunt, potiſſimum ſub Cruce, cum dixerunt Matth. 27. cap. v. 42. *Alios ſalvos fecit, ſe ipſum ſalvum facere non poteſt. Deſcendat nunc de Cruce, ſi Rex Iſraël eſt.* Omnipotentia Chriſti fuit ſcopus venenatarum harum linguarum: dicere enim voluerunt: Non eſt omnipotens, alioquin deſcenderet

de

Digitized by Google

de infami hac Cruce. Oppoſuit Veritas; hic eſt Rex veſter, veſter Meſſias, hic qui illuminavit cæcos, qui ſurdis audiendi, qui claudis ambulandi reſtituit facultatem; Hic, qui Lazarum jam à morte fœtentem vitæ, ut ipſimet vidiſtis, reddidit. An negare quiſquam poteſt? Sed palam verbis ante citatis contradixerunt, q.d. Non eſt, quia ſe ipſum ſalvum facere non poteſt. Ejus Sapientiæ & ſcientiæ contradixerunt, cum Lucæ 22. v. 52. in nocturno carcere illi velarunt oculos, & inter alapas & colaphos, inter verbera & truſiones; inter ſputa & irriſiones, quæſiverunt; *Prophetiza, quis eſt, qui te percuſſit?* O impudens contradicendi genus: eum ut ſtultum reputant, ei illudunt ut morioni, qui eſt ipſa DEI ſapientia! exclamant *Prophetiza*, q.d. novimus tuam, qua laboras, ignorantiam, exploratam habemus ſimplicitatem, ſcimus falſi tibi prophetæ titulum à nonnullis attribui, perſpecta nobis eſt tua inſcitia, age dic, *prophetiza, quis eſt qui te percuſſit?* quis eſt ex nobis, qui modo expuit in faciem tuam?

§. 6. *Ejus excellentiæ, patriæ, vitæ converſationi, &c.*

Jam verò excellentiam & bonitatem blaſphemarunt verbis illis horrendis Joannis 18. cap. v. 40. *Non hunc volumus, ſed Barrabam.* q.d. Hic illo longè eſt dignior & præſtantior. Progenies enim Chriſti illis diſplicuit, Matth. 13. v. 55. *Nonne hic eſt fabri filius.* Diſplicuit patria. Marci 14. v. 71. *Nam & Galilæus es.* Joannis 1. v. 46. *A Nazareth, poteſt aliquid boni eſſe:* Contradixerunt modo vivendi. Joannis 9. v. 16. *Sabbathum non cuſtodit.* Ejus converſationi Lucæ 15. v. 2. *Publicanos recipit: cum peccatoribus manducat.* Ejus doctrinæ. *Prohibet tributum dare Cæſari!* Ejus miraculis: *In Belzebub ejicit dæmonia.* Taceo multa ſimilia.

§. 7. *Paſſio Chriſti Dn. fuit continua contradictio.*

Contradictio omnium præcipua, ut ante inſinuavi, contigit tempore Paſſionis; imò tota Paſſio, una fuit & continuata contradictio. Quid enim aliud ignominioſa captivitas, quâ Sanctitati & innocentiæ Chriſti palam contradixerunt? Innocentia de Chriſto dicebat; innocens eſt, eſt expers omnis noxæ; Sanctus eſt, non niſi per ſummum nefas vinculis conſtringitur. Sed aliud dixit rabies Judæorum; latro eſt, ſeductor eſt, turbator quietis publicæ; ſic fieri oportet, his eum decet vinculis conſtringere, his eum expedit modis tractari. Quid illa atrox alapa coram Anna, in faciem inflicta, niſi publica contradictio? Quid aliud, iniquiſſima Caiphæ ſententia, *Reus eſt mortis?* Veritas dicebat: innocentia non debet mori, & hic eſt ipſa Innocentia. Vita non debet mori; hic eſt Vita: Filius DEI & Meſſias non debet mori: hic eſt Filius DEI! Sed totum Concilium contradixit ſubſcribens Caiphæ, *Reus eſt mortis.* Illa nocte, quid aliud fuit ſereniſſima facies Chriſti, niſi ſcopus cui ſputis, alapis, percuſſionibus & verberibus fuit contradictum? Illa publica raptio ad tribunal Pilati; ab hoc ad Herodem; hujus illuſio, atrox deinde flagellatio, ſpinea coronatio, fatalis ſententia, bajulatio Crucis, quid hæc myſteria ſunt aliud, quàm ingens

Digitized by Google

& gravis catena contradictionum? In horto, in publicis viis, in domo Annæ & Caiphæ, in nocturno carcere, ante tribunalia, ad columnam, in Cruce, denique, fuit ſignum; cui fuit contradictum, ſcopus in quem collimarunt. Neque rabies ceſſavit, donec mortuum viderunt in Cruce, ſub qua Simeonis Prophetia demum fuit impleta, cum gladius doloris pertranſivit animam afflictiſſimæ Matris, ſtantis juxta Crucem: Omnes enim blaſphemiæ contra Filium, clavi, ſpinæ, omnes ictus, omnes dolores, omnia Vulnera Filii, ſævierunt in amariſſimo corde triſtisſimæ Virginis: non unus, ſed multi gladii animam illius pertranſierunt.

§. 8. *Permanet illa apud Iudæos in hodiernũ diem.* Pesſimorum parentum pesſimi filii in hodiernum usque diem ſunt perfidi Judæi: hæredes horribilis illius odii, quo eorum majores Chriſto Dn. contradixerunt: adhuc modo idem Chriſtus eſt illis ſcopus & ſignũ cui contradicunt: ſi iterum poſſent flagellare, facerent: ſi ſpinis coronare, non omitterent; ſi crucifigere, crucifigerent. In ſtatuis Crucifixi, in conſecratis & Sanctisſimis Hoſtiis ſæpius has tragoedias luſerunt. Chriſtus eſt Scopus, in quem blaſphemis linguis, & ſacrilegis manibus collimant. Sed quo eventu: planè triſti & tragico: etiam in hoc impletur vaticinium Simeonis. *Ecce hic poſitus eſt in ruinam multorum in Iſraël*: quod ante Simeonem clarius prædixit Iſaias c. 8. v. 14. *In lapidem offenſionis, in petram ſcandali, in laqueum*: verbo, *in ruinam*, qua milliones & milliones Judæorum præcipitati ſunt, præcipitantur, & præcipitabuntur in tartara, quia ſem per Chriſto contradixerunt, contradicunt & contradicent.

§. 9. *Et apud Gentiles.* Poſt Judæos primi ſunt Gentiles, quibus Chriſtus D. etiam ſignum eſt contradictionis. Hunc ordinem obſervavit S. Paulus, ep. 1. ad. Cor. c. 1. v. 23. *Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* Inter gentiles numero Turcas, Politicos & Atheos, Ethnicos, quibus myſteria fidei noſtræ videntur ridicula & impoſſibilia. His diebus v. g. Fides Catholica palam dixit; Puer natus in ſtabulo, eſt Deus! reſpondent, *ſtultitia*: Si dicatur, ille idem homo Deus pro homine mortuus eſt in Cruce: *ſtultitia*: movent capita, expuunt, & Chriſtum Crucifixum horrendùm blaſphemant. In literis hac æſtate impreſſis, misſis à Turcarum Imperatore ad Auguſtisſimum noſtrum Leopoldũ, (an verum ſit, non diſputo) legimus, quæ hoſtiũ noſtrorum ſit intentio, quis zelus, extirpare ſcilicet omnem memoriam Chriſti Crucifixi. Hunc veluti ſcopũ lacerare, confodere, transfigere. Acinaces, barbaræ manus, blaſphemæ linguæ, funes pro diruendis imaginibus ſunt tela & ſagittæ, Chriſtus D. eſt ſcopus & ſignũ:

§. 10. *Injuria illata imagini Crucifixi, capta Conſtantinopoli.* Capta Conſtantinopoli Turcæ venerandam Chriſti Crucifixi Imaginem cum tympanis & tubis per plateas ex urbe in caſtra abduxerunt; ibi, quaſi triumphum agerent, ſputis, luto, verberibus, omni genere contumeliarum oſtenderunt, cui contradicerent, hoc addito Epiphonemate: *Hic eſt Deus Chriſtianorum*: Ita eſt, ſcele-

ſcelerati, Deus noſter eſt. Eſt ille ipſe quem in ſtabulo natum dicimus, quem in Nazareth educatum, quem Hieroſolymis converſatum, quem Crucifixum in monte Calvariæ profitemur: non erubeſcimus hunc noſtrum Ducem ac Dn. palam nominare ac profiteri: non veremur hunc confiteri Deum, quin potius magno nobis honori ducimus, ſummo nobis gaudio, ſummæ eſſe voluptati teſtamur, in hoc gloriamur, ad Rom.5. v. 11. *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in Deo per D. noſtrum Jeſum Chriſtum, per reconciliationem accepimus.* In hoc ſpē noſtram ponimus, in hoc vivimus, in hoc vobiſcum confligimus, in ſigno Crucis, in hoc triumphamus Crucifixo. Nobis eſt poſitus in ſignum honoris, in ſcopum amoris, in centrum piiſſimorum affectuum. At vobis impii, crudeles, barbari, poſitus eſt in ſignum cui contradicitis, in lapidem offenſionis, in petram ſcandali, in laqueum, in ruinam.

§. 11. Mors impii Iuliani

Expertus fuit Julianus impius Apoſtata, perſecutor Jeſu Nazareni; ſed mox telo ab inviſibili manu ſaucius, jacens humi, ſanguinem projiciens verſus cœlum, fateri, & ſuperis, inferisque audientibus, veritati teſtimonium perhibere coactus fuit, dum altâ & lamentabili voce moriens exclamavit: *Viciſti Galilæe!* nimirum ſic periit; ſic peribunt omnes hoſtes Chriſti. Expoſitus eſt illis in ſignum, cui contradicunt, ſed ad tempus; ſequitur mox ruina, à qua æternùm non reſurgent.

§. 12. Magis do-lendum eſt Chriſto adhuc hodie contradici, non tantū ab Hæreticis, ſed malis Chriſtianis & Catholicis.

Sed quid ego concionis tempus fruſtra tero, clamando contra Judæos & Turcas? ob eandem cauſam nihil dicam de Hæreticis, juratis contradictoribus & blaſphematoribus Chriſti, & quoad ejus doctrinam, & quoad vitam. Diſplicet illis, viam, quam Chriſtus oſtendit ad cœlum, eſſe tam arctam & portam adeo anguſtam, ut apud S. Matth. c.7. v. 14. videre licet. Ocreatos, non nudipedes ſperant ſe eò ingreſſuros; ſed aliud ſentient, cum infelix mors, in ruinam æternæ damnationis illos in tartara præcipitabit. Hoc ego in hac Concione magis doleo, hoc velut gladius pertranſit animam meam, quod in hodiernum uſq; diem, à Chriſtianis, à Catholicis, qui peccatores ſunt, nato Infantulo, ejus vitæ, ejus doctrinæ, ejus ſanctitati, ejus puritati, humilitati, manſuetudini; patientiæ, aliiſq; virtutibus, per gravia ſcelera tam graviter contradicatur. Et ut maneam in metaphora Evangelii, & fermè retineam verba Prophetiæ Simeonis, hoc me affligit etiam hodie, Jeſum meum eſſe ſignum & ſcopum, in quem tam acutis ſagittis collimetur. Ut veritatem oſtendam, aliquas tantum nominabo, quarum Spiritus Sanctus in Pſalmis & aliis ſacræ Scripturæ locis facit mentionem.

§. 13. Quibus id faciant ſagittis.

Proverb.25. v.18. ait Sapiens; *Sagitta acuta homo, qui loquitur contra proximum falſum teſtimonium.* Pari ratione, ſagitta acuta eſt homo ſuperbus, homo avarus. Sagitta acuta, detractor. Sagittæ acutæ illæ linguæ, quæ non tantùm loquuntur falſa teſtimonia, ſed injurias, convitia, contumelias, imprecationes, maledictiones, imò blaſphemias contra

tra Deum, contra Chriſtum Salvatorem, contra ejus ſanguinem, vulnera & ſanctiſſima Sacramenta Pſ. 56. v. 5. *Dentes eorum arma, & ſagittæ, lingua eorum gladius acutus* Pſal. 7. v. 14. ait David, quod aliqui impii & graves peccatores has ſagittas faciant igneas & ardentes: *Sagittas ſuas ardentibus effecit.* Fornax, v. g. ignea, eſt luxuria, plena infernalibus carbonibus, in hac fornace cuduntur ſceleſtæ cogitationes de fornicationibus, de adulteriis, de ſceleribus nefandis; Scintillæ hujus fornacis ſunt turpia colloquia, ſunt obſcœni nutus, ſunt tactus impudici; in hac fornace accenduntur oculi, inflammantur deſideria, exardeſcunt affectus: & hi affectus, hæc deſideria, hi oculi, hæ cogitationes, ſunt ſagittæ igneæ, quarum ſcopus eſt Chriſtus Dominus, hic illis laceratur, confoditur, transfigitur. Tales fornaces ſunt alia gravia ſcelera, odium, gula, &c. in quibus accenduntur acutiſſimæ ſagittæ.

§. 14 *Proſecutio.* Jeremias cap. 9. v. 8. ait, *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Talis ſagitta præcipuè eſt lingua detractorum, lingua eorum, qui viduas & pauperes aculeatis, venenatiſque verbis adhuc magis affligunt, & contriſtant, & volantibus his ſagittis plena eſt civitas. Hoc doleo, Jeſum Filium Dei, vel qualis jacet in præſepio, vel qualis pendet in Cruce, vel qualis nobis præſens eſt in SS. Euchariſtia, vel qualis ſedet glorioſus in cœlis ad dexteram Patris; tot ſagittis, veluti ſignum vel ſcopum vulnerari & lacerari. *Ecce hic poſitus eſt in ſignum!* hinc ruina tot millionum animarum. Fortaſſis notæ ſunt hæ acutæ, hæ ardentes, hæ vulnerantes ſagittæ, vel tam venenatæ linguæ, ideo opus non eſt, ut illas pluribus depingam. Pro Epilogo Concionis brevi hiſtoria oſtendam, quàm tales ſagittarii ſint crudeles in Chriſtum D. quam impii erga jacentem in cunis Infantulum.

§. 15. *Quanta id faciant crudelitate, declaratur tragica hiſtoria quam refert Diod. Siculus. lib. 2.* Diodorus Siculus refert *lib* 2. tres filios Regis Cimeriorum contendiſſe de regia ſucceſſione, defuncto parente. Judicem elegerunt Ariopharnem, virum rectum; hic juſſit effodi ex ſepulcro Regis cadaver, alligari arbori, filioſque contendere arcu & ſagitta, ſic ut qui cor Patris tangeret, Rex eſſet. Primogenitus avidus regni, arripuit ſtatim arcum, tetendit chordam, impoſuit ſagittam, vibravitque tam dextere, ut guttur Patris tetigerit. Crudelis, barbara, impia dextera: crudelis, barbari, impii filii. Neque mitior fuit alter filius regnandi cupidus, hic medium tetigit pectus Patris. Tertio reſtabat Cor; ſed videor mihi audire illum murmurantem: Quomodo? egone ero tam impius in patrem, qui mihi vitam dedit? egone filius tam crudelis in genitorem? abſit! regnet, imperet qui volet. Ego nolo eſſe tam ferox tyrannus in Patrem, qui mihi tot infinita beneficia contulit. Neque hæc tantum dixit, ſed, abjecto arcu, confractiſque ſagittis exceſſit ex arena. Et hic à Judice fuit electus in Regem; cui modo non inhæreo.

§. 16. *Epilogus.* Quotidie luditur hodie ſimilis tragœdia. Regnum hujus mundi, opes, divi-

eſt vrbe [illegible] allo[illegible] ad hos crudeles ſagittarios, ſive peccatores: tam pathetica repreſentatione Crucifixi.

tias, voluptates, honores filiis hujus ſæculi proponit Diabolus. Heu! quàm dura, quàm crudeli conditione. Eheu! Rex Regum alligatur tui ſum arbori Crucis veluti ſcopo: tum ait: Tangenti hoc corpus ſagitta acuta, vulneranti has manus, ſaucianti hos pedes, perterebranti hoc pectus, præmium eſto blanda voluptas; pæmium, honor: merces, ingentes theſauri: Quid hic faciunt mortales? heu dolor! pudet prope dicere. Arcum arripiunt, ſagittas imponunt, colliment in Deum ſuum, ac Creatorem. Alii manus feriunt benedictas, & hi ſunt avari: alii venerandum caput lædunt, & hi ſunt ſuperbi, &c. Elevate oculos perditi mortales! videte ſcopum, videte in quem transfixiſtis. Aſpicite ſignum Crucifixi! cogitate quis veſtrarum ſagittarum, quis ſcelerum fuerit ſcopus: O pudor: Pater eſt: paſtor eſt: Deus eſt: Rex eſt: Jeſus eſt: Numerate vulnera, computate plagas & cicatrices: vos, vos degeneres, vos barbari filii, ſic Patrem, ſic, Regem, ſic Deum veſtrum vulneraſtis: Aliud ego cogito. Egone te mi Jeſu vulnerem: ego te mihi ſcopum furoris mei deligam? in te ego exonerem iniquitatis meæ pharetras? abſit mi Jeſu, abſit, charior mihi es quàm ut te tam barbarè vulnerem. Ite maledictæ ſcelerum ſagittæ, valete damnati arcus; moriar prius quàm tam nefarium in amantiſſimum meum Patrem facinus admittam. Sic loqui, ſic ſentire, ſic facere oportet eum Auditores, qui verè Chriſtianus, qui verè Catholicus, qui verè verusq; eſſe cupit Jeſuli naſcentis ſeu frater, ſeu filius, ſeu amicus. Sit Jeſus ſignum, ſed ſalutis, ſit ſignum in quem colliment ſagittæ, ſed aureæ illæ amoris, non ferreæ furoris; amando in illum tendite, ſic ferietis ſuaviſſimum ejus corculum, ſic tenellum ejus pectus pervadetis, & quos ibi cœleſtes abſcondit theſauros, in veſtram felicitatem eruetis.

***

CONCIO VI.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Lucæ 2. v. 49.

SYNOPSIS CONGIONIS.

Bina duodennis JESULI elogia propono: alterum; quod Sapientiſſimus, alterum, quod devotiſſimus fuerit. Sapientiam nactus eſt ex reve-

velatione omnium Secretorum à Patre ſuo cœleſti communicata; amans enim amantem nil celat. Devotionem ex eo oſtendit, quod fecerit voluntatem Patris, manendo in templo. Utinam JESUM duodennem imitemur in utroque.

§. 1. *Inter plures ſtellas. ſtella lucidiſſima eſt Puer duodennis in cathedra inter Doctores: radians præſertim radiis ſapientiæ & devotionis, de quibus agit hac Concio.*

§. 2. *Chriſtus D. etiam in Infantia fuit ſapientiſſimus ob ſapientiam increatam cum Divinitate à Patre illi communicatam.*

§. 3. *Communicatio ſecretorum, eſt ſignum perfectiſſimi Amoris.*

§. 4. *Qui amor, cum in Patre erga Filium fuerit infinitus, omnia illi manifeſtavit. Pater eſt fons, Filius flumen ſapientiæ.*

§. 5. *Explicatur ulterius, vocula,* omnia.

§. 6. *Elogium hoc, quod Chriſtus Dn. etiam Infans in præſepio, ſit Omniſcius, in piorum cordibus magnum gignit gaudium & ſolatium.*

§. 7. *Puer duodennis Devotiſſimus. In quo conſiſtat vera Devotio. Velle nimirum in omnibus, quod vult Deus. Quàm excellens in hac virtute fuerit Chriſtus Dominus.*

§. 8. *Præſertim in hodierno Evangelio.*

§. 9. *Quomodo illum in hac devotione debeamus imitari.*

§. 10. *Varia elogia hujus Devotionis.*

§. 11. *De devotione à nobis requiſita diebus Feſtis; illa nimirum de qua gloriatus fuit David Pſalmo 26.*

§. 12. *Devotiſſimus fuit Salomon, cum adhuc eſſet Rex ſecundum Cor DEI.*

§. 13. *Devotio in diebus feſtis, eſt Mater cœleſtium deliciarum.*

§. 14. *Ab hac devotione pendet divina benedictio, maledictus enim qui facit opus Dei negligenter.*

§. 1. *Inter plures ſtellas, ſtella lucidiſſima eſt Puer duodennis in cathedra inter Doctores. Radians præſertim radiis, ſapientiæ & devotionis, de quibus agit hac Concio.*

DIverſas ab aliquot diebus videmus ſtellas. Quia noctes ſunt frigidæ & ſerenæ; cum voluptate aſpicimus radiantes adamantes, cœleſtesque gemmas firmamenti: & illi quidem cum ſpirituali fructu, qui aſpectu pulcherrimarum creaturarum commoti laudant illarum Conditorem, & aſpirant cum S. Ignatio Fundatore Soc. Jeſu, *Heu: quam ſordet mihi terra, cùm cœlum aſpicio.* Feſto Epiphaniæ cum gaudio magno oculis mentis vidimus ſtellam, quæ Magos duxit ad præſepe, & aſpeximus præcipuè, cum ſtetit ſuper ſtabulum, quaſi nobis innueret: Hic puer, hic ipſe DEUS eſt! Aſpexerunt cum fructu illi, qui cum Magis prociderunt in genua, & Divinum Puerum adorantes, variis modis illi obtulerunt aurum, thus & myrrham. Aliquot noctibus anno ſuperiori circa hoc tempus terribilis in aëre apparuit Cometa: ſi relationes impreſſæ vera narrant, initio hujus Anni 1666. iterum unus videtur in Auſtria; Verum neſcio an has faces aſpiciamus cum fructu. Cum horrore hiſce dieb. legi, in illo cometa, qui viſus fuit ante everſionem Hieroſolymæ; in ejuſdem cauda, deſtinctè apparuiſſe ſanguineum gladium: nec tamen obſtinati

ti Judæi illius aſpectu & minis moti fuerunt ad pœnitentiam: quàm vereor, ne idem contingat hodie, ne multi aſpiciant terrificum ſidus, & tamen ad vitæ converſionem non moveantur: hoc timeo; ſed de meis Auditoribus aliud ſpero. In hodierno Evangelio videmus pulcherrimam ſtellam in cathedra Doctorum, JESUM Puerum duodennem; & cur non vocem ſtellam? ſi enim Propheta Daniel dixit cap. 12. v. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Quid de Chriſto Dn. dicemus? hæc mihi certa ſunt, ſi radios divinitatis, ſanctitatis & omnium virtutum in illo ſpectemus: ſtella eſt lucidiſſima: ſi radios Doctrinæ; ſtella eſt ſplendidiſſima: ſi radios miraculorum, ſtella eſt admirabilis; ſi radios tot encomiorum, ſtella eſt pulcherrima; E quibus omnibus, duos ſolummodo radios veſtris oculis hac Concione contuendos proponam, hoc eſt, duo Pueri JESU duodennis elogia. 1. quod fuerit ſapientiſſimus. 2. quod item devotiſſimus: Vos interim Auditores, non tam corporis, quàm animi oculos, ad rem, non minus ſpectatu curioſam, quàm utilem diligenter advertite.

§. 2. Chriſtus etiam in infantia fuit ſapientiſſimus ob ſapientiam in- Cum audimus lectionem hodierni Evangelii, plerumque nobis imaginamur, quaſi videremus pulcherrimum duodennem Puerum, ſedentem in cathedra inter Doctores. Videmur nobis audire ipſum, interrogantem, etiam ſeniores, ſcribas & phariſæos; neque interrogantem tantùm, ſed virorum quoque doctiſſimorum, difficilimis quæſtionibus, cum magna omnium ſatisfactione reſpondentem. Qui ſanctiſſimam Huminitatem Pueri duodennis, corporeis oculis ſolummodo reſpiciunt, ſtupent & admirantur, illi verò, qui oculos mentis ſimul conjiciunt, in Divinitatem, quæ eſt in Puero, quia ſimul DEUS eſt, non tam mirantur, quam animitus gaudent, quod duodennem Puerum, Filium DEI eſſe ſapientisſimum non ignorent. Cujus encomii radix hæc eſt, cum ſapientia DEI increata & infinita, cum ipſa Natura divina, aliiſque perfectiſſimis attributis Pater æternus clarisſimâ quoq; cognitionem, & ſcientiam omnium myſteriorum, omnium abditorum & arcanorum, quæ ſunt in ſanctisſima Trinitate, & theſauro omnium creaturarum, fœcundisſimè Filio ſuo communicavit. Cum natura Divina Pater cœleſtis ſimul quaſi cor ſuum effudit in ſanctisſimam Humanitatem Chriſti, cum omnibus arcanis & ſecretis infinitæ ſcientiæ & ſapientiæ. *creatam cum Divinitate à Patre illi communicatam.*

§. 3. Communicatio ſecretorũ eſt ſignum perfectiſſimi amoris. Hujus ſi lubet rationem percipere, hanc cum Theologis affero: *ſignum amoris maximi, eſt communicatio ſecretorum.* Ubi hæc non eſt, non eſt perfectio amoris. Amor enim, cum ſit pondus in amatum, ut loquitur S. Auguſtinus, fit ut ita profuſum reddat amantem, in amatum, ut totum quod eſt, velit eſſe amati: intellectũ, memoriam, voluntatem, imaginativam, ſenſitivam, Spiritum, ani-

Pater abſcondit Filio, ut etiam ſcrutator cordium ſit Chriſtus Deus homo. Omnia, quæ potuit, Pater communicavit Filio. Si enim Jonathas de Patre ſuo Saule, dicere fuit auſus ad Davidem, lib. 1. Reg. c. 20. v. 2. *Neque enim faciet Pater meus quidpiam grande vel parvum, niſi prius indicaverit mihi*; quia ſciebat, quantum diligeretur â Patre; quid dicemus de Patre cœleſti erga Filium? Non hærebo diutius in hoc elogio; ſufficiat S. Paulum de Chriſto D. dixiſſe, ad Coloſſ. 2. cap. v. 3. eſſe *in Chriſto omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei*; quæ verba breviter, ſed nervosè explicuit S. Chryſoſtomus, cum hom 5. de ſcient. Dei dixit; *Chriſtum omnia ſcire, & nihil ignorare*: unde mirum non eſt, illum in hodierno Evangelio quæſitis Doctorum reſpondiſſe ſubtiliſſimè, & interrogaſſe tam profunda & ſublimia, ut muta fuerit Scribarum ſapientia.

§. 8. *Elogium hoc, quod Chriſtus D. etiam infans in præſepio ſit omniſcius, in piorum cordibus magnum gignit gaudium & ſolatiū.*

Elogium hoc, quod Chriſtus Salvator meus, ſit ſapientiſſimus & omniſcius, magnum in corde meo gignit gaudium & ſolatium; his potiſſimum diebus, quibus jucundiſſimum myſterium Nativitatis Chriſti conſideramus. Nam quoties v. g. animum meum ſubit, illa amoris Divini cogitatio, *Jeſule amo te*, quid aliud mihi perſuadere poſſum, quàm quod hujus mei voti conſcius eſt Jeſulus? Itaque dicam millies, *Amo te, amo te, amo te! mi Jeſu! Scit enim ipſe, quia diligo.* Dicam; doleo, quod offendi te! Scit enim ipſe, quia ingemiſco. Dicam; deſidero te millies, mi Jeſu, quando venies. Scit enim ipſe omnia deſideria cordis mei. Et ego cor meum, cum omnibus ſecretisſimis cogitationibus, ſed piis, ſed ſanctis, effundo in cor Jeſuli mei! Dicam animæ in adverſis: Perfer & obdura, ſcit enim Chriſtus quæ & quanta pateris; & quanto amore pateris. Dicam: ignoſco inimicis meis ex corde. Ipſe ſcit me ignoſcere. Dicam in morbo, tu ſanitas mea, mi Jeſu! Dicā in tenebris, tu lux mea! Dicam in mari, tu portus meus! dicam in morte, tu vita mea! Hæc ingens voluptas mea; quia ſcit meus Jeſulus omnia deſideria cordis mei. Eſt ſapientiſſimus & omniſcius Puer. Puer duodennis in cathedra inter Doctores eſt lucidisſima ſtella. Quod erat primum punctum hujus Concionis.

§. 7. *Puer duodennis devotiſſimus. In quo conſiſtat vera devotio: velle nimirum in omnibus. quod vult Deus. Quàm excellens in hac virtute fuerit Chriſtus Dn.*

Nunc ad alterum accedo. Puer duodennis eſt Puer devotisſimus. Devotio nobilisſima Virtus amplisſimam ſuggerit materiam, quam tamen ad duo tantum, quæ hodiernum ſuggerit Evangelium, placet conſtringere. Alterum eſt; reſponſum, quod Puer dedit parentibus, quo inſinuat, inſciis ſe parentibus remanſiſſe in templo, quia ſic voluit Pater ejus cœleſtis: *neſciebatis, &c.* Hæc eſt ſumma devotio, velle in omnibus, quod vult Deus. Ideo de ſe ait Chriſtus Salvator Joannis 8. c. v. 29. *Sicut docuit me Pater, hæc loquor, & qui miſit me, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Et Joan. 4. v. 34. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei.* Adverte hæc illum dixiſſe, cum diſcipuli eum monerent, v. 32. *Rabbi*

 man-

manduca, quibus Dominus ait: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis*; ſubſtentabatur enim cibo altiori, ſublimiori, grandiori, qui erat voluntas Patris. Manducavit quidem Chriſtus D. & bibit, ad ſuſtentandum corpus; ſed nullam in eo percepit delectationem, ſed quod in omnibus Patris ſui faceret & exequeretur voluntatem.

§. 8. *Præſertim in hodierno Evangelio.* Ex qua altiſſima conformatione voluntatum Patris in Filium & Filii in Patrem, ſecundum unitatem & ſemper uniformem volitionem, evenit, ut Chriſtus D. illam tantopere dilexerit, tantique fecerit & amplexatus fuerit, ut ſemper eam in corde; & in medio cordis (Pſal. 39. v. 9.) præcordiisque habens, etſi gravia, etſi laborioſa Pater imperaret, ſemper ea, prompto alacrique animo perfecerit. In hodierno Evangelio, non dubito Puero duodenni fuiſſe grave, Matrem, quam ita diligebat, deſerere: ejus carere præſentia, illam & S. Joſephum affligere, manere inter peregrinos, ſtipem corrogare, ſed quia ſciebat, eſſe voluntatem Patris, non invitus fecit. Hic ejus fuit cibus, quem in ipſa etiam cruce comedit; hic potus, quem bibit, hic ſomnus, quo fruitus fuit. Cùm dedero verba Drogonii ſerm 1. de paſſ. finiam hunc diſcurſum, qui fundamentum eſt ſummæ & excellentiſſimæ perfectionis & ſanctitatis. *Nunquid Chriſtus Crucem timuit? imò & optavit, exultavit enim ut gigas ad currendam viam mandatorum ejus. In cruce manducavit, bibit, & inebriatus eſt, & dormivit. Manducavit, quia aſcendit ad palmã, & collegit fructus ejus.* Crux etſi amariſſimus cibus, Chriſto D. fuit fructus dulciſſimæ palmæ; non aliunde, quàm quia illam aſcendit ex voluntate Patris. Ex his ergo cauſam advertere poteſtis, quare Puerum duodennem eximio hoc elogio proſequar, vocando devotiſſimum, quia in omnib. fecit voluntaté Patris.

§. 9. *Quomodo illum in hac devotione debemus imitari.* Chriſti D. exemplo nos erimus devoti, ſi ſoliciti ſimus, ut ſemper faciamus ea, quæ Patri Cœleſti placent; ut ille noſter ſit cibus & potus, hæc in omnibus voluptas, hoc ſolatium quod DEI voluntatem faciamus; ut voluntas DEI ſit noſtra voluntas, & noſtra, voluntas DEI. Auream hanc doctrinam nobis tradit S. Paulus in hodierna epiſtola Miſſæ, ex c. 12. v. 1. epiſt. ad Romanos. *Obſecro vos fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, ratiocinabile obſequium veſtrum, ut probetis, quæ ſit voluntas DEI bona, & beneplacens, & perfecta.* Ego obſecro vos hodie Auditores, per miſericordiam Dei; diſcite à Puero duodenni veram devotionem in adimpletione Divinæ Voluntatis.

§. 10. *Varia elogia hujus Devotionis.* Hæc devotio eſt regia via, qua rectâ tendimus ad cœlum. Eſt clavis aurea ad aperiendos theſauros divinæ bonitatis. Eſt lucidiſſima ſtella, quæ cum Magis nos ducit ad Chriſtum. Hæc eſt trutina, quæ bonos diſcernit à malis. Hoc obſervatione digniſſimum eſt, quod ex ſexcentis millibus Judæorum, qui à Moyſe educti fuerunt ex Ægypto, duo tantum intrarint terram promiſ-

ſionis

ſionis, Joſue & Caleb; ob cauſam, quam Dominus asſignat Deuteronomii 32. cap. v.46. *Quia iſti impleverunt voluntatem meam.* Itaque adimpletio divinæ voluntatis, eſt menſura noſtræ devotionis & perfectionis: ſi ſcire velimus, quàm ſimus devoti & perfecti, attendamus quam ſimus diligentes in executione divinæ Voluntatis, & an dicere posſimus cum Chriſto Domino. Quæ DEO placita ſunt, facimus ſemper.

§. 11. *De devotione, à nobis requiſita diebus feſtis; illa nimirum de qua gloriatus fuit David Pſ.26.*

Sed deſcendo ad devotionem particularem, in qua potiſſimum divinam voluntatem debemus implere, ut nimirum diebus feſtis & Dominicis, ſecundum conſuetudinem & legem Eccleſiæ, cum Puero duodenni, libenter ſimus in domo Patris, & libenter in templis commoremur. Hoc exigit devotio Chriſtiana; Uno ſaltem die in ſeptimana dicere oportet cum Davide Pſal. 26. v.4. *Unam petii à Dno. hanc requiem ut videam voluntatem D ut viſitem templum ejus.* Quem locum ſic exponit Campenſis. *Unum quidem rogavi Dominum, quod pergam indeſinenter petere; liberam in domo Domini ab omni ſolicitudine vitam, ut coram videre poſſim, quantum ſit amœnitatis apud illum; & ſcrutari, quæ ſint in regia illius, varia & admiratione digniſſima.* Alii legunt, *ut videam jucunditatem Domini.* S. Hieronymus: *Pulcritudinem Dei.* Lectio Hebræa habet, *Decorem Domini.* Advertitis opinor elogia Eccleſiæ alicujus Catholicæ, quæ DEO ter Optimo Maximo ad peculiarem ejus cultum eſt dedicata. Quod ſit domus Domini, vel Paradiſus, & Regia Chriſti Dn. quam ſemel ſaltem in ſeptimana Deus nos vult accedere, diebus Dominicis & feſtis, ut ibi compareamus coram Rege noſtro; ſed liberi abſque omni ſolicitudine. Semel ſaltem in hebdomade vult DEUS nos ingredi hunc paradiſum, ut deliciarũ cœleſtium, & jucunditatis Domini, etiam in hoc mundo fiamus participes, illum laudando, orando, amando, præcipue audiendo miſſam; id quod ſub gravi etiam præcepto, ſub peccato mortali, Eccleſia præcipit. Reliquo deinde die, DEUS vult ut liberi ab operibus ſervilibus, & occupationibus terrenis, in pia quiete, & ſancto otio laboremus facere opera devotionis, & illa, quæ vult DEUS. Talia à nobis exigit vera devotio, quam Puer duodennis hodie in domo Patris ſui nos docet.

§. 12. *Devotiſſimus fuit Salomon, cum adhuc eſſet Rex ſecundum Cor DEI.*

Sapientiæ 7.cap.v.11.ait Salomon: *Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa* (nimirum cum ſapientia) *non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium*: doctiſſimus quidam interpres hæc verba ſic explicat: *Salomon, cum Rex fuit ſecundum cor DEI; magnificentiſſimus ille Rex, non ſemper fuit occupatus in publicis; non ſemper in throno ſedit Judex: non ſemper fuit inter ſuos ſenatores; non majori tempore in regia menſa, vel amœnis hortis, ſed præter principales has occupationes, certum aliquod tempus ſepoſuit, quo ſibi vacaret, & illas præcipuè horas, quibus intraret, vel regium conclave, vel templum*

Domini, ut ibi cum DEO ſuo ageret per jucundam converſationem, per orationem, per ſuſpiria & cœleſtia deſideria; hic à DEO petebat auxilium in arduis, conſilium in ambiguis, lucem in obſcuris, prudentiam in electione, fortitudinem in executione, vires neceſſarias, ne ſolus, ſed cum DEO regiæ Majeſtatis, & regni onus portaret. Talem vult DEUS eſſe vitam noſtram. Non totam vult ſeptimanam externis ita impendi negotiis, ut nihil ſibi inde vendicent interna; non omnem temporis partem, vul mundo conſecrari, ut nihil cœlo, nihil ſuperis tribuatur. Quid minus igitur à nobis exigi poteſt, quam ut unam ſaltem diem, imò & unius diei, aliquot ſaltem horas, divino cultui tribuamus, eâ qua poſſumus devotione; quam ut modico ſaltem tempore cum Chriſto Dn. agamus in templo.

§. 13. *Devotio in diebus feſtis eſt Mater cœleſtiū deliciarū.* Converſatio illius non habet amaritudinem, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium. Experiuntur illi qui cum ſingulari devotione celebrant dies feſtos, ſentiunt quanto cum fructu atq; emolumento ſuo id faciant: mille illis accedunt ſolatia, mille DEI, qui liberalitate noſtrâ non vincitur, favores, gratiæ, benedictiones. Diſcunt, quàm ſint hi dies utiles, quàm ſuaves, amabiles. Dies, quos fecit Dominus, dies ſalutis noſtræ; illorum animi liquidiſſimis affluunt gaudiis, quæ ex ſuaviſſimâ cum DEO, cum Superis, cum cœlo converſatione proficiſcuntur. Et quis adhuc nolit diem è ſeptimanâ unicum præcipuâ quâdam devotione, in DEI cultu tam honeſto atque utili, tam ſuavi atque jucundo lubens tranſigere? Itaque ſit hæc inpoſterum è curis noſtris, negotiis, occupationibus, &c. ſed converſatio noſtra ſit in cœlis, loquamur cum DEO, ut cum devotiſſimo JESUllo ſimus devoti.

§. 14. *Ab hac devotione pendet divina benedictio, maledictus enim, qui facit opus DEI, negligēter* Bene adverto, me pulcherrimam hanc materiam non poſſe pro lubitu proſequi: faciam itaque in aliâ concione: modo tantum moneo: ab hâc devotione, quam vobis propoſui, à pia feſtorum obſervatione, pendere DEI benedictionem, qua tantopere indigemus. Horreo, quoties lego, cap. 48. v. 10. Jeremiæ: *Maledictus qui facit opus DEI fraudulenter.* Lxx. legunt *Negligenter*, quē locum ſic explicat S. Ambroſius in Pſalm. 118. v. 11. ſuper illa verba, *In toto corde meo exquiſivi te: qui autem non habet, ut in corde ſuo exquirat DEUM, ſed negligenter id facit* (potiſſimum die feſto) *maledicto ſubjectus eſt*: ſicut legimus, *Maledictus omnis qui facit opus DEI negligenter.* Opus DEI eſt, ut die feſto audiamus ſacrum, qui DEUM & animam ſuam etiam hac hora defraudat, an non ille & ſibi & DEO injurius cenſebitur? Opus DEI eſt, die feſto intereſſe concioni ſacræ, quod ſi illam vel plane negligas, vel illam ſine guſtu, fructuque frigidè accedas: an non fraudulenter facis? Opus DEI eſt, diebus feſtis frequentare veſperas, ſodalitates, precibus vacare liberius, &c. quid ſi univerſa hæc contemnas? quid ſi in popinis verſari malis (eſt locus pro pulchra invectiva) Certe hoc eſt, operaDei facere fraudulenter, hoc eſt, pri-

Digitized by Google

privare DEUM honore, animam fructu gratiæ & gloriæ, hoc eſt, ſe exponere divinæ maledictioni: Benedictus eſt, qui à ſapientiſſimo & devotiſſimo Puero duodenni hanc diſcit devotionem & ſapientiam, ut in omnibus divinam exequatur voluntatem, potiſſimum in obſervatione diei feſti.

CONCIO VII.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, Joan. 2. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CONcio hæc conjugatis utiliſſima proponit documenta, ex verſu illo capitis 2. v. 20. Oſeæ, *Deſponſabo te mihi in fide, &c.* Illuſtrantur pulchris hiſtoriis ex ſacra ſcriptura, & ſanctiſſimorum Conjugum exemplis hæc tria, *fides, caſtitas & caritas conjugalis.*

§. 1. *Rejicitur duplex hæreſis circa ſtatum Matrimonii, eò quod à Chriſto ſit inſtitutus.*

§. 2. *Eſt brevis invectiva in malas uxores.*

§. 3. *In fauſto matrimonio requiruntur hæc tria: fides. Caſtitas, Caritas, ob duplicem cauſam; Matrimonium enim eſt contractus & magnum myſterium.*

§. 4. *Caſtitatem diſcant pii Coniuges à Juditha.*

§. 5. *Fidelitatem in oculis à ſponſa & Jobo, etiam in cogitationibus.*

§. 6. *Timorem Domini, ne fidem datam violent, à Suſanna.*

§. 7. *Modeſtiam, verecundiam, aliasque virtutes à Rebecca.*

§. 8. *Studium orandi, Amorem DEI, ſedulitatem in adminiſtranda familia, à S. Cæcilia.*

§. 9. *Devotionem erga Paſſionem Chriſti, à Sanct. Elzeario & Delphina.*

§. 10. *Requirit in manibus Conjugum lilia Sancti Henrici & Kunigundis.*

§. 11 *Conglobatio aliorum exemplorum, cum brevi repetitione totius Concionis.*

Pla-

§ 1. *Rejicitur duplex hæreſis circa ſtatum matrimonii, eo quod à Chriſto ſit inſtitutum.*

PLacuit Chriſto Salvatori noſtro, unà cum Beata Matre & diſcipulis ſuâ honorare præſentiâ has nuptias, tanquam præludia matrimonii, ut ſciamus hunc ſtatum in novâ lege, eſſe ſtatum ſanctum, pium, DEO que Optimo Max placentem, imò ſanctiſſimum ſacramentum; & proinde nos Romano-Catholici duplicem hæreſin rejicimus & anathematizamus: alteram Saturninus & Tatianus, apud S. Irenæum; Marcion & Manichæi apud S. Hieronymum, Encratitæ apud S. Epiphanium, Priſcilianitæ & Adamiani, apud S. Auguſtinum, & alii deinde docuerunt, nimirum rem planè illicitam eſſe matrimonium; imò tempore Apoſtolorum Saturninus teſte S. Ignatio, aſſeruit, matrimonium eſſe doctrinam diaboli, neq; differre à ſcortatione. Ejuſmodi dicta apud nos ſunt blaſphemiæ contra ſanctiſſimum hoc ſacramentum. Doctrina hæc veluti erronea, dudum ab Eccleſia & Conciliis eſt condemnata. Diſſeminarunt illam iſti hæreſiarchæ, ut vagæ & nefandæ libidini liberius vacarent: ſpurci hirci & muli emiſſarii. Altera hæreſis fuit Gnoſticorum, Aërianorum, Meſſalianorum, Jovinianiſtarum, Vigilantianorum, Waldenſium, & deinde aliorum ſectariorum (erubeſcit fere honeſta lingua proferre, quæ ſcripſerunt impuri calami) qui ſtatum matrimonialem nimium extollunt docentes, eſſe præceptum & obligationem nubendi, propter illa verba DEI ad Adamum & Evam Gen. 1. v. 28. *Creſcite & multiplicamini*, putantque ſe non venturos ad cœlum, niſi afferant teſſeram; Uxorem. Itane? præceptum hoc eſt, & tam graviter obligat? & quando obligare incipit? an anno ætatis vigeſimo? quid ſi circa annum trigeſimum moriatur, qui necdum duxit uxorem, ſatisfecitne præcepto? poterit ne fieri ſalvus? & quomodo S. Joannes Baptiſta, S. Paulus & innumerabiles alii facti ſunt ſalvi ſine uxoribus. Vel ex his & ſimilibus quæſtiunculis, manifeſta eſt hæreſis hujus abſurditas. Ut nihil dicam de exemplo Chriſti Dn. nihil de ejus doctrina, & clariſſimis illis verbis apud S. Matth. c. 19. v. 11. 13. *qui poteſt capere capiat: non omnes capiunt verbum hoc*, nihil de teſtimonio S. Pauli 1. Cor. 7. v. 18. *Igitur & qui matrimonio jungit Virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.* Quare Catholica doctrina eſt, obligationem nubendi non eſſe, ſtatum tamen matrimonii eſſe ſanctum, & Deo placentem. Sed hiſce adverſariorum quiſquiliis rejectis, ut illi, qui in matrimonio ſunt, Deo placeant, vitam vivant ſanctam, ut ſecum habeant Jeſum & Mariam, pulcherrimum hac Concione documentum, & planè neceſſarium illis præſcribam, de conjugali fide caſtitate & charitate. De benevola veſtra attentione non dubito, itaq; peragã in nomine Jeſu & Mariæ.

§. 2. *brevis invectiva in malas uxores.*

Cum uxores malæ (ut loqui ſolemus) Concionatores hodierna Dominica multum timeant, moneo, me non intendere, ut præſens concio in illas ſit invectiva, fruſtra enim agerem. Nam illæ uxores, quæ à Poë-

tis vocantur *Sphinges*, *Harpyæ*, *Furiæ*, *Megeræ*: & aliæ infames apud Romanos, *Helenæ*, *Meſſalinæ*, *Liviæ*, *Terentiæ*, *ambitioſæ Junones*, *ſpurcæ Veneres*, *rixoſæ Xantippes*, non ſunt inter illas, quæ me modo dicentem audiunt. Neque ex præſentium numero eſſe puto tales, quas Menander vocat *tempeſtatem domus*, *aſpides*, *theſauros malorum*. Nulla hic eſt talis, qualem deſcribit S. Chryſoſtomus, quam vocavit, *Omni malo pejus malum*, *malum intolerabile*, *viperam immedicabilem*, *venenum inſanabile*. Non eſt hic præſens talis uxor; tales forte jacent adhuc in lecto, vel jam animi gratia deambulatum prodierunt in campos, vel hærent etiamnum affixæ menſis. S Ambroſius uxorem aliquam (fuerit ſine dubio peſſima) vocavit, *Januam diaboli*, *viam iniquitatis*, *ſcorpii percuſſionem*. Nulla talis eſt in meo Auditorio, tales fortè jam jam ut leænæ domos percurrunt, rabie percitæ, ira inflammatæ, furore correptæ; tales fortè jam tumultuantur in ædibus, rixantur in plateis, altercantur in biviis. Fortaſſis agunt alia: Sed nihil ad me. Scio non intereſſe ſolere ejuſmodi belluas concionibus meis. Mites ſunt, quæ hoc templum frequentant matronæ; modeſtæ ſunt, humiles, patientes, pacificæ, verecundæ. Nulla mihi eſt cauſa, quare acriori ſermone illas perſtringam. De aliis auctor eſt Pater Stengelius cognitum ſibi maritum aliquem, cui conjux fuit tam imperioſa, ut coactus fuerit alternis menſibus cum illa dividere imperium, ſed eo menſe quo uxor imperabat, vix illi licuit manere domi, ita dominabatur illa furia; ut dici de illa potuerit ex capite 25. v. 23. Eccleſiaſtici; *Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam*: nam verſu 31. *Plaga cordis, mulier nequam*. Subdit citatus auctor; colaphis baſianda, virgis mulcenda, baculis mollienda eſt talis imperioſa Juno. Quamvis hic cibus talibus non ſapiat, imò verberibus etiam pejores reddantur. Frequenter dum unus cacodæmon expellitur, intrant ſeptem alii nequiores. Hydræ ſunt, ſi unum illi caput amputes, alia magis venenata excreſcunt. Mihi certum eſt, nullam talem uxorem hic eſſe præſentem, proinde contra illas non detonabo. Bonis itaque conjugibus & piis aureum documentum præſcribet & proponet hæc Concio.

§. 3. *In fauſto matrimonio requiruntur hæc tria. Fides, Caſtitas, Caritas, ob duplicem cauſam. Matrimoniū enim eſt contractus, & magnum myſteriū.*

Fundamentum & radicem regularum omnium & documentorum quæ in hac materia præſcribi poſſunt, continet verſus 19. capitis 2. Oſeæ. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in fide*. Addunt alii, & *in charitate*; vel *in caſtitate*. Hæc tria ſunt, quæ à me requiruntur in matrimonio, ſi quidem fauſtum eſſe, ac ſanctum oporteat. Matrimonium eſt quidam contractus, in quo mas & fœmina, mutuum in ſua corpora dominium, ad uſum humanæ generationis tradunt; qui contractus inſuper ex inſtitutione Chriſti D. elevatus eſt ad dignitatem ſanctiſſimi Sacramenti; unde dubium non eſt magna ipſum fidelitate ſervandū eſſe: *In fide*. Cū deinde matrimoniū teſte Apoſtolo ſimul ſit magnum

gnum myſterium, quo exprimitur 1. admirabilis illa unio, quæ eſt inter naturam Divinam & Humanam. 2. Inter Chriſtum & Eccleſiam, veluti inter ſponſum & ſponſam, veluti inter caput & membra. 3. Illius unionis, quæ per gratiam ſanctificantem eſt inter Deum & animam ſanctam; & triplex hæc unio inter naturam Divinam & Humanam, inter Chriſtum & Eccleſiam, inter Deum & animam hominis ſancti, ſit unio ſancta, unio caſta, unio cauſativa magni amoris; ſequitur, ut illa unio, quæ eſt inter maritum & fœminam, ſit ſancta, caſta, cauſativa amoris, hoc eſt, *in fide, in charitate, in caſtitate.* Nam, ut pulchrè quærit Lactantius, *quis vir mulierem, aut mulierem virum diliget, niſi devota mens, & ſervata invicem fides* (ſancta & caſta) *fecerit charitatem?*

§. 4. *Caſtitatē diſcant pii Conjuges à Juditha.*

Illam ego requiro fidelitatem, & caſtitatem, quam ſummus Pontifex Joachim in veteri teſt. tantopere commendavit in illa Heroina, in Juditha; ſic enim illam fuit allocutus, quando cum capite Holofernis rediit in Bethuliam cap. 15. v. 11. *Eo quod caſtitatem amaveris, & poſt virum tuum, alterum neſcieris, ideo & manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum.* Sanctam & beatam vivunt vitam pii conjuges in matrimonio, cum ſuper illos de cœlo quotidiana deſcendit benedictio; cum illa enim inter illos floret pax; viget unio, concordia regnat; amor triumphat, quies dominatur. Sed quæ catena de cœlo trahit tantam benedictionem? unde triumphus amoris? unde pacis flores? unde fructus concordiæ? Inde, quod caſtitatem ament, cum conjugali fide & caritate. Inde oritur benedictio, tum conjugibus adſunt Jeſus & Maria, cum vir, præter ſuam uxorem, neſcit aliam, & contra, quod uxor non alium amet virum. Vivit uterque in fide, in charitate, in caſtitate, ideo confortat illos Deus, & benedicit illis.

§. 5. *Fidelitatē in oculis, à ſponſa & lobo etiam in cogitationibus.*

Talis debet eſſe uxor, ut maritus cum ſponſo Cant. 1. v. 14. illi dicere poſſit. *Quàm pulchra es amica mea! oculi tui columbarum.* id eſt, ait Hugo Card. in cit. caput; *affectio & intentio tua ſimplex eſt, ſi me ſolum reſpicis & amas.* Vel, *Electa mea, oculos habes columbæ, quibus me ſimpliciter intueris, ut alius præter me tibi non placeat, ut alium præter me, nec quæras, neque ames.* Fortaſſis propterea apud Romanos die deſponſationis ſponſis dabatur flammeus ſive velum; ut illo tegerent oculos, ne inpoſterum alium præter ſponſum aſpicerent. Tali flammeo oculos ſuos videtur texiſſe Regia uxor Tigranis erga Cyrum Regem, cujus cum marito fuit captiva. Poſtquam libertati fuit reſtituta, & interrogata, quam illi placuiſſet pulchritudo Cyri? reſpondit: *Abs te, O marite, Deos teſtor, nunquam oculos averti, qualis ſit forma Cyri prorſus ignoro.* Diſcant conjugatæ, quomodo debeant tegere oculos, ut ſervent initum contractum matrimonii in fide, in charitate, in caſtitate. Maritus autem dicat cum Jobo c. 31. v. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Tantam ſpon-

ſponſus in ſponſa exigit fidem, ut non fuerit contentus, ejus oculos eſſe clauſos & tectos; ſed voluit ſe poni ſupra cor, quaſi ſignaculum, ne etiam cogitationi alicui de alio amatore pateret acceſſus.

§. 6. *Timorem Domini, ne fidem datam violent, à Suſanna.*

Sed conjugalis fidei & caſtitatis ſpeculum longè luciḋiſſimum aſpicite in Suſanna; ab hac diſcere poteſtis conjugatæ, quid illa fides præcipue requirat, diſcite ab illa, malle vitam potius quàm datam fidem ponere. Illicia & occaſiones frangendi fidem Suſannæ non defuerunt. Erat pulchra. Pulchritudo eſt cauſa turpiſſimorum adulteriorum, & libidinum. Formoſæ fœminæ libenter volunt videri; hinc ingens periculum. Fuit Suſanna dives; ſed & divitiæ ſunt fomites libidinis, præſertim ſi accedant deliciæ in menſis, luxus in veſtibus, vanitas in converſatione. Neque defuerunt, qui viſitarent ædes Suſannæ, confluebant ad ejus virum Joachimum Judæi, eò quod eſſet honorabilior omnium. Tales viſitationes, uxoribus ſolent eſſe periculoſæ: contrahuntur familiaritates, cuduntur catenæ, quæ deinde trahunt in abyſſum gravium ſcelerum. Inter illos, qui viſitabant ædes Suſannæ, fuerunt & duo judices ſenes, illi qui deinde pudicitiæ Suſannæ ſtruxerunt inſidias, & cum locus, ſolitudo, tempus, aliaque facere viderentur, vi illam aggreſſi ſunt, dicentes Dan. 15. 20. *Ecce oſtia pomarii clauſa ſunt, nemo nos videt*: Addunt minas, vim illaturi, niſi nefariis ſceleratorum petitis innocens annuat Suſanna. Sed cogitate hunc hortum, in quo contigit tragœdia, fuiſſe ſimul theatrum & ſcenam, in quo nobilis heroina, caſtiſſima Suſanna, cum duobus lenonibus vel leonibus glorioſè decertavit. Ingemuit enim & ait v. 22. *Anguſtiæ ſunt mihi undique, ſi enim hoc egero, mors mihi eſt. Si autem non egero, non effugiam manus veſtras.* O ſi & hodie plures matronæ plus timerent Deum, quàm timeant homines! Suſanna fuit veluti columna ex marmore inter aquilones. Stetit ejus fides, ſtetit conjugalis caſtitas, & amor erga maritum, fuit immota rupes inter aſſilientes fluctus, dum invicto animo, illam protulit ſententiam v. 23. *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini*, & hæc dicens altiſſimè exclamavit & fidem conjugalem cum periculo vitæ & honoris conſervavit. In præſenti materia, libenter, quoad poſſum, loquor caſtiſſimè; ideo plura non addo, facile intelligent conjugati, à Suſanna, quid ſit ſervare fidem & caſtitatem conjugalem. Sed ſimul advertant, quod S. Ambroſius monet lib. 1 de Virgin. *Flos hic, lilium hoc* (quod ſignificat Suſanna) *amat generari in hortis, in quibus cum Suſanna invenit, mori prius, quàm violari parata.* Si in horto matrimonii flos hic vigeat, non deerunt flores alii pulcherrimarum virtutum.

§. 7. *Modeſtiã, verecundiam, aliaſque virtutes à Rebecca.*

Aliud ſpeculum fœminis in matrimonio conſtitutis ſit Rebecca, de qua ait cap. 24. v. 15. 16. Gen. *Ecce Rebecca egrediebatur, puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro, deſcenderat autem ad fontem.* Do-

Digitized by Google

ctiſſimus Baeza hunc locum ſic explicat: quod Rebecca licet eſſet juvenis pulchra, glorioſa, amabilis, licet cogeretur quotidie exire, & quidem ad fontem, ubi multi conveniunt, tamen tam fuerit modeſta, verecunda, taciturna, moribus tam compoſitis, ita fugiens omnem converſationem, præſertim cum viris, ut nulli fuerit nota, ut fuerit, quaſi non eſſet in urbe, ut inter virorum oculos fuerit quaſi non viſa: & meminit textus expreſſe, quod cum ad fontem vidit venientem Iſaacum, quod capiti injecerit velum. De hac modeſtia Rebeccæ ait S. Chryſoſt. homilia, quales ducendæ ſint uxores, Tomo ſexto: *Ea verò laus eſt non minima: quippe cujus probitati, nec crebri ex domo exitus, nec egregia vultus forma, neque frequentes juvenum occurſus, nec aliud quidquam detrimentum ullum afferat, dum ſervat pudicitiam diligentius, quàm quæ nunquam Gynaceo ſe proferunt.* An non hæc magna admiratione digna eſt: Rupertus in Geneſin. Fdei ſimul, & caſti conjugii laus eſt hæc, *ſi uxores aliis viris non ſint nimis familiares. Scio exeundum illis eſt, ad templum, ad forum, ad alia negotia, ſubinde ad convivia & nuptias, non poteſt fieri, quin videantur.* Sed Rebecca illas docet, *ut ſic exeant, ſic agant cum aliis, tam modeſta, compoſita, tam verecunda, ut inter oculos multorum, ſint tamen, quaſi non viſa, non nota,* (Hæc ſuma laus eſt: eſt locus pro acri invectiva, contra aliquas conjugatas nimium notas, &c.

§. 8. Studium orandi, amorem DEI, ſedulitatem in adminiſtranda familia à S. Cæcilia.

De S. Cæcilia, deſponſata S. Valeriano, in præſentia Sanctorum Angelorum, refert vita; 1. quod continuo ſuſpirarit; *Fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum*: Diſcant conjuges pii, quotidie petere à DEO caſtitatem in matrimonio neceſſariam. 2. quod S. Cæcilia fuerit quaſi apis argumentoſa; ſumma Matris alicujus familias, laus eſt, ſi ſit caſta & diligens apis. 3. Cæcilia non ceſſavit ab oratione, & cor ejus cæleſti ardore continuò exarſit. Gratulor viris, quibus Deus talem largitus eſt conjugem, quæ orationibus magis eſt addicta, quam imprecationibus & maledictis; quæ pluris æſtimat animi puritatem quam impuritatem, quæ pacem magis colit, quàm rixas, amorem quàm furorem, quietem quàm turbas: quæ manſuetudine ovem, non rabie tigridem aut leænam præ ſe fert, quæ præter flamas amoris conjugalis ardet etiam igne amoris erga DEUM. Sed de tali fœmina bene dixit Eccleſiaſticus c. 26. v. 16. *Gratia mulieris ſedula delectabit virum ſuum, & oſſa illius impinguabit, diſciplina illius datum Dei eſt, gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata: ſicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bona ſpecies in ornamentum domus Dei.* Similiter iis gratulor fœminis, quas DEUS ejuſcemodi beavit maritis, qui templa magis frequentant, quàm popinas, qui domeſtica plus tractant negotia, quàm pocula, quibus ſincerus caſtuſque amor plus cordi eſt, quàm vaga inſaniendi libido: qui luſores cane pejus & angue execrati, iis ſe tantum ſociis adjungunt, à quibus virtutis exemplum haurire licet.

Hoc

Digitized by Google

§. 9. *Devotionem erga Paſſionem à Sa. B. Elzeario & Delphina.*

Hoc pii Conjuges diſcant à ſancto Comite Elzeario & Delphina. Suave, dulce, fauſtum, caſtum, fidele, ſanctum inter illos fuit conjugium. Sed ſponſus ſponſæ quid ſcripſerit, audite; *Vivere ſe & morari in dulciſſimo latere JESU Salvatoris.* O breves, ſed aureas litteras! in eodem nidum ſibi fecit caſtiſſima columba, caſtiſſima Delphina. Sic in corde Chriſti, piiſſimi Conjuges invenerunt conjugalem fidem, caſtitatem, imò Virginitatem & mutuum amorem. Hoc hodie ſaudeo conjugatis, ut habitent in Vulneribus Salvatoris: Sponſus Sanguinum, factam inter illos deſponſationem conſervabit, in fide, in caſtitate, & mutua charitate.

§. 10. *Requirit in manib. Conjugũ lilia S. Henrici & Kunigundis.*

Non poſſum non Bambergenſibus proponere Sanctiſſimos Patronos, S. Henricum & S. Kunigundem; In ſuavi, dulci, ſancto connubio, permanſerunt Virgines; ideoque pinguntur cum liliis in manibus. Mei Bambergenſes! qui eſtis in matrimonio! lilia quæro in veſtris hortis: lilia, quibus inſcriptũ ſit hoc lemma: *Mori potius, quam violari parata.* Sic vobis aderit JESUS: inter hæc lilia paſcitur, ſuper hæc lilia requieſcit Spiritus S. Cum illis florebit pax, vigebit unio, amor triumphabit. Radix ex quâ creſcunt hæc lilia, hi flores, hi fructus, Fides eſt & Caſtitas, caſtuſque amor conjugalis.

§. 11. *Conglobatio aliorum exemplorũ, cũ brevi repetitione totius Concionis*

Tacebo ſexcenta alia id generis ſpecula nitida, caſta, ſine labe & macula, deargentata puritate. Nihil enim dicam de S. Edoardo Rege Angliæ, & Edita: nihil de Martiano Imperatore, & Pulceria: nihil de Alphonſo Secundo Rege Caſtellæ & Berta, Sorore Caroli M. nihil de Bodiſlao Rege Bohemiæ, & Kinge filia Regis Hungariæ. Omnes hi & plures alii fuerunt ſanctiſſimi conjuges; ſed diditi orationi, devoti erga Paſſionem Chriſti, habitarunt in ejus vulneribus, fuerunt columbæ cum ſimplicibus oculis, timuerunt Deum cum Suſanna, amarunt caſtitatem cum Juditha, modeſtiam cum Rebecca, ornati liliis, mori prius, quàm violari parati: vixerunt in fide, in caſtitate, in charitate; Ite Conjuges, ſic vivite, &c. & ſub onere veſtro confortabit vos Dominus; benedicet vobis Jeſus; aderit ille vobis cum Matre ſua, & cum illis pax, unio, amor, quies, ſecuritas, omnis denique, à qua felicitas alicujus matrimonii dependet, benedictio.

Digitized by Google

CONCIO VIII.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Domine, ſi vis, potes me mundare, Matth. 8. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CUm brevis hæc oratiuncula ex hodierno Evangelio, *Domine, ſi vis*: perfectiſſimam in ſe contineat reſignationem, & excellentiſſimum actum Amoris DEI; unicum ejus fructum explicat hæc Concio; qui eſt, peculiaris DEI & Chriſti Dn. Protectio, in omnibus periculis, potiſſimum in hora mortis, ſuper illos, qui ſibi familiarem habent hanc oratiunculam, *Domine ſi vis*. Miſcentur affectus pii erga Chriſtum Crucifixum, in gratiam ſodalium Chriſti in Cruce Agonizantis.

§. 1. *Pia deſideria ad Chriſtum D pendentem in Cruce, veluti vite vel Palma. Deſideriis ſatisfacit hac Oratiuncula*, Domine, ſi vis.

§. 2. *Juſtus per uſum hujus Orationis, eſt in manu DEI.*

§. 3. *Variis modis ex S. ſcriptura deſumptis: eſt enim manus DEI ſupportans, confortans, caſtigans, conſervans.*

§. 4. *Applicantur hac Chriſto Crucifixo, & ejus ſodalibus.*

§. 5. *Promiſſio a DEO facta Jacobo, de peculiari protectione. Gen. 46. cap.*

§. 6. *Iterum applicatur Chriſto Dn. & ejus Amatoribus, ſive unitis cum ipſius Voluntate.*

§. 7. *Quare DEUS dixerit ad Abraham Gen. 15.* Ego ero protector tuus. *Sive, quales DEUS ſpecialius protegat.*

§. 8. *Specialem hanc protectionem agnovit David Pſ. 17.*

§. 9. *Omnes homines protegit Deus. Sed ſpecialius illos à quibus diligitur, & qui per reſignationem cum illo ſunt uniti.*

§. 10. *Similiter Chriſtus Dn. omnium eſt Redemptor, & Protector, ſed ſpicialius illorum qui illum amant, &c. Affectuoſa apoſtrophe Chriſti Dn ad ſuos Amatores.*

§. 11. *Reſpõſio animæ piæ ad verba Chriſti.*

§. 12. *Quibus præcipuè utilis ſit mors Chriſti.*

§. 13. *Explicatur pulchra hiſtoria ex Geneſi modus, quo Chriſtus D. nos proteget in hora mortis.*

Dum

Digitized by Google

§. 1. *Pia deſideria ad Chriſtum pendentē in Cruce. veluti vite, vel Palma. Deſideriis ſatisfacit hac Oratiuncula, Domine ſi vis.*

DUm ad præſentem me concionē meditando præpararem, neſcio quo bono omine in duplicem Crucifixi effigiem, quæ utraque forte in meis libris ſparſa jacebat, videndo delapſus ſum. In altera depicta eſt pulcherrima vitis inſtar arboris in latum explicata, cui veluti Cruci affixus eſt Chriſtus Dominus cum hoc lemmate ex ſacris literis Joan. 15. v. 1. *Ego vitis, vos palmites.* In altera Crucifixus ſtat ſuper petram, quam dum Moyſes virga percuſſit, vivus fons ex illa ſcaturiit: in eadem petra pulcherrima Virgo ad pectus Chriſti applicat ſcalas, & per illas aſcendēs in altum ait: *Quis mihi dabit pennas ut columbæ;* nam ex ore Chriſti dependet ſcedula, cum illis verbis ſponſi Cant. 2. v. 14. *Veni amica mea, veni columba mea*: Dum in his picturis pio aſpectu defixus hærerem; ecce tibi, cor meum ſubitis ejuſmodi deſideriis inflammari adverto. O mi JESU! audio ſuaviſſimas tuas voces, ut veniam, ut aſcendam in palmam; & quàm evolarem libenter, collocarem nidum meum in altiſſimis, quàm libenter habitarem in corde tuo! ſed quis dabit mihi ſcalas, ut illas applicem ab benedictum latus tuum? quis dabit mihi clavim, ut aperiam cor tuum? quis tribuet pennas, ut evolem? ſi palmes ſum, quis dabit funem, ut alliger palo Sanctiſſimæ Crucis? Inter hæc deſideria, audivi interiorem vocem Angeli mei Cuſtodis dicentis, *Surge, accipe textum hodierni Evangelii, & lege:* feci, aperui librum, & incidi ſtatim in citatum thema meæ concionis, *Domine, ſi vis.* Vix hæc verba legi, cùm in mentem venit id, quod legeram alias, breviſſimam hanc oratiunculam, qua homo ſe conformat Divinæ Voluntati, eſſe ſcalam qua aſcenditur ad Chriſtum, clavim, qua reſeratur cor ejus, eſſe alas quibus evolamus in altum, & funem quo alligamur ad arborem vitæ. Itaque quamprimum fui conatus dicere ex corde, *Domine, ſi vis*, ſtatim obtuli cor meum divinæ Voluntati; & ſane mihi credite Auditores, viſus mihi fui applicare ſcalas ad cor Chriſti, viſus mihi fui eſſe evolans columba, viſus eſſe inſtructus aurea clave, ut proinde non poſſim non oratiunculam hanc maximi æſtimare. Cùm verò alias egerim de oratiunculæ hujus excellentia atque præſtantia, agam modò de unico ejus fructu, quod ſcilicet Deus Optimus Maximus tales, qui ea frequenter utuntur, ſingulariter protegat, tueatur, atque defendat, in omnibus periculis, & præſertim in morte.

§. 2. *Iuſtus, per uſum hujus Oratiuncula eſt in manu DEI.*

Quiſquis aureo funiculo hujus Oratiunculæ, *Domine, ſi vis*! alligatus eſt atque unitus viti Sanctiſſimæ Crucis, ſive Chriſto Crucifixo, ſive divinæ voluntati, DEO in omnibus ſubditus, corde, cogitationibus, verbis, lingua, opere; non habet profecto quod timeat vel hoſtes, vel tribulationes, vel morbos, vel alias adverſitates, vel mortem denique ipſam pertimeſcat. Nam ut Sapiens ait, Sap. cap. 3. v. 3. *Juſtorum animæ in*

in manu DEI ſunt, non tanget illos tormentum malitiæ (mortis) In manu DEI, id eſt, ſub ejus potentia, ditione, gubernatione, conſervatione, ſive, ut alii legunt, *ſub ejus aſpectu, notitia, gratia, ac ſuaviſſima providentia.* Lorinus addit, *ſub peculiari cura Filii DEI Chriſti Salvatoris*, qui dicitur Manus Patris, ſicut Spiritus S. ejus digitus.

§. 3. *Variis modis ex S. ſcriptura deſumptis Eſt enim Manus Dei ſupportans, confortans, caſtigans conſervans.*

Modi, quibus homo juſtus eſt in manu DEI, ſunt varii. Primo, eſt in manu DEI ſupportantis, quia eſt veluti nutrix noſtra, quæ ſuum infantem geſtat in ulnis. 2. Eſt in manu DEI confortantis, quia eſt noſter auxiliator. 3. In manu DEI caſtigantis, quia DEUS ſimul eſt juſtus Pater, qui filium quem amat, paternè caſtigat. 4. In manu DEI conſervantis, quia eſt ſalvator noſter. Omnium horum hic eſt ſenſus, quod homo juſtus, qui unitus divinæ Voluntati, qui pendet à DEO, eadem veluti catena eidem conjunctus, à peculiari DEI dependeat protectione. Quæ cum ita ſint, quid tali obſecro timendum erit aut formidandum, quem Altiſſimi tegit, fovetque protectio? David ait Pſ. 90. v. 1. *Qui habitat in audjutorio Altisſimi, in protectione, &c.* qui ſuos, velut nutritius infantes geſtat, Oſeæ cap. 11. v. 3. *Et ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos, in brachiis meis*: imò in manibus etiam ſuis ipſos deſcripſit, Iſaiæ cap. 49. v. 16. ut ſemper habeat ante oculos, ne unquam obliviſcatur. Quid igitur, amice mi, de infirmitate tua conquereris? dic, *ſi vis Domine, fiat, & manus Domini confortans* tecum erit, Ezech. c. 3. v. 14. Quid futuram rerum inopiam famemque male præſcius vates ominaris? Dic, *ſi vis Domine fiat*, & DEUS aperiet manum ſuam, & implebit te omni benedictione. Quid hoſtium molimina, quid adverſariorum inſultus pertimeſcis? Dic, *Domine ſi vis; & ſi Dominus pro te, quis contra te?* quid formidas qui cum regio Pſalte canere audacter, omnique depulſo timore potes ex Pſ. 26. v. 1. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo*; ſuper quæ verba egregie ait S. Auguſtin. *Protegitur Imperator à ſcutatis, & non timet: protegitur mortalis mortalibus, & ſecurus eſt, protegitur mortalis ab immortali, & timebit? & trepidabit?* Nihil pulchrius: immortalis eſt, omnipotens eſt, fortiſſimum nomen ejus, qui nos protegit, qui in manibus ſuis nos geſtat, ſub cujus ſcuto deliteſcimus, & quis nobis nocebit? S. Bernardus ſer. 1. in Pſalm. 90. v. 1. *Qui habitat, &c.* ſic ait: *Quid ei nocere poterit eorum, quæ ſub cælo ſunt, quem DEUS cæli protegere & conſervare voluerit.*

§. 4. *Applicatur hæc Chriſto Crucifixo, & ejus ſodalibus.*

Non poſſum non hic, pauciſſimis licet verbis, gratulari meis ſodalibus Agoniæ; hi enim, cum peculiari devotione profiteantur, ſe velle eſſe filios Crucifixi, cum unicum illorum votum ſit, habitare in ſanctiſſimis Vulneribus manuum CHRISTI, cum hæc Vulnera illis ſint ſcuta, ſub quibus proteguntur; cum frequenter & ferventer dicant ſuo Crucifixo,

Do-

Digitized by Google

Domine, ſi vis, etiamſi moriendum ſit, quavis hora, & quocunque modo, qui Chriſto placuerit; Chriſtus Dn. piè cogitur, ut in ſanguineis & vulneratis manibus, quaſi nutrix geſtet illos, ut conſortet eos, ut conſervet eos, præſertim in ſupremo agone contra inſultus dæmonum. In ſanguinea dextra deſcripta ſunt nomina illorum: pergite tantum ſodales amantiſſimi, in his manibus quieſcite, Chriſto veſtro Crucifixo alligate vos millies funiculo aureæ hujus oratiunculæ, *Domine, ſi vis!* ſic voluntas veſtra ſit voluntas DEI; cor veſtrum ſit Cor Crucifixi; non dubitate, eritis in manibus ejus, aperiet illas & implebit vos omni benedictione. Eritis in manu ejus, ut portet vos, ut conſortet, ut conſervet. Nunc ad propoſitum regredior.

§. 5. *Promiſſio à Deo facta Abrahamo de peculiari protectione.*

Geneſis 46. capite v. 2. cum Deus diceret Jacobo, *Deſcende in Ægyptum*, id eſt, relinque patriam tuam, ingredere iter arduum & difficile, his cum verbis fuit conſolatus. *Ego ſum fortiſſimus DEUS Patris tui, noli timere, deſcende in Ægyptum, ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentum.* Jubet Dominus, ut ferociſſimum populum, etiam ſolus & inermis non timeat; ſolùm ob hanc cauſam quod ipſe, fortiſſimus DEUS, cum illo ſit deſcenſurus, fidelis ſocius & comes. *Quo, quid beatius*, (inquit S. Chryſoſtomus hom. 46. in Gen.) *quam DEUM ipſum habere comitem itineris?* Advertite, quàm ſuavis & fortis ſit DEI providentia & protectio erga ſuos. Comitem itineris ſe offert. Periter hoc, nos intelligere poſſumus Viam Sanctæ Crucis, quam ambulare debemus, ſi cœlum velimus ingredi: Sed via hæc eſt ardua, ſtrata ſaxis & ſpinis; neque hoc tantum! inſuper onerantur humeri noſtri jugo Sanctæ crucis: ſic pergite animæ Chriſtianæ, ſic aſcendite in montem Calvariæ, ſic pertranſite Ægyptum hujus mundi, per medios hoſtes, per mille pericula; DEO veſtro eſtote ſubditæ, dicite, *Domine, ſi vis*, cogitate DEUM velle, ut hæc patiamini, & nolite timere, fortiſſimus Deus eſt nobiſcum, Filius DEI ambulat nobiſcum, ipſe ducet & reducet nos.

§. 6. *Iterum applicatur Chriſto & ejus Amatorib. ſive unitu cum ipſius Voluntate.*

Fortaſſis aliqui ex meis Auditoribus, præſertim ſi ſint ſodales Agoniæ, dum audiunt mentionem fieri itineris, cogitant de via mortis, de ingreſſu in longiſſimam æternitatem. Sancta eſt hæc Cogitatio, ex qua ſanctus ſolet oriri timor, & ſalutaris metus atque ſolicitudo. Sed, ut hiſce diebus dixi; date vos frequenti orationi; hoc agite: ut funiculo hujus Orationis, *Domine, ſi vis*, corda veſtra uniatis cum vulnerato corde CHRISTI; illi immolate hoſtiam & victimam veſtræ voluntatis; ſic deſcendite in Ægyptum, obviate morti audacter, nolite timere, ipſe fortiſſimus DEUS, fortiſſimus Filius DEI deſcendet vobiſcum, in hora mortis aderit vobis & fortiſſime pro vobis pugnabit, ut infernalis hoſtis nihil detrimenti inferri poſſit. Eritis abſconditi in manibus ejus, in ſanctiſſimis vul-

vulneribus, ibi deliteſcetis veluti columbæ in cavernis maceriæ, in rimis petræ, quis infernalis vultur vobis ibi nocebit? non morbus, non dolores, non peccatum, non tentationes, non diabolus, non aſſultus mortis. Fortiſſimus Jeſus erit protector noſter. Lorinus ex S. Bern. *Tales nec dolent in exitu, nec horrent in tranſitu; nec pudefiunt in conſpectu Domini; dicere poſſunt cum Pſalte, in te Domine, ſperavi, non confundar in æternum*, Pſ. 70. v. 1.

§. 7. Quare Deus dixerit ad Abrahã: ero Protector tuus: ſive Quales Deus ſpecialius protegat, &c.

In omnibus adverſitatibus dicamus, *Domine ſi vis*, & Dominus proteget nos. Hoc promiſit Abrahamo Gen. 15. v. 1. *Noli timere Abraham: quia ego protector tuus ſum.* Multam habet hoc verbum emphaſim, inquit S. Chryſoſtomus in gloſſa; *Ego ſcilicet, qui à Chaldæis te evocavi, ego, qui te huc duxi, ego, qui te è periculis Ægypti liberavi, &c. Ego protego te. Ego ſcuti vice tibi ero, ego pro te certo: propugnator: ego curam gero: omnia difficilia facilia tibi reddam, ego protegam te.* Quæ verba tam varia, ſi bene expendantur, nulla prorſus ratio timoris eſt illis, qui cum Deo uniti ſunt, qui ſunt in manibus ejus, qui idem ſunt cum Deo, cum viciſſim omnia illis ſit Deus, per omnia & in omnibus juxta eorum neceſſitatem illis aſſimilatur, & in eorum transformatur utilitatem & conſolationem. Nam ſi imbecilles ſunt, Deus illis eſt fortitudo: ſi perſecutiones patiuntur, ut nulla ſuperſit ſalus, Deus illis ſit petra & locus refugii: in ſummis periculis Deum habent liberatorem. Si jacula inimicorum urgent, Deum habent pro ſcuto; & ſi neceſſe ſit, ut ipſi hoſtem aggrediantur, DEUS eſt robur, eſt auxilium, & fortitudo.

§. 8. Specialẽ hanc protectionem agnovit David Pſal. 17. 1.

Agnovit hoc David, cùm è tot periculis ereptus, peculiarem Dei curam tã variis encomiis deprædicavit Pſalmo 17. v. 1. *Diligam te Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, ac liberator meus, protector meus & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus.* Perpende hæc nomina, ac Sanctorum perſpicies ſecuritatem in tribulationibus. Vires deficiunt? dic, *ſi vis*, & adeſt Deus fortitudo. Neceſſaria eſt fuga? dic, *Domine, ſi vis*, & adeſt Deus *refugium*; vel ut Lxx. legunt, *Petra eſt Deus & arx tutiſſima.* Pericula incumbunt? dic tu, *Domine, ſi vis*, & adeſt Deus liberator. Timentur futura? dic, *Domine, ſi vis*, & adeſt Deus Cuſtos. Neceſſe eſt præliari? dic, *Domine, ſi vis*, adeſt Deus ſcutum & cornu ſalutis: Si incidant manus inimicorum, tamen adeſt Deus ſuſceptor, ab illis eos ſalvans, eripiens victoreſque reddens, quod proprium eſt munus ſuſceptoris. Nam ſuſceptor ille eſt, qui rem de qua certatur, ad ſe manu injecta rapit, & tanquam ſuam, & ad ſe pertinentem tuetur. Unde cum admiratione dixit David, *Tu Domine*, non ſolum fortitudo mea fuiſti, cum vires deficerent, non ſolùm in fuga mihi fuiſti locus refugii, non ſolum ante prælium mihi animos ad pugnandum generoſos addidiſti: ſed in medio armatorum &, inimicorum jam conſiſtentem, cum veluti pila quædam inter manus hoſtium

ſtium jactarer, tu me veluti tuum, tua forti manu arripuiſti, & eripuiſti; ideo diligam te; Ideo pſallam tibi, ideo æternas nomini tuo laudes cantabo, ideo toti mundo faciam innoteſcere, quam bonum mihi ſit, adhærere tibi, Deus meus! ideo anchoram ſpei meæ, fiduciæ meæ, vitæ & fortunæ meæ conſtitui, ideo non timebo mala, quoniam tu à dexteris meis, ne commovear in æternum. Denique ideo dicam millies, *Domine, ſi vis.* Deus meus volui & legem tuam, voluntatem tuam in medio cordis mei. Quid pulchrius de Dei erga nos protectione dici poteſt, ſi dicamus & nos, *Domine, ſi vis*!

§. 9. *Omnes homines protegit Deus, ſed ſpecialius illos, à quibus diligitur & qui per reſignationem cũ illo ſunt uniti*

Jam verò notanda eſt valde & allata ex citato verſu vocula, *Ego protector tuus ſum*, ſcilicet, *tuus* quomodo? protector Abrahæ tantum, an non omnium? Imo omnium protector eſt, ſed ſpecialius Abrahami, ut qui ſpecialius DEUM amabat, diligebat, colebat, & quaſi unus erat cum DEO, per perfectiſſimam in manus ſive voluntatem DEI reſignationem. Hic fuit ſenſus, & mens S. Auguſtini ſuper Pſalm. 55. v. 10. *Ecce ego cognovi, quod DEUS meus es tu.* Ubi ſic ait: *Omnium quidem DEUS eſt, ſed eorum præcipuè DEUS dicitur, qui illum poſſident, qui illum colunt, &c.* Div. Chryſoſtomus in epiſt. ad Gal. *Quamvis totius orbis ſit Dominus, ſed peculiare hoc eſt amori, ut ſpecialius ſit Dominus eorum, à quibus diligitur.* Quidni ego in præſenti materia addam; illorum, qui volunt, quod vult DEUS; quorum voluntas una eſt cum voluntate DEI, illorum qui glutine hujus orationis, *Domine, ſi vis*, in omnibus adhærent DEO ſuo. Tales DEUM tenent, & poſſident. Talium DEUS ſpecialius eſt Protector, hos protegit, horum cauſas in ſe ſuſcipit, horum negotia tractat, horum pericula eludit, horum certamina coronat.

§. 10. *Similiter Chr. ſtus D. omniũ eſt Redemptor & Protector; ſed ſpecialius illorum, qui illum amant, &c. Affectuoſa Apoſtrophe Chriſti D. ad ſuos amatores.*

Non poſſum, quin hic turſum paucis verbis gratuler Amatoribus Chriſti Crucifixi; omnium eſt Redemptor & Salvator, pro omnibus pretioſum effudit ſanguinem, ſed diligentibus ſe ſpecialius ait, *Nolite timere*, ego, qui propter vos factus ſum homo, ego qui pro vobis paſſus ſum, &c. etiam protego vos, ego me ſcutum ſuppedito, ego pro vobis certabo propugnator, ego curam veſtri gero, ego vos vulneribus, imo pectori & cordi meo incluſi. Cum in ſupremo agone eritis imbecilles, ero ego veſtra fortitudo. Cum fugere voletis à facie irati Patris mei, & Divinæ Juſtitiæ, ego vobis ero refugium, mea vulnera vobis erunt arx munitiſſima: Cum in ultima lucta vos urgebunt ignita jacula hoſtium, me habebitis pro clypeo, cum pugnabitis cum leone rugiente, ero robur veſtrum, & auxilium, & fortitudo, ego fortiſſimus Jeſus! Talia Chriſtus ait.

§. 11. *Reſponſio animæ piæ ad verba Chriſti.*

Si, ut par eſt, reſpondere volumus, quivis dicat cum Davide: Diligam te mi JESU Crucifixe, diligam te fortitudo mea, diligam te refugium meum. In te ſumma votorum meorum, in te totius ſpei

mææ ratio. Frendeant poſthac, vel olim in agone meo conjurati hoſtium meorum exercitus, *Domine, ſi vis*! tu meum robur. Inſurgant immanes tentationum procellæ, *Domine, ſi vis*! ſed tu mihi portus. Perſequatur me, atque exagitet metus mortis, *Domine quando vis*! tu meum refugium, Tecum ſtat vivere & mori: ſub tuo paternæ protectionis ſcuto, in vita & morte tutus ero. Veniet hora, quâ pro anima mea certabit diabolus, hora, qua accuſator coram Judice dicet, *mea eſt hæc anima.* Sed non timeo, aderit enim mihi Suſceptor meus Jeſus Crucifixus, hic ſanguineas extendet manus, his arripiet animam meam, & dicet, *Mea eſt, ego creavi, ego ſanguine redemi.* Ipſe tuebitur me, & hoſtium retundet impetum, violentiamque infringet, Jeſus fortiſſimus Salvator meus.

§ 12. *Quibus præcipuè utilis ſit mors Chriſti D.*

Ingenti ſolatio hæc audiunt, qui ſoliciti ſunt de ſancta morte, ſed cupio ut advertant Chriſtum Dominum non cuivis dicere, *Protector tuus ſum.* Quomodo? ergo non omnes amat Chriſtus, quos redemit: an non omnium eſt Salvator? Ita quidem, ſed ſpecialius amat diligentes ſe, illos inquam, qui tenent illum, qui poſſident illum, qui colunt illum, qui volunt quod ipſe vult, qui botri vel palmites ſunt in vite & palma ſanctiſſimæ Crucis, per Dei gratiam, per ejus amorem, per perfectam reſignationem. Pro omnibus Chriſtus Dn. mortuus eſt, ſed hoc proprium eſt amori, illi amori, quo illum diligimus ex toto corde, ex tota anima, ut Chriſtum eundem faciat ſpecialius noſtrum Protectorem. Agnovit hoc S. Paulus, cum dixit ad Gal. 2. v. 20 *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Quid dicis* (ait citatus S. Chryſoſtomus) *ô beatiſſime Paule? paulò ante dicebas, qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; & nunc dicis, qui dilexit me, & proprium uſurpas commune beneficium? Profectò reſpondet, nam licet pro omni hominum genere ſacrificium oblatum ſit, tamen propter amorem in eum, id quod factum eſt omnibus, proprium mihi facio.* Hæc ego hodie exigo à meis Auditoribus, ut ament Chriſtum Salvatorem, qui tantum nos dilexit: ut noſtras voluntates illi integrè offeramus, ut dicamus ex corde, *Domine, ſi vis*, quando vis, quomodo vis, quæ vis, volo & ego. Hoc amore, hac unione tenemus & poſſidemus Chriſtum, hæc oratiuncula uncus eſt, quo illum apprehendimus & ille nos, hic amor, hæc unio, hæc oratiuncula media ſunt quibus nobis Chriſtum Dn. ejus mortem; vulnera, ſanguinem, & infinitum meritorum ejus theſaurum proprium facimus, & vim inferimus, ut in omnibus periculis, & præſertim in morte nos tueatur, atq; defendat.

§. 13. *Explicatur pulcra hiſtoria ex Geneſi mod° quo Chriſtus D. nos proteget in hora mortis.*

Diligentibus hoc modo Chriſtum, ſic orantibus continget olim in agone, quod accidit Loth, Gen. 19. cap. v. 10. nam, concives ejus vim faciebant Loth vehementiſſimè, jamque prope erant, ut effringerent fores. In his anguſtiis, *Ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe Loth, clauſeruntque oſtium.* Hæc fient in noſtro agone: circumſiſtent fores animæ

noſtræ

Digitized by Google

noſtræ teterrimi Cacodæmones, parabunt inferre vim, machinabuntur violentiam, irruent qua data porta, ſtabunt diductis rictibus ut leones in prædam intenti, ſed nolite timere, Vir fortiſſimus, fortiſſimus Salvator noſter mittet manum ſuam, extendet brachia, apprehendet nos, & introducet ad ſe, in ſua ſanctiſſima Vulnera, in benedictum cor ſuum, & claudet oſtium, & quis tum obſecro nocere, quis hoſtium incommodi quicquam inferre poterit? an dæmon? non. An Mors? non. An infernus, non. an timor æternitatis in gehenna? non. An peccata præterita, ſed lacrymis deleta? non. In arce munitiſſima clauſi Cordis Chriſti erimus tutiſſimi. Itaque mi JESU, renovo mei in te amoris pactum, renovo animi mei vota, repeto ſuſpiria, JESU diligam te, &c. tibi eſſe unitus cupio, dum vivo, dum morior. *Domine ſi vis*, tuus ſum totus, tibi ad hærere bonum, tuæ alligatum eſſe ſanctiſſimæ voluntati, in proſperis & adverſis: in vita & morte, meum eſt deſiderium! *Domine, ſi vis.*

CONCIO IX.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Ecce motus magnus factus eſt in mari, Matth. 8. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX metaphora tempeſtatis maritimæ, cujus in Evangelio mentio fit, docemur in tribulationibus non deſperandum, ſed fidendum DEO. Dormire ſubinde videtur Chriſtus, ſed evigilat, hora opportuna & nobis utili, ſæpe, cum omnis humana ſpes periit: dummodo confugiamus ad ipſum per preces, & ferventem orationem, cum fiducia.

§. 1. *Ut Deus, ſic Chriſtus Dn. in mari ſuam oſtendit omnipotentiam: ipſi fidamus, & in periculis ad ipſum confugiamus.*

§. 2. *Cauſa ob quas DEUS non ſtatim ſuccurrit: ſuccurit tamen: & proinde nunquam eſt deſperandum.*

§. 3. *Con-*

§. 3. *Confirmatur hæc veritas, ex liberatione populi ex Ægypto.*

§. 4. *Quomodo Chriſtus D. dormiat, non ſtatim ſuccurrendo; mox tamen adſit, oſtendit in ſuſcitatione Lazari, & nuptiis in Cana Galilææ.*

§. 5 *Succurrit Chriſtus Dominus cum periit humana ſpes, quod magnam fiduciam in nobis debet excitare, ut in Davide.*

§. 6. *Juſtus, qui ſperat in Domino, inſtar montis, non commovebitur.*

§. 7. *Spes in DEO, eſt fortis catena, qua eripimur ex periculis.*

§. 8. *Utile nobis eſt, quod DEUS non ſtatim ſuccurrat: probatur ex c. 1. Abacuc.*

§. 10. *Quod ſimilitudine declaratur.*

§. 11. *Idem ſimile alio modo proponitur.*

§. 12. *Dormit & vigilat Chriſtus Dominus.*

§. 13. *Tractat & diſponit ſuos cùm magna reverentia.*

§. 14. *Pia querela erga Chriſtum Dn. dormientem.*

§. 15. *Interim dum navicula jactatur, dum ſumus in tribulatione; orandum nobis eſt, exemplo S. Petri & Davidis.*

§. 16. *Proſecutio; cum digreſſione ad Crucifixum.*

§. 17. *Item exemplo Ezechiæ, Joſaphati & Eſtheris.*

§. 1. *Ut Deus, ſic Chriſtus Dn. in mari ſuam oſtendit omnipotentiam, ut ipſi ſidamus, & in periculis ad ipſum confugiamus.*

VIdemus in hodierno Evangelio, bene quondam dixiſſe Davidem Pſalm. 106. v. 23. *Qui deſcendunt mare in navibus, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.* In mari enim DEUS oſtendit ſuam omnipotentiam, juxta illud, quod D. Jacobus Apoſtolus oratione ſecunda, in ſua liturgia, pronuntiavit, *DEUS cujus gloriam cœli enarrant, terra ejus dominationem, Mare autem ejus omnipotentiam.* Nunquid mirabilia viderunt in mari Iſraelitæ, quando Exodi c. 14. v. 17. Deus per mare rubrũ illis aperuit viam, ut ſicco pede tranſirent; *ut*, Pſ. 105. v. 8. *notam faceret potentiam ſuam, & increpuit mare rubrum, & exſiccatum eſt: & deduxit eos in abyſſis*: quod miraculũ Moyſes, qui interfuit, ita decantavit c. 15. v. 6. *Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine.* In quo? *In ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt abyſſi in medio maris.* Nunquid mirabilia viderunt in mari Ægyptii cum Pharaone, cum iiſdem undis mox in profundo maris, viderunt ſe fluctibus obrui? quo miraculo adeo fuerunt territi vicini populi, ut dicat textus, ibid. 14. 15. *dolores obtinuerunt habitatores Philiſtiim, hinc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor*, & quadraginta annis poſt dixit Raab Joſue c. 2. v. 10. exploratoribus; *Audivimus quod Dominus ſiccaverit aquas, &c.* (vide ibi pulchra) Sed latiſſimum ingredior fretum, contraho vela. Nunquid in hodierno Evangelio in mari mirabilia viderunt Apoſtoli; compellit illos Chriſtus Dn. in naviculam, pergunt in altum, dormit Chriſtus, *& ecce motus magnus:* in extremo periculo Magiſter evigilat, imperat mari, *& facta eſt tranquillitas magna*, ut textus loquitur Eccleſiaſtici 43 v. 25. *In ſermone ejus ſiluit ventus, & in cogitatione ſua placavit abyſſos.* Chriſtus Dn. hoc miraculo

raculo ſuam oſtendit omnipotentiam, 1. Ut in ſummis quaſi afflictionum procellis, animum non eſſe demittendum ſciamus, ſed erigendum, collocandumque ſolidiſſima in petra, Chriſto: Succurrit tandē, tandē in opem noſtram evigilat, qui ad tempus nobis dormitare videbatur, Salvator, 2. ut confugiamus ad Chriſtum, quoties atra cervicibus noſtris nubes aut tempeſtas incumbit; confugiamus inquam ad Chriſtum, velut ſacram anchoram, tutiſſimumque portum, per preces, ſuſpiria, variarumque virtutum affectus. Vos pro more veſtro tantiſper dicentem benevolo veſtro favore proſequamini.

§. 2. *Cauſa ob quas Deus non ſtatim ſuccurrit, ſuccurrit tamen & proinde nunquam eſt deſperandum.*

Etſi contingat ſubinde naviculam noſtram impugnari à ventis, etſi cœlum tegatur denſis nubibus, etſi tonet & fulminet, etſi deorſum æſtuet mare, ut olla fervens, (hæc eſt metaphora hodierni Evangelii; cujus hic exiſtit ſenſus) etſi videamus nos periculis, undique circum cinctos, in mediis conſtitutos tribulationibus, non tamen deſperemus: cùm nullum in terris videtur ſupereſſe remedium, non ſimus ſoliciti, *Dominus enim prope eſt*, ait Apoſtolus ad Philippenſes, c. 4. v. 5. qui nos videt, promptiſſimus ut manum porrigat, ut tempeſtatem ſedet, expeditiſſimus; cùm illi placuerit. Quod ſubinde nos, tribulatione preſſos videatur deſerere, quod videatur dormire; *hoc*, ait S. Auguſtinus, *neceſſarium eſt, ut noſtra deprimatur ſuperbia, ut purgemur; ut mortificetur petulantia, ut DEI in nobis excitetur memoria, ut ardentius oremus, ut Domino fidamus, ut noſtram in gloria augeamus coronam*, verbo, expedit nobis tribulatio, ſaltem ad tempus; cum remedii & auxilii adeſt hora, quam Deus ſtatuit, eò tum majori accurrit diligentia, quo mora nobis fuit viſa diuturnior; In eductione populi ex Ægypto, per Moyſen, clariſſime id videbimus.

§. 3. *Confirmatur hac veritas, in liberatione Populi ex Ægypto.*

Premebatur indies populus magis in miſerabili ſervitute, creſcebat afflictio, augebantur labores & ideo ardenter clamabat ad Dominum. Diſtulit tamen Dominus auxilium, non per aliquot dies, non per unam alteramve hebdomadem, non per menſes aliquot, ſed per annos complures. Et hoc populo fuit utile, hoc idem deinde DEO, cum ſuccurrit, fuit glorioſius: indies populus clamavit magis ad Dominum & ferventius, tacuit tamen, quia nondum erat tempus auxilii. Quamprimum illud adfuit, apparens Moyſi in rubo ait, Exodi 3. v. 7. *Audivi clamorem populi mei, & deſcendi, ut liberem eum*; quod deinde etiam dixit per Iſaiam cap. 49. v. 36. *Prope feci juſtitiam meam, non elongabitur, & ſalus mea non morabitur*, ſcilicet, cum illi placuerit, & nobis id fuerit utile. Hæc doctrina ita confortavit cor Davidis, ut in mediis afflictionibus auſus fuerit dicere Pſalm. 54. v. 23. *Jacta ſuper Dominum curam tuam; Non dabit in æternum fluctuationem juſto.* Super quæ verba ait Sanct. Auguſtin. *Soliciti in tribulatione*; dicamus juxta metaphoram hodierni Evangelii, ſoliciti, in tēpeſtate poſiti, verba ſunt

iſta. *Orat multa patiens, de malo liberari deſiderans.* Nunquam David fuit ardentior in precibus, quàm in magnis periculis, & ſemper axaudivit illum Dominus, ſemper illi ſuccurrit; non tamen ſtatim, ſed cum Domino placuit evigilare. Davidi bonum fuit ad tempus tribulari, & quia hoc ſcivit, nulla in illo fuit fluctuatio.

§. 4. *Quomodo Chriſtus D. dormiat, non ſtatim ſuccurrendo; & deinde tamen adſit, oſtendit in ſuſcitatione Lazari & nuptiis in Cana Galilææ.*

Ideo etſi mare turbatum ſit, etſi omnia humana videantur deſperatiſſima, non tamen ſpem aut fiduciam oportet abjicere, ſolet enim tum Deus vel maximè ſuccurrere: diu diſſimulat, ut eò fortius ſperemus. Non rarò hoc fecit Chriſtus D. dum viveret in terris. Cum Joannis cap. 11. v. 43. Magdalena & Martha illi ſignificarunt lethalem morbum Lazari, ſpe plenæ, advolaturum confeſtim Salvatorem; manſit tamen Chriſtus Dn. eodem loco apud fluvium Jordanem duobus diebus, moritur interim Lazarus, infertur ſepulcro, per quatuor dies conqueſcit in tumulo; ſpem omnem depoſuerunt ſorores de vita fratris: & ecce adeſt Chriſtus D. & ingenti miraculo illum reſuſcitat à mortuis, cum ingenti gaudio ſororum & circumſtantis populi, de quo pulcrè S. Petrus Chryſologus, ſer. 63. *Vide quemadmodum dat locum morti, licentiam dat ſepulchro, corruptioni, poſſe permittit, negat nil putredini, nil fœtori: atq; agit, ut ſpes tota humana pereat, & tota vis humana deſperationis accedat, quatenus quod facturus eſt, divinum ſit, non humanum.* In rebus deſperatiſſimis ſubvenire, ſoli DEO & Chriſto Dn. eſt proprium. Emanet diu, tandem adeſt. In nuptiis in Cana Galilææ, deficiente vino, in neceſſitate, etiam Matre rogante, non ſuccurrit, niſi cum humana ſpes penitus defeciſſet.

§. 5. *Succurrit Chriſtus D. cum periit humana ſpes. Quod magnam fiduciam in nobis debet excitare, ut in Davide.*

Quis ſperaſſet hominem, triginta & octo annos habentem in infirmitate ſua, Joannis cap. 5. tandem ſanandum, cùm minimè cogitaret, cum tota humana ſpes periiſſet. Tranſit illac Jeſus Salvator, & quam primum audit illum dicentem v. 7. *Hominem non habeo*, q. d. nulla ſpes in humano ſubſidio mihi eſt reliqua; ita commotus fuit animo, ut miſero ſtatim ſuccurrerit, illumque priſtinæ reſtituerit ſanitati. S. Chryſoſtomus, ſcilicet, *Cum humana omnem ſpem negant, tum divina diſpenſatio clarè fulget.* Navicula in hodierno Evangelio jam operiebatur fluctibus; tum Dominus evigilavit in auxilium, ideo S. Ambroſius ait, in verba illa Davidis Pſalm. 118. v. 41. *in verba tua ſuperſperavi. Juſtus ſemper ſperat, & frequentibus afflictus ærumnis deſperare non novit, ſed quò graviora tulerit, magis ſperat, & ſperando ſumit profectum*: quod meo judicio eſt, ſuperſperare. Proinde beatus eſt ille homo qui ſe totum Deo committit. Etſi enim mare turbetur, etſi inſurgant tentationum procellæ, etſi animam ipſius verberent malorum fluctus, etſi ventorum turbines ſuas in illum ſpumas iramque evomant, nihil illi detrimenti afferent, nihil ejus turbabunt conſtantiam, nihil labefactabunt fortitudinem, quia Ambroſio teſte juſtus deſperare non novit. Sed

Digitized by Google

Sed quo graviora tulerit, eò magis ſperat, & ſperandi ſumit profectum.

§. 6. *Juſtus, qui ſperat in Domino non commovebitur.* Nam, ut regius Pſaltes ait Pſ. 123. v. 1. *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion.* Quæ verba ſic explicat S. Hieronymus, *Montem dixit ſpem, in Deum immutabilem. Quemadmodum enim, ſi quis innumerabiles adhibeat machinas, montem nec convellere, nec labefactare poterit, ita etiam, qui eum aggreditur, qui ſpem in Deum collocavit, revertitur domum vacuis manibus. Monte enim longè eſt tutior, ſpes in Deum.*

§. 7. *Spes in Deo, eſt fortis catena, qua eripimur ex periculis.* Spe & fiducia in Deum homo ſervatur; eſt enim illa, quaſi aurea & firma catena, qua de cœlo protenſa ſubducimus animas noſtras, ex omni periculo: quæ brevi ſurſum in illud ſummum faſtigium retracta & reducta, eum, qui ipſam fortiter manibus ſervat, evehit, & ſupra præſentis vitæ fluctus extollit, extra omne periculum. Res hæc videtur in ſimili declarari: cũ quis de navi in mare præceps devolvitur, ſocii projiciunt funem, quo mediante delapſus è periculo liberatur. Ita planè Deus ſuis in tempore adeſt amicis. Permittit ſubinde eos in amaras tribulationum aquas delabi; permittit eos in ſalſa maris flumina devolvi præcipites; permittit etiam aliquamdiu eos à fluctibus jactari, mergique, at non demergi: erit, cum manum extendet benignam, erit, cum funem dejiciet favoris ſui, gratiæq; erit, cũ tentationũ procellis nos vel minimè cogitantes educet, ſi modo conſtanti in illum ſpe atq; fiducia feramur.

§. 8. *Nihilominus* Moratur quidem ſubinde Dn. donec ſuccurrat, quia necdum id nobis expedire perſpicit, quia animadvertit, bonum eſſe, nos ad tempus in naviculа jactari, ut noſtro cùm majori emolumento deinceps eripiamur. Quamprimum tempus adeſt opportunum, ut loquitur S. Scriptura, ſuccurrit. *eſt, quod Deus non ſtatim ſuccurrat probatur ex c. 1. Abacuc.* In extremis anguſtiis & calamitatibus populi, ob continuum incurſum inimicorum, Propheta Abacuc confugit ad Dominum, & ſemel, bis & amplius à DEO petivit auxilium. Sed Dominus tacuit, non reſpondit, non ſuccurrit, ut tandem anxius Propheta in has querelas eruperit, c. 1. v. 1. *Uſquequo Dne. clamabo & nõ exaudies: Vociferabor ad te vim patiens, & non ſalvabis.* quaſi diceret, Domine, nunquid tu es, qui nobis promiſiſti defenſionem contra mortem? Nunquid tu non à principio Domine Deus meus, Sancte meus, & non moriemur? Silente Domino iterum ait; *ſuper cuſtodiam meam ſtabo, & contemplabor, ut videam quid dicatur mihi.* Tandem elapſo multo tempore ait Propheta; c. 2. v. 1. *Reſpondit mihi Dominus, & dixit mihi, ſcribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, ut percurrat, qui legerit eum*: quaſi diceret, Dominus vult, omnes audire, ſcire, legere, intelligere, quid mihi reſponderit, ſcilicet, quod licet videatur procul à nobis abeſſe DEUS, ut ſuccurrat, adeſſe tamen ſtatim, cum nobis id erit expediens. Verba reſponſi hæc fuerunt ibid. *Adhuc viſus procul apparebit in finẽ. Si moram fecerit, expecta eũ, quia veniens veniet, & non tardabit.*

§. 9. *Succurrit Deus, cũ nobis id eſt utile.* Frequenter hoc nobis contingit, in adverſitate aliqua DEUM invocamus ſemel, bis, tertio, atque iterum

iterum, iterumque, videtur tamen Deus, quaſi procul à nobis abſens verſaretur. Videtur dormire, dum nos graviſſima jactamur tempeſtate. Ideo erumpunt triſtia ſuſpiria & gemitus, *Uſquequo Domine?* Sed expecta, *apparebit in finem*, vel ut alii legunt, *in bonum*. Nam in Philoſophia, finis & bonum convertuntur. Quamprimum conducet ſaluti noſtræ, *veniens veniet*, hoc eſt, certiſſimè, vel cum magna celeritate. S. Auguſtinus, *Non tardabit ad utilitatem, licet tardaverit ad tuum deſiderium.* Quamprimum tibi fuerit expediens habebis illum adjutorem. Expecta tantum cum magna fiducia.

§. 10. *Quod ſimilitudine declaratur.* Similitudo quædam rem hanc aptè declarat. Medicus ægro ait; Cras afferam potionem ſalutarem; ſed hora, quæ Medico videtur opportuna, & expediens ad effectum medicinæ. Anhelat interim æger ad illam horam, toto tempore intermedio, nocte, mane, ſingulis momentis Medicus ægro videtur tardare, morari, trahere moras. Et tardat, & moratur, ad ægri deſiderium, ſed non ad ejus utilitatem. Poſt paroxiſmum febris tempore & hora opportuna adeſt Medicus, & infirmo affert auxilium. Altiſſima in hoc ſimili latet doctrina. Quoties in afflictione recurrimus ad DEUM, oramus, clamamus, obſecramus, & quia non ſtatim ſuccurrit, videtur tardare, ſic eſt, quoad vota, & ſuſpiria noſtra. Sed confide, apparebit in finem, in bonum, quamprimum aderit hora, quàm Cœleſtis Medicus ſcit eſſe oportunam ut ſanet.

Alii aliter & hoc fere modo ſimile iſtud proponunt; Eſt qui febri æſtuat maligna infirmus; hic refrigerium quærit, rogat hauſtum vini vel aquæ, de ſiti identidem conqueritur. Adeſt Medicus, & percipit infirmi preces, intelligit ejus ſuſpiria, ſed ea necdum impleri imperat, jubet differri hauſtum. Nimirum non eſt ignarus peritus artis ſuæ Doctor, obeſſe propinatum eo tempore hauſtũ, at verò, poſtquam paroxiſmi æſtum tranſiiſſe comperit, mox afferri jubet, profuturum infirmo potum. Ita Deus noſtris non illico precibus ſubſcribit, jacemus lecto affixi, febriles nos calores perturbant, aliæ urunt tribulationes, itaque optamus refrigeria: adeſt ſupremus mundi Archiater Deus, videt necdum adeſſe tempus refocillandi, differt itaque, ſed dum differt, animæ noſtræ valetudini, quàm optimè conſultum cupit. Speremus tandem, vigilem & peritum habemus Medicum. Oculi ejus dormire videntur, ſed cor & amor ejus vigilant.

§. 11. *Idem ſimile, alio modo proponitur.*

§. 12. *Dormit & vigilat Chriſtus Dn.* Apoc. 5. v. 6. ait S. Joannes. *Vidi Agnum ſedentem in throno, tanquam occiſum.* Mirabilis loquendi modus, ſedet ille Agnus in throno, ut Rex Regum, & Gubernator orbis, & qua ratione dicitur mortuus, & proinde cæcus? nunquid vivus eſſe debet urbis alicujus Conſul & lucidis atque apertis præditus oculis? Sic eſt; & talis eſt ille Agnus, unde ſubdit Evangeliſta ibidem, *ſeptem oculi*, nimirum Agni, *qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, qui diſcurrunt ſuper omnem terram.* Nobis tamen videtur ſubinde dormire, dum non ſuccurrit. Fallor,

lor, niſi eadem fuit hæc mens Davidis, cum dixit, Pſal. 43. v. 23. *Exurge, quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finem: quare faciem tuam avertis, obliviſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ.* Fallor, niſi illius opinionis fuit Job cùm dixit c. 30. v. 14. *Quaſi rupto muro, & aperta janua irruerunt ſuper me omnes adverſitates.* Sed talia dixerunt viri ſancti, cum ſe, ſua deſideria, ſuaſque reſpicerent afflictiones, non verò ita, cum oculos elevaverunt ad DEUM ſuum, cujus auxiliũ expectarunt ab alto, cùm certa ſpe & fiducia, in hora oportuna, in finem, in bonum noſtrum, DEUM non defuturum. In tali occaſione, quivis afflictus, miſer, inops, calamitoſus, in tempeſtate aliqua comprehenſus dicere debet, ex cap. 12. v. 18. Sapientiæ. *Tu autem dominator virtutis, Domine, cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis.* Hic advertite pulcram obſervationem S. Aug. hoc loco.

§. 13. *Tractat & diſponit ſuos cum magna reverentia.* Potuiſſet Deus, cum punire voluit Pharaonem & Ægyptios, illos delere à facie terræ; immittendo leones, tigrides, dracones, vel aliquos Angelos, qui unica nocte potuiſſent omnes interficere; ſed proceſſit Dominus tardè, & pedetentim, miſit ranas, muſcas, locuſtas, mures, ſic illis dedit locum pœnitentiæ. Sap. 12 v. 19. quod miratus S. Aug. ait: *Si Deus Ægyptios, hoſtes ſuos, reos mortis, rebelles, obſtinatos, caſtigans tam lentè proceſſit, quanta attentione perpendet adverſitates, quibus filios caſtigat. Si inimicos cum tanta cruciavit attentione, cum quanta diligentia judicabit filios.* Itaque ſperemus, confidamus, aderit nobis in tempore oportuno. In graviſſimis tempeſtatibus evigilabit, cum id nobis erit utile.

§. 14. *Pia querela erga Chriſt. D. dormientem.* In illis ſubinde anguſtiis hæret homo juſtus, ut Chriſto D. audeat proponere affectuoſam querelam, quam Ægyptii protulerunt coram Joſepho cum morerentur fame Gen. 47. v. 15. *Cur moriemur te vidente.* Sic ſubinde gemimus, ah Salvator optime! vides nos innumeris premi anguſtiis. vides fluctus, & hæc patimur te vidente? Nunquid Agnus es? mitiſſimus? lucidiſſimos habens oculos? ergo vides noſtras miſerias, & dormis? & non ſuccurris? *Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine?* Pſal. 88. v. 5. ſic gemunt imperfecti, & qui rudes adhuc ſunt, in Gymnaſio Patientiæ, in quo certum eſt axioma; Utile nobis eſſe, expedire ad ſalutem, ut ad tempus patiamur. Sed ſperemus, Deus mox aderit, videt & noſtras miſerias, videt id eſſe in bonum noſtrum, videt præterea tempus oportunũ, quo in bonum noſtrum erit, ſi ſuccurrat.

§. 15. *Interim dum navicula jactatur, dum ſumus in tribulatione, orandum nobis eſt, exemplo S. Petri & Davidis.* Interim nos bene ſperemus, & ardenter oremus. Matth. 14 v. 28. dum Petrus gradiens ſuper fluctus, videt ſe mergi, clamavit ad Dominum, & Dominus illi porrexit auxiliarem manum. Quoties David ſe vidit hoſtibus & tribulationibus circum vallatum in decumanis fluctibus, tenerrimis verbis confugit ad Dominum, v. g. Pſal. 31. v. 7. *Tu es refugium meum à tribulatione mea, quæ circumdedit me: erue me à circumdantibus me,* & ſtatim ait illi Dominus, *firmabo ſuper te oculos meos* ad protegendum, ad-

ſuccurrendum. Ipſe verò poſt ardentes has preces ait: Pſ. 45. v. 3. *Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* quaſi diceret: licet ſubſiliat terra; licet moveantur montes, licet ſonent & turbentur aquæ, non timebo. S. Hieronymus legit, *ſonantibus & intumeſcentibus gurgitibus ejus, & agitatis montibus in potentia ejus*, tamen non timebo, ſed ſperabo, ſed clamabo. v. 12. *Exaudi Deus orationem meam! Dominus virtutum nobiſcum, adjutor in tribulationibus.*

§ 16. *Proſecutio cum digreſſ. ad Crucifixum.*

Pſal. 141. ait, v. 3. *Effundo* (nimirum in periculis) *in conſpectu ejus orationem meam, & tribulationē meam ante ipſum pronuntio.* Hoc faciamus & nos cum tribulatio nos premit, cum jactatur navicula noſtra, in conſpectu ejus, v. g. coram aliquo Crucifixo, effundamus preces noſtras, pronuntiemus ante ipſius ſanctiſſima Vulnera tribulationem noſtram: exponamus ei, quæ nos potiſſimum premat calamitas, qui omnium maxime dolores affligant, quibus periculoſiſſimis jactemur procellis, &c. proderit, hæc illi narraſſe, ſed cum humilitate; proderit, ſuas huic Medico infirmitates expoſuiſſ, ſed cum reſignatione: proderit pias, ante Chriſti Vulnera, preces effudiſſe, ſed cum devotione.

§. 17. *Item: exemplo Ezechiæ, Joſaphati & Eſtheri.*

Hoc medio uſus fuit Ezechias l. 4. Reg. c. 19. v. 2. 3. cùm obrueretur à militibus Sennacherib, ut gemeret: *dies tribulationis & anguſtiæ, aſcendit domum Domini, ut oraret in conſpectu ejus.* De piiſſimo Rege Joſaphato dicitur, quod cum audiret appropinquare hoſtem, timore magno perterritus, *totum ſe contulerit ad rogandum Dominum*, inter alia dixit, *Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui; ut oculos noſtros dirigamus ad Deum.* Piiſſima Eſther, præ mœrore contabeſcens, ob mortis ſententiam, latam in populum, c. 14. v. 3. confugit ad Dominum, cavens periculum, dicens: *Domine mi, qui Rex noſter es ſolus, adjuva me ſolitariam, & cujus præter te nullus eſt auxiliator.* Hic Auditores eſt ſcopus, in quem hactenus concio mea collimavit. Sic agendum eſt, cum Ezechia, ſic cùm Joſaphato, ſic cum Eſthere, dum ſumus in tribulatione, dum mergitur noſtra navicula. Implorata gratia Spiritus S. occurret affectuoſus & pius Epilogus, præſertim pia Apoſtrophe ad Jeſum Crucifixum.

CONCIO X.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Sinite ea creſcere, uſq; ad meſſem, Matth. 13 v. 31.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Zizania ſunt impii & ſcelerati peccatores. Quæritur itaque 1. Cur DEUS tamdiu illos toleret? nimirum quia bonus eſt, eoſque expectat ad

ad pœnitentiam. 2 Cur peccata permittat? ſcilicet, quia & ex ipſis bonum elicere novit. Reſponſiones ad quæſtionem utramque, ſalutaria nobis proponunt documenta.

§. 1. *Differentia inter DEUM & diabolum; quàm diverſa ſeminent ſemina.*

§. 2. *Infinita DEI bonitas eſt, quod non ſtatim puniat impios. Cùm punit, quaſi cogitur.*

§. 3. *Niſi enim tandem puniret, injuſtus eſſet: moras tamen nectit.*

§. 4. *Invehitur in illos peccatores, qui ideo, quod DEUS non ſtatim puniat, magis peccant. Nihilominus*

§. 5. *DEUS quaſi diſſimulat, ſilet, &c.*

§. 6. *Agit de peculiari bonitate Chriſti Domini erga peccatores: quomodo illos vocet ad pœnitentiam.*

§. 7. *Has Dei & Chriſti Domini miſerationes, S. Paulus vocat* divitias bonitatis.

§. 8. *Deus deſiderat vindictam: ſed impeditur ab illa Patientia, qua expectat peccatorem ad pœnitentiam.*

§. 9. *Proſopopœia peccatoris, agnoſcentis ſuam ingratitudinem.*

§. 10. *Cur Deus toleret Zizania? proponitur hæc quæſtio ex S. Auguſtino.*

§. 11. *Proſecutio.*

§. 12. *Ex malo Deus ſcit elicere bonum: probatur ex hiſtoria Joſephi, & ex Paſſione Chriſti.*

§. 13. *Lapſus in peccata, ſæpe eſt cauſa magni boni: ut in S. Petro, Thoma, Davide.*

§. 1. Differentia inter Deum & diabolum quàm diverſa ſeminent ſemina.

IN parabola hodierni Evangelii, advertimus magnam differentiam, quæ eſt inter DEUM, & diabolum; A principio mundi, in prima creatione hominis, DEUS ſeminavit in natura humana, bonum ſemen gratiæ, innocentiæ, ſanctitatis & amoris erga Deum Creatorem: diabolus verò ſtatim ſeminavit zizania malitiæ, inobedientiæ, ſuperbiæ, rebellionis, invidiæ, & ſimilium ſcelerum, quorum auctor & ſeminator eſt diabolus. DEO ſeminante ſemen bonum in agro alicujus animæ, pullulant cogitationes ſanctæ & recta deſideria; accurrit mox inimicus ſive Sathan, & ſuperſeminat cogitationes peſſimas. Semen bonum ſunt divinæ inſpirationes ad vitam ſanctam, Diabolus ſuperſeminat earum neglectum, hinc zizania ſcelerum. Deus in agro animarum noſtrarum, quas ad ſui imaginem creavit, ſemen bonum, quod eſt Verbum Dei, ſeminat, ex quo provenit ſexageſimus, imò centeſimus fructus bonorum operum, ut audiemus poſt dies quatuordecim; diabolus ſuperſeminat ſpinas, avaritiam, curam & amorem ſæcularium, Verbi Dei neglectum, &c. à quibus prius ſemen ſuffocatur. Chriſtus Dn. in agro animæ, quam ſuo ſanguine redemit, & irrigavit, ſeminat ſemen cujuſdã fervoris & zeli, ſerviendi Deo, quærendi bona ſtabilia & æterna: Diabol⁹ ſuperſeminat quendam teporem & languorem in divino ſervitio, ex quo naſcitur

quidam ſpiritualis ſomnus, de quo ait Chriſtus D. Matth. 13. v. 25. *Cum dormirent homines.* Et hoc eſt aptiſſimum tempus, quo venit Diabolus, ut ſuperſeminet ſemen novorum zizaniorum, ſive ut hominem de uno ſcelere in aliud, præcipitem agat. Poſito itaque, quod per has ſpinas & zizania intelligantur impii & peccatores, ſive ipſa peccata, hæc Concio duas proponet quæſtiones, prima erit; Cur Deus tam diu toleret impios? nimirum quia bonus & benignus eſt, illos expectat ad pœnitentiam. Altera quæſtio erit, quare Deus permittat peccata? ſcilicet, quia tam bonus eſt, ut ex ipſo malo eliciat bonum. Utrumque Concionis punctum, ſi attenti fueritis, magno nobis poterit eſſe ſolatio.

§. 2. *Infinita Dei bonitas eſt, quod non ſtatim puniat impios. Cum punit, quaſi cogitur.* Invicta & longanimis Dei patientia in tolerandis zizaniis, ſive impiis & graviſſimis peccatoribus, nobis ob oculos ponit infinitam ejus miſericordiam, in hoc potiſſimum, quod non ſtatim in eos animadvertat, ſed longo eos tempore expectet ad pœnitentiam: quod tandem veluti invitus in illa cogatur verba erumpere, *Ite, & quæ vobis juſſa fero, expedite ſervi; ſat diu fœcundam occuparunt tellurem zizania, evellite ea tandem aliquando, colligite in faſciculos, proiicite in flammas.* Quod pulcrè ponderavit Salvianus lib. 1. de gubern. Dei, ſuper illas voculas Gen. 18. v. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt*, ubi ſic ait: *Quare autem peccata hominum quaſi clamare teſtatur? quia oſtendere vult, quàm invitus puniat, etiam graviſſimos peccatores; quaſi diceret: Miſericordia quidem mea, mihi ſuadet ut parcam*, (piiſſima erit cogitatio, ſi cogitemus eadem dicere Chriſtum Salvatorem pendentem de Cruce; mea quoque miſericordia, meus amor erga peccatores, meus ſanguis, mea vulnera mihi ſuadent, ut parcam) *ſed tamen peccatorum clamor cogit ut puniam.* Putat idem Salvianus, ideo Deum antequam Sodomæ incolas caſtigavit, prius ad illos miſiſſe Angelos, & poſtquam contra eos etiam nefanda tentaverunt, miſit tandem ignes de cœlo, tum ob ſcelerum immanitatem, criminum turpitudinem, libidinum obſcœnitatem, tum *ut probaret nobis Deus, quod ipſe eos noluerit perdere, ſed ipſi extorſerint, ut perirent.* Planè ſimiles zizaniis, quæ quidem diu permittuntur creſcere, ſed tandem, cum maturerunt, eradicantur & projiciuntur in ignem.

Extorquent ſcilicet peccatores à Deo ſententiam damnationis, perſeverando in malitia; ſi enim non feriret & damnaret aliquando, injuſtus eſſet, judicium non adminiſtrans, juſtitiamque non faciens, petentibus eam, expoſtulantibusq; peccatis, quæ vindictam & ultionem tandem extorquere non deſinunt, licet ipſe ad longum tempus differat, licet miſericorditer & patienter ad longum tempus, expectet peccatorem, an velit reſipiſcere; de quo egregiè D. Chryſoſtomus hom. 20. in Gen. c. 5. in illa verba; *Et erat Noë quingentorum annorum.* Ubi ſic ait: *Porro obſtupeſcenda eſt ineffabiliter miſericordia DEI; ecce enim quingentis annis Noë fuerat minatus diluvium univerſale, ob nimias malitias, non ta-* §. 3. *Niſi enim tandem puniret, injuſtus eſſet: Mora tamen neſtit.*

tamen ſcelerati homines ceſſare voluerunt; & miſericors Deus, neque poſt tot annos, neque poſt tale vaticinium pœnas inducit, ſed denuò, ſuam acturus longanimitatem, alios non paucos annos ſuæ tolerantiæ adjunxit. Neque enim ideo produxit humanum genus, ut puniret, ſed planè è diverſo, ut donaret nobis immenſa bona, quibus frueremur. Et propterea ipſum ubique vides ceſſantem & moras nectentem in pœnis infligendis Tandem tamen punire coactus. Valde timeo, in hac quoque urbe committi ſcelera, ob quæ juſtus Deus vicinas nobis urbes & regiones ex recto & juſto judicio, caſtigat peſte, fame, & bello. Infinitæ ipſius bonitati ſint laudes, videmus nos illum adhuc ceſſantem, & moras nectentem ut iiſdem flagellis nos percutiat, quia expectat noſtram pœnitentiam. Si in malo pergamus, forte brevi dicet Morti, fami, peſti, bello, Ite Bambergam quoque, ibique eradicate zizania.

§. 4. *Invebitur in illos peccatores qui ideo quod Deus nō ſtatim puniat, magis peccant.*

Hoc dolendum eſt, & lacrymis deplorandum: quod licet hæc veriſſima ſint, tamen ex hac Dei ſuſtinentia, multi, non tantùm non convertantur, ſed & pejores reddantur, & in ſceleribus indurentur. Unde aliis hæc Dei patientia eſt odor vitæ ad vitam: aliis odor mortis ad mortem. Alii, pauculi, convertuntur; alii longè plures, indurantur. Eccleſiaſtici 8. v. 11. *Etenim, quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Tigurina lectio ſic habet: *quia non ſtatim negotium patrantis ſcelus conficitur, abſque timore peccant.* Et quod eſt illud negotium, quod deberet confici? hoc eſt: momento quo homo mortaliter peccat, deberet dici morti & diabolo; Ite, eradicate hoc zizanium, & projicite in ignem. Hoc negotium deberet confici momento, quo hoc peccat lethaliter, ſubitanea morte divina Juſtitia, illum poſſet punire; quia hæc non fiunt, ideo multi absque timore pergunt peccare; vel ut LXX. addunt, in citato verſu; *Ideo repletum eſt cor filiorum hominum in eis, ad faciendum malum:* quia vident Deum patientem; inde anſam ſumunt ad peccandum, unde debebant converti. Sic Pharaoni, requies à flagellis, & ipſa Dei patientia, qua parcebat, qua expectabat, qua Juſtitiæ non permittebat, negotium ſive pœnam ſcelerato debitam, conficere, fuit illi obdurationis occaſio. Itaque

§. 5. *DEUS quaſi diſſimulat, ſilet, &c.*

Hoc magnum, hoc mirandum eſt in Dei bonitate, illa ſcil. patientia, qua nihilominus peccatorem expectat, an ſapere velit: illa ſimulatio & ſuſtentatio, perinde ac ſi non videret, illa, quæ contra ipſum agit impius, quod eleganter deſcripſit S. Macharius hom. 4 *Deus erga unumquemque noſtrum, bonus ac benignus longanimiter agit, perpendens quantum quiſque offendat: ſiletque expectans, quando reſipiſcat & convertatur, ne quid ulterius delinquat.* Talia bonus Deus intendit, tū toleranda judicat zazania.

§ 6. *Agit de peculiari bonitate Chriſti D. erga peccatores.*

De Chriſto Salvatore, futuro impiorum Judice, modo dicere poſſumus ex c. 17. v. 9. Proverb. *Quid celat delictum, quærit amicitias, qui altero ſermone repetit,* inſtanter videtur petere, quod

Quo modo illos vocet ad pœnitentiam.

quod vult. Delictum celat amici, qui intra pectus illud obtegens, nulli aperit, ſed diſſimulat, tegit, abſcondit, & hoc faciendo, quærit amicitiam, vel oſtendit ſe eſſe amicum. In Hæbræo eſt, *quærit amorem.* Et quid eſt altero ſermone repetere, niſi iterum iterumque rem aliquam ab amico petere. Quod ſi hic eſt actus amicitiæ & bonitatis, quis magis ſimulat quàm Chriſtus Salvator noſter? intra apertum pectus & vulneratum cor, videtur tegere peccata noſtra; quis tam ſuavis in vocatione ad pœnitentiam; non contentus ſemel extuliſſe vocē, & invitaſſe ad pœnitentiam: iterum iterumque inivitat, iterum iterumque clamat, *Revertere, revertere.* Quot ſinit elabi temporis momenta, quibus condignis in te peccatorem ſuppliciis non animadvertit, tot eſſe Dei longè clementiſſimi nutus, tot clamores, tot ad meliorem vitæ frugem, exhortationes intellige. Amiciam noſtram, amorem noſtrum quærit: ideo tolerat zizania, quaſi, ut ante dixi, non videret. Quod per Iſaiam cum magno ſenſu objecit Jeroſolymæ, cap. 37. v. 28. *Neque cogitaſti in corde tuo, quia ego tacens, & quaſi non videns: & mei oblita es:* quem locum ſic exponit S. Hieronymus. *Neque ſcilicet cogitaſti, quia ego ſum, qui ſemper tacui peccata tua & ſcelera, quæcunque faciebas, quaſi non viderem, diſſimulatione neglexi; ut ſi non timore mei ſaltem patientia, ad viam redires.* Ecquid ſuavius, ecquid dulcius dici potuiſſet!

§. 7. Has Dei

Merito hanc ſummam Dei patientiam, qua zizania tolerat, qua peccatores longo tempore expectat ad pœnitentiam; non bonitatem tantum ſed divitias bonitatis appellavit S. Paulus ad Rom. 2. c. v. 4. *An divitias bonitatis ejus & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Origines hic. *Divitias bonitatis Dei ille agnoſcere poteſt, qui conſiderat, quanta in terris mala quotidie patrent homines; qui expendit, quoties de die nefandis ſceleribus divina irritetur Juſtitia, qui culparum confertam cogitat multitudinem, qui blaſphemias, execrationes, libidines, ſtupra, adulteria, detractiones, atque innumera alia ſingulis horis committi flagitia videt*, qui, ut verbo dicam, tantam Zizaniorum copiam in agro Domini, ſive in Eccleſia, perſpicit, an non juſtiſſimam ille mirandi cauſam habebit, quod clementiſſimus ille DEI oculus tanto tempore tot tantaq; ferat mala, quod ſupplicia differat, quod non quovis momento juſtiſſima iræ ſuæ, furoriſq; arma atque inſtrumenta, in peſſimorum vindictam mortalium expediat.

& Chriſti D. miſerationes S. Paulus vocat divitias bonitatis.

Myſteriis plena ſunt illa Iſaiæ verba c. 27. v. 4. *Quis dabit me ſpinam & veprem in prælio?* vel, ut alii legunt, *adamantem, gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter, an potius tenebit fortitudinem meam, faciet, pacem mihi, pacem faciet mihi.* S. Hieronymus ait, hæc verba ſonare, Dei deſideriū iraſcendi contra vineam ſuam, ad iram tamen non pertingere, quaſi diceret: quis me docebit ut durus ſim, & meam vincā clementiam, & in prælio atque certamine truculentus incedam? ut gradiar ſuper vineam (ſuper agrum ple-

Deus deſiderat vindictā, ſed impeditur ab illa Patientia, qua expectat peccatorem ad pœnitentiam.

Digitized by Google

plenum zizaniis) quam ante plantavi, quam ſepſi, quam colui, & ſuccendā eam? an potius id aget fortitudo mea, ſive Patientia mea, ut iram differam, & ſalvem eos in clementiâ? Iſaicæ c. 30. v. 18. *Propterea expectat Dominus, ut miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* S. Hieronymus. *Grandis clemētia Dei, ut expectet noſtram pœnitentiam, & donec nos à vitiis convertamur, ille potentem contrahat manum, ne ferire cogatur!* Quid dulcius, quid amabilius, de Deo noſtro, de Chriſto Salvatore noſtro pronunciari poteſt? *O rara Miſericordiæ ſpecies*, exclamat D. Chryſoſtomus; *quæ tam diu parcit peccatoribus, quæ tot annis tolerat tam varia zizania.*

§. 9. *Proſopopœia Peccatoris agnoſcentis ſuā ingratitudinē.*

O peccatores! Miſericordias Domini in æternum cantate; dicite: O Domine, nos te offendimns, tu nos amaſti! Nos palam peccamus, tu tegis à facie iræ tuæ: Nos obſtinati te fugimus, tu nos inſequeris, & altero ſermone ſuaviſſimis verbis nos ad te trahis. Nos crudeles in crucem te egimus, tu expaſſis brachiis nos recipis. O infinita miſericordia! nos filii ſumus prodigi, tu Pater benigniſſimus! Nos oves errantes, tu Paſtor bonus. O infinita clementia! peccantes ſupportaſti, te occidentibus vitam donaſti; te vili pendentes honoraſti. O infinita bonitas! flumen, nunquam non currens, fons ſemper ſcaturiens, mare, quod exhauriri non poteſt, ideo cum S. Chryſoſt. hom. 22. ad pop. Antioch. exclamo: *Projiciamus nos ipſos in mare miſerationum Dei.* (ſi eſſet Dominica Congregationis, poterit hic fieri pia digreſſio ad vulnera Chriſti.)

§. 10. *Cur Deus toleret zizania? proponitur hæc quæſtio ex S. Auguſtino.*

Accedo ad alteram partem Concionis. S. Auguſt. occaſione Zizaniorum, quæ Deus tolerat in agro Eccleſiæ, hanc proponit quæſtionem. Quare Deus mundi moderator; quare Chriſtus D. Rex, Princeps, & Caput Eccleſiæ tanta permittat in orbe, culpæ pœnæque mala, quæ jure meritiſſimo Zizania dici poſſunt. Gubernator prudens ex officio tenetur, quantū poteſt, omnia reipublicæ damna avertere, quæ bono communi pernicioſa videntur. Diligens agricola, eradicat ex agro zizania, quæ opprimunt triticum: quod ſi hoc minimè faciat, illi vel voluntas deeſt, vel vires atque occaſio: ſi quia non poteſt, deficit illum potentia; ſi quia non vult, deeſt illi bonitas. Jam verò, Deo non deeſt potentia, quia eſt omnipotens, omniaque poteſt mala avertere & impedire, ne fiant; ſed nec bonitas deficit, cum infinitæ ſit fons bonitatis, ut quid igitur illa non impedit? immò potius quotidiana videmus damna, experimur bella, ſeditiones, morbos, peſtem, & ſexcenta alia incommoda: quoad damna ſpiritualia dicere poſſumus cum Oſea c. 4. v. 2. *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt. Si autem Deus mundum gubernat, unde malum?* objecit Simon Magus S. Petro: quæ ratio Manichæis tam viſa fuit efficax, ut qui contra Dei omnipotentiam, & bonitatem, noluerunt eſſe blaſphemi, mundi hujus gubernationem ab illo

Diabolica Manichæorum ſententia.

adminiſtrari negaverint, ſed eam in malis diabolo aſcripſerint.

§ 11. *Proſequitur. S. Auguſt. execrandam Manichæorū Doct.*

Urget argumentum S. Auguſtinus contra Manichæos: *Ut quid patitur Deus, multos Sanctorum in enormia delabi ſcelera? & quis Pater filium, per præcipitia, per vias lubricas & lutoſas, manuducens, permittit in paludem prolabi, cum poſſit impedire, ne cadat? An non filii Dei ſunt ſancti quos ſua deducit manu? quos per mundi hujus itinera plena præcipitiis & laqueis ſcelerum dirigit, ut qui evaſit, dicere poſſit cum Davide* Pſ. 72. v. 24. *Tenuiſti manum dexterā meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me:* quare ergo tantam hominum multitudinem permittit labi in peccata? Pſal. 39. v. 3. *in lacum miſeriæ, & lutum fæcis:* ut quid Architectus ſapientiſſimus permiſit v. g. ut lapis fundamentalis ſuæ Eccleſiæ, & tanti ædificii colliſus laberetur? An non eſt quærere, quare Deus vel Chriſtus D. in agro Eccleſiæ toleret zizania? Reſpondeat, qui quæſtiones formavit, S. Auguſt. *Gubernator mundi Deus ſapientiſſimus patitur in eo mala ad ejus utilitatem; etſi enim mala non tollat quæ tollere poſſet & impedire; tamen tanta eſt vis ejus omnipotentiæ, ut de iſtis malis, majus mundo eliciat bonum, quam eſſet, ſi impediret. Neque enim DEUS omnipotens, cùm ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens & bonus ut benefaceret etiam de malis.* Ipſa zizania fiant utilia, vel ut Sanct. Hieron. loquitur; *Nonnunquam malum occaſio fit bonorum, & hominum prava conſilia Deus vertit ad rectum.*

§ 12. *Ex malo Deus ſcit elicere bonum. Probatur ex Hiſtoria Ioſephi, & ex Paſſione Chriſti.*

Hoc docet hiſtoria S. Joſephi; quid enim, quantis non illum affecêre injuriis, incommodis, moleſtiis, invidi fratres? dum odio illum proſecuti, dum dicta factaque ejus quælibet in peſſimam partem interpretati, dum de mittendo in foveam, de trucidando, ſceleſta ſuſceperunt conſilia; dum denique illum certo petito, acceptoque pretio vendiderunt; certè quid malum, quid impium, quid execrabile dici poteſt, niſi hæc impiiſſimorum fratrum in innocentem Joſephum flagitia? & tamen tanta inde Deus bona ad ejus honorem elicuit; ut idem medium, quo fratres uſi ſunt contra Joſephum, ut eum perderent, delerent, occiderent, inverterit, præclaros inde educens evētus ad inſignem ejuſdem Joſephi exaltationem, Deique gloriam, prout ipſe Joſeph deinde fratribus expoſuit, Gen. 50. v. 20. dicens; *Vos cogitaſtis de me malum, ſed DEUS vertit illud in bonum.* Quod piaculum magis nefandum; quod ſcelus tam grande & crudele? quod crimen tam deteſtabile? quod facinus tam horrendum potuit DEUS permittere quale fuit Paſſio Filii Dei reſpectu Judæorum & gentilium; & mors turpiſſima crucis illata innocenti, quatenus ejus radix fuit Synagogæ invidia, Phariſæorum ira, Scribarum rabies, Carnificum crudelitas, Judæ avaritia, Pilati injuſtitia, falſorum teſtium iniquitas, &c. catenam enormium ſcelerum ſecum traxit illa paſſio, fuit quaſi ager plenus

plenus Zizaniis & ſpinis, quas ſenſit venerandum Chriſti Caput; & tamen Deus inde ſumpſit occaſionem omnis boni? inde noſtra reconciliatio, pax, ſalus, beatitudo: ex his zizaniis crevit noſtra redemptio; hinc, non aliunde, noſtra pullulavit æterna felicitas.

§ 13. *Lapſus in peccata, ſæpe eſt cauſa magni boni ut in S. Petro Thoma, Davide,*

Eam ob cauſam & hodie permittit labi electos, quia majus bonum ſcit inde elicere; ut deinde ferventius ſerviant Deo, ut illorum lapſus aliis ad pœnitentiam ſit utilis: hoc agit Deus, ut majus bonum ex malo ſequatur. Subtiliter advertit S. Aug. voluiſſe nimirum hoc exprimere ſervum illum, qui Domino dixit: *Metis ubi non ſeminaſti:* q. d. de aliena meſſe cogis meſſem abundantem, quomodo? ergo aliena rapit Deus? non; ſed aliud latet myſterium. Peccatũ mortale eſt ſemen omnium malorum; *radix germinans fel & amaritudinem*, ait Moyſes Deuter. 29. v. 15. *Fili nõ ſemines mala in ſulcis injuſtitiæ.* Eccleſiaſtici 7. v. 3. Pœnæ inferni, ſunt meſſis hujus ſementis; & licet peccatum mortale procedat à ſolâ humanæ voluntatis malitia, permittente ſic Deo: nihilo tamen minus, tanta eſt ejus omnipotentia, ut ex hoc malo ſemine divitem colligat meſſem. Infidelitas Thomæ de reſurrectione, quam peſtilens ſemen; *Sed egit miro modo ſuperna Clementia* (ait D. Greg.) *ut diſcipulus ille dubitans, dum in Magiſtro ſuo palparet vulnera carnis, in nobis ſanaret vulnera infidelitatis.* Profuit nobis incrudelitas Thomæ: Negatio Petri quàm triſtis caſus? *Sed Petri titubatio noſtra eſt fortitudo*, ait idem S. Greg. Adulterium Davidis quale ſcelus? ſed ex mente S. Ambr. in c. 22. S. Luc. *lapſus in illud fuit, ut nos doceret, quẽadmodum commiſſũ poſſimus operire peccatum:* propter noſtram correctionem tantus Rex peccavit Deo permittente. Agite, itaque Auditores, hanc Dei potentiam, bonitatem & clementiam, totis cordium viſceribus amate. Impiorum ruinas dum cernitis, veſtræ vobis reſurrectionis materiam, cauſamque præberi cogitate. Nolite Dei, vos, per aliena infortunia, vocantis, inſtruentis, invitantis clementiam contemnere. Dum impios tolerat Deus, ſuam bonitatem nobis commendat. Dum alios in turpiſſimas ſcelerum labes devolvi permittit, vos dum id vel legitis, vel auditis, vel etiam ſpectatis ipſimet, in animos inducite veſtros, ad veſtram hæc omnia exhorationem atque ad veſtram ſalutem æternam contingere, permitti: ſic in peccando cautiores, in amando autem Deo, divinisque recolendis beneficiis, haud parum frequentiores, ferventioresque reddemini.

CONCIO XI.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Voca operarios, & redde illis mercedem,
Matthæi 20. cap. v. 8.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRobat hæc Concio duo: primum eſt, Fidem ſolàm, & ſpem in Chriſtum, ſine operibus eſſe periculoſam, & rationi parum conformem; quod variis ſimilitudinibus & locis ex S. Scriptura confirmatur. Alterum; Fidem & ſpem ſine operibus, malis Chriſtianis nihil profuturam; præſertim olim horâ diei ſive vitæ noviſſimâ.

§. 1. *Exordium, ſimul eſt Propoſitio Concionis.*

§. 2. *Pretioſum balſamum vitiatur, ſi miſceatur luto; & fides, conjuncta operibus malis.*

§. 3. *Lumen in Lampade, non lucet ſine oleo; neque fides ſine operibus bonis.*

§. 4. *Fides ſine operibus eſt navicula, ſine fune anchoræ, in alto mari.*

§. 5. *Radix arboris ſine trunco & ramis putreſit; & fides ſine operibus.*

§. 6. *Talis fides, ſimilis eſt ficulneæ, cui maledixit Dominus.*

§. 7. *Quomodo talis fides exinaniatur.*

§. 8 *Talis fides eſt ſimilis Cygno.*

§. 9. *Summa prioris partis, concionis.*

§. 10. *Fides & ſpes, neceſſariæ, & eximiæ ſunt virtutes; ſed ſine operibus non proſunt.*

§. 11. *Parabola de ſervo fideli & pigro.*

§. 12. *Applicatio.*

§. 13. *Præſentia arcæ non profuit filiis Heli in prælio; neque in agone proderit talis fides.*

§. 1. Exordiũ ſim.eſt Propoſitio Cõcionis.

OCcaſione hodiernæ Evangelicæ parabolæ, & potiſſimùm ratione denarii, vel mercedis, quæ à Patrefamilias operariis in vinea data eſt, horâ diei noviſſimâ; qui vel totâ diem, vel aliquot ſaltẽ horas, aut unâ etiam laborãdo traduxerãt; hâc inquã parte hodiernæ parabolæ, nos Romano-Catholici gloriamur, & firmiter ſtabilimus illum fidei noſtræ articulum, qui docet; denarium ſive mercedem æternæ gloriæ, ultimâ horâ diei, vitæ noſtræ, non dari nobis, eò quod vocati tantùm fuerimus ad vineam Domini, & quod in illa radicati per fidem

fidem vixerimus Chriſtiani, ſed requiri etiam ut labori vacaverimus. Alias controverſia præſens, his verbis proponi ſolet; ad hominis juſtificationem, quæ neceſſaria eſt diſpoſitio ad gloriam cœleſtem, non ſufficere ſolam fidem & ſpem in Chriſtum Salvatorē, ſed requiri etiā opera caritatis, pœnitentiæ, aliarumque virtutum: id quod fortiter tuemur contra adverſarios noſtros, quorum doctrina eſt. nos non mereri vitam æternam, per noſtra opera, utpote impura, & maculis coram DEO fœdata; ſed eam, ſolum Chriſtum Dominum ſuâ paſſione, & meriti infiniti operibus, eſſe promeritum. Frequenter ego in meis cōcionibus de hâc ipſa diſſero controverſia; hâc concione duo potiſſimum proponere decrevi. 1. Fidem ſolām, ſine operibus eſſe periculoſam admodum, & rationi parum congruentem. 2. Fidem etiam cum fiducia in Chriſto, non prodeſſe fidelibus impiè viventibus: ut his virtutibus denarium æternæ gloriæ mereamur; ex una parte, in meritis Chriſti, ex altera in noſtris operibus, illas fundari oportet. Vos auditores, ſi ea, qua ſpero benevolentia atque attentione, dicentem acceperitis, utiliſſimæ quæſtioni à me, cum divina gratia, ſatisfactum fatebimini, niſi ipſi Veritati; quæ Deus eſt, quod abſit, pertinaces aliqui forſitan, ex heterodoxis reſiſtere maluerint.

§. 2. Pretioſū balſamū vitiatur, ſi miſceatur luto;

Quemadmodum rationi planè conforme eſt, & experientia quotidiana docet, ne pretioſum balſamū, vel unguentum & liquor ſuaviſſimi odoris, recondatur in capſula, quæ luto plena eſt, (quo ſimili & iiſdem ferè verbis uſus fuit Oecumenius in locum S. Pauli citandum,) ita contra rationem agunt, qui fidem pretioſiſſimum balſamum, cum nobiliſſimo liquore, cum ſanguine Chriſti recondere volunt in corde, vel anima, quæ ſordibus peccatorum eſt plena. Præter balſamum fidei & ſpei nos Catholici, requirimus cor mundum à maculis peccatorum, & ornatum auro dilectionis, & gemmis aliarum virtutum; cum S. Paulo epiſt. 1. ad Timotheum cap. 3. v. 8. *Diaconos, habentes myſterium fidei, in conſcientia pura*, id eſt, prout explicant Theodoretus & Theophilactus, *Ut teneant puram fidem, & ſimul vitam puræ fidei conformem.* Nam ſicut ſi pretioſum balſamum miſceatur luto, faciliimè vitiatur, ut odorem & naturales perfectiones perdat; ita fides noſtra, & fiducia in Chriſto, nobiliſſimæ virtutes ſi conjungantur ſordibus peccatorum, periculoſa eſt; fieri aſſolet, ut & ipſæ vitientur, ne proſint ad ſalutem.

& fides conjuncta operibus malis.

§. 3. Lumen in lampade non lucet ſine oleo, neq; fides ſine bonis operibus.

Fides in Chriſtum, dicitur & eſt pulcerrimum lumen, quo homo illuſtratur ad firmiter aſſentiendum myſteriis fidei. Animam hominis dicunt Sancti Patres eſſe veluti lampadem, nobiliſſimum opus, elaboratum ad imaginem Dei, in quo lux & lumen fidei ardet & lucet. Verùm, quis ex vobis vidit aliquando naturaliter ardere lucem in lampade ſine oleo? affirmabitis omnes, agere illum contra rationem, qui lampidi ſubtrahit oleum, & tamen vult illam ardere. Hoc faciunt noſtri adverſarii, dum

dum lumini fidei in cordibus noſtris, ſubtrahunt oleum bonorum operũ: Dico illam fidem eſſe periculoſam, neque prodeſſe ad vitam æternam, ut ſuo damno id didicerunt, quinque fatuæ virgines, quæ licet haberent lampades, ſed ſine oleo, excluſæ fuerunt à nuptiis, Matth. 25. v. 12. Proinde nos Romano Catholici præter lumẽ fidei, requirimus oleum bonorum operum.

§. 4. *Fides ſine operibus eſt navicula ſine fune anchoræ.* Elegans ſimile mihi ſuggerit S. Paulus 1. ad Tim. c. 1. v. 19. poſtquã iterum hæc duo conjunxiſſet: *Habens fidem & conſcientiam bonam*, ſubdit, *quam quidam repellentes, circa fidem naufragerunt:* comparat fidem naviculæ, vos cogitate, vos videre duas naviculas ſolventes in altum, utraque ſolicita eſt, ut ſecum habeat anchoram, quâ, ſi neceſſe ſit, inter ventos & fluctus ſe firmet ad firmam petram. In tempeſtuoſo pelago hujus mundi hæc tria quoque ad ſalutem nobis ſunt neceſſaria; *Fides*, quæ navis eſt, *Spes*, quæ eſt anchora, & *Petra*, quæ eſt Chriſtus D. Salvator noſter. In his convenimus omnes. In hoc magna eſt differentia. Una navicula non curat, ut funem ſecum habeat, quo in periculo ſe alliget anchoræ: altera, pro longa & periculoſa navigatione funes quoque & catenas ſecum ſumit. Cogitate turbari mare, inſurgere fluctus, furere ventos, in qua malletis naviculâ navigare? Nos Romano-Catholici, requirimus etiam funem charitatis, funes virtutũ, funes bonorum operum, quibus navicula noſtræ fidei alligatur anchoræ ſpei, ut ſic firmetur in ſolida petra quæ Chriſtus eſt. Repellere conſcientiam bonam, repellere Dei timorem, &c. eſt naufragare circa fidem. Talis fides eſt periculoſa.

Veritas æterna, Chriſtus D. hominem bonum comparat arbori bonæ, ſterili impium. Eſt autem hoc notabile in arbore, ſi abſcindantur rami & truncus, relictâ ſolâ radice, intra breve tempus radix ſuâ ſponte putreſcit atque eradicatur facillimè. Talem mihi ob oculos ſtatuo fidem ſine operibus; eſt radix arboris, ſed ſine trunco dilectionis Dei, ſine ramis, foliis, & floribus ſanctarum cogitationum, ſine fructibus bonorum operum, eſt radix putrida, ſcatens vermibus plurimorum ſcelerum; talis radix, talis fides cito exſiccatur, & à diabolo, à tentationibus facillimè plane eradicatur.

§. 6. *Talis fides ſimilis eſt ficulneæ, cui maledixit Dominus.* Origenes utitur metaphorâ ficulneæ, cui maledixit Dominus Math. 21. verſ. 20. & ait hom. 10. in cit. cap. *Quamdiu JESUS juſtus judex non venit ad aliquã ficum, nec quærit fructũ ejus, ſed patienter agit, & ſuſtinet, ſi forte proferat fructum, non exſiccatur.* Pari ratione adverſariorum fides, viret, floret ad tempus: Si autẽ venerit eſuriens & fructum requirens; & inventus fuerit aliquis nil juſtitiæ habens, *niſi profeſſionẽ tantummodo fidei*, quod eſt, radix, truncus, folia, flores, *ſine fructu*, mox exſiccatur. Eſt multos in Eccleſiâ videre tales, qui multo tempore, portaverunt nomen fidei; qui aliquot Chriſtianæ ſinceritatis foliis vernantes apparuêre, qui frugiferas præ ſe tulerunt arbores

bores in agro Domini, & vires in ejus vineâ, qui ſe veræ fidei alumnos, clientes, mancipia jactarunt, quibus in ore nil uſitatius, quam firma atque vera fides, *Credo, Spero*; ſic ut qui arborum naturas ac proprietates non omnino perſpectas habet, ex optimis illas eſſe, fœcundiſſimasque juraret. Verùm cum ſeverus Judex à tali ficulneâ exiget fructus, quos non reperiet, ſubjicietur maledictio, *ex hoc non feres fructus in æternum*; Math. 21. verſ. 19. & momento exſiccabitur, & conſumatio ejus erit ignis æternus.

§. 7. *Quomodo talis fides exinanitur.* Finem & mortem talis hominis, nobis proponit regius Pſaltes Pſ. 136. v. 6. *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea:* quæ verba ſic explicat S. Gregorius in cit. pſ. *Inimici deſtruentes uſque ad fundamentum Ieruſalem, exinaniunt, quando perverſi ſpiritus à corde fidelium, deſtructo prius ædificio boni operis, ſoliditates quoque exhauriunt religionis uſque ad fundamentum:* ergo exinaniſſe eſt, *everſo bene vivendi opere*, etiam robur fidei diſſipaſſe. Lib. 25. Mor. c. 10. ait: *Nonnulli medullitus ipſam fidem tenēt:* tales hodie videmus & audimus plurimos ſed vivere fideliter nullatenus curant, inſequuntur enim moribus, quod crudelitate venerantur: quibus divino judicio ſæpe contingit, *ut per hoc quod nequiter vivunt* (cum fide & ſpe) *& illud perdant, quod ſalubriter credunt*, juxta verba Chriſti, Math. 25. v. 27. *Omni habenti dabitur & abundabit, qui autem non habet* (ſcilicet bona opera, ex mente Origenis) *auferetur ab eo, & ipſum quod habet*, quod eſt fides. Ex quibus clara mea evadit propoſitio, quam ſit periculoſa illorum Chriſtianorū fides, qui licet impie vivant, tamen per fidem, fore ſe ſalvos exiſtimant.

§. 8. *Talis fides eſt ſimilis Cygno.* Non ſine myſterio prohibitus fuit eſus cygni, Levitici 11. v. 18. nam pennas habet nive candidiores, ſed carnē nigerrimam. Pro, quot inſtructus eſt niveis pennis, qui ſolam jactitat fidem Chriſtianam! candadiſſima penna eſt fiducia in Deum, penna eſt ſpes, penna fides incorrupta, ut ajunt, ſolida, integra, ſincera: ſpecioſa profecto, & nivea cygni indumenta, ſed quæ illâ nive occuluntur, membra, ſi lubet, inſpice, invenies carnem nigram, cutem nigram, cor nigrum, nigra omnia. O fallax candoris hæretici ſpecies! apage à menſa divinâ cum immundis his oculis, divinæ tamen perſpicacitati imponere nequaquam poteſt.

§. 9. *Summa prioris Puncti Cōcionis.* Hactenus dicta in brevem ſumam colligite. 1. Fides ſine operibus, eſt pretioſum unguentum in ſordido vaſe. 2. Eſt lumen in lampade ſine oleo. 3. Eſt navicula ſine fune, quo in tēpeſtate ſe alliget anchoræ. 4. Eſt putrida radix, ſine trunco & ramis & fructibus; radix ſicca, diſpoſita ad concipiendum ignem. 5. Eſt fundamentum, quod facillimè exinanitur. 6. Homo cum tali fide, in continuo eſt periculo ne & illam perdat. Nos Romano-Catholici requirimus 1. ut Balſa-

Balſamum fidei aſſervetur in capſa munda. 2. ut lumen lampadis nutriatur oleo. 3. Volumus fidei navim, ne quod naufragii ſit periculum, funib⁹ bonorum operum inſtructam. 4. Deſideramus hanc domum, ut Spiritus Sancti fiat habitaculum, tecto clauſam, muris ornatam. 5. Hanc arborem ſic colimus, ne ſine trunco & ramis radicem agat vitioſam: ne areſcat atque exſiccetur, rigamus illam caritate; bonis operibus ei damus incrementa.

§. 10. *Fides & ſpes neceſſaria & eximia ſunt virtutes: ſed ſine operibus non proſunt.*

Propoſitio ſecundi puncti hujus concionis ſic habet; Fides & fiducia in Chriſtum, aliquando in agone nobis erunt neceſſariæ, ſed ſine caritate & bonis operibus nihil proderunt. Prima pars patet ex illis verbis Apoſt. ad Rom. 4. v. 22. *In promiſſione Dei Abraham non heſitans diffidentia, ſed confortatus in fide, dedit gloriam DEO; & quod credidit Deo, reputatum eſt ei ad juſtitiam.* Itaque fides & ſpes neceſſariæ ſunt virtutes ad juſtificationem: impoſſibile eſt ſine illis placere Deo, vel ſalvari. Pſal. 19. v. 7. Deus de Davide: *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Sanct. Bernardus ſer. 9. in hunc Pſ. *Dulcis cauſa, attamen efficax & irrefragabilis: liberabo, abſoluta locutio; non aliunde niſi quoniam in me ſperavit.* q. d. ideo ſalvus factus eſt David, quia habuit fidē & ſpem, ſed ne putemus his verbis repelli conſcientiam bonam, vel Dei timorem & dilectionem, idem Sanct. Bernard. ait ſer. de Annunt. *Eſt infidelis fiducia, cum in ſpe peccamus; quanquam nec fiducia illa dicenda ſit, ſed inſenſibilitas & diſſimulatio pernicioſa: quæ enim fiducia ei, qui periculum non attendit.* Vera & fidelis fiducia ſupponit opera. Super illa verba S. Math. cap. 25. v. 20. *Domine quinque talenta tradidiſti mihi: ecce alia quinque lucratus ſum*, ait Origenes ſerm. 33. fidelis ſervus hæc dixit, *quaſi qui habuit fiduciam, non tantum quod accepiſſet talenta, ſed eò, quod operatus & lucratus fuerat: hæc fiducia fecit eum accedere, & audacter facere ſermonem.* Non negamus, pretioſum talentum eſt fides, & ſpes, & fiducia: pretioſa talenta ſunt merita Chriſti; verùm ubi ſunt noſtra lucra caritatis; ubi lucra bonorum operum; hæc quoque neceſſaria ſunt, ſi tanquam fideles ſervi & operarii, à Patre familias audacter velimus petere mercedem. Alia parabola de his talentis, alteram partem meæ propoſitionis faciet clariſſimam, nimirum non profutura nobis aliquando, cum reddemus rationem de villicatione noſtrâ, ſola talenta fidei & fiduciæ in Chriſtum, ſine lucro bonorum operum.

§. 11. *Parabola de ſervo fideli & pigro.*

In citato capite S. Math. Chriſtus D. duplices proponit ſervos: aliqui cum talentis quæ à Domino ſuo acceperant, abierunt & operati ſunt cum illis, & plura lucrati ſunt. *Unus abiens, fodit in terram, & abſcondit pecuniam Domini ſui:* nullum ex illâ ſibi comparavit fructum induſtriæ; pecunia ipſi tradita, quievit otioſa, cum tamen illam in ſuâ haberet poteſtate: Multo poſt tempore rediit Dominus, & de traditâ ſervis pecuniâ, rationem exegit. Illis qui auda-

Digitized by Google

ctèr reſponderunt: *Ecce talenta quæ dediſti nobis*, & ecce ſimul lucrum, ſive pecuniam, quam labore & induſtriâ noſtrâ ſumus lucrati; & dixit Dominus, ✠ 21. *Euge, ſervi boni, ſupra multa vos conſtituam, intrate in gaudium Domini veſtri.* Acceſſit deinde alius ſervus, qui dixit, v. 25. *Domine ego nihil lucratus ſum*; ſed pecuniam tuam etiam non perdidi, neque conſumpſi, ſed abſcondi; *Ecce habes quod tuum eſt*: & iratus Dominus dixit, *ſerve male & piger, oportuit te pecuniam meam exponere numu'ariis, & veniens ego recepiſſem utiq; quod meum eſt, cum uſurâ: Tollite illi talẽtum quod accepit, & inutilem ſervum projicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium.* ibid. v. 30.

§. 11. *Applicatio.* Ego Auditores, in hâc parabola Chriſti, quaſi in ſpeculo mihi intueri videor, ex unâ quidem parte noſtri temporis heteredoxos, quin & Pſeudo-Catholicos, qui ſoli fidei confidunt; ex alterâ Catholicos bonos, viventes juxta regulas fidei: omnes gloriantur de talentis, quæ acceperunt: omnes jactant ſe habere fidem & ſperare in Chriſtum, omnes laudant ejus merita: Hæc talenta dedit nobis DEUS, ſed non ut jaceant otioſa, ſed ut ſint fœcunda & fructifera. Adeſt tandem hora diei, ſive vitæ noviſſima, quâ Paterfamilias vocat operarios, Dominus ſervos, & petit rationem de traditâ pecuniâ. Bonus Catholicus, qui fidei & ſpei conjunxit caritatem, aliaque opera bona, dicet: Ecce Domine meam fidem! Credo. Ecce ſpem, ſpero. Ecce merita mei Salvatoris: Ecce ejus vulnera & ſanguinem, ſed cum his talentis hæc ſum lucratus: tot annis ſincerè amavi Deum meum, ſervavi mandata tua; ecce lucra mea, en opera, en caritatem in proximum, ecce in egenos miſericordiam, &c. talis ſervus audacter dicere poterit, *Domine, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum*; Dicetque Dominus: *Euge ſerve bone, &c.* Servus piger, cum ſola fide & ſpe, ſevero Judici, quid reſpondere poterit, quam illud ex Sacra Scriptura, quam ſemper habuit in ore; Ecce Domine fidem, quam mihi dediſti, &c. Sed ubi lucrum? Ah Domine, abſcondi, mea fides fuit otioſa; reddo tamen quod tuum eſt; Et putatis fore Auditores, ut talis ſubſiſtat, ut judicium Domini evadat incolumis? niſi Chriſtus D. nos deceperit in ſua parabola, quod blaſphemum eſt cogitare, dicetur illi: Serve male & piger, ut quid terram tot hactenus annis occupavit arbor, floribus tantùm foliisque, non verò fructibus onerata? ut quid mortua ſine operibus fides? ut quid inanis, ſine brevius laboribus, præmii aut mercedis expectatio? ut quid ſpes illa vacua? auferte illi, quod dederam talentum, eradicate infelicem ſtirpem, evellite aridam radicem, exſcindite ſpem prorſus inutilem: in æternum non ſit illi ſanguis meus ad vitam; cõſummatio ejus, ſit ignis, &c. Non puto me clarius oculis veſtris poſſe proponere Catholicam veritatem, quæ docet, fidem & ſpem non profuturã ſine operibus.

§. 11. *Præſentia Arcæ non profuit filiis Heli in prælio: neque in agone proderit talis fides.*

Ophni & Phinees, impii filii Sacerdotis Heli, l. 1. Reg. c. 4. v. 18. in ſupremo periculo ob irruentes hoſtes, adduxerunt in caſtra Arcam Domini, ſpe pleni, illius præſentiam fore cauſam victoriæ. Sed, *caſi ſunt.* Quomodo? in præſentia arcæ? cum tanta ſpe? cauſam obſervavit Theoretus in Pſ. 77. *Ab ipſo rerum eventu edocti ſunt, ne divinâ ope freti ſint, qui delinquere pergunt.* Idem contigit Hebræis frequenter, licet arca cum illis eſſet, & in ipſa ſperarent, *caſi ſunt: ut legitimè quidem viventes*, ait idem auctor, *in Dei confiderent providentia; legem autem transgredientes, neque in ipſa lege, neque in arca confiderent: cur enim legem transgredientes arcam ad auxilium traherent?* Idem plane accidet illis, qui putant ſe ſolâ fide & ſpe in Chriſtum ſalvandos. Sic eſt, Divina arca ſunt ſanctiſſima Crucifixi vulnera; & veniet hora noviſſima, irruet acre prælium, tum tales ſpem ſuam ponent in hac arca, ſed fruſtra; tum fractos morte morboque oculos conjicient in ſuum Jeſum, ut putant, quia in illum crediderunt; ſed fruſtrà! tum ſola patientis Chriſti recordatione ſalvandos ſe arbitrantur; ſed fruſtrà! tum momento in fugam agendos animæ ſuæ hoſtes autumant, cùm primum exclamaverint, Credo; cum eruperint in unicam voculam, ſpero. O miſeri! manet vos exitus filiorum Heli! arca vobis erit in perniciem, Chriſti vulnera in damnationem, &c. Finio cum hoc Epiphonemate: *Tanta ſecuritas, tanta confert pericula!*

CONCIO XII.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Semen eſt Verbum DEI, Lucæ 8. cap. v. *11.*

SYNOPSIS CONCIONIS.

VErbum Divinum eſt Vox Domini, ſagitta, ventus, tonitru, & fulmen, terrens & cutiens corda peccatorum; ut patuit in converſione Sauli, Magdalenæ & aliorum. Ut peccator aliquis gravis convertatur, Deo ſic volente, id pendet ab auditione alicujus ferventis Concionis. Si impius auditione Verbi D. non moveatur, ſignum eſt deſperatæ ſalutis. Ad has tres partes veræ pœnitentiæ, ut doleamus de peccatis præteritis, caveamus futura & ſanctè vivamus, neceſſaria & utilis eſt auditio Concionum. In his præcipuè apparet vis, virtus & efficacia Verbi Divini.

§. 1. *Ex-*

Digitized by Google

§. 1. *Exordium eſt propoſitio Concionis.*

§. 2. *Validus ventus evellit quercum: vox Domini commovet peccatorem.*

§. 3. *Quod apparet in converſione S. Pauli.*

§. 4. *Et hodie in converſionibus gravium peccatorum.*

§. 5. *Sæpe, ut impius convertatur, inde pendet, ut veniat ad Concionem. In Concione Chriſti converſa fuit Magdalena. Verbum Dei eſt ventus, fulmen, vox, tonitru in rota.*

§. 6. *Cur Verbum Dei, vel aliqua concio comparetur ſagittæ.*

§. 7. *Pium votum Concionatoris, ut Verbum Dei prædicet ardenter.*

§. 8. *Vox Chriſti excitavit mortuum Lazarum; Verbum Dei excitat mortuos peccatores.*

§. 9. *Verbum D. eſt efficax medicina.*

§. 10. *Licet ſubinde non ſtatim appareat ejus operatio.*

§. 11. *Impium audire ferventem concionem, & non moveri, eſt ſignum deſperatæ ſalutis.*

§. 12. *Verbum Dei eſt frænum retrahẽs à malo.*

§. 13. *Verbum Dei nobis oſtendit, quomodo debeamus fugere inſidias diaboli.*

§. 14. *Gladio Verbi Dei Chriſtus D. ſe defendit, & vicit tentatorem diabolum.*

§. 15. *Vita ſancta dependet ab auditione Verbi Dei.*

§. 16. *Sponſæ Chriſti, quæ libenter audiunt Verbum Dei, placent oculis ejus.*

§. 17. *Duplex unguentum, quo Magdalena unxit Chriſtum D. denotat divitum miſericordiam & auditionẽ Verbi divini.*

§. 1. *Exordiũ eſt Propoſitio Concionis.*

NOn eſt mihi animus Auditores, multa in præſentem quã modò aggredior Cõcionem præfari, propterea, quod tempus admodum breve, & materia dicẽti, longè copioſiſſima occurrat. Dicam ſiquidem de vi atque efficacia ſeminis Verbi Dei; ita tamen, ut non per metaphoras, atque ejuſmodi ſimiles alias probationes allegoricas, quas plurimas & pulcherrimas ſuggerit tum Sacra Scriptura, tum ipſa ſeminis natura, modò id faciam; ſed ut unico tantum huic themati, hodie explanando ſtudeam, nimirum efficaciam Verbi Divini, ex ſeria peccatoris alicujus ad meliorem vitæ frugem, converſione potiſſimũ elucere. Utinam hujus meæ concionis ſemen ita excipiatur, ut in terram cadat bonam atque fœcundam, quo facilius, cum gratia DEI, is quem intendo, animarum fructus enaſcatur.

§. 2. *Validus ventus evellit quercum. Vox Domini cõmovet peccatorẽ.*

Vis & efficacia ſeminis Verbi Divini, patet præcipuè in converſione obdurati alicujus peccatoris; ſub cujus perſona ait Job cap. 36. v. 1. *Super hoc expavit cor meum, emotum eſt de loco ſuo.* S. Auguſtinus hunc verſum ſic legit. *Sed in hoc obſtupuit cor meum, evulſum eſt de loco ſuo.* Unde ille pavor cordis? ille motus, ille ſtupor, illa cordis evulſio? cauſam mox ſubdit citatus Propheta: *Audite auditionem, in terrore vocis ejus, & ſonum de ore ejus procedentem*: quaſi diceret, ideo paveo, ideo timeo, quia audivi vocẽ

Digitized by Google

Domini. S. Auguſtinus ſic legit: *Audite ſonitum terroris & vocis ejus*, quaſi diceret: Audite ſonitum quem ego audio, & nemo mirabitur, quod paveat, moveatur & evellatur cor meum, de loco ſuo. In quo modo loquendi videtur hoc ſimile latere: quemadmodum vis ventorum ſubinde tanta eſt, ut etiam annoſas quercus radicitùs evellat, & ſolo dejectas allidat; eodem planè modo vis Verbi Dei, vehemens aliqua Concio de morte, de inferno, de Paſſione Chriſti, induratum cor peccatoris, tandem ita ſalutari timore percellit, ita movet, ut terrore concutiatur, ut coram Deo humilietur, atque ad pœnitentiam ſemet convertat.

§. 3. Quod apparet in converſione S. Pauli.

Saulus Actorum 9. v. 1. & ſeq. (cujus etiam Actor. 7. verſ. 57. fit mentio, dum S. Stephanus Protomartyr à crudeli & ſceleſta Synagoga, ex mera invidia Scribarum & Phariſæorum, cum ſpiritui, qui ex eo loquebatur, reſiſtere non valerent, lapidibus obrueretur, ad pedes ipſius deponerent Lapidatores veſtiméta, ut eò expediti[9] hunc Crucifixi Confeſſorem lapidibus impeterent) ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini acceſſit ad Principem Sacerdotum & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſceleſtas ſynagogas, ut ſiquis inveniſſet viros ac mulieres, (ſcilicet, qui vel quæ Jeſu Crucifixi nomen profiterentur) vinctos ac legatos in Jeruſalem perduceret, eo tantantummodo fine, ut in carceres conjicerentur, & omni crudeli tormentorum genere afficerentur. Hac poteſtate ſibi à ſceleſta ſynagoga collata, ligandi & conjiciendi in carceres omnes qui crederent in Chriſtum, alacri animo ac furore plenus pergit Damaſcum, & ecce tibi, ſubito de cœlo, in via, qua pergeret Damaſcum, Lux eum circumfulſit, in terram dejecit, & vocem ſibi dicentem audivit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Super hoc expavit cor Sauli, emotum eſt de loco ſuo, obſtupuit; & unde ſtupor? unde pavor in tali & adeo furore pleno milite? Audivit auditionem in terrore vocis de cœlo, & ſonum vocis Domini, procedentis de nube: neque Saulus timuit ſolùm, ſed præ pavore in terram ex equo ſemianimis dejectus, quærit, ibid. verſ. 5. *Quis es tu Domine?* reſponditque vox de cœlo: *Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris: Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Brevis concio, ſed tantæ virtutis, ut Saulus ſtatim *tremens ac pavens* dixerit; *Domine quid me vis facere?* Sic vox de cœlo inſtar vehementis venti dejecit illam quercum. Verbum Domini convertit Saulum.

§. 4. Et hodie in converſionibus gravium peccatorũ.

Idem planè contigit multis peccatoribus. Multis annis, graviſſimis jacent inſepulti ſceleribus; indurata ſunt eorum corda, affixa amori creaturarum, gravib[9] catenis alligata ſub jugo Sathanæ, nulla lux de cœlo, nulla in-

la inſpiratio Spiritus Sancti tale cor terrere vel loco movere poteſt: tandem forte tempore quadrageſimæ, talis impius, aliquis Saulus, aliquis perſecutor JESU Nazareni, venit ad concionem, in qua Concionator exaltat vocem quaſi tubam, quantum poteſt; tonat, acuit linguam ut fulgur, minatur repentinam mortem, citat impios ad judicium, &c. non rarò talis concio, inter radios affulgentis lucis de cœlo, quæ tenebras pellit, inſtar vehementis venti, movet cor, evellit de loco ſuo animum, diffringit catenas pectoris: quod ſi fortaſſis Concionator miſceat has voces: O impii! voſne perſequimini JESUM? veſtrum Salvatorem? veſtrum benefactorem? tum quoque ex commoto & timido corde illa oriri ſolent ſuſpiria, O JESU! *O Domine quid me vis facere*? ut pergam ad Ananiam, ad ſacerdotem, ut peccata mea quibus prô animam, qua mihi nihil melius eſt datum, oneravi, confitear? faciam, ut doleam me fuiſſe cauſam effuſi innocentis ſanguinis? faciam. Domine vis, ut inimico meo, licet me omni injuriarum genere affecerit, licet multa & varia intulerit damna, licet nominis meæ exiſtimationi detraxerit, ex corde ignoſcam? faciam ex intimo corde. Ut jejunē hac quadrageſima, ut pro peccatis meis ſatisfaciam? Ut non peccem amplius? faciam. Tales converſiones, non alteri adſcribere oportet, quàm virtuti, & efficaciæ Verbi Divini.

§. 5. *Sæpe, ut impius convertatur.* Legi Concionatorem, qui audet dicere; hanc gratiam, ut aliquis, qui diu vixit in ſtatu peccati mortalis, convertatur, DEO ſic volente, inde ſæpenumero pendere, ut talis veniat ad concionē, & avidis auribus, animoq; Verbum Dei excipiat. *inde pendet, ut veniat ad Concionē.* Et verò quis ſcit, an ullo unquam tempore illa pœnitentium Magiſtra ac ſpeculum Magdalena ad Salvatorem Chriſtum cōverſa fuiſſet, niſi tandem ejuſdem conciones, quas diu fugerat, frequentaſſet? *In cōcione Chriſti converſa fuit Maria Magdalena.* Hoc certe vitæ illius, converſioniſque hiſtoria haud obſcurè ſignificat, & regius Pſaltes ante deſcripſit Pſ. 76. v. 17. *Viderunt te aquæ DEUS, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbata ſūt abyſſi. Multitudo ſonitus aquarum: vocem dederunt nubes: etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, Vox tonitrui in rotâ.* *Verbum DEI eſt ventus, fulmen, vox tonitrui in rotâ.* Multa occurrunt in hoc locô digna obſervatione. 1. S. Auguſtinus per aquas intelligit peccatores; cor enim impii eſt veluti mare, quod alibi declaro. 2. Abyſſus & profunditas, locus in mari planè abſconditus eſt Conſcientia impii. 3. Et quis turbabit tales aquas? quis commovebit tales abyſſos? materialiter id facit vehemens aliquis ventus, ſpirans ab Aquilone; materialiter id facit ſonus diſſilientis nubis cum fulgure & fulmine decidente in aquas: materialiter maria turbat, vehemens terræ elemētorumq; motus & concuſſio: ſpiritualiter autē conſcientiā alicujus Sauli, alicujus Magdalenæ, movet, turbat, disjicit, angit, cōcutit, inquietat ſonus alicujus Cōcionatoris, aliqua accenſa & fulminans lingua; vibrans ardētes ſagittas de morte, de judicio, quod Chriſtus fecit in concione, in quâ converſa fuit Magdalena; talis ventus, talis vox, tale fulmen eſt Ver-

bum Dei. 4. Vox tonitrui in rotâ lõgisſimæ æternitatis; *Nemo ergò miretur abyſſorum perturbationem*, inquit S. Auguſtinus; nemo ſtupeat peccatorum converſiones, dummodo veniřent ad Conciones.

§. 6. *Cur Verbum Dei, vel aliqua Concio comparetur Sagitta.*

Ignitæ ſagittæ comparatur Verbũ Dei, ex mente ejuſdem S. Auguſtini, quod quidem tranſeat ex ore Concionatoris, ſed non eâ quoque celeritate tranſeat à corde impii; illi quippe inhæret, ibi, Sagitta infixa, ait alibi David, pervadit, pungit, vulnerat, penetrat, ſcindit, accendit, reddit inquietum peccatorem, quoad vulnerati adinſtar cervi provolet ad fontes pœnitentiæ, & rivulum Divinæ Miſericordiæ inquirat. Talis vulnerata cerva ex concione domum rediit Sancta Magdalena. Quot verba Chriſti, tot acutæ & potentes ſagittæ cor ejus vulnerarunt, ſagitta fuit timor DEI, ſagitta, Contritio! Sagitta, igneus quidem amor erga Chriſtum: cum his ſagittis quieſcere non potuit, niſi quando venit ad Chriſtum: quieta non fuit, donec audivit ex ore Chriſti: *Remittuntur tibi peccata tua*, Lucæ 7. v. 49.

§ 7. *Pium Votum Concionatoris, ut Verbum DEI prædicet ardenter.*

O utinam ego hodie, & per inſtantem Quadrageſimam forem talis cœleſtis venator, utinam talis ſagittarius, utinam tam peritus animarum jaculator! Utinam vox mea eſſet validus ventus, utinam nubes gravida fulminibus! Utinam lingua mea foret pharetra plena potentibus, acutis, & ignitis ſagittis! Quis enim ſcit, an non fortasſis cor alicujus ex hoc Auditorum numero ſit abyſſus, plena putridis aquis enormium ſcelerum! tales abyſſos cupio turbare, tales cõmovere aquas, talia corda pervadere, ut JESUM, quem perſequuntur, incipiant timere. Quis ſcit, an non fortasſis ex auditoribus meis ſint aliqui cervi, pleni ſerpentibus vitiorum, quos devorarunt; hos cupio ſcopum & metam mearum ſagittarum; his cupio amarum, non tamen mortis, ſed melioris vitæ vulnus infligere! Verùm ut ſagittæ meæ ſint acutæ, acuam illas ad cotem Noviſſimorum; ut ſint igneæ, accendam illas in ſanctisſimis Vulneribus Salvatoris.

§. 8. *Vox Christi excitavit mortuum Lazarum: Verbum D. excitat mortuos peccatores.*

Alii Concionatores ſic loquuntur, vel thema meæ concionis his verbis proponunt. Auditio Verbi Divini excitat animam impii à morte peccati! Pulcra hujus rei nobis, ſuppetit figura cap. 11. v. 43. S. Joannis; Jacebat Lazarus per quatriduum in ſepulcro mortuus, jam fœtens, & quidem ligatus manibus & pedibus, ut refert Evangeliſta. Accedente tamen Chriſto Domino reſurrexit, & ſolutis vinculis prodiit foras è ſepulcro: ideo, quia, *JESUS voce magnâ clamavit, Lazare veni foras.* Rupertus de victoriâ verborum DEI, c. 18, *Opportunè Evangeliſta hac perſcripſit, quia videlicet conſequitur, ad illius vocantis vocem, vim facillimam extitiſſe, qua illum pariter & vivificavit & de monumento expulit, qui, cum eſſet ligatus pedes & manus inſtitis, nec manibus, nec pedibus exire poterat.* Frequentisſimè, vi & efficaciâ Verbi divini miraculum hoc Chriſti Spiritualiter innovatur, ſæpe non per quatriduum ſed quatuor annos, imo plures, aliquis

quis

Digitized by Google

quis adulter, aliquis uſurarius, jacet in monumento ſcelerum, veluti Lazarus conſepultus; DEO volente accedit aliquis Concionator, clamat pro Chriſto ſuo, vel in perſonâ Salvatoris, Lazare! tu peccatrix anima, tu impie, tu avare, tu laſcive, &c. *prodi foras*; ſat diu fœtuiſti in oculis meis: ſat diu jacuiſti in ſcelerum monumento; prodi aliquando, prodi! hæc vox tubæ eſt altiſſimæ, hoc eſt illud è nubibus miſericordiæ divinæ excuſſum tonitru, quod cor peccatoris, ita momento pervadit, ut vitam illi non auferat, ſed reſtituat. Sint licet miſero per pravam peccandi conſuetudinem ligatæ manus, cum Lazaro quondam; ſint conſtricti funibus pedes; ſi tamen expeditæ ſunt ad audiendum & intelligendum aures, ſi audiant ignotũ eloquium, conſequitur vis aliqua facillima divina nẽpe, quæ mortuũ pariter vivificet, & de monumento expellat.

§. 9. **Verbum Dei eſt efficax medicina.** Eadem de cauſſa Verbum Dei cõparatur Medicinæ: prout enim hæc ſanat vulnera, & infirmitates corporis; ita Verbum Dei curat vulnera animæ: Sap. 16. v. 12. *Etenim neque herba, neque malagma, ſed tuus ſermo Domine ſanavit eos.* Videtur Salomon præ oculis habuiſſe ea vulnera, quibus Hebræi ab ignitis ſerpentibus, in deſerto læſi fuerunt, & ſimul medicinam. Probabile eſt populum quæſiviſſe medelam in herbis, in unguentis, ſed fruſtra: læſi ſtatim moriebãtur: donec Moyſes colubrũ affixum cruci in altum erexit, cum acerbâ exprobratione, quâ illos hortatus fuit ad pœnitentiam & timorem DEI; quo facto virulenti illi ſerpentes ſunt diſſipati. Mihi Moyſes figura eſt ignei alicujus Concionatoris, qui hinc Chriſtum pendentẽ in cruce oſtendit, hinc fervida concione de morte, de judicio, inferno, Paſſione, Cruce adhortatur impium ad pœnitentiam: ſic profectò, ſic plurimi ſalutem animæ perditam reſtaurarunt. Vis Verbi divini occidit ignitiſſimos ſerpentes, & tartareos colubros.

§. 10. **Licet ſubinde non ſtatim appareat ejus operatio.** Neque intereſt, quod frequenter hæc vis & virtus non ſtatim appareat, cum multi audiant ferventes conciones, neque tamen illico convertantur; placet enim mihi obſervatio Roberti Holkot in c. 16. Sap. dum ait: *Sicut medicina non ſubito ſanitatis effectum inducit, ſed per proceſſum temporis, & cùm morâ, ita Verbum Dei auditum, aliquoties auditorem, non ſubito convertit, ſed cum fortaſſis in animâ ejus, quievit per viginti annos, tunc primò incipit operari, tunc ſuam vim virtutemq́; cœleſtis hæc medicina exercere animadvertitur.*

§. 11. **Impiũ audire ferventem Concionẽ, & non moveri, eſt ſignũ deſperatæ ſalutis.** Magni ponderis eſt quoddam dictum celebris alicujus Concionatoris, quo affirmat, impium aliquem audire vehementem Concionem, vel Verbum Dei, & ſine fructu, ut non moveatur; eſſe ſignum deſperatæ ſalutis: cogitare poſſumus, talem nunquam convertendum. Probat hoc ex cap. 17. S. Lucæ. Ubi epulo ex inferno inter flammas, inter quas ſepultus jacet, & æternum jacebit, elevans in altum oculos ait v. 16. *Rogo te Pater, ut mittas eum in domum Patris mei,* nimirum Lazarum, *habeo enim quinque*

Digitized by Google

qui fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum, & ait illi Abraham: *habent Moyſen & Prophetas, audiant illos.* At ille dixit: *Non Pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos*, (ut concionetur illis) *pœnitentiam agent.* Repoſuit tandem Abraham hoc epiphonema: *Si Moyſen & Prophetas non audierint, neque, ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Perinde ac ſi diceret: Hoc ſi medio uti noluerint, ſi eorum, quos ipſis Deus ſubmiſit, præconum concionatorumque ſermones contemptui habere, ſi Moyſis conciones ſubterfugere, ſi ſe aliorum Prophetarum exhortationibus ſubducere pergant, deſperata jam eſt illorum ſalus, actum eſt conclamatum eſt; fruſtra de mittenda ex inferis umbra, ſollicitas; fruſtra de aliis mediis cogitas: qui concionibus, qui auditione Verbi Dei non moventur, nunquam convertentur. Utinam proinde de futura quadrageſima dici poſſint verba S. Joannis cap. 5. v. 28. *Nolite mirari hoc, quia veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent in reſurrectionem vitæ.* Hæc ſpiritualis reſurrectio, ſive ſeria converſio peccatoris exigit 1. dolorem de peccatis præteritis, qui dolor eſt fructus Verbi Divini, ut jam oſtendi, 2. Ut peccator juſtificatus non peccet amplius, ſed deinceps piè vivat; ſed & hic fructus naſcitur ex efficacia Verbi divini, quod paucis oſtendo.

§. 12. *Verbum Dei eſt* Pſal. 118. v. 11. ait Pſaltes, *ut non peccem tibi*, id eſt, ſtatui firmiſſimè, non amplius peccare, & addit modũ, quo ſperat ſe hanc gratiam obtentu *frænum retrahens à malo.* rum: *In corde meo abſcondi eloquia tua.* S. Chryſoſtomus legit: *In cordis ærariis eloquia tua occultavi, ne in peccata ruam.* Itaque auditio Verbi Dei, Regi Davidi, fuit veluti quoddam frænum, quod ipſum cohibuit à lapſu in priora peccata. Pſal. 36. v. 31. ait: *Lex Dei in corde ejus, nõ ſupplantabuntur greſſus ejus.* Dicã hic aliquid, quod fortaſſis multis videbitur paradoxon, & tamen ob quotidianam experientiam negari non poteſt, quâ videmus, illos, qui libenter audiunt conciones, qui frequenter veluti terra bona, in corde optimo excipiunt ſemen Verbi divini, vivere piè, declinare à malo, & facere bonum, non facilè tales labi in peccata mortalia, vel ſi ex humana imbecillitate labantur, mox reſurgere. Econtra, dicite ſi quem noſtis notorium blaſphemum, aut avaritiæ ſordibus immerſum divitem, aut Veneris laqueis irretitum mancipium; dicite inquam, ſi eum frequenter, conſtanter, conciones audire; ſi eum Verbi Dei amatorem noviſtis vel vidiſtis unquam: nequaquam certè, quin potius fugiunt, ut lucem noctuæ cathedras ſacras; horrent audire ſcelerum ſuorũ exprobrationes; ſacrum concionis tempus, aut dormiendo, aut ludendo, &c. traducunt: hic illorum eſt genius, hic vivendi modus, hæc conſuetudo. Si verbum Dei cum fructu audirent, aliter viverent. Rarò ejuſmodi excipiunt divinũ illud ſemen, hinc ſpinæ & lolia. S. Chryſoſtomus hom 4. in Gen. hoc ſimili fuit uſus; *Sicut eſurire corporalis ſanitatis indicium eſt; ita & ſtudio magno audire*

audire

audire divina eloquia, bona animæ valetudinis certiſſimum eſt argumentum.

§. 13. *Verbum Dei nobis oſtendit, quomodo debeamus fugere inſidias Diaboli.* Ut quis non peccet amplius; neceſſe eſt fugere occaſiones peccandi, & vincere tentationes diaboli: ad utrumque neceſſe eſt Verbum Dei. A columba diſcere poſſumus modum evadendi inſidias diaboli. *Oculi tui*, ait Sponſus Cant. 4. v. 2. *columbarum ſuper rivulos aquarum.* q. d. Anima, quæ cavere vult inſidias infernalis accipitris, ſimilis debet eſſe columbæ quæ ſéper hæret juxta rivulos, & illos veluti aliquod ſpeculum frequentiſſimè intuetur: nam ut ait Vener. Beda, l. 5. in Cant. *Columba juxta rivulos reſidere ſolet, ut venientis umbram accipitris in aquarum perſpicuitate prævideat, ac ſic immunis omne periculum evadere poſſit, avolando ſtatim ad aliquam maceriam.* Clarius adhuc Philo Carphatius in Cant. *Cum columbæ ſupervolitantium rapaciſſimarum avium umbram in aquis ipſis intuentur, avolando ſtatim, lethales ungues effugiunt: debent etiam fideles, ita in ſacrarum literarum lucidiſſimis aquis inſpicere, ut ſupervenientes fallaciſſimorum Dæmonum rapinas, inſidias & fraudes ex ſanctiſſimis præceptis Scripturarum atque conſiliis feliciſſimè declinent.* Nihil opus eſt addere. Conciones ſunt rivuli, ſunt aquæ, ſunt ſpecula, in quib. illas inſidias diaboli, perſpicere & qua ratione vincere & evadere poſſimus, ac debeamus, fugiẽdo & avolando ad Chriſti vulnera, clariſſimè perſpicimus. Pſal. 35. v. 10. *Quoniam apud te eſt fons vitæ: in lumine videbimus lumen.*

§. 14. *Gladio verbi Dei Chriſtus D. ſe defendit & vicit tentatorem Diaboli.* Matth. 4. acceſſit tentator, & Salvatorem aggreſſus fuit triplici telo, gulæ, ſuperbiæ, avaritiæ. Potuiſſet Chriſtus D. unico verbo, de cœlis advocare legiones Angelorum; & illas Sathanæ opponere; potuiſſet unico verbo tentatorem præcipitare in tartarum, ſed uſus fuit ſolo gladio Verbi Divini & Sacræ Scripturæ, de quo Paulus Burgenſis in Pſ. 90. ait *Cum adverſarius tentando circumiret per diverſa vitia: Chriſtus circumdedit ſe ſcuto veritatis; quamlibet enim tentationem evacuavit per authoritatem Scripturæ, quæ eſt Veritas æterna, ut nos* (addit S. Ambroſius in 4. in Lucam) *vincere crimina Scripturarum præſidio diſcamus.*

§. 15. *Vita ſancta dependet ab auditione.* Vita deniq; ſancta hominis Chriſtiani, & fructus bonorum operum multum pendet ab auditione Verbi Divini, quod Pſaltes hoc ſimili declarat: Pſ. 1. v. 4. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum: hic erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum,* ſive ſimilis erit pulcræ arbori, cujus radices ab alluente rivulo rigantur. S. Damaſcenus l. 5. de fide c. 18. *Quemadmodum arbor plantata juxta aquas, ſic Anima Scriptura divina irrigata impinguatur, & maturum fructum affert, fidem orthodoxam, & ſemper viventibus foliis, id eſt, placentibus Deo virtutibus decoratur.*

§. 16. *Sponſæ Chriſti, quæ libenter audiunt Verbum D. placent oculis ejus.* Hæc vocula, *decoratur*, in memoriam mihi revocat cap. 24. v. 12. Gen. ubi Abraham ſenex, ſervum ſuum fideliſſimum adjurat, ut ducat filium ſuum Iſaac in Meſopotamiam, ibiq; illi quærat uxorem, præparatam à D. Abeunt & veniunt in urbem Nochor, circa veſperum, tempore, quo ſolent mulieres exire, ad haurien-

dam aquam ex puteo, & ait ſervus: *Domine Deus, &c.* (vide locum cit. cap.) Subtiliter hunc locum examinat Origenes, dùm quærit; *Tantine fuit haurire aquam, ferre amphoram, venire, exire ad puteum, ut Rebecca eligeretur in ſponſam Iſaaci?* In ſenſu morali, Iſaac ſignificat Chriſtum D. Rebecca animam, quæ illi veluti ſponſo per fidem & ſanctam vitam eſt deſponſanda; per fontem intelligi poteſt Venerabile Sacramentum. Rupertus: *Eſt fons paradiſi, qui terram univerſam irrigat*; vel fontes ſalutis ſanctiſſima vulnera Chriſti, & ſacroſancta Sacramenta, quæ animæ piæ frequenter debent accedere. Origenes per fontem intelligit Verbum D. & aptiſſimè; O pretioſum fontem! accedite ad illum, ſi quæ ſponſum cum Rebecca quæritis peccatrices animæ! hic & non alibi Divinus vos Iſaac quærit, hic ſe vobis cupit deſponſare cœleſtis Amor; hic corda veſtra lavare, irrigare, vivificare. Origenes: *Animarum eſt iſta eruditio, & ſpiritualis doctrina, quæ te inſtituit & docet, quotidie venire ad puteos Scripturarum, ad aquas Spiritus S. & haurire ſemper, ac plenum vas domum ferre.*

§ 17. *Duplex unguentū quo Magdalena unxit Chriſtū, denotat divitum miſericordiam & auditionem Verbi D.*

Volui præterea oſtendere, Auditionem Verbi D. comparari oleo, quo nutritur lux fidei, caritatis, aliarumque virtutum, & bonorum operum. Sed illud jam ſuppono & finio Concionem pulchro loco ex hiſtoria S. Mariæ Magd. Bis illa Chriſtum unxit pretioſo unguento. Luc. 7. v. 38 in domo Simonis primâ vice ejus pedes, ut notum eſt. Deinde Matth. 26. v. 7. ſanctiſſimum Caput. *Cum Jeſus eſſet in Bethania, acceſſit ad eum mulier, habens alabaſtrum unguēti pretioſi, & effudit ſuper caput ejus:* & utraque vice id valde placuit Chriſto D. Ait Origenes tract. 35. in S. Matth. prius oleum in ſenſu myſtico ſignificaſſe Miſericordiam & liberalitatem erga egeneos, poſterius auditionem Verbi Dei: ſedebat libenter juxta pedes magiſtri, & ab illo non diſcedebat. *Certiſſimè cognoſcentes, quod per oleum ubique in Scriptura aut opus miſericordiæ intelligitur, quo lucerna Verbi enutrita clareſcit; aut doctrina, cujus auditu aſſiduo Verbum Dei, quod eſt accenſum in nobis, nutritur.* Felices dico Divites Bambergenſes, dico placere oculis Chriſti, ſi duplici hoc unguento ſint inſtructi. Si ſint miſericordes, & libenter audiant Conciones. Poteſt ex his fieri pulcher Epilogus.

CON-

CONCIO XIII.

Conciones ſeptem, ſuper quæſtionem illam:

Quare Chriſtus Dominus mori voluerit & debuerit in Cruce: tractatam per Quadrageſimam.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

CONCIO I.

Poſtquam flagellaverint, occident eum, Luc. 18. v. 33.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN hac & ſecuturis Concionibus expenditur cauſa; quare Chriſtus D. mori voluerit, debueritque in Cruce. Nunc cauſa prima confertur in amorem, qui omnium ejus dolorum ac cruciatuum auctor extitit, id quod probo ex ſanctiſſimis Patribus. Tum varia ſanctæ Crucis & divini amoris elogia aſſero, in vulnere lateris Crucifixi illum videri, quod declaro exemplo Reginæ gravidæ, hoſtili ferro trajectæ. Coreſi & Calithoës hiſtoriam applico Amori Divino in morte Chriſti elucenti. Ardentes affectus amoris mutui erga Crucifixum.

§. 1. *Verſus 23. ex cap. 1. ep. 1. ad Cor.* Nos prædicamus Chriſtum Crucifixum.

§. 2. *Propoſitio. Ex ſeptem Concionibus, ſuper hanc quæſtionem, quare Filius DEI elegerit mortem Crucis, hac accuſabit Amorem, hunc fuiſſe Auctorem tam turpis mortis.*

§. 3. *Funeſtum ſpectaculum fuit Filius DEI pendens in Cruce.*

§. 4. *Nobis repræſentans magnitudinem caritatis, ex qua hoc genus mortis pro homine elegit.*

§. 5. *Ut proinde Amor fuerit præcipuus auctor mortis in Cruce.*

§. 6. *Quod declarant modi loquendi Sanctorum Patrum per elogia Crucis, v. g. quod ſit thronus, currus, &c. Amoris.*

§. 7. *Et quod Chriſtus in Cruce fuerit Phœnix, Pelicanus, Columba, &c. Amoris.*

Amoris. Inſigne & memoriale ejuſdem.

§. 8. *Proſecutio per ſimilia elogia. Totus Crucifixus eſt imago Amoris.*

§. 9. *Feneſtra Arcæ Noë, fuit figura lateris Chriſti.*

§. 10. *Amor Crucifixi, ſive cauſa ejus necis repræſentatur brevi hiſtoria.*

§. 11. *Ut hac Charitas Chriſti cum S. Paulo nos urgeat.*

§. 12. *Affectuoſa Hiſtoria de Coreſo & Calithoë.*

§. 13. *Applicatur morti Chriſti, & Natura Humana.*

§. 14. *Ardentes affectus Amatorum Crucifixi.*

§. 35. *Unde inflammentur.*

§. 1. Verſu 23. ex c. 1. ep. 1. Corinthir. Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum.

ALiquoties his diebus proſtratus ad pedes Crucifixi coram Venerabili Euchariſtia rogavi Jeſum Salvatorem meum, ut dignaretur mihi ſuggerere materiam pro inſtantis Quadrageſimæ Concionibus: cum ecce mihi his flagranti deſideriis cum peculiari quodam ſolatio occurrit v. 23. ex c. 1. epi. ad Corinth. *Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum*, & ex c. 2. v. 2. ejuſdem ep. *Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum.* Quorum in conſideratione verſuum, dum inſpicerem textum hodierni Evangelii, primo ſtatim intuitu oculis meis citata jã verba acciderunt. *Poſtquam flagellaverint, occident eum.* Hæc itaque legens cogitavi; Voluntas Salvatoris mei eſt, ut hac Quadrageſima in meis concionibus prædicem Chriſtum Crucifixum, ad quod amplius me confirmarunt notiſſima illa verba S. Bernardi; *Sit tibi Jeſus ſemper in corde & nunquam imago Crucifixi ab animo recedat. Semper illum cogita pro te in cruce pendentem.* Hoc opto, hoc deſidero, Auditores mei in Chriſti viſceribus dilectiſſimi, ut hac Quadrageſima, quam Deo volente per triduum ordiemur, & ut hoc triduo quadraginta horarum coram ſanctiſſimo Sacramento ab animis veſtris nunquam recedat imago Crucifixi, & ſemper ſit in cordibus veſtris, & ut illa quæ de materia hac dicturus ſum, pia attentione auditatis. Hoc moneo, non dicturum me de Chriſto Crucifixo, illo modo, qui in concionibus de paſſione, præſertim in ſeptimana ſancta obſervari conſuevit: in ſeptem Concionibus hanc unicam tractabo quæſtionem; ob quas cauſas Patri cœleſti placuerit Filium Dei pro humano genere mori & occidi in cruce.

§. 2. Propoſitio. Ex ſeptem Concionibus ſuper hanc quæſtionem; quare Filius Dei elegerit mortem Crucis, hæc accuſ.

Modò autem ſub Cruce ſtatuam Amorem in forma venuſti juvenis, hunc accuſabo veluti Auctorem tam ignominioſæ necis. Hunc ſiquidem aſtitiſſe comperio in monte Oliveti Amorem, & dixiſſe, ſudet ſanguinem Chriſtus & ſuadavit: Hunc funibus inſtructum atque catenis dixiſſe: Ligetur Chriſtus, conſtringatur, raptetur captivus; & fuit ligatus, conſtrictus, raptatus. Hunc ſæva

Digitized by Google

ſabis amorem; hunc fuiſſe auctorē tam turpis mortis.

ſæva protulit: flagella, acutas ſpinas, arundin[illegible], vilem purpuram, gravem crucem, immites clavos, amarum fel & acetum, crucem, lanceam, ut omnia hæc paſſionis inſtrumēta & arma deſævirent in corpus Jeſu, & deſævierunt. Omnium cauſa fuit Amor. In concilio de electione mortis, quâ moriendum Filio Dei, Amoris ſententia prævaluit. Morte turpiſſimâ Crucis debet mori. Et Filius DEI huic ſententiæ ſubſcripſit, hanc mortē elegit, ut agnoſcat mundus in cruce illum fuiſſe mortuum ex infinito amore: quod jam pluribus veſtrâ cum benevolentiâ & attentione declarare aggredior.

§. 3. Funeſtum ſpectaculū fuit Filius Dei pendens in Cruce.

Funeſtū ſpectaculum, drama tragicum oculis noſtris exhibet hodiernum Evangelium, ſcilicet illud, quod ante annos mille ſexcentos triginta aliquot exhibitum fuit in monte Calvariæ; Filium DEI morientem in Cruce! Non ignoro, pro Redemptione generis humani Filius DEI mori debuit; alius pro homine, ut condigno pretio redimeretur, mori non potuit, quocunque mortis genere; hâc tantum morte Filii DEI, ſive hominis, qui DEUS eſſet, rigori divinæ Juſtitiæ pro tam immani debito potuit ſatisfieri. Verùm quid neceſſe fuit illum mori, morte tam pœnosâ, tam propudiosâ, tam acerbâ? nunquid? nunquid ipſe Spiritus S. in libro Sapientiæ illam vocavit *mortem turpiſſimam?* nunquid cap. 21. v. 23. Deuteronom. ait: *Maledictus qui pendet in ligno.* Nunquid S. Paulus ait, 1. epiſt. cap. 1. v. 23. ad Cor. *hanc mortem Judæis eſſe ſcandalum, gentibus ſtultitiam?* Si mori debuit, cur in monte Calvariæ? & non in aliquo paradiſo? cur inter oſſa cadaverum, & non inter arbores & flores horti voluptatis? cur inter latrones, non inter Seraphinos? cur in cruce, non in Regio lecto? cur inter blaſphemias, non inter Angelorum Pſalmodias? cur inter ſpinas, non inter roſas? Si mori debuit, cur in tantis doloribus? ille innocens, ille Sanctus in quo non fuit dolus? qui peccare non potuit? Quid peccavit illud adorandum caput, ut coronari debuerit ſpinis? quid virgineum corpus, quod flagellis fuerit laceratum? quid manus & pedes, quod clavis ſint affixi ligno Crucis? quid divini capilli, quod ſint partim evulſi, partim ſanguine concreti? quid genæ, quod ita percuſſæ colaphis & alapis? quid peccavit venuſtiſſima illa facies, quod ſit oblita ſputis? quid amantiſſimum cor JESU, quod apertum lanceâ? Quis fuit imanis, crudelis ille lictor? ni fallor, oculos veſtros directos video in Crucifigentes. Sed ego inter illos video parvum ſed formoſiſſimū Puerum; ex veſtibus, ex aliis indiciis colligo eſſe Amorem. O crudelem Puerum! O ſævum Amorem! hic flagellavit Filium Dei, hic alligavit columnæ, hic coronavit ſpinis, hic Cruci affixit. Volo dicere: Ut Filius Dei oſtenderet, quantum diligeret genus humanū, mori pro illo voluit, non quavis morte, ſed morte Crucis: quod S. Paulus admiratus dixit ad Phil. 2. v. 8. *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Amorem

rem itaque accuſo, hunc ajo eſſe mortis tam infamis, tamque acerbæ auctorem.

§. 4. *Nobis repræſentās magnitudinem caritatis, ex qua hoc genus mortis pro homine elegit.*

Sentit mecum S. Chryſologus ſer. 60. de ſymb. *Audis Crucifixum! ut ex mortis ignominia magnitudinem ſentias caritatis.* Cum luditur inſignis aliqua tragœdia, quæritur: Quis ſit auctor? quis invenerit? quis compoſuerit? quis luſerit? An aliquis ſæculi hujus Seneca? an aliquis Cauſinus, an Balde, an Joſephus Simon, an Avaruinus? Tragicam oculis noſtris exhibet ſcenam hodiernum Evangelium. Auctorem quæritis? eſt Amor! quis diviſerit in has ſcenas, in cruentā flagellationem, in illuſionem, in in ſpineam coronationem, in bajulationem crucis, in Crucifixionem? diviſit Amor. Quæritis, quis luſerit? luſit Amor.

§. 5. *Vt proinde Amor fuerit præcipuus auctor mortis in Cruce.*

Ideo auctorem hujus necis, & rerum condemnat S. Bernardus his verbis, tr. de paſſ. *Contendebant Paſſio & Caritas; illa ut plus ruberet, iſta ut plus arderet, ſed mirabiliter rubebat paſſio per ardorem caritatis maxima & incomparabilis.* Videtur vir ſanctus hoc voluiſſe inſinuare. Qui corporis oculis conſiderant cauſam mortis Chriſti, ſibi habent perſuaſum, immania illa vulnera in toto corpore ex flagellatione, illas profundas læſiones capitis in ſpineâ coronatione, illas hiantes plagas manuum & pedum in crucifixione, illos immenſos dolores in toto decurſu paſſionis, fuiſſe cauſas naturales mortis Chriſti: verum qui oculis mentis rem altius indagant, tandem exclamant, Ah! Amor fecit! hic acutas plantavit ſpinas, & poſtmodum decerpſit pro ſpineâ corona! hic clavos acuit, hic flagella & virgas colligavit, hic aceti & fellis, promus condus, hic omnium auctor Vulnerum. Amor! ah Amor fecit: Filius DEI nimium nos amavit, ideo hanc mortem elegit! ſic mori voluit, ut ſciamus quod nos amarit; ideo puto Sanctos Patres his & ſimilibus modis loquendi uti voluiſſe.

§. 6. *Quod declarant modi loquendi S. Patrum, per elogia Crucis, v. g. quod ſit thronus currus, &c. Amoris.*

Sanctiſſima Crux fuit thronus & regius thalamus, in quo Rex & Sponſus, tum doloris, tum amoris, mori voluit. Crux fuit triumphalis currus, in quo Amor in pulcerrimum triumphum DEI Filium, captivum Amoris circumducere geſtiit. Rex doloris, alio redimiri diademate non debuit, niſi ſpineo, Sanguis Crucis regia fuit purpura, in quâ triumphans amor ſuam voluit majeſtatem exhibere. Annuli & catenæ fuerunt clavi! *habet enim clavum ſuum Caritas*, ait S. Ambroſius. Expanſa in Cruce brachia fuerunt arcus amoris, Verba in Cruce prolata, tela caritatis. Alii S. Patres ita loquuntur.

§. 7. *Et quod Chriſtus in Cruce fuerit Phœnix, Pelicanus Columba inſigne & Memoriale Amoris.*

Expiravit Chriſtus in Cruce velut Phœnix amoris, in nidulo amoris, inter ligna, flammas & ardores amoris. Expiravit velut Pelicanus Amoris, qui ut aperto corde & latere ſuos pullos paſceret, ſic pavit & occidit. Expiravit velut columba Amoris quæ dum in palmam & Olivam crucis evolavit, decerptura ramos pacis, ab amore telo caritatis ſaucia in palmâ crucis extincta eſt. Sponſa crucem ſponſi vocavit *vexillum caritatis*, quod, (ut S. Laur. Juſtin. l. tr. de agone Chriſti cap. 17. ait) tunc erectum fuit, cum in crucis ſtipi-

ſtipite confixus eſt Chriſtus, atque in monte Calvariæ elevatus. Elegantisſimè ait Clemens V. de Venerabili Euchariſtia; *Mors Chriſti in cruce, inſigne eſt amoris eximii, dulcisſimumque ac ſacratisſimum memoriale, ſive annulus amoris quo ſponſus Amoris teſtatur ſponſæ, ſe caſtisſimo illius intimoque amore flragraſſe.*

§. 8. *Proſecutio per ſimilia elogia? Totus Crucifixus eſt imago Amoris.*

Hinc alii pulcherrimi tituli, Sanctiſſima Crux in quâ Chriſtus obiit, eſt Altare Amoris; victima amoris fuit Filius DEI, Mors Chriſt. in cruce fuit ſacrificium amoris, & holocauſtum, totum flammis amoris cõſumptum. Mors Chriſti in Cruce fuit miraculũ amoris, ingens enim miraculum fuit, Filium DEI potuiſſe mori: Majus! potuiſſe mori in Cruce! Corpus Chriſti in cruce vulneratum obſonium & eſca eſt amoris. O delicatum amoris bolum! præ quo deſipit, quidquid delicatum eſt, de quo dulce facit Cœlum æternitatis convivium. Sanguis vero crucis, eſt potus amoris, expreſſus ex dulciſſimo botro, qui in vite evangelicâ maturuit ab Amoris ſole, & in torculari crucis Amoris operâ expreſſus fuit, tanta copia, ut toti mundo redimendo ſufficiat. Proponitur ille in noſtros uſus, in amoris palatio, in Eccleſia: in amoris menſa, in Euchariſtia: in cratere philoteſio; quo potu qui ebrius eſt, is ſuavisſima eructat amoris ſuſpiria; nihil optat terrenum, faſtidit, quidquid eſt caducum. Crucifixi verba, quid fuerunt, quid ſunt niſi jacula Amoris? adeo omnes amavit, ut ipſis hoſtibus primas amoris in cruce tribuerit, veniam pro illis, tam amoroſis verbis à Patre rogans. Quid amabilius, ſponſione paradiſi factâ ſcelerato latroni? quam dulcis illa Joannis ad Matrem commendatio: quàm amica amantis Filii ad Patrem expoſtulatio, *DEUS meus, ut quid dereliquiſti me?* Matth. 27. verſ. 46. Quanta ſitis amoris? *Sitio:* quam cõſtans Amor, qui ex theatro dolorum recedere non voluit, niſi dicere poſſet, *Conſummatum eſt*, & amoris ſcenam, patiendo ſimul & moriendo clauderet. Quam ſuave amantis in manus paternas & expirantis ſuſpirium; *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Denique omnia Crucifixi geſta, fuerunt Amoris argumenta. Crucifixi derelictio eſt amoris ſolitudo. Crucifixi dolores, Amoris ſtimuli, Crucifixi nuditas, amoris ſpolium; adeo liberalis eſt Amor, ut præter nuditatem nihil ſibi proprium vendicet, nihil in ſuos uſus retineat. Crucifixi paupertas, eſt amoris opulẽtia. Crucifixus deniq; totus amoris trophæũ eſt. In dulciſſimo hoc diſcurſu oculos mentis elevate ad apertum latus, & transfixum Cor Chriſti; illud inſpicite, & de ejus in nos amore nequicquam dubitabitis.

§. 9. *Feneſtra Arcæ Noe fuit figura lateris Chriſti.*

Arca Noë unicam ſuperius habuit feneſtram, per quam lumen ſolis incidit, quæſtio eſt, ex qua materia fabricata fuerit illa feneſtra. Hebræi dicunt fuiſſe fulgentisſimum carbunculum, qui radios ſolis excipiens, & in arcam trajiciens illam illuminavit. Sentiunt alii fuiſſe mundisſimam cryſtallum, fundantque ſe in ſcriptura, in quâ in hebraico feneſtra illa vocatur *Tahoraim*, id eſt, meridies, qui per illud vitrum radios ſolis arcæ communi-

municavit. Sed ut ſe illud habeat. Sciunt pleriq; arcam eſſe ſymbolum ſanctiſſimæ Humanitatis Chriſti, & diviniſſimi illius corporis, in quo Divinitas habitavit. Feneſtræ hujus arcæ, ſive carbunculus, ſive cryſtallus fuerit, repræſentat vulnus lateris & Cordis Crucifixi. Adeſte animæ piæ, accurrite, inſpicite per hanc feneſtram; in dulciſſimo illo palatio, nihil videbitis, niſi amorem. Vocant Sancti Patres illud vulnus, *oſtium vitæ*, *oſtium gratiarum*; placent mihi modo qui appellant *Oſtium Amoris*, ſive *feneſtram*, per quam inſpicere licet, quantopere nos amaverit Salvator. Antequam Longinus illud lanceâ aperuit, bene dixit Pilatus; *Non invenio in eo cauſam mortis*: poſtquam patet cor imani vulnere, patet quoq; cauſa, ſcilicet Amor!

§. 10. *Amor Crucifixi ſive cauſa ejus mortis, repræſentatur brevi Hiſtoria. Toled. lib. 5. de rebus Hiſp.*

Teſte Rodericio Toledano l. 5. de rebus Hiſp. Mauri. aliquando cum copioſo exercitu improviſo invaſerunt regium palatium Regis Caſtellæ, &, ô rem non modò viſu, ſed & auditu, dictuque triſtem atque luctuoſam! primo aſſultu corpus & venter Reginæ gravidæ hoſtili ferro tam hianti vulnere ſauciatus fuit atq; apertus, ut regius infans, quem utero geſtabat, plenus ſanguine Matris ab omnibus conſpiceretur: fuit is deinde Rex Sanctius Garſias. Suo modo hoc accidit in mõte Calvariæ. In morte Chriſti gravidũ erat ejus pectus & Cor. *Unus militũ lancea latus aperuit*; accurrite, inſpicite, in corde veluti throno videbitis ſedẽtem Regium Amorem totum ſanguineũ. S. Bernard. de paſſ. cap. 3. *Propterea eſt vulneratum Cor Chriſti ut per vulnus viſibile, vulnus amoris inviſibile videremus.*

§. 11. *Ut hæc Caritas Chriſti, cum S. Paulo nos urgeat.*

Utinam nos viciſſim diceremus cũ S. Paulo 2. Cor. c. 5. v. 14 *Caritas Chriſti urget nos*, q. d. diſcurro de provincia in provinciam, ſum in itineribus, in periculis, terra : [illegible] rique: charitas Chriſti urget me. Libenter vincula, libenter carceres, libenter quaſvis fero perſecutiones: charitas Chriſti urget me: ſi enavigandum æquor, non me terrẽt procellæ: ſi adeundæ gentes barbaræ atq; incultæ: nõ me retrahit ferocia: ſi peragrandus totus terrarum orbis, non me fatigant labores: ſi ſubeundus Cæſaris atque tyrannorum conſpectus, non me retardant pericula. Caritas Chriſti urget me, ſed unde illa vis? ille fervor, ille ignis caritatis in S. Paulo? ipſe reſpondet; *Æſtimantes hoc, quoniam pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*: ſic eſt, qui intelligunt & æſtimant, quantum beneficium ſit Redemptio generis humani per mortem crucis: qui perpendunt & ponderant magnitudinem amoris, ex quo Chriſtus in cruce pro nobis mori voluit, urgentur caritate Chriſti, ut ita vivant, ut non jam ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt: imò cum Chriſto & ſancto Paulo cupiunt affigi Cruci, & vivunt non jam ipſi, ſed Chriſtus Crucifixus in ipſis. *Verè molle amoris ſtratum*, (inquit Gilbertus ſer. 19. in Cant.) *in quo etiam inter injurias tam ſuaviter quieſcitur, quid enim in illo eſt, quod non ejus nobis & caritatem exhibeat, & noſtram exigat. Totus nobis caritatis illecebra, & invitamẽtum amoris.*

Sed

§. 1 *Affectuoſa hiſtoria de Coreſo & Calithoë.* Sed mutuum hunc amorem inter nos & Chriſtum Crucifixum meo judicio clarè & jucundè explicabit, brevis ſed affectuoſiſſima hiſtoria. Patris in Achaia, ſacerdos idololatra, nomine Coreſus, perditè amavit formoſiſſimam in urbe Virginem Calithoën, ſed amavit Coreſus, Calithoë Coreſum cane & angue pejus odit. Faciebat Coreſus, quæ talis amor ſolet ſuggerere. Calithoë illa, quæ odium, ira, averſio ſolent excogitare & ſaudere. Invaſit ſub id tempus urbem peſtilens lues, cum ingenti ſtrage populi. Conſuluntur ab urbis primoribus Deorum oracula, quid medii, ſive qua ratione deorum ira placari poſſit. Reſponſum mox ſequitur, unicum ad hoc ſupereſſe remedium, ſi Coreſus ſua manu & ferro, volentem immolet Calithoën, vel alium, qui ſponte pro Calithoë mori, & victima eſſe decernat, hoc ſanguine, non alio elui poſſe illam luem. Ah! triſte nuntium! horruit Coreſus; exhorruit magis Calithoë, circumit hæc, quærit hominem, qui pro ſe mori velit, offert aurum & opes, ſed fruſtra: ergo ex amore pro patria ſtatuit ſe Diis offerre victimam. Ejus verò luctum, gemitus, lacrymas, queſtus, ſingultus, lamenta, ſuſpiria, facilius cogitare, quam verbis exprimere poſſum. Mane in templo comparuit ad aram, elegantiſſimè veſtita, ornata gemmis, triſtiſſimum toti urbi ſpectaculum. Aſtitare Coreſus ſtricto etiam mucrone ad immolandam victimam comparatus. Sed ſuggeſſerat illi Amor in Calithoen ſtratagema, quo oſtenderet omnibus, quantũ illam amaret. Dum triſtiſſima Calithoë nudato collo, flectit genua, dum ſibi ipſa obvelat oculos, dum lethalem à Coreſo expectat ictum; vertit ipſe ferrum latumque & hians vulnus ſuo infligit pectori, inter hæc verba: Mea Calithoë! ego pro te moriar! ego pro te victima eſſe volo. Quid putatis? in ruentis amplexus ruit Calithoë, & dum latè hians intuetur vulnus, dum ebullientem cernit ſanguinem, præ nimio ſtupore inter brachia Coreſi, & ipſa cecidit exanimis! Adeſte ſculptores, pictores, adeſte architecti, erigite mauſolæa & columnas, inſculpite ſymbola, appingite lemmata, ſcribite epitaphia, hoc ego ſcriberem. *Coreſus amore Calithoë moritur, Calithoë amore Coreſi immoritur.*

§. 13. *Applicatur morti Chriſti, & Natura Humana.* Similis tragœdia luſa eſt in monte Calvariæ. Coreſi perſonam egit Divinus Amor; O quam dilexit Calithoën, ſive naturam humanam, quæ ipſum tamen oderat; per univerſalem peſtem, intelligite originariam luem & peccatum Adami. Medelam unicam ſuggeſſit Divina ſapientia, ſed amaram: hoc Juſtitiæ fuit oraculum Pereat, moriatur homo, vel alius pro homine, qui rigori Juſtitiæ ſatisfaciat. Quæritur ad hoc Seraph, quæritur nova aliqua creatura, ſed fruſtra. O inventionem Amoris. Ut pro homine poſſit occumbere, & mori, fit homo, & ne moriatur homo, ipſe moritur in Cruce! Aſpicite cruentum & hians pectoris cordiſque vulnus: videte ebullientem ſanguinem, audite ſupremas ad Patrem cœleſtem voces: *Pater in manus tuas, commendo Spiritum meũ. Amore hominis moriar.*

Hæc ſpectamus, hæc audimus, & Amori JESU Chriſti non immorimur? & illum non redamamus.

§.14. *Ardentes affectus Amatorũ Crucifixi in S. Virgine Neapolit.*

Qui caritatem hanc perpendunt, viciſſim urgentur caritate; viciſſim vitiis mori cupiunt. Virgo Neapolitana jam deſponſanda, abjiciens ſe ad pedes Crucifixi dixit: *O amor mi, tu in Cruce! ego inter gemmas? tu inter ſpinas, ego inter roſas? O quàm tibi ſum diſſimilis!* Nec mora, ut fieret ſimilis, præſcidit capillos, abjecit gemmas, nigro induta ſacco accurrit ad Matrem, dicens: Ne quærite ſponſum! Ecce hic! (manu tenebat ſuum Crucifixum) meus pendet ſponſus! hunc amo, qui me ita amavit, non alium. Ah animæ piæ, hoc faciendum conſulo, hâc Quadrageſima, ſi ſponſum quæritis, quærite benignum, dulcem, amabilem, quærite pulcrum, decorum, formoſum, quærite divitem, locupletem, opulentum; quærite nobilem, quærite qui vos diligat, qualis eſt JESUS in Cruce! Maria Magdalena de Paze, cum Crucifixo ſuo currebat ad Sorores exclamans, *O amor! ô vos! ô vulnera dilecti mei! ô teſſera Amoris!* O mortales, cur non agnoſcitis Amorem! Utinam Auditores, utinam hoc triduo idem mihi facere liceret, inclamarem profectò ſingulorum auribus, cordibuſque inſcriberem, Amate, Amate Amatorem! ſed timeo, ne cogar imitari Jacobonum; qui his feriis coram Crucifixo clamare ſolebat, *Amor non amatur! Amor non amatur!* Idem mei eſt luctus argumentum, eadem mearũ cauſa querelarum; amantur hoc triduo epulæ, amantur vanitates, &c. negligitur, contemnitur Amor Crucifixi. Alia mens eſt illorum, qui agnoſcunt magnitudinem amoris Chriſti. Hi dicunt cum S. Auguſt. *Inter brachia ſalvatoris mei, & vivere volo, & mori cupio.* Hic ſit lectulus noſter, hæc ſedes, hic thronus. Inter hæc brachia omnis abdita latet dulcedo, hic omne cordis gaudium reperitur, hic omnes eruuntur theſauri. Inter brachia Salvatoris! beatum me, ſi hic mihi amplexus in ultimâ vitæ meæ periodo contingat! hic vivere voluptas eſt, ſic mori lucrũ! ſubinde cum S. Bernardo, *tales amplectuntur faſciculum myrrhæ, ſive Crucifixum, & ſuſpirant: In æternum non obliviſcar miſerationes tuas! nemo tollit à me; inter ubera mea cõmorabitur.* Idem dicamus & nos, idem ſentiamus.

§.15. *Unde inflammentur.*

Sed unde igniti hi affectus? dicam breviter, & finiam. Apoc. 8. v. 5. videt S. Joannes altare plenũ carbonibus & prunis ardentibus, quæ inde decidebant in terram. Per altare hoc S. Hieronymus intelligit S. Crucem, aram, plenam prunis amoris; de quibus Criſtus dixit Luc. 12. v. 49. *Ignẽ veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur.* dicamus ipſum Crucifixum eſſe hanc aram, & intelligo optime, quis v. g. inflammarit cor Seraphici Franciſci; perſpicio quis accenderit pectus S. Thereſiæ, ubi accenſũ fuerit igneum telum, quo Seraph illam ſauciavit jam animadverto, quid, Magdalenã de Pazis coëgerit exclamare, O amor! vis erat amoris Crucifixi, ab hoc in ſanctiſſima corda decident illæ prunæ. Jam colligo quid lachrymas excuſſerit Jacob. jam video, quid S. Aug. vota illa ſuaviſſima injecerit; denique jam nõ miror, quod melliſluus

Digitized by Google

ſtuus Ben. aſſerat à nemine ſuffurandum ſibi ſui Amorem. Arſerunt omnes prunis, quas ſpargit Jeſus Crucif. Quiſquis horum exemplo hac Quadrageſima ſua ſuaviſſimis his affectibus cupit incaleſcere Jeſum in Cruce cordi includat, illius amorem nunquam excludat; cogitet quanti nos Jeſus ita moriens in Cruce fecerit; quantum nos amarit!

EXHORTATIO

Die Cinerum.

Pulvis es, & in pulverem reverteris,

Geneſ. 3. verſ. 10.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRima pars oſtendit ex aliquot S. Scripturæ hiſtoriis, omnia in hoc mundo tandem converti in cineres, ut excitetur in nobis memoria mortis. Altera proponit tres cauſas, ob quas Eccleſia utitur Cæremoniâ Cinerum.

§. 1. *Rara Hiſtoria, quæ contingit Mediolani.*

§. 2. *Poma Sodomæ contacta, cineraſcunt.*

§. 3. *Incinerationem Vanitatis agnoverunt Job, David, &c. Pulcrum Symbolum.*

§. 4. *Vitulus aureus à Moyſe contritus in cineres.*

§. 5. *Idola lignea, cinis.*

§. 6. *Quatuor Monarchiæ mundi Cinis.*

§ 7. *Quare ab Ezechiele depicta fuerit Jeroſolyma in latere.*

§. 8. *Tres cauſſæ, ob quas Eccleſia hodie utitur cineribus. I. ut Peccatoris anima purgetur & renovetur.*

§. 9. *Ut abſtineat à malo.*

§. 10. *Ut proferat flores & fructus virtutum.*

§. 1. *Rara hiſtoria, quæ contigit Mediolani.*

RES mira annis ab hinc paucis Mediolani contigit Auditores; diſcurrentibus de nocte Nobilibus ſed diſcolis adoleſcentibus, obviavit matrona ſola, gravi inceſſu, plena majeſtatis. Obſtupuêre juvenes, illo tempore fœminam, ſolam, ſine omni metu ſibi occurrere, rogant, quænam ſit? unde veniat? quò tendat? ſed cum illa altum ſilet, audacior unus nigrum removet velum, quo caput matronæ

Digitized by Google

erat obvelatum, &, prô monſtrum ingens apparuit calvaria, quæ tantum petulantibus incuſſit metum atque terrorem, ut plerique ſummo mane accurrerint ad Domum Profeſſam ſocietatis Jeſu, factaque exomologeſi ſacrâ vitam deinceps in melius commutarint. Talibus larvis plenus eſt hic mundus. Circumite cogitationibus veſtris ſi placet, Romanum Imperium, occurrent vobis Cæſares, Reges, Electores, Principes, Comites, Barones, tecti abyſſo, purpura, auro, gemmis, ſed omnia ſunt velum, quod dum removetur in morte, parent calvariæ. Sub purpura, ſub formoſa ſpecie humani vultus, latet mortualis larva: ut bene ille dixerit, Larvata eſt omnis humana felicitas. Has larvas initio Quadrageſimæ Mater Eccleſia, quaſi obviam mittit, ut meminerimus nos morituros; ut timor mortis moveat nos ad pœnitentiam, & ſeriam vitæ emendationem, ut vana & caduca, non nimium amemus, certi, converti tandem omnia in cineres; quod brevi exhortatione oſtendam, ut quivis videat, quàm meritò hodie unicuique dicatur, *Pulvis es, & in pulverem reverteris.*

§. 2. *Poma Sodomæ contacta cineraſcunt.*

De pœnis Sodomæ eleganter ait Tertullianus c. 40. Apol. *Olet adhuc incendio terra* (in qua impiæ ſteterunt urbes) *& ſi cqua illic arborum poma cernuntur: oulis tenus, cæterum contacta cineraſcunt.* Tertulliane! poma tam olentia, tam pulchrè picta pulvis? ita ut modicè contacta convertantur in cineres? referunt Auctores, eſſe hæc cinerum veriſſima. Æquè certum eſt omnem mundi vanitatem eſſe tale pomum: arridet oculis, placet; ſed ad tempus; Decipiuntur oculi; accedat, & vel leviſſimo tactu, Reges, Principes, &c. attingat mors; mox, omnia nihil eſſe, niſi fœdum pulverem, cineremque conſpicies.

§. 3. *Incinerationem vanitatis, agnoverunt Iob, David.*

Agnovit hoc Job c. 30. v. 19. ſpoliatus opibus, honoribus, filiis, quando ſedens in fimeto ajebat, *Comparatus ſum luto, & ſimilis factus ſum favillæ & cineri.* Agnovit David Pſal. 7. v. 6. *Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meã & gloriã meã in pulverẽ deducat.* Lyranus ibi: *in pulverẽ, per cadaveris mei incinerationẽ,* quaſi diceret regius Pſaltes; ſcio me eſſe Regem in Iſrael, & glorioſum Regem Glorioſus ſum ob ſtratum leonem, ob devictum terribilis magnitudinis Goliathum, ob debellatos hoſtes; ad gloriã meam accedunt opes regiæ, accedunt theſauri, accedit, qua ſupra cæteros extollor, magnificentia, ut nemo Regum in terris, me locupletior, me fellicor; quoad honores, nemo ſublimior: Verùm *inimicus meus*, id eſt, Mors me perſequitur; & veniet hora, qua comprehendet me, qua in terra conculcabit vitam meam, & tum omnis mea gloria deducetur in cinerem. Quam veritatem pulcro ſymbolo mundo propoſuit Martius V. Romanus Pontifex, in quo, in accenſa pyra, jacent tiara; pedum, reliqua pontificalia ornamenta, ab igne converſa in cinerem, cum hoc lemmate, *ſic tranſit gloria mundi.*

Exo-

Digitized by Google

§. 4. *Vitulus aureus à Moyſe cõtritus in cineres.* Exodi 32. v. 8. redux Moyſes è mõte, ubi multis diebus hæſerat in converſatione cum Domino, reperit populum bibentem, ſaltantem, adorantem vitulum, quem ex auro, argentoque opere fuſorio formarant: una omnium vox erat, *hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti:* Sed Moyſes iratus *arripuit vitulum, quem fecerant, & combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quẽ ſparſit in aqua: Et dedit ex eo potum filiis Iſrael,* quaſi diceret: Ecce qualem Deum coluiſtis, & adoraſtis, qui poteſt converti in cineres. O vani filii hominum! & quid hodie ita colitis, v. g. Idolum Junonis, ut illa vobis tribuat ſceptra, coronas; quid Plutonem, ut divitias, quid Venerem, ut voluptates largiatur; Sceptra, coronæ, Regum purpura, divitiæ, theſauri, roſæ; ſunt aureus vitulus, quem tandem mors comburit, & omnia convertit in pulverem.

§. 5. *Idola lignea cinis.* Iſaiæ cap. 44. v. 20. miratur Propheta ſtultitiam gentium, quod idola adorent, ſculpta ex arido ligno, cujus partes reſciſſæ, ab igne convertantur in cineres; ideo ait, *Pars ejus cinis eſt, & cor inſipiens adoravit illud:* quaſi diceret; O ſtultitiam! Idola ex ligno facillimè comburi poſſunt, & redigi in cineres, & tamen ſunt qui eos colunt ut Deos; Æquè ſtulti, æquè eſtis dementes ô filii hujus ſeculi! quæ enim veſtra ſunt ſtudia? qui labores? quæ ſolicitudines ac curæ? nonne ut aſcendatis in ſublimem ſuperbiæ cedrum, ornatam purpurâ, corona & ſceptro; atqui pars ejus, imò tota tandem cinis eſt. Nonne ut roſas Veneris decerpatis, iiſque vos molliter coronetis? atqui & roſæ, quæ modò vos recreant, cras luridum pallidumque induent colorem cineris. Nonne ut Bacchi hedera vos incingatis; ſed brevi cinis erit. Nonne denique ut opes, opibus accumuletis? ſed omnia in favillam redigit, amara, barbara, crudelis Mors!

Zachariæ 6. v. 1. ait Propheta: *Et levavi oculos meos, & vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium;* in quadriga prima fuerunt equi ruffi, in ſecunda nigri, in tertia albi: in quarta equi coloris varii & fortes. Chaldaica verſio legit, *cinericei coloris,* ſive, *cinerarii.* Innuit præterea ſacer textus, equos aliquos cucurriſſe ad Aquilonem, alios ad Auſtrum, cinericeos verò per omnem terram. Scio aliquos Interpretes, per equos rufos intelligere illos Angelos, qui jubente divina Nemeſi mortales caſtigant, bellis, gladio & effuſione ſanguinis. Per nigros illos D. Juſtitiæ miniſtros qui puniunt peſte: qualis ille fuit Angelus qui apparuit Davidi ob admiſſum ſcelus, ultionem pœnamque minitans. Equi albi ſignificant Angelos pacis: cinerei, illos qui memoriâ cinerum impios monent & hortantur ad pœnitentiam. Modo mihi placet communis Interpretum ſenſus; per has quadrigas repræſentatas fuiſſe quatuor mundi monarchias, Aſſyriorum & Chaldæorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum. Potentiſſima ex his quatuor, ſcilicet §. 6. *Quatuor Monarchiæ mũdi Cinis.*

ſcilicet ultima, trahitur ab equis cinericeis, ut Reges, Cæſares & Monarchæ ex hoc colore meminerint ſe morituros, ut ſciant tandem omnia converti in cineres. Intellexit Magnus ille Alexander, qui Ephebo memoriæ ut appellabat, identidem ingerenti, *Memento Rex, quod homo ſis*, ſæpe cum gemitu reſpondit: *Heu me! homo ſum! & quidem mortalis*! corruptioni ſubjectus, & in cineres reſolvendus. In celeberrimo S. Laurentii monaſterio, miraculo orbis, in Eſcuriali prope Madritum ſubterraneus locus eſt, & materia & arte, & columnis, & vaſtis ſubſtructionibꝰ viſendus, Pantheon dictus, in quo defuncti Hiſpaniarum Regis, Regumque conjuges, filii & filiæ in marmoreis jacent tumbis, ſed pulvis & cinis!

§ 7. *Quare ab Ezechiele depicta fuerit Ieroſolyma in latere c.4. v.1.*

Ezechielis c. 4. v. 1. ait Deus Prophetæ; *tu fili hominis ſume tibi laterem, & pones eum coram te*; ad quid? *deſcribe in eo civitatem Jeruſalem*, id eſt, depinge in illo, pulcerrimæ urbis turres, muros, ædes, palatia, & præcipuè ſpecioſiſſimum Salomonis templum. Et quid hoc? cur in latere delineanda urbs tam nobilis & pulcra? cur nō in lamina, auro, argento, vel calybe? hoc eſt myſterium: hæc nimis ſunt ſolida, later facillimè conteritur in cineres; ut ſciamus, etiam nobiliſſimas urbes, regna, provincias, à tempore & ævo converti in cineres. Ubi Babylon illa ſuperba? ubi Memphis immenſa? ubi Carthago Romani imperii terror? Argos illuſtris? Athenæ diſciplinarum nutrices? Corinthus amœna? Sardis dives? Hieroſolyma ſancta? ſunt pulvis & cinis! ubi ſeptē mundi miracula? Epheſiæ Dianæ templum ducentis & viginti annis à tota Aſia exſtructum? ubi Regis Mauſoli ſplendidiſſimum monumētum? ubi Rhodii Solis Coloſſus, ex cujus ære nongenti cameli fuerunt onerati? ubi ſimulacrum Jovis Olympici, ex ebore & argento? ubi muri Babyloniæ, alti ducentos, lati quinquaginta pedes? ubi pyramides Ægypti? Omnia ſunt cinis & pulvis. Ubi Romanæ urbis quadringenta viginti quinque fana & templa? ubi Capitolii magnificentia, in cujus inaurationem ſeptem milliones expendit Domitianus? ubi Antonini thermæ? ubi balneum Hetruſii, in quo labra, ſedes, canalis, omnia fuerunt ex auro? ubi theatrum Neronis? Omnia ſunt pulvis & cinis: fuerunt depicta in latere, qui confractus eſt in cineres.

§. 8. *Tres cauſa ob quas Eccleſia hodie utitur cineribus, 1. ut Peccatoris anima innovetur.*

Et hanc veritatem Mater noſtra Eccleſia cæremonia cinerum initio Quadrageſimæ oculis noſtris proponit non ſine cauſa. Deſiderat enim 1. innovare in nobis memoriam mortis, ut convertamur ad pœnitentiam & ſeriam vitæ emendationem; & ad hoc perquam utilis eſt cinis & memoria mortis. De herba lactaria ait Plinius: *Lacte ejus inſcripta charta, cum inaruerit, ſi cinis aſpergatur, apparere literas.* Latet pulcerrimus ſenſus myſticus: per candidam chartam intelligamus animam juſti, cui Deus vel Spiritus S. in baptiſmate pulcerrimos characteres inſcripſit, de quibus loquitur David Pſ. 4. v. 7 *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Per hoc

hoc lumen S. Auguſtinus intelligit *Imaginem Dei.* Hugo de S. Victore & Hugo Cardinalis, *Rationem.* Burgenſis, *Divinam Gratiam*, S. Iſidorus, *Chriſtum* S. Cyrillus, *Spiritum S.* Caſſiodorus, *Sanctam Crucem.* Genebrardus, *legem naturalem*, ſive *Conſcientiam, ſynteresin.* Hæc omnia in ſanctiſſimo Sacramento baptiſmatis animabus noſtris, veluti ceræ ſunt impreſſa; imago Dei naturalis, ad quam creati ſumus, per infuſam gratiam Dei facta eſt formoſior; & per eandem anima juſti facta eſt templum vivum Chriſti, & aula Spiritus Sancti, imò totius ſanctiſſimæ Trinitatis; In anima juſti, veluti palma exaltata fuit ſanctiſſima Crux cum fructibus cœleſtium benedictionum. Sed eheu! in anima peccatoris per mortiferum peccatum, inverſa ſunt omnia. Deleti ſunt charecteres pulcerrimi, peccatum maculat imaginem Dei, expellit gratiam, extrudit Chriſtum, Spiritum S. abigit, diruit crucem, ſopit Syntereſin. Et quid medii, ut illi characteres priores in illa charta, in anima rurſum innoventur? Dicunt, ſi cinis aſpergatur, apparere literas; Hoc itaque hodie facit Eccleſia, aſpergit cineres, ut memoria mortis nos moveat ad pœnitentiam, quæ imaginem Dei in nobis renovat, quæ divinam nobis gratiam reſuſciſcitat, quæ Spiritum ſanctũ reſtituit, quæ Chriſtum iterum inducit, in animam, quæ dirutã rurſus exaltat Crucem, quæ ad ſalutarem peccatorum dolorem iterum pungit atque ſollicitat Syntereſin.

§. 9. *Nabſi.* Secundo Audaciam peccatorum Eccleſia hoc ſacro ſaltem tempore vult reprimere, ad hoc utitur cineribus,: neque ſine cauſa. Sanguiſugæ ſunt peccatores, qui ſanguinem Chriſti ſugunt, non in vitam æternam, ſed in judicium & condemnationem. Per graviſſima ſcelera, per tot blaſphemias, tot libidines, &c. quibus Deum offendunt, fiunt rei ſanguinis Chriſti. Ut igitur eccleſia ab hac impietate illos retrahat, utitur cinere; nam de ſanguiſugis ait Plinius: ab attrahendo quidem non deſiſtunt, donec cinere os earum abſtergatur: quamprimum ſentiunt cineres, recedunt. O ſanguiſugæ! O impii! ſaltem hoc tempore parcite pretioſiſſimo ſanguini Jeſu Chriſti, parcite ſanctiſſimis ejus vulneribus, memẽtote, *quia pulvis eſtis & in pulverem revertimini.* Apes cum ferventiſſimè prælіantur, Virgilio teſte, ſedantur & componitur inter illas pax, ſi cineribus aſpergantur. O peccatores! quo uſque Deum infelici conſilio oppugnare pergetis? quouſque cœlo movebitis prælia? veniat vobis id ſaltem in mentem, quod pulvis, quod umbra, quod cinis ſitis. Quid contra figulum ſuum teſta? quid contra Creatorem ſuum pulvis? quid contra Deum ſuum cinis præliari decernit? Aſpergit vos hodie cinere ſancta Mater Eccleſia, ut veſtræ memores vilitatis, veſtrique nihili recordantes, pacẽ cum anima veſtra, cum cœlo, cum Superis, cumque Deo ter Opt. Max. ineatis. *neat à malo.*

§. 10. *Ut proſternat ſortes* Tertio de cineribus quos Veſuvianæ expuunt fornaces, & flammæ, ait

& fructus virtutũ. ait Caſſiodorus l. 4. var. ep. 50. *Vomit fornax illa perpetua puniceas quidem, ſed fertiles arenas, quæ licet diuturnâ fuerint aduſtione ſiccatæ, in varios fœtus ſuſcepta germina mox producunt, & magna quâdam celeritate reparant, quæ paulo ante vaſtaverant.* Non acquieſcit Mater Eccleſia, ut tantum à malo deſiſtamus; deſiderat præterea, ut in corde peccatoris expurgato, veluti in horto vel agro etiam progerminent & creſcant pulcherrimi virtutum flores, & operum bonorum fructus; & quia ſcit ad hoc prodeſſe cineres, ſive memoriam mortis, ideo hodie cum aſperſione cinerum cuiqui dicit: *Memento quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

CONCIO XIV.

DOMINICA I. QVDRAGESIMÆ.

CONCIO II. de Chriſto Crucifixo.

Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum,

1. ad Corinthios cap. 2. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

NUper in auctorem mortis Chriſti inquiſitum, & reus inventus Amor. Nunc iterum inquiro, & invenio te Peccator. Probo id tum ex Scriptura, tum Sanctiſſimis Patribus, & enumeratione eorum, qui cauſam dedere huic neci. Circa finem ad ſalutarem pœnitentiam, te moneo, in quem finem, tragicam explico, applicoque hiſtoriam. Affectus timoris, doloris.

§. 1. *Affectus admirationis cum Malachia Propheta, ſuper illa verba capitis 3.* Si affliget homo Deum. *Varia & docta illorum lectio.*

§. 2. *Propoſitio. Accuſat hæc Concio Peccatorem, tanquam auctorem mortis Chriſti in Cruce.*

§. 3. *Quid faciendum cum cadavere occiſi hominis ex cap. 21. Deuteronomii.*

§. 4. *Apo-*

Digitized by Google

§. 4. Apoſtrophe ad peccatorem ſub Cruce, an ſit auctor tam crudelis mortis. Proditur à ſcaturiente ex vulneribus ſanguine.

§. 5. Puniuntur Judæi profluvio ſanguinis die Paraſceves. Iterum vehemens Apoſtrophe ad Peccatorem.

§. 6. Varii concurrerunt ad mortem Chriſti, Judæi, Judas, Pilatus, &c.

§. 7. Conſenſerunt Pater cœleſtis & ipſe Chriſtus.

§. 8. Paſſio & mors Chriſti dupliciter poſſunt conſiderari ex S. Thoma.

§. 9. Cauſa quoque fuerunt varia & gravia peccata: ex ipſa ſacra Hiſtoria paſſionis. Digreſſio ad peccatores. Fertur in illos ſententia, quod fuerint præcipua cauſa illius mortis.

§. 10. Confirmatur lata ſententia ex Iſaia. Pia digreſſio ad bajulationem crucis.

§. 11. Confirmatur ex S. Paulo c. 3. ep. ad Galatas. Depingitur imago crucifixi, cum Apoſtrophe ad peccatorem.

§. 12. Affectuoſa exclamatio S. Bernhardi

§. 13. Quid facere debeat reus peccator, exponitur tragica Hiſtoria.

§. 14. Ejuſdem applicatio ad Peccatorem.

§. 15. Epilogus ſuaviter eundem rogat, ut firmiter & ſemper ſe teneat affixum cruci.

§. 1. Affectus admirationis cũ Malachia Proph. ſuper illa verba c. 3. v. 8 Si affliget homo Deũ. *Varia illorum lectio.*

UT multis aliis Prophetis, ſic & Malachiæ Spiritus S. Salvatorem generis humani, Filium Dei, pro homine ex amore erga hominem infinito, moriturum aliquando in cruce, revelavit. Viſum hoc fuit Malachiæ Prophetæ tam admirabile, ut ſtupore plenus quæreret c. 3, v. 8. *Si affliget homo Deum.* q. d. fierine poterit; ut Filius DEI, qui aſſumet naturam humanam, & veniet in hunc mundum, ut ille ab hominibus malè tractetur? Myſterium ipſum mortis Filii Dei in ligno crucis clarius exprimit alia lectio, quæ ita habet. *Si affliget homo Deum.* q. d. hoccine poterit fieri, ut Filius Dei factus homo ab homine affigatur cruci. Hebraica vocula *Kaba*, Interpretibus ſuggeſſit varias & myſteriis plenas verſiones, Lxx. vertunt: *Si ſupplantabit homo Deum.* Pagninus. *Si rapiet, fraudabit, extorquebit homo DEUM ſuum.* Vatablus. *Si ſpoliabit homo DEUM ſuum.* Rabbi Abraham. *Si perdet homo Deum ſuum.* Syrus & Arabicus. *Nunquid opprimet homo Deũ ſuum.* Omnes hæ interrogationes ſunt plenæ ſacra quadam admiratione & pio horrore. Omnia ſunt miranda! quæ tamen re ipſa in paſſione & in monte Calvariæ præcipuè ipſo ſunt opere patrata. Eò enim Filius DEI ab impiis latronis inſtar raptatus eſt, ibi ab homine ſpoliatus veſtibus, ibi in crucem actus, totus nudus in eadem expiravit! Filius DEI iniquiſſimo judicio ab impiis fuit oppreſſus, & occiſus in infami ligno. Hoc eſt, quod cœlum & terra, Angeli & pii homines ſatis admirari non

Digitized by Google

non poſſunt. Proinde in meis Concionibus per hanc Quadrageſimam inquiro cauſas, ob quas Salvator noſter debuit & voluit mori in Cruce.

§. 2. Propoſitio. Accuſat hæc Concio Peccatorē tanquam auctorem mortis Chriſti in Cruce.

Ante octidnum in monte Calvariæ repræſentavi Amorem, eumque veluti auctorem tam turpis necis accuſavi: hoc eſt: Chriſtus pro nobis voluit crucifigi, ut infinitum ſuum erga nos agnoſceremus amorem, & viciſſim amaremus. Sed non ſolus Amor eſt reus, hac Concione alium auctorem vocabo in Judicium, & quidem peccatorem, qui lethali ſcelere ſuum audet offendere Creatorem. Unicum peccatum mortale tantæ eſt malitiæ & turpitudinis, ut Deum affligat, imò Cruci affigat. Peccatum lethale vel unicum, rapit, nudat, ſpoliat, cædit, vulnerat, perdit Filium DEI ejuſq; ſanctiſſimam Paſſionem, teſte ſancto Apoſtolo ad Hebr. 6. v 6. *Rurſus crucifigentes ſibimet ipſis Filium DEI & oſtentui habentes*: Ut jam jam, ſi quod ſpero, benevolos vos nactus fuero Auditores, prolixius audietis.

§. 3. Quid faciendum cum cadavere, occiſi hominis ex c. 21 Deuteronomii.

Deutoronomii cap. 21. v. 7. hæc præcepit Dominus. Quando inventum fuerit in terra cadaver hominis occiſi, & ignorabitur cædis reus, venient Majores civitatis viciniorís, ad interfectum, levabuntque manus & dicent! *manus noſtra non effunderunt ſanguinem hunc, nec oculi noſtri viderunt, qui miſerum occiderit.* Videtiſne Auditores in monte Calvariæ, pendens de cruce exanime Corpus? ex hiantibus vulneribus, ex copioſe profuſo ſanguine colligere poſſumus, hunc hominem pendentem in cruce, crudeli nece ſublatum è medio; Sed ut video, Auctor necis non comparet; qui in cruce occiſus eſt, eſt Filius Dei; quis fatebitur ſe Deum peremiſſe. Vos Auditores huic Cruci, huic cadaveri, modo eſtis viciniſſimi; ergo ſi eſtis innocui à ſanguine juſti hujus, agite, levate manus, & cum juramento dicite, Manus noſtræ, non effuderunt hunc ſanguinem, oculi noſtri non viderunt, quis ſpineam coronam impoſuerit vertici, quis vulnerarit, multo minus quis cruci affixerit, hos clavos, illam lanceam quæ ipſum cor vulneravit, noſtri oculi nunquam viderunt.

§. 4. Apoſtrophe ad Peccatorē ſub Cruce, an ſit auctor tam crudelis mortis. Proditur à ſcaturiente ex Vulnerib. ſanguine.

Quid hæretis, Auditores? quid dubitatis? an ex veſtro ſilentio arguam vos reos hujus necis? præcipuè illos quos hoc momento Conſcientia accuſat reos mortalis peccati? Bene quidem vobis conſulitis ſilendo, timeo enim ne fortaſſis aliquibus accideret, quod multis contigiſſe experientia docet: Dum nimirum ex cadavere occiſi hominis, accedente occiſore, recens ebullit ſanguis, qui reo ingentem incutit timorem. O peccatores! O vos, qui jam dum hæc loquor, in lethali hæretis ſcelere; non miror vos timere, tremere, trepidare coram Crucifixo: Sanguis ebulliens ex vulneribus manuū, cruor ſcaturiens ex plagis pedum, imò ex ipſo corde, clamat, vos eſſe reos turpiſſimæ hujus necis: Silite, tacete! nihil tamen obſtat, quò minus ſaltem veſter affectus in ejuſmodi erumpat voces; *DEUS propitius*

eſto

Digitized by Google

eſto mihi peccatori! ego peccavi! mea ſcelera tam ſunt abominabilia, tantæ malitiæ, ut filius Dei tam turpi nece pro illis luere & ſatisfacere debuerit & voluerit: alio mortis genere rigor Divinæ Juſtitiæ placari non potuit.

§. 5. *Puniuntur Judæi profluvio ſanguinis iterum vehemens Apoſtrophe ad peccatores*

Mirabile quid referunt probati auctores, de Judæis multis, quod nati eorum parvuli in hunc mundum, alterutram manum habeant plenam ſanguine; quod adulti multi, tam viri quàm fœminæ, die paraſceves quotannis patiantur profluvium ſanguinis, totoque illo die expalleſcant, in pœnam verborum, quibus Majores illo die clamarunt, *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros*, Matth. 27. ſed quid mihi cum Hebræis, vobiſcum mihi hodie res eſt, O peccatores! huc adeſte coram Crucifixo, coram exanimi hoc cadavere, huc ad conſpectum hiantium vulnerum accedite; Necis hujus auctorem inquiro. Si innocentes eſtis, agite, oſtendite manus veſtras, ah! claudite: abſcondite, retrahite! jam video, ſanguine ſunt plenæ! ſanguinea macula eſt luxuria, ſanguinea macula eſt odium! ſanguineæ maculæ ſunt tot blaſphemiæ; videte ut de manibus veſtris ſtillat ſanguis, & ex perdicibus, ex gallinis, ex aliis carnibus, quas contra præceptum Eccleſiæ hac Quadrageſima voratis. Aſpicite, ut manus veſtræ plenæ ſint ſanguine, quem ſititis de inimicis veſtris, iis, qui vos perſequuntur. Intuemini ſanguinem turpem, impurum, corruptum, quem coram Crucifixo, veſtræ proritant libidines, quem ſcelera veſtra clancularia atque nocturna profundunt. Vos omnes eſtis auctores hujus necis, vos Filium DEI affixiſtis Cruci, vos hunc ſanguinem effudiſtis. Quod ante octiduum fecit Amor, hac concione facit peccatum lethale: ante octiduum accuſavi amorem, modo clamo contra peccatorem, non ad condemnationem, ſed ad veniam. Ante octiduum agnovimus magnitudinem amoris, ex quo tam turpi morte mori voluit: hodie agnoſcamus malitiam peccati mortalis, pro quo tali nece ipſe Filius Dei debuit, & voluit ſatisfacere.

§. 6. *Varii concurrunt ad mortē Chriſti, Judæi, Pilatus &c.*

Non nego, multos & varios concurriſſe ad mortem Crucis, ante omnes & primo loco Judæos, ideo Pilatus ait, Joan. 18. v. 55. *Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi*. Et ipſi fatentur: *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, tolle, crucifige* 2. Manus ſuas innocenti ſanguine polluit Pilatus, nam ipſe adjudicavit fieri petitionem illorum. 3. Juvit Judas: ipſe ſe reum fatetur, Matth. 27. v. 4. *Peccavi, tradens ſanguinem juſti*. 4. ſociam operam contulerunt dæmones, ideo Chriſtus ad impiam cohortem dixit; *Hac eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*; & Joan. 18. *Diabolus miſit in cor, ut traderet eum Judas*. Tanti ſceleris talis proditionis, non ſolus homo, ſed & diabolus fuit inventor, 5. Sententiæ Pilati & necis Chriſti executores fuerunt carnifices & lictores, qui illum ceperunt, flagellarunt, crucifixerunt. Sed omnibus dicere poſſumus, quod Chriſtus

Digitized by Google

Dominus dixit Pilato: *Non habuiſſent adverſus me poteſtatem ullam, niſi data fuiſſet deſuper.*

§. 7. *Conſenſerunt Pater cæleſtis, & ipſe Chriſtus.* Et quia Pater cœleſtis illam poteſtatem dedit, vel permiſit, imò voluit Filium ſuum pro genere humano ſic mori, & ipſe cauſa fuit hujus mortis: in quo clarè loquitur ſacra ſcriptura, Iſaiæ 53. v. 4. *Vidimus eum leproſum, percuſſum à DEO, & humiliatum.* ad Rom. 8. v. 32. *Proprio filio ſuo non pepercit.* Ipſe Salvator ſuam paſſionem & mortem adſcribit voluntati Patris. Joannis 18. v. 11. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum. Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Denique ipſe Chriſtus Dn. mandatum Patris acceptando fuit cauſa ſuæ mortis in cruce. ad Epheſios cap. 5. v. 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis: factus obediens uſque ad mortem, mortẽ autẽ crucis.* ad Galatas 2. v. 20. eadem repetit Apoſtolus. Iſaiæ 53. v. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*: quibus verbis exprimitur, ait S. Hieronymus, *quod non neceſſitate, ſed voluntate crucem ſuſtinuit.* Hebraica verſio citatum verſum ſic legit: *acceſſit, & ipſe afflictus eſt.* q. d. Anguſtias morientis ſuſtinuit, in horto JESUS; ſed ad eas ipſe ultro acceſſit: funibus, vinculiſque conſtrictus eſt, ſed ad laqueos & catenas acceſſit: fuit innocens Agnus in medio luporum, ſed ad eos acceſſit: fuit inter leones & tigrides, ſed acceſſit, fuit in medio falſorum teſtium, fuit apud judices injuſtos, apud carnifices immites; ſed acceſſit. Expreſſis verbis ait apud S. Joannem c. 10. v. 17. *Ego pono animam meam: nemo eam tollit à me, ſed ego pono eam à me ipſo.*

Verum in his omnibus cauſis notandum eſt, dupliciter mortem Chriſti poſſe conſiderari, 1 ut eſt actio plena ſceleribus, injuſta, ſanguinaria, crudelis: ſic non eſt à DEO, neque à Patre, neque Filio, qui non poſſunt velle malum. 2. Prout eſt opus vel actio Chriſti, plena virtutib. in qua patẽt infinita Dei attributa, ex qua actione nobiliſſimi ſecuti ſunt effectus & fructus; & ſic eſt à Deo. S. Thomas in ep. ad Galatas. *Ipſe Filius tradidit ſe, & Pater quoque tradidit illum, Judas etiam tradidit eum. Et totum quidem res una eſt, ſed non una intentio: quia Pater ex caritate, Filius ex obedientia, ſimul & caritate, Judas impius ex cupiditate & proditione fecit.* Judæi Chriſtum tradiderunt ex odio; Pilatus ex vano timore condemnavit; carnifices ſua nequiſſima voluntate fuerunt inſtrumenta crudelitatis. Veruminter hos omnes, verus & præcipuus necis auctor necdum comparet, hunc inquiro adhuc. Ut inveniam, aliam ex hiſtoria Paſſionis adverto circumſtantiam, quam paulò ante inſinuavi; nimirum ad infamen mortem Cruciſconcurriſſe varia & graviſſima multorum ſcelera. Verbi gratia: §. 8. *Paſſio & mors Chriſti dupliciter poſſunt conſiderari, ex S. Thoma.*

1. Concurrit invidia & implacabile odium Pontificum & Sacerdotum in Chriſtum! ſciebat enim Pilatus, quod per invidiam tradidiſſent eum. 2. Juvit inflammata ira, & præceps ſententia Caiphæ: ex ira in ampliſſimo ſenatu laceravit veſtes, plenus ira exclamavit, *Reus eſt mortis.* §. 9. *Cauſa quoque fuerunt varia & gravia peccata, ex ipſa ſacra Hiſtoria Paſ.*

3. Ope-

ſionis. Digreſſio ad Peccatores. Fertur in illos ſententia quod fuerint præcipua cauſa illius mortis.

3 Operam contulit avaritia Judæ; fur erat. 4. Hypocriſis Sacerdotum; Chriſtum falſo accuſare, adducere corruptos teſtes, petere effuſionem innocentis ſanguinis non curant; legis ſanctitatem prætendunt, & prætorium gentium ingredi timent, ne polluantur. O hypocrytæ! 5. Juverunt falſi teſtes: cùm acceſſiſſent multi falſi teſtes, Pilatus putavit ſe eò juſtiori titulo poſſe illum condemnare. 6. Profuit etiam ad contemptum Chriſti, perfidia & perjurium Petri; cœpit jurare, anathematizare: *Non novi hominem.* 7. Proditio & perfidum oſculum Judæ. Juda *oſculo filium hominis tradis*? Luc. 27. 57. 8. Durities & obſtinata corda Judæorum, quaſi coëgerunt judicem ad ſententiam. 9. Oppreſſio innocentiæ. 10. Crudelitas carnificum & inclementia militum. Ex quibus patet, Peccatum fuiſſe magnam cauſam, nefandæ necis Chriſti in Cruce, hoc poſito: adeſte peccatores, quicunque eſtis præſentes; hic coram Venerabili Sacramento ad hunc Crucifixũ cito vos omnes convertite, ut hanc in vos pronuntiem ſententiã, & me ipſum. Nos ipſi ſumus auctores hujus necis, nos Chriſtum cruci affiximus, nos Filium Dei occidimus, nos ſpoliavimus, nos vulneravimus, nos mortis ſumus cauſa. Adeſte, qui pauperum, pupillorum & viduarum eſtis oppreſſores & carnifices, jurate ſi poteſtis, ſi audetis, vos de hac nece innocentes, vos de Chriſticidio inſontes? ah miſeri, non poteſtis, non audetis. Adeſte falſi teſtes, & injuſti auroque corrupti Judices, & vos detractores, vos maledici, vos blaſphemi; quid ſentitis de morte Salvatoris veſtri? non vos manum admoviſtis ſceleſtam? non vos illius vel auctores vel coadjutores extitiſtis? probate, ſi quo poteſtis argumento, veſtram innocẽtiam, jurate, ſi audetis. Ah miſeri, nõ poteſtis, non audetis! Sed redeo ad meum propoſitum.

§. 19. *Confirmatur lata ſententia ex Iſ. c. 53. v. 8. pia digreſſio ad vo-julationē crucis.*

Sententiam à me latam claris verbis confirmat Spiritus S. per Iſaiam cap. 53. v. 8. *Propter ſcelus populi mei percuſſi illum.* S. Hieronymus ex Græco ſic legit, *ab iniquitatibus populi mei ductus eſt ad mortem.* Videtur S. Hier. loqui de peccatis veluti lictoribus & militibus, qui Chriſtum ceperunt, qui vincula injecerunt, qui deduxerunt ad mortem, qui crucifixerunt. O animæ piæ! Scio, cum oculos veſtros incurrit imago, v. g. Chriſti bajulãtis crucem, tum iraſcimini illis, qui illi crucem imponunt; illis qui jacentem humi ſub cruce trudunt pedibus, illis qui lapſum in terra Salvatorem erigere negligunt, illis qui tardo gradu euntem maledictis ac convitiis proſcindunt, illis, qui ictibus ictus, plagis plagas, ſputis ſputa, vulneribus vulnera accumulant; ſed peccatoribus & vobis potius iraſcimini, de quibus ait Spiritus S. quod Chriſtum duxerimus ad mortem. Citatum verſum, *propter ſcelus populi mei percuſſi illum*, ob Hebraicam voculam, *lammo*, alii ſic legunt. *A transgreſſione populi mei, plaga illi.* q. d. Iſaias; plagam v. g. dexteræ manus in cruce, non fecit tantum clavus, ſed iniquitas populi. (ſic de aliis vulneribus)

bus) Forerius illum verſum ſic vertit; *Noſtra illum iniquitates ligno affixerunt.* Ergo ſuperbi, repeto ſententiam in vos latam, veſtra ſuperbia illum coronavit ſpinis, & ligno huic affixit. (hoc modo poteſt fieri pulcra inductio.)

§. 11. *Confirmatur ex S. Paulo cap. 3. 1. ep. ad Gal. Depingitur imago crucifixi. cum Apoſtrophe ad peccatorem.*

Confirmo latam ſententiam ex c. 2. v. 23. Actuũ: *Hunc Jeſum Nazarenũ definito conſilio, ac praſcientia Dei traditum per manus inimicorum affligentes interemiſtis.* Syriacus & latinus textus ſic habet, *Affligentes.* Confirmo ex c. 3. v. 1. ad Gal. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit, non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus.* Cæci & indurati erant Galatæ; ut oculos eorum aperiat, & corda emolliat, objicit illis imaginem Crucifixi. Tela vel pannus eſt ſanctiſſima Caro & Corpus Chriſti; colores ſunt ſanguis, ſputa, lacrymæ, lethalis ſudor. Umbra, vulnera: penicilli, virgæ, ſpinæ, clavi, crux, lancea. Sed quis ille crudelis pictor, qui hunc pannum ita extẽdit, qui illum infecit ſputis, tamque turpiter contaminavit? quis qui tam rudem aptavit penicillum? quis qui purpureos tantâ copiâ admiſcuit colores, quis qui in ejus corpore, velut candidiſſima membrana, tam frequentes & indecoras duxit lineas, vibicesque? Vos eſtis, ô inſenſati Galatæ! Vos ô impii! non foris extra vos, non in horto, non in domo Caiphæ vel Pilati, non in monte Calvariæ, ſed intra vos, in vobiſmetipſis, in cordibus veſtris quærite Crucifixores & carnifices. In cordibus veſtris iterum crucifigitur. Noſtra ſuperbia res eſt tam abominabilis, ut pro ejus ſatisfactione condigna, Filius Dei debuerit crucifigi, in vobis ſunt clavi, mallei, crux, quibus iterum crucifigitur.

§ 12. *Affectuoſa exclamatio S. Bernardi de paſſ. Domini cap. 5.*

Quis hic non exclamet cum Sanct. Bernardo l. de paſſ. cap. 5. *O quantos habes Domine Jeſu percuſſores! percutit te Pater tuus, qui proprio Filio ſuo, id eſt, tibi non pepercit. Percutis te temetipſum, tradis enim in mortem animam tuam, quam nemo poteſt tollere à te, ſine te. Percutit te impius diſcipulus oſculo falſo! percutit te Iudæus colaphis & alapis! percutiunt te gentiles flagellis & clavis. Ecce mi Ieſu, quantum percuſſus es, & humiliatus. O quanti Domine percuſſores, & quanti ſunt traditores, &c.* Ah! quot hodie ſunt blaſphemi! quot libidinoſi! quot detractores! quot guloſi! quot voratores carniũ in hac Quadrageſima! &c. qui te mi Optime Jeſu, & hodie tradunt, percutiunt & crucifigunt

§. 13. *Quid facere debeat reus peccator, exponitur tragica hiſtoria.*

Non eſt modo mea mens, excurrere ulterius in latiſſimum campum, in gravitatem peccati mortalis, inſinuo tantùm, tantam ejus eſſe malitiam, ut pro digna ſatisfactione Filius Dei mori debuerit in cruce. Acerbâ & turpiſſimâ morte cœleſtis Pater in Filio oſtendere voluit illud odium, quo tantum malum, nimirum peccatum proſequitur. Quid præſtare debeat peccator pœnitens, dum hoc agnoſcit, brevi hiſtoriâ declaro. Cùm Juvenis Germanus, nuptiis filiæ ditiſſimi Mercatoris ob egeſtatem potiri non poſſet, audax & tragicum aggreſſus eſt facinus. Nocte intempeſtâ ædes amaſiæ furtivè ingreſ-

greſſus, parentem ſtrangulavit, & in angulo domus tam furtivè ſepelivit, ut quonam mercator deveniſſet, nunquam potuerit intelligi. Num filia ſceleris fuerit conſcia, hiſtoria non meminit; juvenis illi paulò poſt volenti fuit deſponſatus, & oculotenus, vulgique opinione vitam vivebat hilarem, jucundam, fortunatam, ut etiam ſenatorio in urbe fuerit adlectus ordini. Sed alia erat vita hominis interior; cor plenum ſtimulis, aculeis, ſpinis, exagitatum, laniatum, tortura flagellis, facibus, equuleis malæ Conſcientiæ: hoc illi fuit luctuoſum! Umbra occiſi mercatoris, aſtabat perpetuo, ſanguineâ linguâ identidem obganniens: *Occidiſti! Occidiſti!* quæ voces miſerum hominem excarnificabant. Quodam die iturus ad ſenatum & judicium, ad dicendam ſententiam de celebri latrone, multarum cædium reo, cibum prius petiit ab uxore, appoſuit illa caput vitulinum; vix miſer aſpexit, & exclamavit. *Prô quid monſtri apponis! O ſævum caput! ut immani rictu diros mihi minatur dentes! ut ebulliens ſanguis vindictã contra me clamat! video! caput parentis tui eſt, quem his manibus peremi! video, me petit! mihi minatur.* Hæc altum clamans evolat ad ſenatum, rogatus ſententiam ſic peroravit. *Reus eſt hic mortis, ſed magis ego. Ego ille ſum, qui ante aliquot annos innocenti ſanguine me pollui: ego uxoris meæ parentem ſtrangulavi; juſtitiam peto, malo mori, quàm ſic vivere*; damnatus à Judicibus per dignos pœnitentiæ actus prius ad mortem ſe præparavit; & morte, pro ſcelere ſuo ſatisfecit.

§. 14. *Ejuſdem Applicatio ad peccatorẽ.*

O miſeri peccatores! Vos eſtis, qui Chriſtum occidiſtis! ſed ſcelera veſtra latent! ſcio. Vitam vivitis, ut putamus jucundam & fortunatam. Sed intus, non deſunt ſpinæ, quæ vos pungant: præſertim, cum triſtis umbra Chriſti pendentis in cruce tibi obmurmurat: *Occidiſti! Occidiſti!* Audin? ut ſpinæ clamant, *Occidiſti!* hoc clamant clavi, hoc innoxius ejus ſanguis! Quid ergo medii? hoc facite, evolate ad thronum divinæ miſericordiæ; ad ſanguineos Chriſti pedes; hic ruite in genua, percutite pectora, dicite, JESU Miſerere. Dic coram cœlo & terra, ego Chriſtum occidi: &c. Dic ex corde; Malo mori, quam impoſterum vivere in ſtatu peccati mortalis. In hoc tribunali, coram hoc Judice, corã Crucifixo ſic ſe accuſare, eſt abſolvi. Guilhelmus Pariſienſis c. 12. de Sacram. pœn. *In hoc tribunali ſedet Miſericordia, aſſidet Iuſtitia, & quidquid hæc ſcribit contra pœnitentem, delet Miſericordia; acumen ſtyli figens in corde pœnitentis, ut faciat vulnera contritionis, vel doloris & amoris.*

§. 15. *Epilogus ſuaviter illum rogat, ne iterum ſe firmiter & ſemper affixum Crucis.*

Modo non iterum peccemus, ne iterum Chriſtum crucifigamus, quod ſuaviter ne faciamus; imitemur Joannam Franciſcam Fundatricem Virginum de Viſitatione B.V. quæ tentata à vanitatibus mundi, tandem victrix de ſe faſſa eſt; Tenebam me Cruci affixam! ne cum maximo cœleſtium flammarum mearum detrimento, cor iſtis raperetur lenociniis. Eja anima contrita, poſt hac his inſiſte veſtigiis,

Digitized by Google

ſtigiis, tene te affixam Cruci, ab hâc ne vel momento temporis diſcede, huic cordis tui pœnitentis ſuſpiria, gemitus, affectus committe. Tentat te rurſum diabolus? tene te affixam Cruci! Invitabit te denuo ad patrata, hactenus ſcelera, mundus, cum affeclis: tene te affixam Cruci. Blandis te aggreditur illecebris Caro? Si à Cruce non recidas, ſalva res eſt, non eſt, quod timeas. Nulla illum à propoſito avertere poteſt violentia, nulla deflectere voluptas, qui ſe quotidie & firmiter Cruci affixum tenet.

CONCIO XV.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

CONCIO III. de Chriſto Crucifixo.

Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, 1. Cor. 1. verſ. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Tertium jam mortis Chriſti auctorem accuſo, Juſtitiam & Pacem. Nam ſecundum rigorem Juſtitiæ, conciliari debuit Pax inter DEUM & hominem, morte Crucis. Rem totam deduco ex Sanct. Patribus, S. ſcripturâ & ſimilibus. Ajo Chriſtum D. hanc pacem ſanciviſſe dexterâ ſuâ cruentâ. Explico, quomodo chirographum mortis deleverit. Iris apparens in nubibus poſt diluvium applicatur Chriſto Crucifixo. Affectus miſcentur varii.

§ 1. *Variæ devotiones erga Crucifixum.*

§. 2. *Mors Chriſti in Cruce, eſt myſterium magnum, admirabile, &c. ſub Cruce obviaverunt ſibi Juſtitia & Pax.*

§. 3. *Juſtitia Divina non potuit ſatis fieri, niſi per mortem Chriſti in Cruce. Probatur ex Ruperto & c. 1. epiſt. ad Coloſſ. Varia circumſtantia noſtræ reconciliationis.*

§. 4. *Ut DEO reconciliaremur, fieretque Pax, ipſe in corpore ſuo debuit luere. Explicatur hoc ex. c. 1. ad Coloſſ. per pulcra ſimilia.*

§. 5. *Proſecutio.*

§. 6. *Chriſtus in Cruce interfecit, & ſuſtulit inimicitias, quæ erant inter DEUM & genus humanum.*

§. 7. *Apoſtrophe ad Auditores ut ſub cruce crucifigant ſerpentes peccatorũ.*

§. 8. Ca-

Digitized by Google

§. 8. *Ceremoniæ adhibita à Regibus in ſtabilienda pace applicantur Chriſto Dn. in cruce, in qua fecit utraque unum.*

§. 9. *In ſignum reconciliationis factæ in glorioſo corpore retinet cicatrices S. Vulnerum. Figura fuit iris apparens in nubibus poſt diluvium.*

§. 10. *Oſculum reconciliationis inter Juſtitiam & Pacem deſideravit ſponſa Cant. 1. Accepit illud à Chriſto ſponſo in Cruce.*

§. 11. *Sangune Crucis deletum eſt chirographum noſtrum. Item affixum & combuſtum in Cruce.*

§. 12. *Teſſera Michaelis Palælogi in laudem Chriſti.*

§. 13. *Quam utilis ſit memoria Crucifixi, oſtenditur brevi hiſtoria.*

§. 1. *Varia devotiones erga Chriſtum Crucifixum.*

PIi Chriſtiani laborant hoc ſancto tempore Quadrageſimæ, ut frequenter ſint memoris Chriſti Crucifixi; Amor enim, illius, quod amat, nunquam non poteſt meminiſſe, de illo cogitat, ad illud ſuſpirat: Amatores Chriſti Salvatoris, mane quamprimum evigilant, dum ſignant ſe ſigno S. Crucis & exclamant, *In nomine Patris & Filii & ſpiritus S.* addunt pium hoc ſuſpirium, *In nomine Jeſu Crucifixi, cui ſit honor & gloria.* Idem eſt ultimum ſignum & ſuſpirium ad Deum directum, dum ſomnus illos occupat. Amatores Crucifixi, quotidie, præcipuè in quadrageſima, interſunt ſacrificio miſſæ, eò quod hæc ſit viva quædam, incruenta tamen repræſentatio Paſſionis & mortis crucis. Qui corpore intereſſe non poſſunt, ſaltem cum audiunt ſonitum campanæ ad illam vocantis, ſuſpirant, O JESU Crucifixe! licet abſens corpore, præſens tamen animo per tuas manus offero Patri cœleſti hoc S. ſacrificium, in memoriam ſanctiſſimæ tuæ Paſſionis. Frigidi amatores Crucifixi ſunt; qui non habent ſtatas preces, quas quotidie in ejuſdem honorem perſolvant. Plurimi ſoliciti ſunt, ut quavis hora ad ſonum horologii dum recitant Angelicam ſalutationem, ad nomen Jeſus ſuſpirent, O Jeſu Crucifixe! hac hora in manus tuas commendo ſpiritum meum. Ferventer amantium devotio eſt, ut ubicunque in templis, in cœmeteriis, in viis publicis conſpiciunt imaginem Crucifixi, dilectum ſuum piè & ſuaviter ſalutent: imo ut Crucifixus identidem animo occurrat, ejus imaginem circumferunt in libellis, in Roſariis, in annulis, in caſpulis pendentib. è collo, quod videtur ſponſus petiiſſe à ſponſa illis verbis Cant. 8. v. 6 *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.* Sunt qui quamprimùm labuntur in aliquod peccatum vel imperfectionem, pia cogitatione confugiant ad Crucifixum cum tenero affectu doloris. Faciunt id alii, cum occurrit aliqua tribulatio; & cum magno fructu. Omitto ſimiles devotiones erga Chriſtum Crucifixum, quas Pietas cuivis ſolet ſuggerere: Nunquid æquum eſt, ut Concionatores in ſuis concionibus per quadrageſimam ſint memores crucifixi, illumque prædicent cum S. Apoſt. Paulo. Hæc eſt mea intentio, dum per hanc quadrageſimã tracto hanc quæſtionẽ; Quare

Ofructus virtutũ. ait Caſſiodorus l. 4. var. ep. 50. *Vomit fornax illa perpetua puniceas quidem, ſed fertiles arenas, quæ licet diuturnâ fuerint aduſtione ſiccata, in varios fœtus ſuſcepta germina mox producunt, & magna quâdam celeritate reparant, quæ paulo ante vaſtaverant.* Non acquieſcit Mater Eccleſia, ut tantum à malo deſiſtamus; deſiderat præterea, ut in corde peccatoris expurgato, veluti in horto vel agro etiam progerminent & creſcant pulcherrimi virtutum flores, & operum bonorum fructus; & quia ſcit ad hoc prodeſſe cineres, ſive memoriam mortis, ideo hodie cum aſperſione cinerum cuiqui dicit: *Memento quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

CONCIO XIV.

DOMINICA I. QVDRAGESIMÆ.

CONCIO II. de Chriſto Crucifixo.

Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum,

1. ad Corinthios cap. 2. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

NUper in auctorem mortis Chriſti inquiſitum, & reus inventus Amor. Nunc iterum inquiro, & invenio te Peccator. Probo id tum ex Scriptura, tum Sanctiſſimis Patribus, & enumeratione eorum, qui cauſam dedere huic neci. Circa finem ad ſalutarem pœnitentiam, te moneo, in quem finem, tragicam explico, applicoque hiſtoriam. Affectus timoris, doloris.

§. 1. *Affectus admirationis cum Malachia Propheta, ſuper illa verba capitis 3.* Si affliget homo Deum. *Varia & docta illorum lectio.*

§. 2. *Propoſitio. Accuſat hæc Concio Peccatorem, tanquam auctorem mortis Chriſti in Cruce.*

§. 3. *Quid faciendum cum cadavere occiſi hominis ex cap. 21. Deuteronomii.*

§. 4. *Apo-*

§. 4. *Apoſtrophe ad peccatorem ſub Cruce, an ſit auctor tam crudelis mortis. Proditur à ſcaturiente ex vulneribus ſanguine.*

§. 5. *Puniuntur Judæi profluvio ſanguinis die Paraſceves. Iterum vehemens Apoſtrophe ad Peccatorem.*

§. 6. *Varii concurrerunt ad mortem Chriſti, Judæi, Judas, Pilatus, &c.*

§. 7. *Conſenſerunt Pater cœleſtis & ipſe Chriſtus.*

§. 8. *Paſſio & mors Chriſti dupliciter poſſunt conſiderari ex S. Thoma.*

§. 9. *Cauſa quoque fuerunt varia & gravia peccata: ex ipſa ſacra Hiſtoria paſſionis. Digreſſio ad peccatores. Fertur in illos ſententia, quod fuerint præcipua cauſa illius mortis.*

§. 10. *Confirmatur lata ſententia ex Iſaia. Pia digreſſio ad bajulationem crucis.*

§. 11. *Confirmatur ex S. Paulo c. 3. ep. ad Galatas. Depingitur imago crucifixi, cum Apoſtrophe ad peccatorem.*

§. 12. *Affectuoſa exclamatio S. Bernhardi*

§. 13. *Quid facere debeat reus peccator, exponitur tragica Hiſtoria.*

§. 14. *Ejuſdem applicatio ad Peccatorem.*

§. 15. *Epilogus ſuaviter eundem rogat, ut firmiter & ſemper ſe teneat affixum cruci.*

§. 1. Affectus admirationis cũ Malachia Proph. ſuper illa verba c. 3. v. 8 Si affliget homo Deũ, Varia illorum lectio.

UT multis aliis Prophetis, ſic & Malachiæ Spiritus S. Salvatorem generis humani, Filium Dei, pro homine ex amore erga hominem infinito, moriturum aliquando in cruce, revelavit. Viſum hoc fuit Malachiæ Prophetæ tam admirabile, ut ſtupore plenus quæreret c. 3, v. 8. *Si affliget homo Deum.* q. d. fierine poterit; ut Filius DEI, qui aſſumet naturam humanam, & veniet in hunc mundum, ut ille ab hominibus malè tractetur? Myſterium ipſum mortis Filii Dei in ligno crucis clarius exprimit alia lectio, quæ ita habet. *Si affiget homo Deum.* q. d. hoccine poterit fieri, ut Filius Dei factus homo ab homine affigatur cruci. Hebraica vocula *Kaba*, Interpretibus ſuggeſſit varias & myſteriis plenas verſiones, LXX. vertunt: *Si ſupplantabit homo Deum.* Pagninus. *Si rapiet, fraudabit, extorquebit homo DEUM ſuum.* Vatablus. *Si ſpoliabit homo DEUM ſuum.* Rabbi Abraham. *Si perdet homo Deum ſuum.* Syrus & Arabicus. *Nunquid opprimet homo Deũ ſuum.* Omnes hæ interrogationes ſunt plenæ ſacra quadam admiratione & pio horrore. Omnia ſunt miranda! quæ tamen re ipſa in paſſione & in monte Calvariæ præcipuè ipſo ſunt opere patrata. Eò enim Filius DEI ab impiis latronis inſtar raptatus eſt, ibi ab homine ſpoliatus veſtibus, ibi in crucem actus, totus nudus in eadem expiravit! Filius DEI iniquiſſimo judicio ab impiis fuit oppreſſus, & occiſus in infami ligno. Hoc eſt, quod cœlum & terra, Angeli & pii homines ſatis admirari

non poſſunt. Proinde in meis Concionibus per hanc Quadrageſimam inquiro cauſas, ob quas Salvator noſter debuit & voluit mori in Cruce.

§. 2. *Propoſitio. Accuſat hac Concio Peccatorē tanquam auctorem mortis Christi in Cruce.*

Ante octiduum in monte Calvariæ repræſentavi Amorem, eumque veluti auctorem tam turpis necis accuſavi: hoc eſt: Christus pro nobis voluit crucifigi, ut infinitum ſuum erga nos agnoſceremus amorem, & viciſſim amaremus. Sed non ſolus Amor eſt reus, hac Concione alium auctorem vocabo in Judicium, & quidem peccatorem, qui lethali ſcelere ſuum audet offendere Creatorem. Unicum peccatum mortale tantæ eſt malitiæ & turpitudinis, ut Deum affligat, imò Cruci affigat. Peccatum lethale vel unicum, rapit, nudat, ſpoliat, cædit, vulnerat, perdit Filium DEI ejuſq; ſanctiſſimam Paſſionem, teſte ſancto Apoſtolo ad Hebr. 6. v 6 *Rurſus crucifigentes ſibimet ipſis Filium DEI & oſtentui habentes*: Ut jam jam, ſi quod ſpero, benevolos vos nactus fuero Auditores, prolixius audietis.

§. 3. *Quid faciendum cum cadavere, occiſi hominis ex c. 21 Deuteronomii.*

Deutoronomii cap. 21. v. 7. hæc præcepit Dominus. Quando inventum fuerit in terra cadaver hominis occiſi, & ignorabitur cædis reus, venient Majores civitatis viciniioris, ad interfectum, levabuntque manus & dicent! *manus noſtra non effunderunt ſanguinem hunc, nec oculi noſtri viderunt, qui miſerum occiderit.* Videtiſne Auditores in monte Calvariæ, pendens de cruce exanime Corpus? ex hiantibus vulneribus, ex copioſe profuſo ſanguine colligere poſſumus, hunc hominem pendentem in cruce, crudeli nece ſublatum è medio; Sed ut video, Auctor necis non comparet; qui in cruce occiſus eſt, eſt Filius Dei; quis fatebitur ſe Deum peremiſſe. Vos Auditores huic Cruci, huic cadaveri, modo eſtis viciniſſimi; ergo ſi eſtis innocui à ſanguine juſti hujus, agite, levate manus, & cum juramento dicite, Manus noſtræ, non effuderunt hunc ſanguinem, oculi noſtri non viderunt, quis ſpineam coronam impoſuerit vertici, quis vulnerarit, multo minus quis cruci affixerit, hos clavos, illam lanceam quæ ipſum cor vulneravit, noſtri oculi nunquam viderunt.

§. 4. *Apoſtrophe ad Peccatorē ſub Cruce, an ſit auctor tam crudelis mortis. Proditur à ſcaturiente ex Vulnerib. ſanguine.*

Quid hæretis, Auditores? quid dubitatis? an ex veſtro ſilentio arguam vos reos hujus necis? præcipuè illos quos hoc momento Conſcientia accuſat reos mortalis peccati? Benè quidem vobis conſulitis ſilendo, timeo enim ne fortaſſis aliquibus accideret, quod multis contigiſſe experientia docet: Dum nimirum ex cadavere occiſi hominis, accedente occiſore, recens ebullit ſanguis, qui reo ingentem incutit timorem. O peccatores! O vos, qui jam dum hæc loquor, in lethali hæretis ſcelere; non miror vos timere, tremere, trepidare coram Crucifixo: Sanguis ebulliens ex vulneribus manuū, cruor ſcaturiens ex plagis pedum, imò ex ipſo corde, clamat, vos eſſe reos turpiſſimæ hujus necis: Silite, tacete! nihil tamen obſtat, quò minus ſaltem veſter affectus in ejuſmodi erumpat voces; *DEUS propitius eſto*

Digitized by Google

eſto mihi peccatori! ego peccavi! mea ſcelera tam ſunt abominabilia, tantæ malitiæ, ut filius Dei tam turpi nece pro illis luere & ſatisfacere debuerit & voluerit: alio mortis genere rigor Divinæ Juſtitiæ placari non potuit.

§. 5. *Puniuntur Iudæi profluvio ſanguinis literum vehemens Apoſtrophe ad peccatores*

Mirabile quid referunt probati auctores, de Judæis multis, quod nati eorum parvuli in hunc mundum, alterutram manum habeant plenam ſanguine; quod adulti multi, tam viri quàm fœminæ, die paraſceves quotannis patiantur profluvium ſanguinis, totoque illo die expalleſcant, in pœnam verborum, quibus Majores illo die clamarunt, *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros*, Matth. 27. ſed quid mihi cum Hebræis, vobiſcum mihi hodie res eſt, O peccatores! huc adeſte coram Crucifixo, coram exanimi hoc cadavere, huc ad conſpectum hiantium vulnerum accedite; Necis hujus auctorem inquiro. Si innocentes eſtis, agite, oſtendite manus veſtras, ah! claudite: abſcondite, retrahite! jam video, ſanguine ſunt plenæ! ſanguinea macula eſt luxuria, ſanguinea macula eſt odium! ſanguineæ maculæ ſunt tot blaſphemiæ; videte ut de manibus veſtris ſtillat ſanguis, & ex perdicibus, ex gallinis, ex aliis carnibus, quas contra præceptum Eccleſiæ hac Quadrageſima voratis. Aſpicite, ut manus veſtræ plenæ ſint ſanguine, quem ſitis de inimicis veſtris, iis, qui vos perſequuntur. Intuemini ſanguinem turpem, impurum, corruptum, quem coram Crucifixo, veſtræ proritant libidines, quem ſcelera veſtra clancularia atque nocturna profundunt. Vos omnes eſtis auctores hujus necis, vos Filium DEI affixiſtis Cruci, vos hunc ſanguinem effudiſtis. Quod ante octiduum fecit Amor, hac concione facit peccatum lethale: ante octiduum accuſavi amorem, modo clamo contra peccatorem, non ad condemnationem, ſed ad veniam. Ante octiduum agnovimus magnitudinem amoris, ex quo tam turpi morte mori voluit: hodie agnoſcamus malitiam peccati mortalis, pro quo tali nece ipſe Filius Dei debuit, & voluit ſatisfacere.

§. 6. *Varii concurrunt ad mortē Chriſti; Iudæi, Pilatus &c.*

Non nego, multos & varios concurriſſe ad mortem Crucis, ante omnes & primo loco Judæos, ideo Pilatus ait, Joan. 18. v. 55. *Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi*. Et ipſi fatentur: *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, tolle, crucifige* 2. Manus ſuas innocenti ſanguine polluit Pilatus, nam ipſe adjudicavit fieri petitionem illorum. 3. Juvit Judas: ipſe ſe reum fatetur, Matth. 27. v. 4. *Peccavi, tradens ſanguinem juſti*. 4. ſociam operam contulerunt dæmones, ideo Chriſtus ad impiam cohortem dixit; *Hac eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*; & Joan. 18. *Diabolus miſit in cor, ut traderet eum Judas*. Tanti ſceleris talis proditionis, non ſolus homo, ſed & diabolus fuit inventor, 5. Sententiæ Pilati & necis Chriſti executores fuerunt carnifices & lictores, qui illum ceperunt, flagellarunt, crucifixerunt. Sed omnibus dicere poſſumus, quod Chriſtus

Dominus dixit Pilato: *Non habuiſſent adverſus me poteſtatem ullam, niſi data fuiſſet deſuper.*

§. 7. *Conſenſerunt Pater cœleſtis, & ipſe Chriſtus.*

Et quia Pater cœleſtis illam poteſtatem dedit, vel permiſit, imò voluit Filium ſuum pro genere humano ſic mori, & ipſe cauſa fuit hujus mortis: in quo clarè loquitur ſacra ſcriptura, Iſaiæ 53. v. 4. *Vidimus eum leproſum, percuſſum à DEO, & humiliatum.* ad Rom. 8. v. 32. *Proprio filio ſuo non pepercit.* Ipſe Salvator ſuam paſſionem & mortem adſcribit voluntati Patris. Joannis 18. v. 11. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum. Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Denique ipſe Chriſtus Dn. mandatum Patris acceptando fuit cauſa ſuæ mortis in cruce. ad Epheſios cap. 5. v. 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis: factus obediens uſque ad mortem, mortē autē crucis.* ad Galatas 2. v. 20. eadem repetit Apoſtolus. Iſaiæ 53. v. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*: quibus verbis exprimitur, ait S. Hieronymus, *quod non neceſſitate, ſed voluntate crucem ſuſtinuit.* Hebraica verſio citatum verſum ſic legit: *acceſſit, & ipſe afflictus eſt.* q. d. Anguſtias morientis ſuſtinuit, in horto JESUS; ſed ad eas ipſe ultro acceſſit: funibus, vinculiſque conſtrictus eſt, ſed ad laqueos & catenas acceſſit: fuit innocens Agnus in medio luporum, ſed ad eos acceſſit: fuit inter leones & tigrides, ſed acceſſit, fuit in medio falſorum teſtium, fuit apud judices injuſtos, apud carnifices immites; ſed acceſſit. Expreſſis verbis ait apud S. Joannem c. 10. v. 17. *Ego pono animam meam: nemo eam tollit à me, ſed ego pono eam à me ipſo.*

§. 8. *Paſſio & mors Chriſti dupliciter poſſunt conſiderari, ex S. Thoma.*

Verum in his omnibus cauſis notandum eſt, dupliciter mortem Chriſti poſſe conſiderari, 1 ut eſt actio plena ſceleribus, injuſta, ſanguinaria, crudelis: ſic non eſt à DEO, neque à Patre, neque Filio, qui non poſſunt velle malum. 2. Prout eſt opus vel actio Chriſti, plena virtutib. in qua patēt infinita Dei attributa, ex qua actione nobiliſſimi ſecuti ſunt effectus & fructus; & ſic eſt à Deo. S. Thomas in ep. ad Galatas. *Ipſe Filius tradidit ſe, & Pater quoque tradidit illum, Judas etiam tradidit eum. Et totum quidem res una eſt, ſed non una intentio: quia Pater ex caritate, Filius ex obedientia, ſimul & caritate, Judas impius ex cupiditate & proditione fecit.* Judæi Chriſtum tradiderunt ex odio; Pilatus ex vano timore condemnavit; carnifices ſua nequiſſima voluntate fuerunt inſtrumenta crudelitatis. Veruminter hos omnes, verus & præcipuus necis auctor necdum comparet, hunc inquiro adhuc. Ut inveniam, aliam ex hiſtoria Paſſionis adverto circumſtantiam, quam paulò ante inſinuavi; nimirum ad infamen mortem Crucis concurriſſe varia & graviſſima multorum ſcelera. Verbi gratia:

§. 9. *Cauſa quoque fuerunt varia & gravia peccata, ex ipſa ſacra Hiſtoria Paſ.*

1. Concurrit invidia & implacabile odium Pontificum & Sacerdotum in Chriſtum! ſciebat enim Pilatus, quod per invidiam tradidiſſent eum. 2. Juvit inflammata ira, & præceps ſententia Caiphæ: ex ira in ampliſſimo ſenatu laceravit veſtes, plenus ira exclamavit, *Reus eſt mortis.*

3. Ope-

ſtenis. Digreſſio ad Peccatores. Fertur in illos ſententia quod fuerint præcipua cauſa illius mortis.

3 Operam contulit avaritia Judæ; fur erat. 4. Hypocriſis Sacerdotum; Chriſtum falſo accuſare, adducere corruptos teſtes, petere effuſionem innocentis ſanguinis non curant; legis ſanctitatem prætendunt, & prætorium gentium ingredi timent, ne polluantur. O hypocrytæ! 5. Juverunt falſi teſtes: cùm acceſſiſſent multi falſi teſtes, Pilatus putavit ſe eò juſtiori titulo poſſe illum condemnare. 6. Profuit etiam ad contemptum Chriſti, perfidia & perjurium Petri; cœpit jurare, anathematizare: *Non novi hominem.* 7. Proditio & perfidum oſculum Judæ. *Juda oſculo filium hominis tradis?* Luc. 27. 57. 8. Durities & obſtinata corda Judæorum, quaſi coëgerunt judicem ad ſententiam. 9. Oppreſſio innocentiæ. 10. Crudelitas carnificum & inclementia militum. Ex quibus patet, Peccatum fuiſſe magnam cauſam, nefandæ necis Chriſti in Cruce, hoc poſito: adeſte peccatores, quicunque eſtis præſentes; hic coram Venerabili Sacramento ad hunc Crucifixũ cito vos omnes convertite, ut hanc in vos pronuntiem ſententiã, & me ipſum. Nos ipſi ſumus auctores hujus necis, nos Chriſtum cruci affiximus, nos Filium Dei occidimus, nos ſpoliavimus, nos vulneravimus, nos mortis ſumus cauſa. Adeſte, qui pauperum, pupillorum & viduarum eſtis oppreſſores & carnifices, jurate ſi poteſtis, ſi audetis, vos de hac nece innocentes, vos de Chriſticidio inſontes? ah miſeri, non poteſtis, non audetis. Adeſte falſi teſtes, & injuſti auroque corrupti Judices, & vos detractores, vos maledici, vos blaſphemi; quid ſentitis de morte Salvatoris veſtri? non vos manum admoviſtis ſceleſtam? non vos illius vel auctores vel coadjutores extitiſtis? probate, ſi quo poteſtis argumento, veſtram innocẽtiam, jurate, ſi audetis. Ah miſeri, nõ poteſtis, non audetis! Sed redeo ad meum propoſitum.

§. 19. *Confirmatur lata ſententia ex Iſ. c. 53. v. 8. pia digreſſio ad ejulationẽ crucis.*

Sententiam à me latam claris verbis confirmat Spiritus S. per Iſaiam cap. 53. v. 8. *Propter ſcelus populi mei percuſſi illum.* S. Hieronymus ex Græco ſic legit, *ab iniquitatibus populi mei ductus eſt ad mortem.* Videtur S. Hier. loqui de peccatis veluti lictoribus & militibus, qui Chriſtum ceperunt, qui vincula injecerunt, qui deduxerunt ad mortem, qui crucifixerunt. O animæ piæ! Scio, cum oculos veſtros incurrit imago, v. g. Chriſti bajulãtis crucem, tum iraſcimini illis, qui illi crucem imponunt; illis qui jacentem humi ſub cruce trudunt pedibus, illis qui lapſum in terra Salvatorem erigere negligunt, illis qui tardo gradu euntem maledictis ac conviitiis proſcindunt, illis, qui ictibus ictus, plagis plagas, ſputis ſputa, vulneribus vulnera accumulant; ſed peccatoribus & vobis potius iraſcimini, de quibus ait Spiritus S. quod Chriſtum duxerimus ad mortem. Citatum verſum, *propter ſcelus populi mei percuſſi illum*, ob Hebraicam voculam, *lammo*, alii ſic legunt. *A transgreſſione populi mei, plaga illi.* q. d. Iſaias; plagam v. g. dexteræ manus in cruce, non fecit tantum clavus, ſed iniquitas populi. (ſic de aliis vulneribus)

bus) Forerius illum verſum ſic vertit; *Noſtræ illum iniquitates ligno affixerunt.* Ergo ſuperbi, repeto ſententiam in vos latam, veſtra ſuperbia illum coronavit ſpinis, & ligno huic affixit. (hoc modo poteſt fieri pulcra inductio.)

§. 11. Confirmatur ex S. Paulo cap. 3. 1. ep. ad Gal. Depingitur imago crucifixi. cum Apoſtrophe ad peccatorem.

Confirmo latam ſententiam ex c. 2. v. 23. Actuū: *Hunc Jeſum Nazarenū definito conſilio, ac praſcientia Dei traditum per manus inimicorum affligentes interemiſtis.* Syriacus & latinus textus ſic habet, *Affligentes.* Confirmo ex c. 3. v. 1. ad Gal. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit, non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus praſcriptus eſt, in vobis crucifixus.* Cæci & indurati erant Galatæ; ut oculos eorum aperiat, & corda emolliat, objicit illis imaginem Crucifixi. Tela vel pannus eſt ſanctiſſima Caro & Corpus Chriſti; colores ſunt ſanguis, ſputa, lacrymæ, lethalis ſudor Umbra, vulnera: penicilli, virgæ, ſpinæ, clavi, crux, lancea. Sed quis ille crudelis pictor, qui hunc pannum ita extēdit, qui illum infecit ſputis, tamque turpiter contaminavit? quis qui tam rudem aptavit penicillum? quis qui purpureos tantâ copiâ admiſcuit colores, quis qui in ejus corpore, velut candidiſſima membrana, tam frequentes & indecoras duxit lineas, vibicesque? Vos eſtis, ô inſenſati Galatæ! Vos ô impii! non foris extra vos, non in horto, non in domo Caiphæ vel Pilati, non in monte Calvariæ, ſed intra vos, in vobiſmetipſis, in cordibus veſtris quærite Crucifixores & carnifices. In cordibus veſtris iterum crucifigitur. Noſtra ſuperbia res eſt tam abominabilis, ut pro ejus ſatisfactione condigna, Filius Dei debuerit crucifigi, in vobis ſunt clavi, mallei, crux, quibus iterum crucifigitur.

§ 12. Affectuoſa exclamatio S. Bernardi de paſſ. Domini cap. 5.

Quis hic non exclamet cum Sanct. Bernardo l. de paſſ. cap. 5. *O quantos habes Domine Jeſu percuſſores! percutit te Pater tuus, qui proprio Filio ſuo, id eſt, tibi non pepercit. Percutis te temetipſum, tradis enim in mortem animam tuam, quam nemo poteſt tollere à te, ſine te. Percutit te impius diſcipulus oſculo falſo! percutit te Judæus colaphis & alapis! percutiunt te gentiles flagellis & clavis. Ecce mi Jeſu, quantum percuſſus es, & humiliatus. O quanti Domine percuſſores, & quanti ſunt traditores, &c.* Ah! quot hodie ſunt blaſphemi! quot libidinoſi! quot detractores! quot guloſi! quot voratores carniū in hac Quadrageſima! &c. qui te mi Optime Jeſu, & hodie tradunt, percutiunt & crucifigunt

§. 13. Quid facere debeat reus peccator, exponitur tragica hiſtoria.

Non eſt modo mea mens, excurrere ulterius in latiſſimum campum, in gravitatem peccati mortalis, inſinuo tantùm, tantam ejus eſſe malitiam, ut pro digna ſatisfactione Filius Dei mori debuerit in cruce. Acerbâ & turpiſſimâ morte cœleſtis Pater in Filio oſtendere voluit illud odium, quo tantum malum, nimirum peccatum proſequitur. Quid præſtare debeat peccator pœnitens, dum hoc agnoſcit, brevi hiſtoriâ declaro. Cùm Juvenis Germanus, nuptiis filiæ ditiſſimi Mercatoris ob egeſtatem potiri non poſſet, audax & tragicum aggreſſus eſt facinus. Nocte intempeſtâ ædes amaſiæ furtivè ingreſ-

Digitized by Google

greſſus, parentem ſtrangulavit, & in angulo domus tam furtivè ſepelivit, ut quonam mercator deveniſſet, nunquam potuerit intelligi. Num filia ſceleris fuerit conſcia, hiſtoria non meminit; juvenis illi paulò poſt volenti fuit deſponſatus, & oculotenus, vulgique opinione vitam vivebat hilarem, jucundam, fortunatam, ut etiam ſenatorio in urbe fuerit adlectus ordini. Sed alia erat vita hominis interior; cor plenum ſtimulis, aculeis, ſpinis, exagitatum, laniatum, tortura flagellis, facibus, equuleis malæ Conſcientiæ: hoc illi fuit luctuoſum! Umbra occiſi mercatoris, aſtabat perpetuo, ſanguineâ linguâ identidem obganniens: *Occidiſti! Occidiſti!* quæ voces miſerum hominem excarnificabant. Quodam die iturus ad ſenatum & judicium, ad dicendam ſententiam de celebri latrone, multarum cædium reo, cibum prius petiit ab uxore, appoſuit illa caput vitulinum; vix miſer aſpexit, & exclamavit. *Prò quid monſtri apponis! O ſævum caput! ut immani rictu diros mihi minatur dentes! ut ebulliens ſanguis vindictã contra me clamat! video! caput parentis tui eſt, quem his manibus peremi! video, me petit! mihi minatur.* Hæc altum clamans evolat ad ſenatum, rogatus ſententiam ſic peroravit. *Reus eſt hic mortis, ſed magis ego. Ego ille ſum, qui ante aliquot annos innocenti ſanguine me pollui: ego uxoris meæ parentem ſtrangulavi; juſtitiam peto, malo mori, quàm ſic vivere;* damnatus à Judicibus per dignos pœnitentiæ actus prius ad mortem ſe præparavit; & morte, pro ſcelere ſuo ſatisfecit.

§. 14. *Ejuſdem Applicatio ad peccatorẽ.*

O miſeri peccatores! Vos eſtis, qui Chriſtum occidiſtis! ſed ſcelera veſtra latent! ſcio. Vitam vivitis, ut putamus jucundam & fortunatam. Sed intus, non deſunt ſpinæ, quæ vos pungant: præſertim, cum triſtis umbra Chriſti pendentis in cruce tibi obmurmurat: *Occidiſti! Occidiſti!* Audin? ut ſpinæ clamant, *Occidiſti!* hoc clamant clavi, hoc innoxius ejus ſanguis! Quid ergo medii? hoc facite, evolate ad thronum divinæ miſericordiæ; ad ſanguineos Chriſti pedes; hic ruite in genua, percutite pectora, dicite, JESU Miſerere. Dic coram cœlo & terra, ego Chriſtum occidi: &c. Dic ex corde; Malo mori, quam impoſterum vivere in ſtatu peccati mortalis. In hoc tribunali, coram hoc Judice, corã Crucifixo ſic ſe accuſare, eſt abſolvi. Guilhelmus Pariſienſis c. 12. de Sacram. pœn. *In hoc tribunali ſedet Miſericordia, aſſidet Iuſtitia, & quidquid hæc ſcribit contra pœnitentem, delet Miſericordia; acumen ſtyli figens in corde pœnitentis, ut faciat vulnera contritionis, vel doloris & amoris.*

§. 15. *Epilogus ſuaviter illum rogat, ut te non ſe firmiter & ſemper affixum Crucis.*

Modo non iterum peccemus, ne iterum Chriſtum crucifigamus, quod ne faciamus; imitemur Joannam Franciſcam Fundatricem Virginum de Viſitatione B.V. quæ tentata à vanitatibus mundi, tandem victrix de ſe faſſa eſt; Tenebam me Cruci affixam! ne cum maximo cœleſtium flammarum mearum detrimento, cor iſtis raperetur lenociniis. Eja anima contrita, poſt hac his inſiſte veſtigiis,

ſtigiis, tene te affixam Cruci, ab hâc ne vel momento temporis diſcede, huic cordis tui pœnitentis ſuſpiria, gemitus, affectus committe. Tentat te rurſum diabolus? tene te affixam Cruci! Invitabit te denuo ad patrata, hactenus ſcelera, mundus, cum affeclis: tene te affixam Cruci. Blandis te aggreditur illecebris Caro? Si à Cruce non recidas, ſalva res eſt, non eſt, quod timeas. Nulla illum à propoſito avertere poteſt violentia, nulla deflectere voluptas, qui ſe quotidie & firmiter Cruci affixum tenet.

CONCIO XV.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

CONCIO III. de Chriſto Crucifixo.

Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, 1. Cor. 1. verſ. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TErtiam jam mortis Chriſti auctorem accuſo, Juſtitiam & Pacem. Nam ſecundum rigorem Juſtitiæ, conciliari debuit Pax inter DEUM & hominem, morte Crucis. Rem totam deduco ex Sanct Patribus, S. ſcripturâ & ſimilibus. Ajo Chriſtum D. hanc pacem ſanciviſſe dexterâ ſuâ cruentâ. Explico, quomodo chirographum mortis deleverit. Iris apparens in nubibus poſt diluvium applicatur Chriſto Crucifixo. Affectus miſcentur varii.

§ 1. *Variæ devotiones erga Crucifixum.*

§. 2. *Mors Chriſti in Cruce, eſt myſterium magnum, admirabile, &c. ſub Cruce obviaverunt ſibi Juſtitia & Pax.*

§. 3. *Juſtitia Divina non potuit ſatis fieri, niſi per mortem Chriſti in Cruce. Probatur ex Ruperto: & c. 1. epiſt. ad Coloſſ. Variæ circumſtantiæ noſtræ reconciliationis.*

§. 4. *Ut DEO reconciliaremur, fieretque Pax, ipſe in corpore ſuo debuit luere. Explicatur hoc ex. c. 1. ad Coloſſ. per pulcra ſimilia.*

§. 5. *Proſecutio.*

§. 6. *Chriſtus in Cruce interfecit, & ſuſtulit inimicitias, quæ erant inter DEUM & genus humanum.*

§. 7. *Apoſtrophe ad Auditores ut ſub cruce crucifigant ſerpentes peccatorũ.*

§. 8. Ca-

Digitized by Google

§. 8. *Ceremoniæ adhibitæ à Regibus in ſtabilienda pace applicantur Chriſto Dn. in cruce, in qua fecit utraque unum.*

§. 9. *In ſignum reconciliationis factæ in glorioſo corpore retinet cicatrices S. Vulnerum. Figura fuit iris apparens in nubibus poſt diluvium.*

§. 10. *Oſculum reconciliationis inter Juſtitiam & Pacem deſideravit ſponſa Cant. 1. Accepit illud à Chriſto ſponſo in Cruce.*

§. 11. *Sanguine Crucis deletum eſt chirographum noſtrum. Item affixum & combuſtum in Cruce.*

§. 12. *Teſſera Michaëlis Palalogi in laudem Chriſti.*

§. 13. *Quam utilis ſit memoria Crucifixi, oſtenditur brevi hiſtoria.*

§. 1. *Variæ devotiones erga Chriſtum Crucifixum.*

PIi Chriſtiani laborant hoc ſancto tempore Quadrageſimæ, ut frequenter ſint memoris Chriſti Crucifixi; Amor enim, illius, quod amat, nunquam non poteſt meminiſſe, de illo cogitat, ad illud ſuſpirat: Amatores Chriſti Salvatoris, mane quamprimum evigilant, dum ſignant ſe ſigno S. Crucis & exclamant, *In nomine Patris & Filii & ſpiritus S.* addunt pium hoc ſuſpirium, *In nomine Jeſu Crucifixi, cui ſit honor & gloria.* Idem eſt ultimum ſignum & ſuſpirium ad Deum directum, dum ſomnus illos occupat. Amatores Crucifixi, quotidie, præcipuè in quadrageſima, interſunt ſacrificio miſſæ, eò quod hæc ſit viva quædam, incruenta tamen repræſentatio Paſſionis & mortis crucis. Qui corpore intereſſe non poſſunt, ſaltem cum audiunt ſonitum campanæ ad illam vocantis, ſuſpirant, O JESU Crucifixe! licet abſens corpore, præſens tamen animo per tuas manus offero Patri cœleſti hoc S. ſacrificium, in memoriam ſanctiſſimæ tuæ Paſſionis. Frigidi amatores Crucifixi ſunt; qui non habent ſtatas preces, quas quotidie in ejuſdem honorem perſolvant. Plurimi ſoliciti ſunt, ut quavis hora ad ſonum horologii dum recitant Angelicam ſalutationem, ad nomen Jeſus ſuſpirent, O Jeſu Crucifixe! hac hora in manus tuas commendo ſpiritum meum. Ferventer amantium devotio eſt, ut ubicunque in templis, in cœmeteriis, in viis publicis conſpiciunt imaginem Crucifixi, dilectum ſuum piè & ſuaviter ſalutent: imo ut Crucifixus identidem animo occurrat, ejus imaginem circumferunt in libellis, in Roſariis, in annulis, in caſpulis pendentib. è collo, quod videtur ſponſus petiiſſe à ſponſa illis verbis Cant. 8. v. 6 *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.* Sunt qui quamprimùm labuntur in aliquod peccatum vel imperfectionem, pia cogitatione confugiant ad Crucifixum cum tenero affectu doloris. Faciunt id alii, cum occurrit aliqua tribulatio; & cum magno fructu. Omitto ſimiles devotiones erga Chriſtum Crucifixum, quas Pietas cuivis ſolet ſuggerere: Nunquid æquum eſt, ut Concionatores in ſuis concionibus per quadrageſimam ſint memores crucifixi, illumque prædicent cum S. Apoſt. Paulo. Hæc eſt mea intentio, dum per hanc quadrageſimā tracto hanc quæſtionē; Quare

re Chriſtus Salvator noſter mori debuerit in cruce? Prima Concione in Dominica Quinquageſimæ accuſavi Amorem. In ſecundâ ante octiduum, Peccatum mortale. In hâc tertiâ piis querelis agam contra Divinam Juſtitiam & Pacem, perfectiſſima Dei attributa. Nam ut ſecundum rigorem Juſtitiæ ſatisfieret, & Pax cum illâ, inter Deum & genus humanũ reconciliaretur, & modo perfectiſſimo, Chriſtus mori debuit in Cruce. Vos pro more veſtro, Auditores, dicturum de re tam gravi, tam fructuoſa, tamque ad ſalutem neceſſaria, tantiſper attentè ſimul & benevolè, ut ſoletis, audite.

§. 2. *Mors Chriſti in Cruce eſt myſteriũ m ignum, admira bile, &c. Sub cruce obviaverunt ſibi Iuſtitia & Pax.*

Bene de Redemptionis noſtræ myſterio, & quidem per mortem Filii Dei, & in cruce dixit S. Chryſoſtomus hom. 5. in ep. ad Hebræos. *Re vera magnum & admirabile, ac ſtupore plenum eſt, Filium Dei in cruce pro nobis mori voluiſſe & debuiſſe; hoc ſæpius ego in mente verſans, exceſſum patior, & magna de genere humano imaginor.* Sic eſt, pretioſa debet eſſe anima hominis, pro qua Chriſtus in cruce mori voluit. Sed cur in cruce? an non alio genere mortis illam redimere potuiſſet? Hujus myſterii cauſas, ut ſcitis inquiro: ſive auctores & reos infamis hujus Deicidii. Primus auctor, quem coram vobis accuſavi, fuit Amor. *Moriendo enim in cruce* (inquit idem S. Chryſoſtomus in cap. 12. Joannis) *nihil omiſit, quod vehementer amantem deceret.* Ante octiduum accuſavi peccatum mortale, & evici, hujus malitiam exegiſſe tam infamem mortem. Hac concione cogitate vos videre ſtantes ſub cruce duas formoſiſſimas Virgines; alteram in habitu rubro & igneo, alteram in candido: Unam armatam gladio & fulmine; alteram dexterâ præferentem Olivam. Unius nomen eſt Juſtitia, alterius Pax. Videte, ut ſub cruce in mutuos ruunt amplexus, juxta illud Pſal. 84. v. 11. *Miſericordia & Veritas obviaverunt ſibi, Juſtitia & Pax oſculatæ ſunt.* Juſtitia pro Oliva, Paci ceſſit gladium & fulmen; non illa jam eſt metuenda & terribilis, ſed pacata & reconciliata. Sed eheu! hæc reconciliatio, hic amplexus, hoc oſculum Filium Dei tradidit in mortem crucis. Juſtitia & Pax fuerunt cum aliis auctores mortis hujus turpiſſimæ. Ut rigori Juſtitiæ ſatisfieret, ut conſentiret in pacem, Deus homo debuit mori in cruce, quod jam jam ulterius declaro, & quia fortaſſis ex meis Auditoribus (quod non ſpero) aliqui, actu propter peccatum mortale, in quo hærent, ſunt hoſtes Chriſti, ſimul modum oſtendo, quo ſanctiſſimo hoc tempore, per Chriſtum Crucifixum veram pacem quærere & intelligere poſſint.

§. 3. *Iuſtitia divina, non potuit ſatis fieri, niſi per Mortem Chriſti in Cruce. Probatur ex Rupert. & c. 1 op. v. 19. ad Coloſſ Varia cur.*

Cauſam mortis Crucis quam modo explicare aggredior, ſuggeſſit mihi Rupertus l. 4. in c. 6. Exodi. *Etenim non aliunde erat homini acceſſus ad Deum, niſi per mortem Chriſti. Non erat aliud quod daret reconciliationis pretium. Per mortem propitiatoris hujus reconciliati ſumus Deo.* Videtur Rupertus ſumpſiſſe hanc cauſam ex S. Paulo c. 1. ad Coloſſ. v. 19. *In quo complacuit, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem Crucis*

ejus

Digitized by Google

cumſtan-tia – ſtra reconci-liationis.

ejus (nota, in cruce Filius Dei ſanguinem ſuum pretioſum effundere debuit) *ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt.* Hunc locum profunde conſideravit Sanct. Chryſoſt. hom 3 in hanc ep. ubi monet quinque in illis verbis eſſe advertenda. 1. in ipſo complacuit, id eſt, ipſe Deus fuit primus auctor & inventor hujus reconciliationis. O bonitatem! peccator ipſe debuiſſet quærere pacē, & cogitare de reconciliatione: ſed quia non fecit, vel facere non potuit, Deus fecit: ipſe hoſtibus pacem obtulit. 2. Emphaſis latet in verbo, *reconciliare*, ex græco enim idem eſt, quod perfectè reconciliare, ita ut nō amplius inimicarentur (ſic loquitur S. Chryſoſt.) & fieret, *pax ſolida atq; profunda*, 3. *fecit hoc per ſe ipſum.* Reges in his occaſionib. mittunt ſuos legatos, rarò ipſi conveniunt; id enim videtur eſſe regiæ illorum majeſtati minus conveniens. Filius Dei ad hunc finem mittere potuiſſet Angelos, Cherubinos vel Seraphinos, ſed non fecit, ipſe venit: *ſic dilexit mundum.* 4. fecit id per ſanguinem, & fuſum in Cruce. S. Chryſoſtomus. *Non enim verba faciens inſtar legati reconciliavit, ſed ſe ipſum dedit ad ignominioſam mortem Crucis.* Nec ſatis fuit mori, & quocunque modo ſanguinem fundere, debuit eſſe mors & ſanguis crucis. Fudit ſanguinem in ſudore ſanguineo, fudit ad columnam in flagellatione, fudit in coronatione ſpinea, ut redemptio eſſet copioſa reconciliatione perfectâ, fudit etiam in cruce, & hic fuit ſanguis reconciliationis: hoc ſanguine confirmari & conſignari debuit Pax inter homines & Deum. Legatus fuit in cruce pro genere humano, non tantùm verbis, non tantum expaſſis brachiis, non tantum lacrymis & clamore valido, ſed ſanguine crucis perorans: imò, potuiſſet ſanguinem in cruce fundere, & tamen vivere; potuiſſet enim de cruce deſcendere, quod petiverunt Judæi; ſed & mori voluit. *Sic dilexit!* 5. Denique ergo nos Patri reconciliavit, non ſolùm per ſe ipſum, non ſolum per ſanguinem, ſed ipſam actualem mortem in cruce: quam gradationem pulcherrimis verbis refert cit. ſanct. Chryſoſt. *Magnum quidem conciliari, quod vero hoc per ipſum, majus: atque hoc quoque ipſo majus eſt iſtud, quo per ſanguinem ejus factum eſt: ſed quod amplius etiam eſt, per crucem. Itaque ſunt hæc admiranda, per ſe ipſum, per mortem, per crucem*, addit Theophilactus: *per mortem ignominioſiſſimæ Crucis.*

§. 4. *Vt Deo reconciliaremur, & fieret quæ Pax, ipſe in corpore ſuo debuit luere. Explicatur c. 1. v. 21. ad Coloſſ. per pulcra ſimilia.*

Eandem & adhuc aliam circumſtantiam, quæ beneficium, hoc immenium auget, urget S. Paulus ad Coloſſ. 1. v. 21. *Cum eſſetis alienati & inimici, in operibus malis, reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem*: id eſt, ut Chriſtus Dominus inter nos veluti hoſtes, reos, perduelles, & Patrem cœleſtem, perfectam pacem conciliaret, ipſe in corpore ſuo luere debuit. Contigit ipſi, quod ſubinde mediatori alicui in duello contingere ſolet; dū duo concurrunt, intercurrit medius, & dum ſe interponit, lethaliter læditur; lethali vulnere & mediatoris ſanguine uterque digladjator

territus pacem componunt ; Jurgium erat inter Deum & homines, inter D. Juſtitiam & peccatores; interpoſuit ſe Filius DEI, ſed eheu ! quam copioſum ſanguinem fudit in Cruce! ſed ſic pacem reconciliavit : Juſtitiæ ſatisfecit, ſtabilivit Pacem.

§. 5. *Proſecutio.*

Subinde cum herus verbera infligit ſervo, dorſum objicit filius, & verbera excipit, & placatur Pater; ſufficit illius iræ, tetigiſſe filium. Hoc fecit Salvator! *ſic dilexit*! Erat in nos viles terræ famulos gravi ſed juſta correptus ira omnipotens Pater; intentabat jam ictum, æterna ſecum ſupplicia importantem, nemo omnium poterat caput ſuum ictui ſubducere: actum fuerat niſi DEI Filius, divinus ille mediator ſuo hunc ictum corpore, in ſe ipſo excepiſſet: ſuffecit Patri tetigiſſe Filium, evaſit plagas ſervulus, quibus ultro ſe Filius amore ductus ſubjecit. S. Chryſoſt. *Quod nobis imminebat à Patre* (& irata Juſtitia) *ſupplicium ipſe ſuſtinuit, ſicque ſedavit jurgium*; ſic rigori Juſtitiæ ſatisfecit, ſic nos DEO reconciliavit, ſic Pacem reſtituit & firmavit, per ſeipſum, per ſanguinem, per mortem, per crucem, in corpore ſuo, ſic genus turpiſſimæ mortis, malitiam peccati, non ſolùm exæquavit, ſed exceſſit & ſuperavit.

§. 6. *Chriſtus in Cruce interfecit & ſuſtulit inimicitias quæ*

Concluſa inter Reges pace, ſi perfecta illa eſt, tolluntur odia & inimicitiæ, ideo & illam inimicitiam, quæ inter Deum & homines fuit, perfectè ſuſtulit Chriſtus D. Paulus ad Epheſios c. 2. v. 16. ait, quod interfecerit illas : *Interficiens inimicitias* : ſed addit S. Hieronymus. *Inimicitia per crucem interfecta eſt*, id eſt, ut Filius Dei illam tolleret perfectè, ut Pax juſtitiæ è manibus extorqueret fulmen, interficere debuit per Crucē; neceſſe fuit mori in cruce. Et hoc non ſine magno myſterio. Per arborem ſiquidem, ſive ſub arbore inimicitia vivere cœpit; ſub ligno & per lignum & mortem filii Dei ligno contritum eſt caput ejus, imò ipſe ſerpens, ſive inimicitia affixa eſt Cruci : cujus rei figura fuit ſerpens in crucem affixus à Moyſe Numer. 21. v. 9. de quo S. Ambroſius ait ſer. 53. de Cruce. *Serpens primus crucifigitur*, (cum ſerpente ipſe diabolus, auctor primarius inimicitiarum) *rectè planè, ut quia primus ipſe peccaverat, & peccati per lignum auctor fuerat, primus Crucis ſententia feriretur.* Cum Chriſto iiſdem clavis, Sathanas & infernalis ſerpens fuit affixus cruci : hac differentia; Chriſtus liberatus eſt, ſerpens affixus manet, ut nobis nocere non poſſit; niſi velimus.

erant inter Deum & genus humanū.

§. 7. *Apoſtrophe ad Auditore ut ſub Cruce crucifigant ſerpentes peccatorū.*

Eja mi homo, habes fortaſſis in corde ſerpentem, qui cauſa & auctor eſt inimicitiæ inter te & DEUM tuum, hoc ſancto tempore Quadrageſimæ, ecce JESUS Crucifixus baculum Crucis tibi offert, quo facilimè beſtiam potes interficere. O pulchrum opus! hoc tempore crucifigere, interficere ſerpentes, ut pacis, quam Chriſtus D. morte Crucis ſanxit, fiamus participes. Eja peccator, age, erigit in corde tuo ſerpens aliquis venenatum caput contra DEUM, con-

Digitized by Google

contra Chriſtum, ut iterum crucifigatur, age tu, apprehende Crucem, & contere caput ejus. Pulchriora ſpolia trophæo Crucis appendere non poſſumus, quam exuvias crucifixorũ ſerpentum. Crucifigi autem maxime debent & interfici, ſerpentes inveterati, qui in corde tuo, à 10. 20. 30. annis latent: extrahe tandẽ ad pedes Crucifixi, has belluas; ejice è cordis tui domo venenata ac peſtifera hæc animalia, has viperas, hos bufones, evome illos, & interfectos affige Cruci Chriſti; ſic interfice inimicitias quas inter te & Chriſtum Dn. Diabolus per peccatum ſeminavit. Hoc peto cum S. Paulo 2. Cor. 5. v. 20. nam *pro Chriſto legatione fungimur, obſecramus pro Chriſto* (dicenda hæc ſunt affectuoſe!) *reconciliamini Deo*; hoc acceptabili potiſſimum tempore Quadrageſimæ.

§. 8. *Caremoniæ adhibitæ à regibus in ſtabilienda pace applicantur Chr. D. in Cruce, in qua fecit utraque unũ.*

Pacis & reconciliationis perfectæ fructus ſive affectus eſt, ut ſublatis inimicitiis ſequatur unio cordium. Hoc fecit Chriſtus Dn. ad Epheſ. 2. v. 14. *Ipſe eſt pax noſtra, fecit utraque unum.* In unionis & amicitiæ novæ ſignum Reges vel illorum legati dexteras ſibi mutuo porrigunt. Ideo Cicero dixit in Antonium. *Dextera, quæ fidei teſtes eſſe ſolebant, perfidia ſunt & ſcelere violatæ.* Arabibus teſte Plinio & Herodoto, hic mos fuit Componentes fœdus, ex volâ manuum elicebant ſanguinem, acuto lapide, ſicque ſanguineas dexteras ſibi porrigebant. Cornelius Tacitus lib 12. *Mos eſt Regibus, quoties in ſocietatẽ coeunt implicare dexteras, polliceſque inter ſe vincere, nodoque perſtringere; mox ut ſanguis in extremos artus ſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt.* Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſancitum. Idem mos fuit apud Armenos & Iberos. O quàm dixi bene, Filium Dei hunc modum moriendi in cruce, elegiſſe, ut pacem inter Deum & nos perfectiſſimo modo ſtabiliret: Ecce cruentas manus, quas offert peccatori! ecce conſtrictas non nodo, ſed ferreis clavis! ecce ſanguinem in artubus extremis! tu peccator, & tuam porrige: video, & illa eſt ſanguinea, ſanguine tuorum ſcelerum; nihil intereſt, Jeſus Crucifixus à te pacem petit, imò ſanguinea expandit brachia, *ut totum mundum in ulnas rapiat ſuas*, ait Proclus. Aliæ gentes effuſum cruorem in ſignum pacis & unionis etiam biberunt. Fecit hoc Chriſtus D. in inſtitutione Venerabilis ſacramenti, in quo nempe tantum illud fœdus ſancire, tantam componere unionem cupit, Bibit largiter ſuum ipſe cruorẽ, ne quis de ejus fœderis conſtantiâ dubitaret, bibit & propinavit diſcipulis, quin & omnibus nobis, quando nos, non minus ſæpe, quam benignè ad epulum ſuum Euchariſticum invitat. Sed cur duas in Cruce Jeſus porrigit manus? alteram offert Juſtitiæ, alteram Paci, ut utramque conjungat, ut ſub cruce ſe oſculentur oſculo pacis. Alteram peccatori: ut nova inita pax, ut novum fœdus ſit firmum, ſanguine roborat, ſanguine ſubſcribit, cruce ſigillum apponit. Perfectiori modo Chriſtus hanc pacem concludere non potuit, quàm expanſis in

cruce brachiis, & ſanguine, & morte crucis.

§. 9. *In ſignum reconciliationis factæ in glorioſo corpore retinet cicatrices S. vulnerũ. Figura fuit iris apparens in nubibus poſt diluviũ.*

Summopere in hoc me ſolatur infinita bonitas Chriſti, quod in ſignum hujus fœderis, hoc modo initi, vulnera crucis in æternum retinere velit, in glorioſiſſimo ſuo corpore; ut colligo ex v. 6. c. 13. Zachariæ: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* & reſpondet, *his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.* LXX. legunt, *Dilecti mei.* Alii: *Amicitiæ meæ, fœderis mei.* Geneſis cap. 9. v. 13. ait Dominus, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram. Cumque obduxere nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum.* Ad literam; voluit Deus iridem poſt diluvium eſſe ſignũ novi fœderis, initi cum mundo; & quod mundum non amplius velit punire diluvio. Geneſ. 8. v. 22. *Non ultra percutiam omnem animam viventẽ, ſicut feci.* Myſticè talis iris, talis arcus, tale ſignum eſt Chriſtus crucifixus. Rupertus de paſſ. Dom. *Signum æternæ recordationis eſt in Dei Patris oculis, & ſempiternum memoriale noſtræ pacis, &, memoriale hoc noſtræ Redemptionis in ſempiternũ permanet in conſpectu Patris, in carne Filii ejus, in cicatricibus vulnerum manuum, pedum, ac lateris ejus.* In omnem æternitatem illæ irides, illa ſanctiſſima quinq; vulnera teſtabuntur Chriſtum Redemptorem noſtrum, ſanguine crucis ſatisfeciſſe Juſtitiæ, & reconciliaſſe pacem inter Deum & homines. Quàm ſpecioſus ſit arcus hic in ſplendore ſuo, videbimus aliquando cum illi erimus ſimiles in gloria; interim dum vivimus in hac valle lacrymarum, dum cœlum frequenter nobis videtur obductum nubibus, cum Juſtitia minatur pœnas, elevemus oculos ad imaginem crucifixi. *Qui hanc myſticam iridem* (inquit Hugo) *Chriſtum in Cruce, fide pura & ſincera devotione reſpiciunt, ſecuri ſunt à diluvio vitiorum* (addit Rupertus) *divinorum ſuppliciorum, miſeriarum & inundantium paſſionum.* Inter has nubes iris eſt Chriſtus pendens in cruce. Arcum faciunt extenſa ejus brachia, ſed arcũ amoris ſymbolum, non furoris; arcum Pacis, non belli nuntium; arcum clementiæ, non inimicitiæ teſſeram. Quæ cum ita ſint, quid ſubinde formidatis animæ piæ; ſi tenero erga Chriſtum crucifixum affectu feramini, ſi ejus amorem ac clementiam ſæpe conſideretis, ſi in ejus effigiem oculos animoſque crebro conjiciatis, ſufficit. Hæc veſtra ſit conſolatio, quod in cruce Salvatoris Miſericordia & Veritas obviaverint ſibi, quod Juſtitia & Pax oſculatæ ſunt ſe mutuo; hic occurſus, hæc oſcula, hæc ſigna amoris & benevolentiæ, ſi viciſſim Chriſtum diligitis, veſtræ æternæ ſunt prædeſtinationis indicia.

§. 10. *Oſculum reconciliationis inter Iuſtitiam & Pacem deſideravit ſponſa*

Hanc pacem, hoc oſculum olim deſideravit ſponſa, cum dixit Cant. 8. v. 1. *Quis mihi de te fratrem meum, ut inveniam te foris, & deoſculer te.* Philo Carpathius hic. *Tunc foris inventus eſt ſponſus, & oſculatus à ſponſa, cum humanitate veſtitus & extra Jeroſoly-*

Cant. 8. 1. Accepit illud à Chriſto ſponſo in cruce.

roſolymam crucifixus, eam ipſam à ſempiterna morte liberavit, & per ineffabilem caritatem ſoluto omni delicto ſibimet amantiſſimè reconciliavit. Hæc verba vel voculæ, *ſoluto omni delicto*, faciunt ut redeam ad meam materiam, & ex uno adhuc loco S. Pauli oſtendam, Filium Dei elegiſſe mortem crucis, vel mori debuiſſe in cruce, ut Juſtitiæ divinæ in rigore, modo perfectiſſimo ſatisfaceret.

§. 11. *Sanguine crucis deletum eſt chirographum noſtrum. Ille affixum & combuſtum eſt in cruce.*

Sic ait S. Paulus ad Coloſſ. 2. v. 14. *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.* Advertit Apoſtolus inter chirographum debiti noſtri, ſive peccati, & crucem, magnam connexionem, & inſinuat illam ſyngraphã noſtram, vel Adami, quam ſcripſit ſub arbore, cum peccavit, ſufficienter deleri non potuiſſe, niſi per ſanguinem crucis. Dum verò cruci fuit affixa, ſublata eſt. Subſcripſerat aliquando populus Romanus ſe debere Imperatori Adriano viginti ſeptem milliones aureorum; Cæſar ut populum recrearet in publico foro Trajani, accenſo igne, ſyngrapham combuſſit, & omne debitum condonavit acclamante populo: *Vivat clementiſſimus Imperator!* Quid ſunt 27 milliones comparati cum illo debito, cui pro ſe & omnibus poſteris in horto ſubſcripſerat Adamus, peccando? Verùm Filius Dei in ignea arâ ſanctiſſimæ crucis, flammis ſui amoris illud debitum, quale & quantum fuit, amoris flammis ita combuſſit, ut Juſtitiæ copioſa ſolutione fuerit ſatisfactum.

§. 12. *Teſſera Michaelis Palaeol. in laudem Chriſti D.*

Michaël Palæologus imperatorio ſcuto & vexillo hanc inſcribi juſſit teſſeram: *Chriſtus Pax vera*; Ita eſt, ſed carò illi conſtitit comparaſſe nobis hanc auream pacem, nimirum ſanguine ſuo, cruce, morte, quid ni voce contentiſſima huic tam benigno, tam clementi, tam amabili Domino Regique noſtro acclamemus, vive Salus noſtra, vive Pacis noſtræ aſſertor, vive Rex clementiſſime; honor & gloria ſit tibi crucifixe JESU in ſæcula.

§. 13. *Quàm utilis ſit memoria Crucifixi oſtenditur brevi hiſtor.*

Si fortaſſis obſtinatus aliquis peccator, his auditis tamen non moveatur ad faciendam pacem cum Chriſto, hunc opto fieri participem gratiæ, quam olim B. Virgo magno & pertinaci peccatori obtinuit. Petebat illius converſionem B. Brigitta ferventiſſimis precibus, præſertim interceſſione Matris miſericordiæ, quæ illi apparens dixit: *Oras filia, pro homine, qui exiguam habet devotionem, qui innumeris ſe polluit peccatis, qui erga Filium meum nullam habet caritatem, qui Deum non timet, qui dudum arderet in inferno, niſi tuis precibus impediviſſem. Si tamen rem unã illi perſuadere poſſis, ſalus ejus non eſt deſperata: Roga illum, ut quotidie ſit memor Filii mei pendentis in cruce.* Fecit id ſuaſu Brigittæ, & repente totus fuit alius; dici non poteſt, in quos erupit actus contritionis, &c. brevi factus ſpeculum perfectæ converſionis. Expirantis poſt aliquot annos ſupremæ voces fuerunt, *Jeſu dulcis miſerere mei!* Epilogus ſit ex his,

ſuavis

ſuavis allocutio ad Auditores, ut quotidie ſint memores Chriſti crucifixi, & cauſarum ob quas elegit mortem crucis.

CONCIO XVI.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ, CONCIO IV. de Chriſto Crucifixo.

Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum,
1. ad Corinth. cap. 1. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Alium jam ſiſto ejuſdem criminis, nempe mortis Chriſti in cruce, reum; Miſericordiam: id quod ex ſanctis Patribus oſtendo. Pulchræ aliquæ figuræ, de Propitiatorio, de Iride Apocalyptica, de ſagittis Jonathæ accomodantur Chriſto crucifixo: ut miſericordias ejus æternùm laudemus. Pii affectus, ſuſpiria, gemitus, ſunt ſagittæ, quibus Chriſtus in cruce à nobis vult vulnerari & coronari.

§. 1. *Brevis repetitio priorum Concionum. Hæc accuſat Miſericordiam, tanquam auctorem mortis Chriſti in cruce.*

§. 2. *Vulneratus eſt Chriſtus in cruce, ut vulnera crucis eſſent fontes, ex quibus fluunt theſauri Miſericordiæ & gratiarum.*

§. 3. *Ut ex illis flueret multum ſanguinis, ſed plus amoris & miſericordiæ.*

§. 4. *Nulla major eſt miſericordia, quàm quod Filius Dei pro homine voluerit mori in cruce. Cruci affixus eſt, ut fieret miſericors, ex S. Paulo.*

§. 5. *Confirmatur mellifluis verbis Sancti Bernardi. Vivat Miſericordia, & Juſtitiam ſub cruce exarmavit.*

§. 6. *Patent in Chriſto Crucifixo viſcera miſericordiæ. Iterum de feneſtra Arcæ.*

§. 7. *Sævit quidem ſub cruce Juſtitia, & vindictam petit.*

§. 8. *Sed ſumma miſericordia eſt, quod Chriſtus D. ſic moriendo, ſatisfecerit Juſtitiæ; & nos illi per eundem ſatisfacere poſſimus.*

§. 9. *Pulchrum exemplum S. Caroli Boromæi.*

§. 10. *In*

Digitized by Google

§. 10. *In duobus latronibus in cruce repræſentantur Miſericordia & Juſtitia.*

§. 11. *Sagittæ Jonathæ applicantur ſuſpiriis Crucifixi, & noſtris erga eundem.*

§. 12. *Cupit Chriſtus D. his ſagitis à nobis vulnerari; vult nos eſſe ſagittarios, ut miſericordiam extorqueamus.*

§. 13. *Propitiatorium fuit pulchra figura Chriſti crucifixi. Totus in cruce ſpirat miſericordiam.*

§. 14. *Et iris Apocalyptica c. 8. Chriſtus Crucifixus eſt ipſa Miſericordia.*

§. 15. *Suavis viſio S. Pachomii.*

§. 1. Brevis repetitio priorum concionũ Hec accuſabit Miſericordiam, tanquam auctorem mortis Chriſti in Cruce.

EX ampliſſima materia de Chriſto Crucifixo, ſive de myſteriis crucis, hanc quæſtionem hâc quadrageſima explico; Quare Filius DEI ad redimendum genus humanum elegerit ignominioſiſſimam mortem crucis; quod abſolute neceſſarium non fuit, cũ aliis modis homo ſalvari potuerit. S. Auguſtinus lib. quæſt. 83. *Nihil enim erat inter omnia genera mortis, illo genere execrabilius & formidabilius.* Et quare Filius Dei illud elegit? Concione prima oſtendi Chriſtum D. hâc electione demonſtraſſe infinitũm ſuum erga nos amorem. Sanctiſſima crux ſpeculum eſt, in quo lucent radii amoris infiniti. Concione ſecundâ, probavi, ex hoc genere mortis colligere nos poſſe infinitam malitiam peccati mortalis, pro quo, ut Filius DEI ſatisfaceret, in cruce mori debuit. Proinde concione tertia ante octiduum, Juſtitiam, quæ tantum pretium exegit, ſanguinem crucis, accuſavi, veluti ream mortis Chriſti, quemamodum & ſororem ejus Pacem, quæ inter Deum & homines reconciliari non potuit, niſi per eandem mortem. Modò cogitate, v s videre Virginem; tertiam formoſiſſimam in habitu candido ſub crüce aſtantem Juſtitiæ & Paci? nomen ejus eſt *Miſericordia*; & hanc accuſabo hâc concione veluti auctorem tam infamis Deicidii. Miſericordia eſt virtus, quæ miſeris ſubvenit: eramus omnes in ſtatu miſerrimo, infirmi, cæci, peccatores, hoſtes, inimici Dei, rei læſæ Majeſtatis, obnoxii æternæ damnationi, ſed miſericors Dominus venit & ſalvavit nos. Pro quo beneficio cecinit regius Pſaltes Pſal. 135. v. 2. *Confitemini Domino, quoniam miſericordia ejus fecit mirabilia magna*, præſertim in cruce. Percuſſit Ægyptum, virga crucis, eduxit Iſrael in manu potenti, & brachio excelſo. Redemit nos ab inimicis noſtris. ideo in æternum miſericordia ejus. Julio Cæſari dixit Cicero orat. pro Ligario: *Nulla de virtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec mirabilior Miſericordia eſt.* Chriſtus D. Salvator noſter ſpeculum & exemplar eſt omnium virtutum: mare & abyſſus eſt omnium perfectionum: verum nulla nobis eſt gratior, nec mirabilior, quàm infinita ejus miſericordia; potiſſimùm illa, quæ illum movit, ut pro nobis redimendis, elegerit mortem crucis. Hoc latius oſtendere aggredior, ſed ut ſuccedat cum fervore, permitte O Jeſu crucifixe, ut de altari ſanctiſſimæ crucis tuæ, in me, & auditorum meorum corda decidant ſcin-

ſcintillæ & flammulæ tui amoris, quo æternum ardere cupimus.

§. 2. *Vulneratus eſt Chriſtus in cruce ut vulnera crucis eſſent fontes ex quibus fluunt theſauri miſericordiæ.*

Ordiar pulcherrimis verbis D. Antonii de Padua Dominica 12. poſt Trinit. *Cùm Chriſtus in cruce manum extendit, & extenſam clavo aperiri voluit, tunc per ipſius foramen, miſericordiæ theſaurum effundens omne animal implevit benedictione.* Torrentes miſericordiæ fluxerunt ſuper electorum omniũ Reginam, ſuper Mariã; miſerationum fluvii & rivi fluxerunt ſuper Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, ſuper omnes electos, ſed illi torrẽtes, illi fluvii, illi rivi, omnes defluxerunt ex vulneribus Crucifixi, illa foramina clavorum, ſunt primi fontes omnium cœleſtium benedictionum & miſericordiarum Domini. Thomas Bicotus cum laudare vellet liberalitatem Franciſci Regis Galliarum, dixit illum habere manus perforatas Seraphici Franciſci. Idem ait Mariana de Alphonſo Rege Caſtellæ: eodem ſenſu ſponſa manus ſponſi vocavit tornatiles, plenas hyacinthis, in quibus latent abſconditi theſauri Divinitatis: ſed quia latebant; ut effluerent, clavi in Cruce illas perforarunt, & aperuerunt foramina, ex quibus effluit divina miſericordia. Flagra, ſpinæ, manus carnificum cutem tantum & carnem ſanctiſſimi corporis Chriſti perforarunt & vulnerarunt; clavi verò & lancea, manuum, pedumque nervos, fibras & intimas venulas diviniſſimi cordis aperuerunt: quid ni dicamus cum S. Antonio, quod illa vulnera, illi fontes effuderint theſauros Miſericordiæ.

§. 3. *Ut ex illis*

De vulneribus fortiſſimi apud Romanos Herois, ait Valerius Maximus l. 3. c. 2. *Plus fluxiſſe gloria, quàm ſanguinis.* De vulneribus Crucifixi dicere debemus, quod plurimum ſanguinis fluxerit, & ſimul multum gloriæ. Multum cruoris, ſed plus amoris. Totus effluxit ſanguis, plus tamen liberalitatis & miſericordiæ. Miſericordia Domini eſt, quod etiamnum hodie nobis beneficii hi fontes ſcaturiunt! quod fluant illi rivuli gratiarum! eſt qui ſcelerum cœno multos jam annos immerſus, tandem hac Quadrageſima ſalutari tactus pœnitentia reſpicere incipit meliora; hæc eſt divini guttula beneficii; ſed ex fontibus crucifixi promanans. Et alius qui diuturnas exulcerati animi acerbitates atque odia in proximum inveterata tandem in amorem convertit, & de ſeria cogitat confeſſione. Sunt hæ ſtillulæ amoris divini, ſed non niſi ex fontibus crucifixi ſcaturientes. Idem eſto judicium, de omnibus fidei, ſpei, amoris, contritionis, aliarumque virtutum exercitio.

fluxeret multum ſanguinis, ſed plus miſericordiæ & gratiarũ.

§. 4. *Nulla major miſericordia quàm quod Dei Filius pro nobis mori voluerit in cruce, ſive cruci affixus ſit, ut fieret miſericors ex S. Paulo*

Verba citata S. Antonii illuſtrat Philo Carpathius: *Tunc ſe totum nobis per viſcera ſua miſericordia effudit, cum pro nobis vel crudeliſſimè mori non recuſavit* & D. Amboſius in Pſ. 47. *Quænam major miſericordia, quàm quod pro nobis in cruce mori voluerit.* Quibus pulcherrimis verbis Sanctorum Patrum utor eò libentius, quia ſanctus Paulus clariſſimè eandem cauſam mortis crucis mihi ſuggerit, in epiſtola ad Hebræos c. II. v. 17. *Debuit per omnia fratribus ſimilari*, id eſt, pati quæ paſſus eſt, & mori in cruce, *circumdatus in-*

in firmitate, c. 5. v. 2. ideo, *ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut propitiaret delicta populi.* Verùm; quis hic modus loquendi, ut in cruce, ſive per crucem fieret miſericors? ergo talis non fuit ab æterno? ergo miſericors non fuit antequam crucifigeretur? cur ergo David dixit Pſ. 102. v. 17. *Miſericordia Domini ab æterno uſque in æternum.* Nunquid introitum ſacri hodierni incipimus illo verſu: *Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiæ tuæ, quæ à ſeculo ſunt.* Difficultati ſatisfaciet S. Auguſtinus, ait enim 1. Miſericordiam eſſe voluntatem vel affectum ſuccurrendi miſeris. 2. Miſericordiam eſſe dictam à miſero corde, ſive cordis miſeria, quam homo ſentit in corde ob miſeriam alterius L. 9 de civit. c. 5. quærit. *Quid eſt miſericordia? niſi aliena miſeriæ quadam in noſtro corde compaſſio, qua utiq; ſi poſſumus, ſubvenire compellimur.* Primo itaq; ſenſu Deus eſt & fuit miſericors ab æterno; ab æterno fuit paratus ſuccurrere miſeris. Altero ſenſu factus eſt miſericors, cùm factus eſt homo, cũ cepit ſentire noſtras miſerias, atq; ille ſenſus toto ſanctiſſimæ vitæ decurſu in illo duravit. Demum hunc affectum commiſerationis in paſſione potiſſimum demonſtravit. Quem enim in finem humeris ipſe ſuis crucem bajulavit? ut fieret miſericors. Cur cruci affixus eſt? ut fieret miſericors. Cur tribus horis in illa pependit? ut fieret miſericors. Cur in illa expiravit? ut fieret miſericors. O Miſericordia! O victrix Heroina! quæ de ipſo Dei Filio devicto gloriari poteſt & triumphare.

§. 5. *Confirmatur mellifluis verbis S. Bernardi. Vicit miſericordia & Iuſtitiam ſub cruce exarmavit.*

Suaviſſimè & melliflue in hac materia loquitur ſanctus & ſuaviſſimus Bernardus ſerm. feriæ 4. in hed. S. *Flagellis cæſus eſt, ſpinis coronatus, clavis confoſſus, affixus patibulo, opprobriis ſaturatus. Hinc multa miſeria corporis, hinc multa miſericordia cordis, hinc miſerationes, hinc oleum exultationis, hinc ſanguinis gutta decurrentis in terram. Miſericordia Domini multa, ſed & miſeria Domini multa. Vincentne miſeria miſericordias, an miſericordia miſerias ſuperabunt.* Vicit! vicit, triumphavit miſericordia. Cum miſericordia Chriſti Domini manus clavis perforavit, Juſtitiæ gladium è manibus extorſit; cum pedes cruci affixit, illam fulmine exarmavit. Cum Chriſto in cruce ſimul elevavit vexillum charitatis, cum illi clauſit oculos, à Patre cœleſti obtinuit oſculum pacis. Simul Miſericordia & Juſtitia oſculatæ ſe ſunt, & nos liberati ſumus è miſerrimo ſtatu. O pulcherrima Virgo! O Diva Miſericordia! inſcribe arbori crucis hunc Davidis verſum; *In æternum miſericordia ejus.*

§. 6. *Patent in Chriſto Crucifixo viſcera Miſericordiæ Dei ſe... noſtra Arca.*

Ser. 6. in Cant. ait idem mellifluus Bernardus. *Patet arcanum cordis, per foramina Corporis, patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent viſcera Miſericordiæ Dei noſtri. In quo enim clarius quam in Vulneribus tuis eluxiſſet, quod tu Domine ſuavis & mitis es, & multa miſericordia.* Ante dies quatuordecim dixi, ſanctiſſimum Vulnus benedicti cordis, eſſe feneſtram Arcæ Corporis Chriſti, per quam videre licet Amorem JESU: hodie per idem oſtium Miſericordiam contemplari poſſumus: ut dicamus ex capite 34. v. 6. Exodi:

Deus miſericors, Deus patiens, & multæ miſericordiæ. Optima enim eſt hæc conſequentia; Deus pro nobis tam nefanda paſſus eſt, in cruce pro nobis mori voluit; ergo, eſt multæ miſericordiæ.

§. 7. *Sevit quidem ſub cruce Juſtitia, & vindictam petit*

Nemo objiciat, Et Juſtitia vicit! itaque non Miſericordiæ tantùm, ſed etiam Juſtitiæ thronus eſt Crux Sanctiſſima. Et ſanguis Chriſti, quo reſperſa fuit, vindictam clamat, & fortius quàm innocens ſanguis Abelis. Gen. 4. v. 11. Clarè quoq; S. Paulus ad Rom. 3. v. 25 *Quē propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem Juſtitiæ ſuæ.* Secundum S. Petrum ep. 2. c. 2. Chriſtus crucifixus eſt *præco Juſtitiæ.* Juſtitia quoque paravit virgas, acuit ſpinas, plexit coronam, fabricavit crucem, cudit clavos & lanceam. In Chriſto Crucifixo apparet, quam Deus puniverit peccatum, ut vas pulcherrimum ita confregerit: S. Bernardus de paſſione Dom. *Sanguis Chriſti, quaſi tuba exaltat vocem ſuam; & ſi vocem ejus tu non audis, audit eum, de cujus latere manavit*; quomodo namque proprium non audiet, qui Abelis ſanguinem audiebat? Juſtitiæ ergo potiusquā Miſericordiæ videtur aſcribenda cauſa, mortis Chriſti in Cruce.

§. 8. *Sed ſumma Miſericordia eſt, quod Chriſtus D. ſic moriendo ſatisfecerit Juſtitiæ. Et nos per eundem ſatisfacere poſſimus.*

Veriſſima hæc eſſe, ante octiduum multis probavi; ut ſciremus Deum juſtum, graviſſimè punire malitiam peccati, Filius Dei mori debuit in Cruce: Sed hoc fuit opus infinitæ miſericordiæ, quod ſic moriendo Filius Dei ita illi ſatisfecerit, ut contra nos non clamet vindictā, ut nos, ſi volumus, punire non poſſit; ut illo eodem ſanguine Crucis placare poſſimus iram Dei, & obtinere miſericordiam. Noſtra eſt Crux, noſtra mors & ſanguis Crucis, noſtra ſunt Vulnera Chriſti, noſter eſt totus Crucifixus! quem ſi Juſtitiæ opponamus, illa ferire non poteſt. Memoriâ Crucis & Mortis Chriſti, ardentibuſque ad illum precibus faciliime iratum Deum ad Miſericordiam inflectere poſſumus.

§. 9. *Pulchrū exemplū S. Caroli Boromæi.*

Ideo S. Carolus Boromæus in terribili peſte Mediolani, ut iras irati Numinis mitigaret, tandem poſt multas preces, jejunia & opera pœnitentiæ, Proceſſionem inſtituit, in quâ ipſe in ſacco pœnitentiæ, nudis pedibus, cum grandi fune circa collum manu Crucifixum prætulit, lugubri voce cum toto populo per plateas ingeminans, *Miſericordia! Miſericordia!* Quid obſtat Auditores, quò minus nos hujus ſancti Præſulis veſtigiis, quoad licet, inſiſtamus, hoc potiſſimum ſacro tempore Quadrageſimæ. Quid ſi pudet, pigetque palàm inambulare per plateas, & clamando miſericordiam extollere, hoc ſaltem facere non pudebit, ut quoties pios in Crucifixum oculos defigimus, toties vel corde, vel ore dicamus; Ave miſericordiſſime Jeſu; Ave divinæ ſolium miſerationis, Crux ſacroſancta! hoc facere pium, hoc Chriſtianum, hoc Catholicum eſt!

§. 10. *In duobus latronibus in in Cruce*

Inter alia myſteria Crucis doctiſſimus inter recentes Interpres miratur. Latro perit: latro ſalvatur. Uterque latro: uterque non juſtificatus, non uterque damnatus. Eſt medius JESUS Crucifixus! Juſtitia

repræſentantur Miſericordia & Juſtitia.

cia ſua unum perimit, Miſericordia alterum gloriſicat. Habetis hic impii, quod formidetis, habent pii, quod gaudeant. Formident impii, quod juſtus eſt; gaudeant pii, quod bonus eſt & miſericors. Nemo ſnoſtrum credo, ſiniſtri latronis fato defungi velit. Miſericordiæ eſſe omnes alumni, clientes, filii, deſideramus Ergo miſericordiæ, dum vivimus, recentē ſemper alere memoriam ſtudeamus: nulla abeat dies, nulla hora, imo ſi fieri poſſet, nullum momentum, quo non miſericordias JESU Crucifixi laudemus: ſed cum ſingulis illud momentis exequi, ſit difficile, toties ſaltem, quoties oculis noſtris pia Crucifixi ſervatoris imago occurrit, uno vel altero ſuſpirio, aut precatiúculâ, aut lacrymulâ facere non negligamus.

§ 11. *Sagitta Jonathæ, applicantur ſuſpiriis Chriſti Crucifixi, & noſtris erga eundem.*

Cogitemus illa ſuſpiria eſſe totidē acutas ſagittas non ſine myſterio; quod ut explicem revoco vobis in memoriam ex lib. 1. Reg. cap. 14. Jonatham Davidi in ſignū eximii amoris donaſſe arcum & ſagittam, de qua dicitur 2. Reg. c. 22. v. 39. *ſagitta Jonathæ nunquam rediit retrorſum.* id eſt, Jonathas fuit peritiſſimus ſagittarius: idem eſt ſenſus v. 9. c. 50 Jeremiæ. *Sagitta quaſi viri fortis non revertetur vacua:* ſenſu myſtico, talis ſagittarius fuit Chriſtus Dominus in Cruce. Arcum fecerunt expanſa brachia, vel roſea labia, vel ſanguinei circuli pupillarum, funes dedit Amor; & ſi verum eſt illud S. Chryſoſtomi: *Oratio eſt telum inſuperabile, quod nubes penetrat;* cum Chriſtus in cruce ferventiſſimè oravit, gemitibus inenarrabilibus, clamore valido, lacrymis calidiſſimis, verbis ardentiſſimis; verba ardētia, calidæ lacrymæ, ignea ſuſpiria, gemit' cordis, fuerunt ſagittæ & jacula, quibus vulneravit Cor Patris ad Miſericordiam. Talis fuit ſagittarius cœleſtis noſter Jonathas; & qui nos dilexit ut animam ſuam, hunc arcum: has ſagittas, ſe totum nobis donat, iiſdem utamur, cum Juſtitiam exarmare, & Miſericordiam DEI implorare volumus. Hunc arcum, has ſagittas velut teſtamento conſignatas nobis reliquit eo fine, ut his armis cœlum oppugnemus. Funem tendere debet Amor noſter erga Deum, ſagittæ debent eſſe preces, ſuſpiria, gemitus, ut illis cor cœleſtis Patris vulneremus.

§. 12. *Cupit Chriſt. D. his ſagittis à nobis vulnerari. Vult nos eſſe ſagittarios, ut miſericordiam extorqueamus.*

Accedit, placere Chriſto Crucifixo, ut ipſe his telis vulneretur; libenter videt nos in hâc arte eſſe peritos ſagittarios. De Domitiano Romanorum Imperatore hiſtoriæ tradūt, tam peritum fuiſſe ſagittarium, ut eminus emiſſis telis caput cervi, quaſi coronaret. Alius nobis ſcopus hoc tempore Quadrageſimæ debet eſſe propoſitus, v.g caput Crucifixi coronatum ſpinis: vel benedictum pectus terribili luctâ agonizans, vel transfixum Cor, vel totus Crucifixus. Optāt aliquæ animæ piæ coronare hos ſcopos roſis, liliis, vel gemmis; faciamus nos hoc igneis ſagittis, aureis telis gemituum, ſuſpiriorum: faciunt hæc pulcherrimam coronam. Cum hodie ſit Dominica menſtrua Congregationis Agoniæ, in montem Calvariæ educere deberem meos ſodales, velut peritiſſimos ſagittarios in arte amandi

mandi Chriſtum crucifixum: verùm quia id facturus ſum poſtea in exhortatione; modo redeo ad meam materiam; ut ulterius pateat, Chriſtum D. mori voluiſſe in Cruce, ex infinita miſericordia: proinde ejuſdem thronũ eſſe ſanctiſſimam crucem.

§. 13. *Propitiatorium fuit pulcra figura Chriſti Crucifixi Totus in cruce ſpirat miſericordiã.*

Exodi 25 capite multis deſcribitur Propitiatorium. Hoc modo adverto, aſtitiſſe juxta illud duos Cherubinos, expanſis alis, paratis ad volandum: qua circumſtantia Deus oſtendere voluit ſe paratum eſſe ad ſuccurrendum populo. Nobilius longè propitiatorium habemus in Eccleſia, ſanctiſſimam Crucem, quam non Cherub tegit, ſed Filius Dei, non alis vel plumis, ſed expanſis & extenſis in cruce brachiis: quo ſitu oſtẽdit, ſe promptiſſimum eſſe, ut nobis miſeris ex infinita ſua miſericordia ſuccurrat: Ut taceam totum Sanctiſſimum Corpus, & omnium Chriſti in Cruce membrorum diſpoſitionem offerre nobis theſauros & divitias ſuæ miſericordiæ: ſpinea corona, ſacratus vertex tutiſſimum ſternit nidum, ut in illo quieſcamus: oculi ſereniſſimos evibrant radios, quorum luce nos recreat miſericordia. Frons aream explicat, in quâ deambulat Miſericordia; Genæ & labia, hortulos atque areolas aperiunt, in quibus nobis obviat Miſericordia! Pectus cubiculum ſuppeditat, in quo Regina Miſericordia veluti palatio ſuo nobis offert habitationem. In corde benedicto miſericordia offert lectulum. In Crucifixi carne & ſanguine, eſcam & potum: Quina Sanctiſſ. Vulnera aula ſunt regia, in qua Miſericordias Crucifixi Beati æternum cantabunt.

§. 14. *Et iris Apocalyptica, c. 8. Chriſtus crucifixus eſt ipſa Miſericordia.*

Apocalypſeos 4. cap. v. 5. Joannes vidit Filium hominis, in throno gloriæ, *& iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* Senſus eſt: Deus licet imenſus, tamen circumdatus eſt circulo Miſericordiæ; ſive, Deus totus eſt miſericors. Chriſtus Dn. verò in throno regio ſanctisſimæ Crucis, non uno arcu, ſed quinque pulcerrimis Sanct. Vulnerum ornatus, & circumdatus eſt, imo etiam in gloriâ in ſplendore ſuo, in ſede Majeſtatis ad dexteram Patris, ut ſciamus totum eſſe miſericordem, & ipſam Miſericordiam, quæ eſt à ſæculis in ſæcula.

§. 15. *Suavis viſio S. Pachomii. Adhortatio ad laudandum & prædicandum Deum voce inceſſabili.*

Sancto Pachomio in ardentisſimis precibus imploranti Divinam miſericordiam apparuerunt duo Angeli, in medio JESUS in cruce ſpinis coronatus, ſed inſtar fulgentisſimi ſolis; tum cœleſtes Genii dixerunt. *Quoniam petiiſti, ut ad te à Domino mitteretur Miſericordia, ecce ipſe eſt miſericordia, DEUS gloriæ, JESUS Chriſtus Unigenitus Patris, miſſus in mundum propter homines & cruci affixus.* Addo ego; propter infinitã ſuam miſericordiam; quod hac Concione volui oſtendere: fructus ſit, ut illam laudemus, ut dicamus millies cũ Davide: *Confitemini Domino, quoniam in æternum Miſericordia ejus.* Fructus ſit, ut hanc miſericordiam non rejiciamus: fructus ſit, ut Chriſtum Crucifixum ex toto corde amemus, nunc & in totam æternitatem!

CON-

Digitized by Google

CONCIO XVII.
DOMINICA IV. QVDRAGESIMÆ.
CONCIO V. de Chriſto Crucifixo,
Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum,
1. ad Corinthios 1. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

NUnc in Veritatem cauſam mortis Chriſti conjicio. Nimirum ut implerentur figuræ, Filius DEI mori debuit in Cruce. Probo imprimis teſtimoniis Sanct. Patrum: tùm varias figuras adduco; potiſſimum Sanctiſſimæ Crucis. Pii ergo illam affectus, cum actibus fidei, ſpei & caritatis erga Chriſtum crucifixum.

§ 1. *Cauſa mortis Chriſti in cruce, ex verſu Pſalmi:* Miſericordia & Veritas obviaverunt ſibi, &c.
§. 2. *Affectus admirationis de morte Filii Dei in Cruce*
§. 3. *Cujus plurimæ fuerunt figuræ in V. Teſtamento.*
§. 4. *V. G. Agnus Abelis.*
§. 5. *Sacrificium Noë poſt diluvium.*
§. 6 *Agnus Paſchalis.*
§. 7. *Conglobat alıorum ſacrificiorum, quæ fuerunt figuræ mortis Chriſti in cruce, ſecundum quas ſic debuit mori: cum aliis cæremoniis ſacrificiorum.*
§. 8 *Variæ figuræ ſanctiſſimæ crucis; verificatæ in morte Chriſti.*
§. 9. *Pii affectus erga Sanct. Crucem.*
§. 10. *De veſtibus ſummi ſacerdotis in V. Teſtamento, & Chriſti Domini ad altare crucis.*
§. 11. *Affectus fidei erga Chriſtum crucifixum.*
§. 12. *Spei & Caritatis erga eundem.*

§. 1. *Cauſa mortis Chriſti in Cruce, ex verſu Pſalmi* Miſericordia & Veritas &c.

COnciones meæ de Chriſto crucifixo, per hanc Quadrageſimã, ſuper illã quæſtionẽ, quare Chriſtus Salvator noſter mori debuerit morte tam infami & pœnoſa, qualis fuerit mors crucis; magna ex parte fundatæ ſunt ſuper verſum illum ex pſalmis ſæpius citatũ, *Miſericordia & Veritas obviaverunt ſibi; Juſtitia & Pax oſculatæ ſunt.* Nam ut hæc DEI attributa nobis maximè elucerent, & manifeſtarentur, in Redemptione generis humani, Patri & Filio, & Spiritui S. placuit mors crucis. Miſericordia conjuncta eſt imẽnſo & infinito amori: hunc proinde in prima cõcione accuſavi, veluti auctorem tam infamis Deicidii in Cruce. Ut oſtenderet ſe nos vehementer amare, pro nobis ſic mori voluit. Quia Juſtitiæ eſt, punire peccatum, magis ſuum rigorem in illius malitiam oſtendere non potuit, quam pro ſatisfactione peccatorũ, & condigno pretio, exigendo non

non quamcunque, ſed mortem crucis! ideo peccatum mortale accuſavi ſecundo loco, quod tanta ejus fuerit malitia, ut Juſtitia pro illius expiatione exegerit mortem crucis. Et quia hoc modo Juſtitiæ ad rigorem perfectiſſimè fuit ſatisfactum, inita fuit Pax inter Deum & hominem. Juſtitia & Pax oſculatæ ſe ſunt; cum magno applauſu & gaudio Miſericordiæ, accinente regio Pſalte, Pſal. 135. v. 1. *Confitemini quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus,* quam clarius demonſtrare non potuit, quàm pro miſeris moriendo in cruce. Reſtat Veritas quæ excellentisſimum quoque eſt DEI attributum, & in eo conſiſtit, ut quod juravit, quod promiſit, infallibiliter eveniat. Quia ergo DEUS juraverat Patriarchis & Prophetis, per varias figuras & prophetias, ſe daturum Filium ſuum in mortem Crucis; quia à prima mundi creatione hæc eadem mors in ſacris literis variè adumbrata fuit; ut hæc Veritas adimpleretur, Salvator mundi mori debuit in Cruce. Hoc oſtendam hâc concione, ſecundum varias figuras & prophetias; quæ, quo momento adimpletæ ſunt, quo momento Chriſtus in cruce expiravit: *Miſericordia & Veritas obviarunt ſibi: Juſtitia & Pax oſculatæ ſunt.* Te interim, æterna Veritas, ſupplex quæſo, mihi hac concione adſis, & de ſpiritu veritatis, hoc eſt, de te loquentem, veros quoque ac non fictos, animarum fructus, velut in faſciculo collectos, reportare cōcedas.

§. 2. *Affectus*

In conſideratione alapæ, quæ Chriſto Domino coram Anna inflicta fuit, exclamavit ſanctus Chryſoſtomus hom. 5 de paſſ. *Exhorreſcat cælum, & contremiſcat terra! alapis & pugnis in faciem DEUS percuti potuit?* Sed mi Sancte Chryſoſtome, an non magis admirandum eſt, quod Filius DEI mori potuerit? amplius dico; quod ſanguinem fundere debuerit: Addo, quod maximum eſt, quod mori & ſanguinem fundere debuerit in cruce? *O Angeli pacis* (pergit S. Chryſoſt.) *qui hac intuiti eſtis, Filium Dei percuti alapis, affigi cruci, mori in cruce, quomodo ſiluiſtis? quomodo manus continere potuiſtis? quomodo pro DEO veſtro non reſpondiſtis? an hoc ita facitis, quod attonitos vos teneat, tanta inſolentia, & tanta manſuetudo, tanta perverſitas & tanta patientia!* Aliud in tanta creaturarum omnium admiratione reſpondere non poſſumus, quàm illud Iſaiæ: *Oblatus eſt, quia voluit.* In cruce mortuus eſt, quia voluit ex infinito amore, quia id voluit ex infinita miſericordia, ut nos miſeros liberaret, quia voluit, ut Juſtitiæ pro peccato ſatisfaceret, quia voluit, ut pacem inter nos & Deum conciliaret, quia voluit, ut promisſionibus Patris ſatisfieret, denique voluit, ut Veritas Domini maneret in æternum. *Juravit Dominus*, ait David Pſ. 109. v. 4. miſſurum ſe Filium ſuum ad liberandum populum. Juravit Pater daturum ſe mundo Unigenitum ſuum, & quidem in mortem crucis. Juravit, promiſit, ſtatim Filius ſe mortem illam acceptaturū, cum dixit ab æterno in ſinu Patris, & factus

admirationis de morte Filii Dei in Cruce.

factus homo in utero virginis primo conceptionis momento. In cap. libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam, ut pro genere humano moriar in cruce, *Deus meus volui*; *Pater mi, fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ſic in terra*, Luc. 22 42. Ubiq;, etiam in monte Calvariæ, & in ipſa cruce. Hæc juravit, & non pœnituit eum, ut eſſet Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech; ut hic Sacerdos offerret tandem ſacrificium veſpertinum Agni immaculati in altari crucis; ſecundum ordinem ab initio mundi obſervatum in ſacrificiis, & in lege naturæ, & in lege ſcripta: ut id fieret, quod Deus ſapientiſſimus admirabili diſpoſitione, diverſiſſimis modis præfiguravit; ita nempe, ut oſtenderet Deus ſe veracem, Filius Dei in præſtituto tempore mori debuit in cruce.

§. 3. *Cujus plurima fuerunt figura in Veteri Teſtã.* Hanc cauſam invenio apud diverſos ſanctos Patres; Petrum Damianũ ſer. de invent. S. crucis. *Omnia illa ſacrificia, quæ ſub legalium cæremoniarum ritu offerri jubentur, ad hoc unum ſingulare verumq; ſacrificium, quod in ara crucis oblatũ eſt, referuntur.* Quod ſuo calculo confirmat S. Leo Papa ſer. 3. de Paſſ. *Huic noſtri Pontificis ſacramento mirabili*, (id eſt, morti Filii Dei in cruce,) *univerſa præcedentium ſæculorum myſteria ſervierunt.* Patebit hoc clarè in aliquibus tantum ſacrificiis.

§. 4. *v. g. Agnus Abelis.* Inter omnia animalia, quæ Deo ab electo olim populo, veluti victimæ & hoſtiæ, in lege naturæ & legis, fuerunt oblata, principem locum obtinuerunt agni & oves. Prima altaria erecta fuerunt à Caino & Abele, & hic, præter primitias frugum terræ obtulit tenellum Agnellum in ſacrificium, quod innuit caput 4. v. 4. Gen. *Abel obtulit de primogenitis gregis ſui.* LXX. legunt: *Ovium ſuarum.* Et quia ſuavitas odoris hujus oblationis aſcendit in cœlũ, odoratuſque eſt eam Dominus, quia ignis deſcendit de cœlo, illudque accendit & combuſſit in holocauſtũ, adeo hæc diſplicuerunt Caino, ut innocentem Abelem crudeli nece peremerit. S. Cyprianus lib. de bono paſt. *Abel adverſus fratrem parricidam non reſiſtit, non reluctatur, ſed humilis & mitis occiditur.* Ut itaque figura hæc adimpleretur, Chriſtus mori debuit innocens in cruce. Nam Agnus immaculatus ipſe Abel, ara & altare, in quo agnus fuit combuſtus, vomer, ſive ligo, ſive baculus, quo Cain Abelẽ interemit, innocens occiſi ſanguinis, miſeranda ejus mors, odiũ, & furor in fratrem, aliæq; circumſtantiæ, quid adumbrarunt niſi invidiam & furorẽ Synagogæ erga Chriſtum? quid aliud, niſi inſtrumenta paſſionis, virgas, ſpinas, clavos, præcipuè Crucẽ? quid aliud niſi ſanguinem, vulnera, & mortem Filii Dei in ara crucis? Secundũ omnes circumſtantias hujus figuræ ſic mori debuit. Et prædixit Iſaias cap. 53. v. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit; & non aperuit os ſuum. Velut ovis ad occiſionem ducitur, & quaſi Agnus coram ſe tundente obmuteſcit, & non aperuit os ſuum.* Adimpleta ſunt hæc omnia in immolatione Agni, qui eſt Chriſtus in cruce.

Quamprimum Noë poſt diluvium egreſſus fuit ex arca, ſuper montes Armeniæ Gen. 8. verſ. 21. ex lapidibus §. 5. *Sacrificium Noe poſt diluvium.*

Noe poſt diluviū. dibus erexit altare, *& tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.* Addunt Interpretes victimam præcipuam fuiſſe Agnum; cum facet textus de illo ſacrificio ſtatim loquatur illo modo, quo locutus fuit de agno Abelis, *Odoratuſq; eſt Dominus odorem ſuavitatis*; & ait, *Nequaquam ultra maledicam terræ*; Et in ſignum novi fœderis, in nubibus poſuit arcum pulcerrimæ iridis. Hoc holocauſtum Noë ſive oblationem illius Agni, ipſe S. Paul⁹ applicat Chriſto Domino ad Epheſios 5. capite, v. 2. *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuavitatis:* alii vertunt, *in odorem quietis*, ſive, *quieſcere facientis*; per hanc enim oblationem, Unigeniti Filii ſui, multò magis placatus eſt iratus Deus, quàm per oblationem victimarum; ſed, ut victima hæc eſſet gratior, immolari debuit in altari crucis; comburi debuit, id eſt, pati, ſanguinem fundere, & mori. Sic quievit Dominus. Suavis fuit odor holocauſti, quod obtulit Noë; eodem placavit Dominum: Sed bene monet S. Bernardus tr. de paſſ. cap. 43. *De holocauſto noſtro, Ieſu Crucifixo, incomparabiliter ardente,* (in ara crucis) *inæſtimabilis nimis odor proceſſit, odoratusq; eſt Dominus, Deus Pater, odorem ſuavitatis, & benedixit nobis avertitq; iram indignationis ſuæ longe à nobis.* S. Ambroſius ſerm. 3. in Pſ. 118. *Tunc in ligno compunctus eſt lanceâ, & exivit de eo ſanguis & aqua, omni unguento ſuavior, accepta Deo hoſtia, per totum mundum odorem ſanctificationis effundens.* Ut itaque & nos in lege gratiæ tale poſſemus offerre Deo ſacrificium, non in umbra & figura, ſed in re & veritate, Filius Dei in ara crucis ſic debuit immolari.

§. 6. *Agnus Paſchalis.* Celeberrimus inter ſacrificia fuit Agnus paſchalis, quem Judæi offerre debuerunt in memoriā ingentis beneficii, quo per mare rubrum ex Ægypto educti fuerunt in terrā promiſſionis. Obſervandæ ſunt aliquæ circumſtantiæ. Nam 1. Debebat eſſe Agnus immaculatus. 2. Ante immolationem ex hortis collis Oliveti ducebatur in urbem. 3. Debebat effundi ejus ſanguis, quo tingebantur poſtes ædium. 4. Debebat aſſari igne. Nemo ignorat Agnum hunc fuiſſe figuram Chriſti D. ut adimpleretur, ut verus eſſet Dominus, ſecundum omnes hos ritus Chriſtus D. ſic pati, ſic mori debuit, ut paſſus & mortuus eſt, in altari crucis debuit immolari, & effundere ſanguinem ſuum.

§. 7. *Conglobatio aliorū ſacrificiorum, quæ fuerunt figura mortis Chriſti in cruce ſecundum quas ſic debuit mori. Cū variis aliis ceremoniis ſacrificiorum.* Non patitur tempus, ut aliorum animalium victimas tam latè vobis proponam; inſinuabo vel narrabo tantum aliquas. Gen. 22. v. 13. Abraham loco Iſaaci obtulit arietem, quē vidit pendentem inter vepres. Obtulit autem ſuper ſtruem lignorum, inſtar crucis diſpoſitorum. Vitulorū & taurorū mentionem frequenter facit in Pſalmis. Numerorū 19. cap. v. 3 fit mentio in ſacraficiis vaccæ rufæ. Levitici 16. v. 9. duorum hircorum pro peccato in oſtio tabernaculi. Lev. 14. v. 1. duorum paſſerum cum ligno cedrino, vermiculo & hyſſopo. Lev. 1. ſacrificii columbarum. Judicum 6. Tauri Gedeonis, omnia hæc ſacrificia

ritus

Digitized by Google

ritus & cæremoniæ fuerunt figura ſacrificii quod Filius Dei obtulit in cruce. Plerumque hæ victimæ, præcipuè oves, vituli, boves, divaricatis pedibus extendebantur ſuper altare: certè hoc modo Agnus immolatus extendi debuit in ara crucis; ſummus Sacerdos ſanguine victimarum tingebat cornua altaris, reſiduus ſanguis effundebatur circa baſin, hoc modo ſanguine Chriſti Agni imaculati tincta & reſperſa fuit ara crucis; plurimū ſanguinis defluxit in terram. Victimæ offerendæ pro peccatis, offerri debuerunt extra caſtra. Et Agnus noſter imolatus fuit extra urbē in monte Calvariæ. Major pars carnium ceſſit de victimis in cibum Sacerdotum, nobis in eſcam & potum datur totus Jeſus crucifixus. Inteſtina, excremēta, ſordes animaliū debuerunt comburi; cum agno noſtro immaculato combuſta ſunt ſcelera & peccata hujus mundi. *Ecce Agnus Dei, qui illa tollit*, Joan. 1. 36. E quibus omnibus, & multis aliis, quæ apud Interpretes videri poſſunt, quis non advertit hos ſacrificiorum ritus & ceremonias fuiſſe figuras, ſecundum quas Filiū Dei in ara crucis oportuit imolari? Et ſic Veritas Domini manet in æternum. Sed dies me deficeret, ſi ſingulis, quæ hic afferri poſſent figuris, pro condigno vellem immorari. Itaque ad eas, quæ ſanctiſſimam crucē propius contingunt, non tam elucidandas, quàm enarrandas tantùm accedo. Veſtrum erit Auditores humaniſſimi, ex omnibus iis interim, tanquam piæ apiculæ cœleſtiūm favos conſolationum voluptatumque, è cruce, tanquam fonte mellis emanantes, colligere.

§. 8. *Variæ figuræ ſanctiſſimæ crucis verificata in morte Chriſti.*

Sanctiſſima crux, in qua Filius Dei mortuus eſt, potiſſimum variis figuris fuit adumbrata. Prima ſit. Poſt lapſum in peccatum Adamus nudus profugit ad arborē, ut ſe abſconderet. Verificetur figura: cœleſtis & novus Adam nudus pendeat in cruce; ut Filii Adæ ſub hâc arbore tutum habeant refugium, ut ibi ſecuri lateamus. 2. Noë cum ſuis in diluvio ſalvatus fuit in ligno Arcæ: verificari debuit figura, lignum crucis fuit arca, in quâ ſalvatum eſt genus humanum. 3. Ligna, ſuper quæ Abraham poſuit Iſaacum imolandum, compoſuit velùti cruces: verificari debuit figura: verus Iſaac oblatus eſt ſuper crucem. 4 ſub terebintho Jacob ſepelivit idola: verificari debuit figura: ideo ſub terebintho crucis per mortē Filii Dei ſepultum eſt peccatum, ſepulta mors, ſepultus eſt Diabolus. 5. Per unam virgam, Moyſes patravit obſtupeſcenda in Ægypto, & Pharaonē denique ipſum in mari rubro ſubmerſit. Verificari debuit hæc figura in Chriſto. Cœleſtis Moyſes per virgā crucis in illâ moriendo, in illa fundendo ſanguinem, ſubmerſit in mari rubro Diabolum. 6. Arida virga Aaronis pulcerrimè floruit & germinavit: verificari debuit figura: ſiccus & aridus truncus crucis per mortem Filii Dei, & rigatus ejus ſanguine, converſus eſt in arborem vitæ, plane floridam, in quâ pendet JESUS Nazarenus totus floridus. 7. Serpens axaltatus, à Moyſe in ligno, ſanavit morſus ſerpentum, illoſque peremit. Verificari debuit hæc figura, & contigit

tigit cum Filius DEI fuit exaltatus in Cruce, cœleſtis medicina lethalium vulnerum, & mors, infernalis ſerpentis, qui Evam ſub arbore decepit; arbore ipſe deceptus eſt. 8. Nihil dicam de vomere Sangar. 9. de maxilla Sãſonis. 10. de gladio Gedeonis. 11. de baculo Davidis, & ſimilibus inſtrumentis, quibus glorioſi heroes ſuos hoſtes devicerunt. Secundum omnes has figuras Chriſtus D. per crucẽ, in illa moriendo, in illâ fundendo ſanguinem hoſtes potentiſſimos debuit debellare, & debellavit. 12. Huc accedite piæ mentes, & Regi Salamoni in eburneo ſolio inter leones conſidenti obſequium ſupplices deferte. Adeſte, oſculamini auream virgã cœleſtis Aſſueri; aurea virga, thronus eburneus eſt ſanctiſſima Crux, hanc Filius DEI elegit pro regali Sceptro & Throno. 13. Adeſte quoque peccatores; ſuntne corda veſtra dura inſtar ferei. Crux Chriſti magnes eſt, qui vos ad ſe trahet. 14. Radii ſolis ſunt blandiſſimi, cũ ſol eſt in occaſu. Nunquam Chriſtus Dominus eſt blandior & benignior, quàm cum occumbit in cruce.

§. 9. *Pii affectus erga ſanctam crucem*

Amemus ergò crucem animæ piæ, hoc ſacratiſſimum lignũ morte Chriſti honoratum, hic venerabilis ſtipes illius ſanguine irrigatus, & ſudore, atque lacrymis humectatus; ſacra ſimul & tuta nobis eſt anchora, in mediis tentationũ procellis. Amplectamur crucem, poſt triſte ſcelerum naufragium; eſt firma nobis tabula, ut in illa ex profundo emergamus. Fugiamus ad crucem, eſt nobis locus refugii, & in perſecutionibus aſylum. Hæc ara tuebitur omnes. Sedeamus ſub cruce; eſt procera platanus, eſt dulcis palma, eſt therebynthus pulcherrimos extendens ramos. Quieſcamus in cruce; eſt mollis lectulus & floridus. Arripiamus crucem; eſt ſcala, quâ violenti aſcendunt in Cœlum. Eſt clavis, quæ aperit paradyſum, & theſauros gratiarum. Sed quo me extra materiam pius rapit affectus & amor erga ſanctiſſimam crucem. Hoc modo inſinuo; ut haberemus talem anchoram, talem tabulam in naufragiis, tale aſylum, talem aram, talem palmam, talem lectulum, talem ſcalam, talem clavim, Filius DEI Chriſtus Salvator noſter debuit mori in cruce. Sic verificatæ ſunt omnes figuræ & Prophetiæ Veteris Teſtamenti. *Veritas Domini manet in æternum.*

§. 10. *De veſtibus Sacerdotis in V. T. eſt. & Chriſti D. ad altare S. crucis.*

Magna pars myſteriorum in ſacrificiis, eorumque ritibus latuit in habitu & veſtitu ſummi Sacerdotis, in infula, in baculo, in gemmis, in annulis, in cingulis, in togis variorum colorum. Secundum has figuras & cæremonias ſummus Sacerdos noſter ſecundum ordinem Melchiſedech, & Epiſcopus vigilantiſſimus animarum noſtrarum ſtare debuit ad altare ſacrificii, veſtitus & ornatus purpurâ ſui ſanguinis; in infula ſpineæ coronæ, cum baculo crucis; gemmæ in toto corpore, fuerunt guttæ ſanguinis & lacrymæ; annuli in manibus, clavi: & hoc modo, ad Hebr. 9. v. 12. *Introivit Ieſus ſemel tantum in ſancta ſanctorum, non offerendo ſanguinem hircorum, & vitulorum, ſed proprium ſanguinem, non pro ſe ipſo, ſed nobis*

nobis in remiſſionem peccatorum. Ut hanc obtineret, immolari debuit ut Agnus Abelis, occidi ut Abel; ad placandam iram Patris, debuit mactari & ſanguinem fundere ut Agnus Paſchalis; ipſe fuit hircus pro peccato, ipſe vitulus, ipſe paſſer, ipſe columba, ipſe victima, ipſe hoſtia, ipſe ſacrificium, ipſe Sacerdos, qui ſe ipſum in cruce immolavit, in remiſſionē peccatorum. Sic Verbum Dei verum eſt, & Veritas Domini manet in æternum. Veritas hæc fuit cauſa mortis crucis; per mortem & ſanguinem Chriſti, in cruce, ſub cruce, *Miſericordia & Veritas obviarunt ſibi, Juſtitia & Pax oſculata ſunt.*

§. 11. *Affectus fidei erga Chriſtum crucifixū.* Itaque mors Chriſti pro nobis in cruce exaltata, meritò à nobis requirit, ut ſit unum ex præcipuis objectis fidei noſtræ; ut frequenter cum S. Thoma, vel coram Venerabili Sacramento, vel aliquâ imagine crucifixi, elevemus in altum oculos, & dicamus: *Viſus, guſtus, tactus, in te fallitur, auditu ſolo in te creditur*; in cruce latebat ſola Deitas, ſed hic latet ſimul & Humanitas, ambo tamen credens atque confitens, peto, quod petivit latro pœnitens; plagas ſicut Thomas non intueor, Deum tamen meum te confiteor: licet cruci clavis ſis affixus, Deum meum te confiteor: licet ſputis turpiter fœdatus in facie, licet diademate ſpineo propudioſè coronat⁹ in capite, licet veſtibus omnibus exutus, licet pallidus totus atq; exanguis, licet non habens, ubi benedictum caput reclines, licet à planta pedis ad verticē non ſit in te ſanitas, DEUM tamen meum te confiteor. In te credo mi JESU! in te ſpero, tantò mihi carior, quantò pro me vilior, ajebat quondam Clarevallenſis Præſul Bernardus. *IESU Crucifixe, Deus meus, amo te! & tantò amo te ardentius, quantò plura pro me vulnera, plures dolores atque tormenta perferre non dubitaſti!*

Sed ad propoſitum revertor, & cum jam dicendi finis inſtet, hoc coronidis loco, pro noſtra omnium conſolatione adjicio documentum. Mors Chriſti in cruce ſit firma anchora ſpei noſtræ; & quam cauſam habemus deſperandi etiam poſt graviſſima ſcelera, cum credamus Chriſtū ſuâ morte in cruce pro nobis ſatisfeciſſe. Fiducia in Jeſum Crucifixū non confundit. Mi Jeſu, & ego ſpero à te veniam, crucis tuæ ſcopum. Spero gratiam, doloris tui fructum. Spero cœlum, amoris tui præmium. Mors denique crucis, in nobis debet exitare flammam amoris erga illum, qui pro nobis ſic mori voluit. Et quis Chriſtum in cruce morientem aſpicere poteſt, ut non amet? ego ſtatim cogito, & dico: O JESU Crucifixe, per hiantia tua vulnera, video amoris tui teſtimonia; video in manibus amoris opera, video in pedibus amoris veſtigia, video in capite amoris coronam, in digitis amoris annulos, in toto corpore amoris gemmas & purpuram; video in corde amoris fontem! tot amoris convictus argumentis cur non amem te? imò amo, & amabo, dum vixero, amabo, dum moriar, amabo te ô mi Jeſu æter-

§. 12. Spei & Caritatis erga eundem.

Exhortatio ad bene tranſigendum tempus quadrageſimale.

æternum. Atque hic eſt, quem vobis tantum quaſi digito oſtendi, modus colendi Crucifixum, nimirum ex ſolo ejus aſpectu aut conſideratione in varios variarum virtutum actus exurgere. Vos pro veſtro in crucifixum amore, iis & pluribus aliis ejus generis, cœleſtibus, per tempus hoc quadrageſimale indies ſummo cum fructu indulgere poteritis.

CONCIO XVIII.

DOMINICA PASSIONIS.

CONCIO VI. de Chriſto Crucifixo.

Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum,

I. ad Corinthios cap. 1. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Nunc eò ſtylum deflecto, & eos mortis Chriſti in cruce reos pronuncio, qui ſacrilege confitentur in Paſchate. Primò itaque efficaciam ſacramenti Confeſſionis, tum neceſſitatem, deinde integritatem neceſſariam, & ſtolidum pudorem excludendum; poſtremò non eſſe differendam Paſchali hoc tempore ſanctam confeſſionem urgeo; niſi peculiari titulo in Chriſtum crucifixum iterum velimus eſſe crudeles.

§. 1. *Eccleſia hoc paſchali tempore ab adultis exigit Confeſſionem & Communionem. De illa, primo puncto hæc Concio agit de illius excellentia, & neceſſitate: in ſecundo puncto oſtendit, debere eſſe integram. In 3. non debere differri.*

§. 2. *Sacramentum pœnitentiæ eſt fructus mortis crucis.*

§. 3 *Ejus neceſſitatem & integritatem repræſentat viſio S. Ioannis* Apoc. 4. cap.

§. 4. *Proſecutio.*

§. 5. *Proſecutio.*

§. 6. *Præcipua cauſa damnationis Caini fuit, quod peccatum noluerit confiteri. Inde invectiva in ſacrilegè confitentes.*

§. 7. *Occurritur illorum objectioni, de nimio pudore, ex S. Auguſtino & aliis ſanctis Patribus.*

§. 8. *Citatio ſacrilegè confitentium ad crucem. Vehemens erga illos motus, terrendo aſpectu Crucifixi.*

§. 9. *Proſecutio ejuſdem motus conſolando.*

§. 10.

Digitized by Google

§. 10. *Integra Confeſſio non eſt differenda. Mora enim eſt periculoſa.*

§. 11. *Duæ breves hiſtoriæ, cum Apoſtrophe gravi ad ſacrilegè confitentes, ut ſtatim confiteantur.*

§. 12. *Pius diſcurſus ſuper illam vocu, lam Chriſti ad pium latronem:* Hodie mecum eris, &c. *ſuggerit affectuoſum Epilogum.*

§. 1. *Eccleſia hoc paſchali tẽpore ab adultis exigit Confeſſionem & communionẽ De illa primo puncto hac Concio agit de illius excellentia & neceſſitate. In 2. puncto oſtendit debere eſſe integram In 3. non debere differri.*

LEvitici 23. v. 27. ait Dominus ad Moyſen: *decimo die menſis hujus ſeptimi, ſeptimi dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus:* hoc celeberrimo feſto duo exigit Dominus à ſuo populo: ſubdit enim ſtatim ſacer textus. *Affligetis animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino:* ſolennitas autem feſti, aliquot diebus ante ſolenni tubarum clangore proclamabatur. Nos Chriſtiani in lege gratiæ poſt dies quindecim celebrabimus feſtum Paſchatis, quod meritò celeberrimum juxta, & ſanctiſſimum dici poteſt. Hodiernâ Dominica ſolent Concionatores illum diem tubâ verbi divini extollere, adhortarique Auditores, ut modo quo poſſunt optimo ad tantam ſolennitatem ſe diſponant. Idem ego facio, Auditores, voce quâ poſſum exclamo; decimus quintus dies ab hodiernâ, erit dies celeberrimus, & vocabitur *Sanctus*; ut vos debitè præparetis, duo à vobis exigo. 1. ut affligatis animas veſtras. 2. ut offeratis holocauſtum Domino. Duplex eſt verborum horum ſenſus. 1. *Affligite animas veſtras*, id eſt, conſiderate Paſſionem Filii DEI, perpendite ejus dolores, inſpicite SS. vulnera, crucem intuemini, mortem conſiderate cum intimo cordis dolore & compaſſione. Memoria Paſſonis eſt optima diſpoſitio ad feſta Paſchalia. 2. Offerte holocauſtum, ſive JESUM pendentem in cruce: ſuave holocauſtum fuit Agnus Abelis, ſed ſuavius longè flagrat Agnus immolatus in cruce: ſuavis fuit victima Agnus paſchalis, ſuavior eſt Agnus, qui tollit peccata mundi: & quotidie in ſacrificio miſſæ incruento modo immolatur. Alter ſenſus eſt; *Affligite animas veſtras*, id eſt, præparate vos ad paſchalem confeſſionem, quam exigit Eccleſia; excutite conſcientias, notate ſcelera, ſubjicite deinde clavibus S. Petri, ſed omnia cum intimâ animi afflictione, cum dolore, cum propoſito emendationis: hæc eſt vera præparatio ad Paſcha. 2. Offerte holocauſtum, Agnum Euchariſticum, in paſchali communione, ad quam ex præcepto Eccleſiæ omnes adulti tenentur ſub peccato mortali: multa per hanc Quadrageſimam à me audiviſtis de Chriſto Crucifixo, de infinito amore, dilectione, & miſericordiâ, ex quâ pro nobis in cruce mori voluit: in gratiarum actionem duo à vobis exigo Auditores, dignam confeſſionem & ſanctam Communionẽ Paſchalem; de omnibus bene ſpero; verum cum plerúque aliqui hoc paſchali tempore Salvatori ſuo ſunt valde ingrati, dum contra præceptum Eccleſiæ vel planè non confitentur, vel id faciunt ſacrilegè; hos duplici conci-

concione aggrediar, ut illis oſtendā, quod per Sacrilegam Confeſſionem & communionē rurſum crucifigant Filium Dei; In hâc res mihi eſt cum ſacrilegè confitentibus, poſtquam in primâ parte breviter vobis aliqua propoſuero de Confeſſionis excellentia & neceſſitate.

§. 2. *Sacramētum pœnitentiæ eſt fructus Mortis Crucis.*

Sacramentum Confeſſionis & pœnitentiæ eſt velut perennis canalis gratiæ ſanctificantis, & fons jugis miſericordiæ, vel balneum roſei ſanguinis Crucifixi, in quo peccator quâvis horâ, quâ vult, peccatorum ſordes eluere poteſt. ad Hebr. c. 9. v. 13. *Si ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum S. ſemetipſum obtulit immaculatum DEO, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis.* Hic canalis, hic fons, hoc balneum, ſalutares hæ thermæ, non aliunde fluxerunt, quàm ex vulnerato latere & aperto corde Crucifixi. Lancea Longini ſalvificam hanc venam invenit & aperuit; cum ſanguine & aqua ex latere Chriſti ſcaturiit fons ſanctiſſimi hujus ſacramenti. Ante octiduum oſtendi, mortem crucis fuiſſe plane conformem figuris Veteris Teſtamenti: neque hic Spiritus S. aliquam deeſſe voluit. Cum enim triſtis Agar in deſerto ſuum defleret expirantem præ ſiti Iſmaëlem, adfuit Angelus DEI, qui ſub arbore fontem elicuit, à cujus aquis pependit vita Iſmaëlis. Et fons ſanctiſſimi Sacramenti Pœnitentiæ alibi ſcaturire non debuit quam ſub arbore Crucis, ex Vulneribus & ipſo corde morientis Chriſti. O Iſmaëles! quos arida ſitis peccatorum premit, qui in periculo eſtis mortis æternæ, ad hunc fontem accurrite. O afflicta Agar, O pœnitens anima hic remedium quære. Vos potiſſimum alloquor peccatores; audite; Quiſquis lethalis ſceleris ſibi eſt conſcius, quiſquis per grave crimen à JESU Crucifixo Salvatore ſe avertit, ſciat actū de ſe eſſe, niſi confugiet ed arborem & fontem Sacramenti Pœnitentiæ; niſi revertatur ad Redemptorem ſuum, per ſeriam confeſſionem. Sed duo moneo.

§. 3. *Ejus neceſſitatem & integritatem repræſentat viſio S. Ioannis Apoc. 4. 2.*

Primum eſt, præter alias perfectiones, præter accuratum examen, præter dolorē & propoſitum emendationis, debet eſſe clara & integra. Apoc. 4. v. 2. ait Sanctus Joannes, *Ecce ſedes poſita in cælo, & ſupra ſedem ſedens Filius hominis: in conſpectu verò ſedis, tanquam mare vitreum ſimile criſtallo,* id eſt, Thronus ille cinctus fuit quaſi mari, ut non ſit ad illum acceſſus niſi per mare. Scio quoſdam Interpretes per hanc ſedem intelligere thronum gloriæ, in quo ad dexteram Patris ſedet glorioſiſſimus JESUS. Alios verò illam Iridem, vel nubem, in quâ velut in ſede aliquando in valle Joſaphat, omnium Judex Chriſtus, ſupremam pronunciabit ſententiam, vel vitæ, vel mortis. Alios, ſanctiſſimam Euchariſtiam, quæ eſt pulcerrima ſedes & thronus abſconditi ſponſi ſub candidiſſimo velo accidentium. Modo hoc ſacro tempore Paſſionis illis aſſentior, qui dicunt illam ſedem fuiſſe figuram Sanctiſſimæ Crucis, in qua veluti

veluti throno ſedit, vel potius pependit Rex dolorum, & ſimul ſolio Miſericordiæ & gratiarum, de quo Sanctus Paulus ait ad Hebræos cap. 4. v. 16. *Non habemus Pontificem* (in arâ nimirum crucis) *qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*, quod JESUS Crucifixus expaſſis brachiis & ſanguineis manibus nobis offert.

§. 4. *Proſecutio.* Verùm ad hunc thronum peccatori non eſt acceſſus, niſi per mare, quod eſt ſymbolum, 1. Sacramenti Baptiſmatis: nam ad thronum gratiæ vel gloriæ non patet aditus, niſi per hoc oſtium. Verùm, quia lapſi hominis magna eſt fragilitas, quâ in peccata rurſum delabitur, mare illud Apocalypticum circa thronum Crucis, eſt etiam ſymbolum S. Sacramenti Pœnitentiæ & Confeſſionis, in quo veluti mari rubro, vel Sanguineo balneo cruoris effuſi in cruce, animæ rurſum debent elui & mundari, antequam ad ſolium gratiæ vel JESU Crucifixi admittantur. Alius aditus inveniri non poteſt: Sola Pœnitentia, & vera confeſſio nos ad Salvatorem noſtrum reducere poteſt. Cum Sanctum Iſidorum, l. 1. Synod. c. 31. magnus peccator rogaret, *Noſſe cupio, ſi eſt ſpes in confeſſione, ſi eſt remiſſio, ſi eſt venia?* Reſpondit: *eſt planè, eſt prorſus, eſt procul dubio. Confeſſio ſanat, confeſſio juſtificat, confeſſio veniam peccati donat, omnis ſpes in confeſſione conſiſtit, in confeſſione locus eſt miſericordiæ. Nulla tam gravis eſt culpa, quæ per confeſſionem non habet veniam.* Sed quomodo ego iterum ex hoc loco Apoc. cap. 4. oſtendo Sacramenti hujus excellentiam & neceſſitatem, ex quo probare volui ejus integritatem, quæ ad Confeſſionis perfectionem requiritur? jam jam id facio.

§. 5. *Proſecutio.* Voluit enim Spiritus S. in illa viſione nobis oſtendere, confeſſionem debere eſſe ſimilem mari vitreo vel cryſtallino, id eſt clara, integra, pellucida, ut Confeſſarius clarè veluti in ſpeculo intueri poſſit conſcientiam, & in illâ, omnia gravia ſcelera, quibus DEUM offendimus. Quicunque mare hoc turbant & reddunt obſcurum, dum ſcelus aliquod grave ſive lethale, vel per ſupinam & culpabilē negligentiam, vel propter pudorem & verecundiam, vel ex malitia & contemptu, quod graviſſimum eſt, illi, qui loco Dei & Chriſti Judicis ſedet, abſcondunt & tegunt, in hoc eodem mari gratiarum in ſacramento Confeſſionis miſerrimum animæ patiuntur naufragium, neque unquam pervenient ad ſedem miſericordiæ; multo minus ad thronum æternæ gloriæ.

§. 6. *Præcipua cauſa damnationis Caini fuit, quod peccatum noluerit confiteri.* Bene de Caino obſervavit S. Thomas de Villa Nova, Dom. 3. Quadrag. *Propter hanc obſtinatam impudentiam, quâ Deo ſuum crimen* (Cain) *negavit, & abſcondere voluit oculis ejus, à facie DEI projectus & damnatus eſt.* Quaſi diceret: Grave fuit ſcelus fratricidium, grave crimen, effundere ſanguinem innocentem; *propter hoc tamen abſolutè abjectus & damnatus non fuit, quia Deus obtulit illi tempus & locum gratiæ, quo, ſi peccatum ſuũ ex corde confeſſus fuiſſet, & pœni-*

Inde invehitur in ſacrilegè confitentes: & de hoc pulchre explicat D. Thomas de Villa Nova.

& Pœnitens miſericordiam poſtulaſſet & procul dubio mitiorē ſententiā accepiſſet. Tales Caini ſunt ſacrilegè confitentes: ſunt rei effuſi Sanguinis innocentis Abelis; ſunt rei illius cruoris qui fluit ex toto corpore Agni immaculati, ſunt auctores infamis illiᵒ mortis in cruce; Rei facti ſunt per fornicationes, per adulteria, per injuſtitias, ſuperbiam, avaritiam, &c. Et licet ſanguis Chriſti clamet vindictam, tamē tolerat illos Miſericordia, de anno in annum, de quadrageſimâ in quadrageſimam; quovis momento Divina Juſtitia illos projicere poſſet à facie D E I, & æternùm damnare: non tamen illico ſemper ferit, ſed expectat, dat tempus & locum, an fortaſſis talis Cain in Confeſſione paſchali, ſcelus fateri velit, an confiteri ſe reum Sanguinis Abelis, ut miſericordiam aſſequatur. O Caini! & ſcelera tegitis, & dicitis, nihil vos ſcire de luxuriis, nihil de fornicationibus cordis, &c. nihil vos ſcire de illis, qui Chriſtum rurſum crucifigunt? ſic Confeſſarium quidem, ſed non Deum decipitis. Confeſſario mentimini, & ſimul D E O, ſimul Judici veſtro Chriſto: Itane tuas fraudes, tuas occultas uſuras tegis? Confeſſario quidem, at non D E O! Itane diſſimulas occultas libidines? Homini quidem ſed non Judici tuo Chriſto. Videt ille & videt, pervidetque ad fundum uſque maris & cordis tui, licet turbatum ſit; & tamen illum decipere cogitas: illi audes mentiri. Propter hanc impudentiam, propter luxurias, propter uſuras, propter quævis peccata, ſi per integram & contritam Confeſſionem Confeſſario detegerentur, non projicerentur à facie D E I, Sed miſericordiam multi conſequerentur; verū, ut dixi cum S. Thoma de Villa Nova, propter hanc impudentiam, quâ audent in Confeſſionali, homini, qui ſedet loco Dei, mentiri, projiciuntur in æternam damnationem.

§. 7. Occurritur illorū objectioni, de nimio pudore, ex S. Aug. & aliis Patribus.

Sed nimius eſt pudor, horrenda confuſio, homini aperire, quæ commiſſa ſunt in abſcondito; pfui: turpia, nefanda, durum hoc eſt & arduum. Ita eſt, ſed planè neceſſarium: *& Melius eſt*, inquit S. Auguſtinus, *coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quā in die Judicii coram tot millibus hominū gravi repulſa notatū, tabeſcere.* Alterutrū eſt neceſſariū, vel hic confundi corā uno, vel ibi in conſpectu totius orbis. Sanctus Bernardus in ſent. *Cur te pudet peccatum tuū dicere, quod non puduit facere? aut cur erubeſcis Deo confiteri, cujus oculis non poteſt abſcondi? quod ſi forte pudor eſt tibi uni homini & peccatori, peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii, ubi omnibus expoſita tua conſcientia patebit.* Et S. Chryſologus ſer. 167. *Precurrat pœnitentia, ne judicemur, ſi ſimᵒ noſtri Iudices*: demus nobis pœnitentiā (in hoc, quod nos confundamᵒ) ut poſſimᵒ à nobis auferre ſententiam. S. Cyrillus in cap. 43 Iſaiæ. *Dic tu prior, ne te ille præveniat; præventus in accuſatione diabolus, ultra nos accuſare non poterit.* Accuſabit autem graviſſimè illos, qui in ſacrilegis confeſſionisbus peccata ſua voluerunt diſſimulare: Sed de his alibi.

Modo

Digitized by Google

§. 8. *Citatio ſacrilege confitentium ad Crucem. Vehemens erga illos motus, terrendo aſpectu Crucifixi.*

Modo hoc ſacro tempore Paſſionis, ſi qui ex meis Auditoribus ſunt ſacrilege confitentes, cito illos ad montem Calvariæ, ad Chriſtum Crucifixum; Si Chriſtiani ſunt, ſi quæ ſcintilla pii affectus erga Salvatorem Chriſtum in cordibus eſt reliqua, memores ſpero fore his diebus illorum dolorum, quos in Cruce pro nobis paſſus eſt; Nullum ex his ſacrilege confitentibus ſpero fore tam impium, ut non aliquoties in Chriſtũ de Cruce pendentẽ pios elevet oculos: ni fallor, modo dum hæc dico, vos hoc facitis, Crucifixum aſpicitis; ſed Audaces: temerarii: impudentes: avertite illos; & quid vos in triſtiſſimo hoc ſpectaculo videbitis pro aliquo ſolatio. Quid aſpicietis? Spineam coronam? agnoſcetis veſtram ſuperbiam, quæ illam ſanctiſſimo vertici impoſuit. Non hoc vos terreat: ſi pœnitere velitis. Alia mihi occurrit circumſtantia ſpineæ coronationis. Differentiã adverte in illis qui Chriſtum ſpinis coronarunt; aliqui impoſuerunt tantum, contenti hac crudelitate; alii impudentes, crudeles eandem vel manibus, vel baculis illud ſertum, illas ſpinas fortius & profundius capiti impreſſerunt. Hoc faciunt ſacrilegè confitentes, per ſuperbiam, v.g. qua lethaliter peccarũnt, Chriſto Crucifixo impoſuerunt ſpineam coronam; dum nolunt confiteri, fortius impriniunt. Eadem fuit differentia inter illos qui Chriſtum flagellarunt, qui crucifixerunt. O impii; clavi, flagella, mallei quoque ſunt veſtræ libidines, peccata veſtra nefanda, illa Chriſtum cruci affixerunt; Aſpicite bene, videtis, quàm penetrarint manus & pedes Salvatoris; quot ictibus profundius ſanctiſſimis membris ſint immerſi; hoc facitis, hanc crudelitatem, hanc impudentiam repetitis, quantum in vobis eſt, dum ſacrilega confeſſione Deum offenditis. Quò magis, quo diutius vulnera veſtra tegitis, eò crudelius Vulnera Chriſti renovatis. Quò magis hoc onere gravatur veſtra conſcientia, eo Crux Chriſti fit gravior, eò acutius pũngunt ſpinæ. Fel & acetum obtuliſtis Chriſto veſtro, dum peccatis; dum celatis illa in confeſſione, longè illud redditis amarius.

§. 9. *Proſecutio ejuſdẽ motus, conſolando.*

Et quis eſt ille, quem audio in corde ſuo gementem & ſuſpirantem; ah quid feci! heu me: ah ſi ego ex benedicto vertice ſpineam illam coronam extrahere poſſem: illas ſpinas ex cerebro Salvatoris mei: Vade ex profundo cordis tui, extrahe tandem illud crimen, quod tam diu latuit, à prima juventute: depone belluam ad pedes confeſſarii, hoc eſt extrahere ſpineam coronam ex capite Crucifixi. Et quis eſt qui gemit (audio, audio ita clamare aliquorum corda) egone illos clavos tam crudeliter adegi per manus & pedes ſalvatoris: ô me felicem! ſi Chriſtum de cruce liberare poſſem, ſi revellere liceret illa dira inſtrumenta meæ crudelitatis. Tuum cor à multis annis transfixum eſt clavis? illã intelligo libidinẽ, illa nefanda ſcelera, illas fornicationes, illa adulteria, quæ in tot ſacrilegis confeſſionib⁹ ſiluiſti: Vade, ſi modo hac quadrageſima te movet miſerabile ſpectaculum Chriſti pendentis in cruce, ſi quam ſentis erga

Digitized by Google

erga illum compaſſionem: extrahe ex corde tuo illos clavos, clarè, integrè confitere peccata tua: & extrahe clavos è manibus & pedibus ſalvatoris. Tantum illi modò placebis, quantum placuiſſes olim, ſi revera Chriſtum Dn. liberaſſes à Cruce. Videor mihi audire alia talia ſuſpiria; O Sancte ſpiritus, accende illa! auge gemitus & illam concede nobis gratiam, ut hoc paſchali tempore nullus ex meis Auditoribus faciat ſacrilegam Confeſſionem; ut nullus ſit cauſa tam crudelis mortis Chriſti in cruce. Alterum quod monere volui, eſt hoc. Si qui præſentes ſint qui hactenus ſacrilegè confeſſi ſunt, & modo ex dictis moti ſunt, qui cogitent de ſeriâ & integra confeſſione, illos amore Crucifixi obteſtor, ut non differant, ut non dicant, faciam, faciam, ſed alio tempore, expectabo adhuc paulum. Si dicas, *Cras, Cras*, (inquit S. Aug.) *factus es corvus, & cum facies vocem corvinam, occurrit tibi ruina, nam ille corvus cujus vocem corvinam imitaris, exiit de arca, & nunquam rediit.* Nigri corvi ſunt peccatores, per peccatum mortale excluſi ab arca Sanctiſſimæ Crucis. Hæc eſt ſumma infelicitas, cum voce corvina, *Cras, Cras*, nunquam ad illam redibunt. In agone fortaſſis pulſabunt portas miſericordiæ: ſed dicetur, Matth. 25. v. 10. *Clauſa eſt janua*: proinde, *Time* (ait S. Aug.) *ne ſubitanea mors*: (paulo poſt hoc paſcha) *ſuperveniens te rapiat, & pereat dilatio, & ſuccedat æterna damnatio.* Feſtinatione hic opus eſt.

§. 10. Integra Confeſſio non eſt differenda; mora enim eſt periculoſa ut ait S. Auguſt.

§. 11. Fuit aliquando talis corvus Manilæ, magnus peccator, qui novem integris annis grave ſcelus in confeſſione celavit; cum aliquando veſperi incumberet, vidit ingredientem in cubiculum nigro & grandi corpore moloſſum, terribili rictu minantem exitium: quod terribilius eſt, dum miſer inclamare voluit opem, truculenta beſtia unguibus & dentibus præcluſit illi guttur. Itaque hac in calamitate conſtitutus, cum jam nec clamare, nec loqui amplius poſſet, duo præſtitit in corde. 1. ex animo imploravit Matrem miſericordiæ. 2. fecit votum ſtatuitque primo mane accurrere ad confeſſarium ad integram confeſſionem ſerio peragendam; quod fecit, ſic è periculo fuit liberatus. Cum talis corvus Tarracone in Catalaunia ſpatiaretur in campis, in Amoèriâ valle, vidit ſubito ex vicino colle irruentes in ſe aliquot lupos; in quibus anguſtiis comprehenſus etiam fecit votum, de integrâ confeſſioue non differenda, & eodem momento lupi diſparuerunt. O Corvi! O ſacrilegè confitentes, & integrã confeſſionem differentes de die in diem: in eodem verſamini periculo; Diabolus eſt moloſſus, eſt lupus, qui fauces & guttur vobis præcludit, dũ acceditis Confeſſionale. Infernalis cerberus inſidet veſtras linguas; nihil hæ atroces belluæ deſiderant aliud, quam ut liceat repentinâ morte vos plane ſuffocare. Si periculum advertitis, non *Cras, Cras*, ſed modò, ſtatim accurrite ad Chriſtum Crucifixum. Statim in corde implorate auxilium magnæ Matris, & jurate, votum facite, ſtatuite hoc paſchali tempore integrè confiteri.

Duæ breves hiſtoriæ, cum Apoſtrophe gravi ad ſacrilege Confitentes ut ſtatim confiteantur.

Hodie

Digitized by Google

§. 12. Pius diſcurſus ſuper illam voculam Chriſti, ad pium latronem Hodie mecum eris; ſuggerit aſſectuoſum Epilogū.

Hodie hæc facite. Notabilis circumſtantia mortis Chriſti in cruce eſt, quod inter duos latrones mori voluerit. Alter momento fuit converſus ad Chriſtum; agnovit Filium Dei cum excellentiſſimis actibus nobiliſſimarum virtutum, quas brevis illa continet oratio, Luc. 23. v. 41. *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum.* Et quod petiit, obtinuit. Et alter latro pependit ad latus Chriſti, aſtante Matre miſericordiæ, audivit confeſſionem ſocii, & voces Centurionis, Matth. 27. v. 54. *Verè filius Dei erat iſte.* Vidit tenebras, ſenſit motum terræ, percepit miranda quæ id temporis in turbata rerum natura contigere; nihilominus in conſpectu Jeſu Crucifixi manſit immotus, mortuus eſt in peccato & deſcendit in infernum. Similı planè modo moriuntur impœnitentes impii! aliqui poſtquam multis annis in graviſſimis vixerunt ſceleribus, tandem convertuntur, & moriuntur piiſſimè: poſt ſeriam confeſſionem amplectuntur & oſculantur Crucifixũ, inter ardentiſſima ſuſpiria contriti & amantis cordis ſpiritum emittunt in manus Salvatoris. Alios videmus exitu planè diſpari, licet moneantur à confeſſariis, licet videant ſe ingredi portas æternitatis, tamen inſenſibiles, impœnitentes, miſerrimi mori: *O altitudo divitiarum! & judiciorum Dei abyſſum!* quis axaminabit cauſas? Scrutari illas non licet. Magnum tamen myſterium latet in illa vocula Salvatoris, *Hodie*: q. d. O felix latro: hodie, hac die gratiæ tantum tibi conceditur beneficium, tantum lumen, hæc fides, hæc contritio! Hodie, hâc die, quâ cœli cataractæ ſunt apertæ, & terra inundat, diluvio mei ſanguinis & divinæ miſericordiæ; hodie tibi prodeſt meus ſanguis, fortaſſis non profuturus cras; hodie meæ tibi offero gratiæ benevolentiæque favorem, cras eum forte, ſi neglexeris hodie, alteri impertiam. Hodie, quando pro te morior in cruce, hodie, quando benignis oculis te aſpicio, hodie mei ſanguinis pretium offero; Cras, ſi hodie me non audieris, ſi differas, fortaſſis aſpiciam alium. Itaque quia bonus latro, illo hodie, illo die, & ſtatim pœnituit, ſalvatus eſt. Alter hodie hâc die pœnitere noluit & damnatus eſt. Corvi! ſacrilegi confitentes: latrones, rei mortis Chriſti; item cogitate vobis dici. Hodiè, hoc paſchali tempore eſt adhuc locus gratiæ: hodiè tempus eſt miſericordiæ: hodiè cœlum emendi occaſio: hanc ſi negligitis, forte per omnem æternitatem (ego horrendum id timeo) tam benignus ſol vobis non ampliùs illuceſcet. Hoc paſcha, ſi ſine integra ſcelerum exomologeſi præterlabi permiſeritis, cras forſitan, vel brevi (heu timeo:) cum ſiniſtro latrone ſtygiis immerſi flammis æternùm miſeri lugebitis. S. Gregorius homilia 12. in Evan. *Ecce hunc diem, de quo loquimur, ad inducias converſionis accepimus.* Poſtquam ſubdidit terribilem exitum Chryſaorii, qui inter infernales cerberos, fruſtrà in terribili agone inducias uſque mane tantum inclamavit, ait: *Ut ejus viſio nob. proficiat, quos adhuc divina patientia longanimiter expectat.*

Adhortatio ut peccatores dū tempus eſt, veniā ſuorum ſcelerum à Chriſto in cruce pendente cum latrone poſtulent.

CONCIO XIX.

DOMINICA PALMARUM.

CONCIO VII. de Chriſto Crucifixo.

Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum,
1. ad Corinthios cap. 1. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

A Sacrilegè confitentibus, ad indignè communicantes accedo. Eorum in Chriſtum ingratitudinem, crudelitatem, & graviſſimas injurias variis ſimilitudinibus ob oculos pono. Affero unam aut alteram hiſtoriam tragicam. Miſcentur affectus varii, præſertim compaſſionis erga Chriſtum D. tot injuriis affectum.

§. 1. *Brevis repetitio priorum Concionũ.*
§. 2. *In corde Martyris Anonymi repertus fuit crucifixus.*
§. 3. *Duplici potiſſimũ medio ille cordibus noſtris inſculpitur. Memoriâ Paſſionis & S. Communione.*
§. 4. *Chriſtus à nobis in cordibus noſtris debet involvi ſindone mundâ. Aliud faciunt ſacrilegè communicantes.*
§. 5. *Hiſtoria tragica de ingrato famumulo, quem tales imitantur.*
§. 6. *Chriſti amor in Euchariſtia. Talium barbara ingratitudo.*
§. 7. *Similitudo Agni dilacerati à Paſtore. Citatio ſacrilegè communicantium ad crucem.*
§. 8. *Crudelitas Tulliæ in Patrem: cum acri Apoſtrophe & invectiva in ſacrilegè communicantes.*
§. 9. *Affectus compaſſionis erga Chriſtum D.*
§. 10. *Acres minæ in eoſdem.*
§. 11. *Quænam ſcelera in particulari ſint cauſa ſacrilegarum communionum. Pulchra de luxuria.*
§. 12. *Præteritio de odiis, & Epilogus cum brevi repetitione Concionis & variis affectibus.*

HEbdomadam hodie ordimur ſanctam & myſterium Redemptionis noſtræ per mortem Filii Dei in cruce, cum omni ſanctitate in illa recolamus. Illa mors ex una parte valdè pœnoſa & ignominioſa, ex altera nobis neceſſaria planè & ſalutaris, fuit objectum mearum concionum per hanc Quadrageſimam. Inquiſivi in illis cauſas ob quas Pater cœleſtis, Filiũ ſuum tam atroci morte mori voluit in cruce. Sic enim demon-

Digitized by Google

demonſtravit 1. infinitum ſuum erga genus humanum Amorem. 2. Rigorem Juſtitiæ & odium erga malitiam peccati mortalis. 3. Immenſam miſericordiam & plura ſimilia attributa. Ante octiduum inter cauſas morales mortis tam nefandæ, & inter primarios auctores tam atroces cædis, poſui ſacrilegè confitentes. Hâc concione evincam, ejuſdem perduellionis reos eſſe ſacrilegè communicantes. Spero Jeſum crucifixum, qui hactenus concionum mearum cymbam per mare rubrum Paſſionis feliciter deduxit, & hodie mihi affuturum, ut tandem portum in hac materia feliciter attingam. Et cùm de attentione veſtra non dubitem, pergam audacter in nomine Jeſu Crucifixi; cui ſit honor & gloria in ſæcula.

§. 2. *In corde Martyris Anonymi repertus fuit crucifixus.*

Martyr Anonymus, ſed invictus Chriſti pugil, ſemper in carcere triſtis, tyranno roganti cauſam reſpondit: *Recolo aſſiduè paſſionem Salvatoris mei, oculis meis continuò obverſantur triſtia illa myſteria, flagellationis, coronationis, &c. ipſe ipſe Crucifixus inſculptus eſt cordi meo, & quânam obſecro ratione lætus eſſe queam? Una mihi voluptas eſt reliqua. Flere*: Hæc dixerat, & juſſu tyranni extractum & diſſectum eſt cor; patuitque in medio omnium oculis pulchra icuncula Chriſti pendentis è cruce. Quis ex vobis hæc audiens non cogitat, Auditores; O gratiam, ô ingens beneficium; quis non ſuſpirat, ô ſancti Angeli, ecce corda noſtra charta ſunt, tela ſunt, laminæ ſunt, cera ſunt, ſcribite, pingite, ſculpite, fingite, imprimite imaginem crucifixi! Pia hæc amantis animæ ſunt deſideria, quibus cœleſtis Sponſus, duplici modo ſatisfacit.

§. 3. *Duplici potiſſimũ medio ille noſtris cordibus imprimitur. Memoria Pƒſſ. & S. Commun.*

I. Imprimit nobis ſui imaginem, per aſſiduam memoriam Paſſionis. Pergite animæ piæ, recolite frequenter teneris cogitationibus vel flagra, quibus ſponſus veſter cæſus eſt, vel ſpinas, quibus coronatus eſt, ſemper ob oculos vobis poſitus ſit JESUS affixus cruci; hæ cogitationes ſunt penicilli & colores, quibus imago Chriſti in vobis depingitur. 2. Cœleſtis ſponſus potiſſimum id facit in devota ac pia communione, in qua verè & realiter cordi imponitur illud corpus, illa caro, ille Chriſtus, qui pro nobis in cruce fuit mortuus. Cor communicantis eſt veluti lectulus, eſt arca, eſt ſcrinium vel pixis, cui ſanctiſſima Hoſtia, ſub cujus ſpeciebus Chriſtus crucifixus latet, imponitur. Sed nunquid æquum eſt, ut lectulus ſit floridus, ut arca aurea, ut pixis, vel ſcrinium mundiſſimum. Talem lectulum exornant, talem arcam præparant, tale ſcrinium expoliunt, qui communioni Paſchali veram atque ſinceram ſcelerum exomologeſin præmittunt, adeò ut in eo lectulo ſuaviſſimè & decenter quieſcat ſacroſanctum Chriſti corpus, ni ea arca honorificentiſſimè aſſervetur, in eo ſcrinio cuſtodiatur tutiſſimè. Econtrà verò, qui indigne poſt ſacrilegam confeſſionem, ad divinum hoc epulum accedunt, pro lectulo, cloacam, pro ſcrinio immundum vas ad altare efferre dicuntur à ſanctis Patribus, ut in illo recipiant cor-

Digitized by Google

corpus Chriſti. Graviſſimum hujus aſſerti teſtimonium reperio apud Petrum Cellenſem Abbatem, poſtquam egiſſet de infami proditione Judæ & ſacrilegâ ejuſdem communione, ait: *Ita ille, qui indignè communicat, quantum in ipſo eſt, tradit corpus Dominicum in vas diaboli, quod eſt corpus ſuum.* Attendite ſacrilegi, an corpus Jeſu crucifixi majori poſſitis afficere ignominiâ?

§. 4. Chriſtus à nobis in cordibus noſtris debet involvi ſindone mũda aliud faciunt ſacrilegi communicantes.

Matth. cap. 27. v. 59. Cadaver Chriſti de cruce depoſitum Joſeph *involvit ſindone munda:* probabile eſt ipſam triſtiſſimam ejus Matrem mundiſſimo ſtropiholo involviſſe caput; Magdalenam pedes: Joannes forte benedicto lateri niveum impoſuit ſudarium; & ſic illud repoſuerunt in monumento novo & mundo. Quid hic vobis animi eſt pii Auditores? Credo equidem è vobis eſſe, qui jam cogitent; O ſi mihi id temporis adeſſe licuiſſet; O quanto caritatis affectu mortuum Servatoris mei corpus attigiſſem: quàm illi tenera, quàm mollia, quam nitida lintea applicuiſſem; quàm elegantia vela, Damaſcena aut acu picta, imò ornata auro & gemmis attuliſſem. Laudo affectum. Sed quæro ex vobis, ſi aliquis ex crucifixoribus corpus Chriſti, fœtido involutum panno, projicere auſus fuiſſet in aliquam cloacam; adverto, horretis; non opus eſt addere plura. Sed, quid dixiſſetis de tam gravi injuria? Iram veſtram quam noto in vultibus veſtris convertite in ſacrilegè communicantes; Si rei fiunt & participes hujus injuriæ, dum ſanctiſſimam Hoſtiam, id eſt, illud diviniſſimũ corpus ſuis cordibus imponunt, quæ quâvis cloaca ſunt ſordidiora, imò vaſa diaboli. D. Gregorius Nyſſenus, *Commonemur à Ioſepho & Nicodemo, ut ſanctum Domini corpus nos in conſcientia ponamus munda, & in pectore cordeque mundo.* Et Petrus Bleſſenſis ſuper illum verſum 6. c. 51. Iſaiæ; *Mundamini, qui fertis vaſa Dòmini*, ait; *Quantò mundiores eſſe oportet, qui manibus & in corpore portant Chriſtum.*

§. 5. Hiſtoria tragica de ingrato famulo quem tales imitantur.

Magis injurioſi, magiſque ingrati, graves peccatores erga crucifixum eſſe non poſſunt, quam per ſacrilegas communiones, de quibus propriè dici poteſt illud S. Pauli, *Crucifigentes ſurſum ſibimet ipſis Filium Dei*, quod brevi hiſtoriâ declaro. Refert Luitprandus *l. 2. hiſt. c.* 19. Regi Berengario fuiſſe famulum, nomine Flambertum, infidum atque inobedientem. Aureum tamen aliquando Scyphum Rex, ex quo bibebat, vino plenum generoſo illi, quia illum amabat, propinavit, & dixit: *Flamberte, amoris ſalutiſque meæ cauſa, quod continetur bibito, quod continet, habeto.* O perfidum famulum! O nebulonem: O Regicidam: eodem veſpere, herum ſuum Regem ex inſidiis in ſuburbana villa crudeliter occidit. Nunquid omnes cogitatis; Meretur nebulo hic mille mortes. Eadem quæſo cogitate de ſacrilege communicantibus.

§. 6. Chriſti amor in Euch. Talium barbara ingratitudo.

Rex noſter Chriſtus Jeſus, in ſignum amoris infiniti non ſcyphum vini, ſed calicem ſui pretioſi ſanguinis in ultima cœna propinavit Apoſtolis;

hic

Matth. 26. v. 27. Marc 14. v. 23. *hic eſt calix ſanguinis mei*; *bibite ex eo omnes*. Bibit quoque ex illo Judas nefarius iſte ac ſceleratus proditor, ſed ſtatim abiit & in villa Gethſemani, in horto, ex inſidiis Judæis illum tradidit. Judæ fratres ſunt ſacrilegè communicantes. O vos indignos Domino tam benefico, tamque amabili famulos! O capita execranda! quid enim facere potuit Dominus & Rex veſter ad teſtandum ſuum in vos amorem, & non fecit! quod caritatis officium potuit exercere, & omiſit? Dicite, an non vitam illi in acceptis ferre debetis? dicite an non omnia ab eo beneficia in vos profecta? an non ad regiam menſam vos invitat? an non calicem ſanctiſſimi ſanguinis ſui vobis propinat? Et tamen, obſtupeſcite cœli! poſt hæc omnia, tot atque tanta, in hunc rebelles inſurgitis, in hunc violentas manus injicitis, huic inſidias ſtruitis, hypocritæ! hunc iterum in malam crucem agitis; imo ejus corpus projicitis in cloacam, in vas Diaboli. Miramini? horrent aures? atqui indignè, id eſt, cum ſcelere mortali, ſacrâ frui ſynaxi tantundem eſt, ac ea omnia quæ, modo recenſui, perpetrare

§. 7. *Similitudo Agni dilacerati à Paſtore. Citatio ſacrilegè Communicantiũ ad Crucem.* Jam certè video meritò exclamaſſe B. Laurentium Juſtinianum ſerm. de corpore Chriſti. *Scelus hoc grande eſt, & nefas peſſimum.* Addo ego, atrox, crudele, execrandum facinus! Si paſtor aliquis innocentem Agniculum objiceret lupis, dilaniandum & dilacerandum, vel ſuis manibus ipſe diſcerperet; nunquid diceretis. Quid agis homo barbare? innocentiſſimum animal ſic objicis beſtiis? quænam hæc crudelitas? Vos ego hodie alloquor ſacrilegè communicantes, vos tam eſtis inhumani & crudeles in mitiſſimum Salvatorem veſtrum, in cibo illo, quem vobis infinitus ejus amor præparabit, comeditis Agnum immaculatum, qui tollit peccata mundi, & bibitis ejus ſanguinem; ſed ô ſcelus! quid agitis? audite id ex ore Sancti Chryſoſtomi, mihi verba deſunt quibus atrocitatem ſceleris veſtris vobis proponam. Ipſe ait, *Totum corpus Chriſti* (totum corpus, ergo ejus ſanctiſſima vulnera, totum corpus, ergo ejus ſanguinem, totum corpus, ergo divinitatem cui conjunctum eſt; Chriſti, ergo Redemptoris veſtri, Chriſti ergo Filii Altiſſimi & Unigeniti patris; Chriſti, ergo Filii Beatæ Virginis Mariæ, verbo totum Chriſtũ) *objicitis feris immanibus, & non horretis?* Quænam illæ immanes ſunt feræ? Vir ſanctus vult dicere; Vos ſacrilegi, cum Juda Chriſtum, falſo oſculo, ſimulata communione iterum proditis, & traditis illis lictoribus, qui illi in horto vincula injecerunt. Vos Jeſum veſtrum iterum objicitis flagellatoribus; imò ipſum rurſum coronatis ſpinis, vos rurſum illius humeris bajulandam crucem injicitis; rurſus illum in crucem agitis, rurſum clavos per manus pedesq; adigitis, rurſum felle potatis & aceto, rurſum lancea latus ejus recluditis. Ad hunc vos itaque cito crucifixum, ut coram eo agnoſcatis, vos fuiſſe magnam cauſam, quod Filius DEI mori debuerit in cruce.

Digitized by Google

Divinæ Juſtitiæ pro his ſceleribus, & indignis communionibus ſatisfieri non potuit, niſi ſanguine crucis.

§. 8. *Crudelitas Tulliæ in Patrem cum acri apoſtrophe & invectiva in ſacrilege communicantes.*

Needum atrocitatem hujus ſceleris deſcripſi ſatis. Crudeliſſimum facinus perpetravit Tullia Filia Servi Imperatoris: nam ut citius regnaret, Patrem ſua manu peremit. Peracto ſcelere regium conſcendens currum plateas urbis obivit nova Imperatrix. Cujus juſſu interea regium parentis & Imperatoris cadaver projectum fuerat in plateas, & quidem eò ubi regius currus tranſire debebat. Stitit equos auriga inſolito obſtupefactus ſpectaculo! Dum inclamanti Reginæ, *Perge, perge*, reponeret. *O Domina! in via jacet ſanguineum cadaver Patris tui: illudne calcabunt equorum ungulæ? Siſtamus obſecro, pietas hic, ſi non majeſtas jubet curſum remorari.* Sed reſpondit leæna & tygris de regio curru; *Perge tu, perge, calca Patrem, regium conculca ſanguinem, dummodo imperē.* Quodnam crudelius facinus poteſt excogitari? Crudelius aperiam ſtatim: ſunt ex vobis qui in curru ſuperbiæ, in curru luxuriæ, aliorumque ſcelerum magnis paſſibus & celeri curſu properant ad infernum. Opponit ſe fervens aliquis Concionator hoc tempore paſſionis; arrepto crucifixo exclamat, ſiſtite impii! quo ruitis: nefandas commiſiſtis libidines, acerba foviſtis odia, alia perpetraſtis ſcelera: hæc necdum eſtis confeſſi, & tamen polluto corde cogitatis accedere ad Sanctam Communicationem. Siſtite obſecro, conculcabitis rurſum corpus Chriſti, conculcabitis ejus Vulnera, conculcabitis pretioſum ejus Sanguinem: Heu! audio barbaras quorundū voces; Conculcetur! ſcelera mea ego confiteri non poſſū. Conculcetur! non poſſum ignoſcere meo inimico. Conculcetur dummodo meus non conculcetur honor. Conculcetur! dummodo mea imperet cupiditas, dummodo mea regnet libido. Conculcetur! dummodo ſtet Venus. Conculcetur, dummodo ego coram homine non cogar confiteri: Creſcit furor, augetur Crudelitas in Chriſtum Crucifixum, per diaboli animantis voces, ſic pergite! ſic pergite! Ita pergitis! ſed ſimul magno curſu properatis ad interitum, & æternam damnationem.

§. 9. *Affectus compaſſionis erga Chriſtum Dn.*

Non poſſum ego hic pergere, niſi prius ex intimo corde compatiar JESU meo Crucifixo. Sanct. Patrum modus loquendi eſt, quod benigniſſimus Salvator noſter in Communione ingrediatur cor hominis, veluti Rex in ſuam regiam, veluti Dominus ad ſubditū, veluti frater ad fratrē, velut amicus ad amicum, velut ſponſus ad ſponſā. Sed! eheu! quo modo à multis excipitur? quo modo tractatur, jam dixi, eheu! illa caro, ille ſanguis, illa vulnera, ille bonus JESUS à ſacrilegè communicantibus conculcatur pedibus! Lugent, gemunt, plorant, indignantur animæ piæ, cum inter circumſtantias Crucifixionis conſiderant, probabile eſſe, veſtem ſive togam Chriſti à ſanctiſſimo corpore abſtractam, plenam ſanguine fuiſſe abjectam humi, conculcatamque crucifixionem pedibus,

præ-

præcipuè cum aleis pro illa luſerunt; ſine dubio eſt hoc objectum dignum lacrymis. Ah! doleo ego magis, gemo, lugeo, conqueror, non veſtem, ſed ipſum Sanctiſſimum Corpus, totum Chriſtum tam crudeliter tractari & pedibus conculcari: Utinam tam uberes & copioſas poſſem effundere lacrymas, & à meis Auditoribus hoc obtinere; ne hoc paſchali tempore ullus per ſacrilegam Communionem tam ſit crudelis in Jeſum meum Crucifixum.

§. 10. *Acres minæ in eoſdem.* Adhuc reluctamini? adhuc cogitatis fore vobis impoſſibile integrè confiteri? adhuc vobis proponitis cum notis vobis ſceleribus accedere ad Sanct. Communionem? & non veremini, (ait fermè Iſidorus Peluſiota l 5. ep.12. ad Zoſymum Presbyterum) ne quando ingnem de cœlo capitibus veſtris accerſatis, vel certe alias meritas luatis pœnas? Sanctus Cyprianus refert ſer. de lapſis, fœminam quandam, cum arcam, in qua ſanctum Domini corpus fuerit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde erumpente fuiſſe deterritam, ne auderet contingere. Et vos, ſacrilegè Comunicantes! vos impudẽtes! hanc menſam audebitis accedere, ut impura lingua contingatis Sanctiſſimam Hoſtiam? prô, non videtis erumpentes undique flammas. Vosne lateri Sanctiſſimo, Cordi benedicto labia audetis apponere, ut inde pretioſum ſugatis ſanguinem, & non horretis, ne erumpant fulmina, quæ vos momento, ſaltem ſuo tempore, præcipitent in ignem inferni? Cum Philone Carpathio conor terrere ſacrilegè communicantes, igne inferni: nam ait: *Licet videre quoſdam ex hoc ſacratiſſimo convivio quotidie fieri praviores, & ob id ſolum ad gehennam properare miſerrimos, quod ad tale ac tantum, tamque ineffabile convivium immundo corde, atque ſordidato audacter audeant accedere & inſolentiſſime devorare.* De Juda dixit S. Cyprianus: *Ubi ſceleratum os ſanctificatus panis intravit, præceps currit ad proditionem & perditionem æternam.* id eſt, ſi Judas; ſi ſacrilegè communicantes, de ſuis peccatis, etiam gravisſimis dolerent, ſi pœnitentiam agerent, & menſam hanc digni accederent, veniam & miſericordiã facillime obtinerent, addentes autem illis novum ſcelus atrociſſimum, indignam Communionem, ideo ruunt de die in diem in ſcelera nova, & majora, denique in æternam perditionem. His ſanguis JESU Chriſti, quem bibunt, non cedit in refectionem, ſed reprobationem; non in vitam, ſed in mortem, non in præmium, ſed judicium! Vulnera Chriſti cruenta, quæ cum illo deglutiunt, iis non ad ſolatium, ſed ad æternæ mortis ſupplicium: Cor JESU dulciſſimum, non in amorem, ſed in dolorem, in lacrymas, in pœnas convertetur ſempiternas.

§. 11. *Quænam ſcelera in particulari ſint cauſa ſacrilegarũ Communionum. Pulchra contra luxuriam.* Triplicia vero ſcelera plerumque cauſæ ſunt ſacrilegæ communionis. Magia, Luxuria, Odium: quibus non rarò accedit iniqua bonorum poſſeſſio, & defectus reſtitutionis. Nihil mihi in honoratiſſimo hoc Auditorio negotii eſt cum Magis. De luxurioſis ait S. Algerius l. de ſac. altaris c. 22. *Sciendum, quia Agnum Dei*

ſine macula, qui Virginis eſt Filius. luxurioſi ſumunt periculoſius, quia cum in Chriſto uniri debeamus conformitate Paſſionis, & munditiæ, nihil ſic adverſatur paſſioni Crucis, ut voluptas, nihil ſic munditiæ ut ſorditas, nihil ſic ejus unioni, ut fornicariæ Societatis unitas, & Petrus Cellenſis ſer. 38. *Quicunque ad altare Domini accedit inquinatus luxuria, juxta Filium Virginis idolum ponit Veneris; qui ſacra illius verba Sacramenti ore immundo profert, in faciem Salvatoris ſpuit: & cùm in os immundum ſanctiſſimam carnem imponit, eum in lutum platearum projicit.* Amplius dico. Teſte Plutarcho, ſacerdotes correpti ulceribus prohibebantur ab auſpiciis: ſermo eſt de ulceribus corporis, ulcera verò animæ ſunt longè fœtidiora. Ulcera putrida ſunt delicta quædam juventutis abſcondita & multis annis quaſi ſepulta, fœtida ulcera ſunt blaſphemiæ, &c. Et tamen ſunt tam inſigniter nequam, qui Sanctiſſ. Hoſtiam his ulceribus imponere non timent. Fieri poſſet, ut Hoſtia caſu incidat in tale ulcus vel cloacam, ſine omni injuria & peccato; quod tamen horrendum eſt audire! ſed magis horrendum eſt, corde pleno ulceribus illam ſuſpicere! Verè mi bone JESU compatior tibi his diebus. Compatior tibi, quod poſt cruentam flagellationem ſceleſtorum hominum pedibus ſis conculcatus. Condoleo ex toto corde, cum te onuſtum cruce video, in terram proſtratum, inſuper verberibus malè mulctatum, ſed magis condoleo, dum cogito, fore, ut aliqui hoc paſchali tempore per ſacrilegam Communionem, te, tuum corpus, tuum ſanguinem, &c. in turpiſſimorum cordium ulcera & cloacas conjiciant.

§. 11 *Præteritio de odiis. & Epilogus cum brevi repetitione Concionis & variis affectibus, quibus homo excitatur ad fugienda peccata.*

Monere præterea volui, ante Paſchalem Communionem deponenda eſſe odia, quia planè hoc eſt ſacramentum unitatis, vinculum pacis, conſortium caritatis, expiationis ſacrificium. Euchariſtia, veluti quodam amoris philtro in Dei debemus ferri amorem, & trahi veluti benevolentiæ poculo in mutuum amorē: ſed monet me clepſidra ut in brevi epilogo, per quaſdam propoſitiones ex hac Concione, meis Auditoribus proponam quàm gravibus injuriis ſacrilegè & indignè communicantes afficiant Chriſtum Redemptorem. 1. Corpus Chriſti projiciunt quaſi in cloacam. 2. Vel, in cor ulceroſum. 3. Crudeliter dilacerant & tractant Agnum Dei. 4. effundunt ejus ſanguinem. 5. Rurſum crucifigunt. 6. ſpuunt in faciem JESU. Septima & præcipua eſt! ſed poterone iterum effari? an eloqui poſſum? Cùm in conſideratione Paſſionis ad tenerrimam compaſſionem, ad pias lacrymas aſpirante divina gratiâ me volo commovere, recordor JESU corruentis ad Columnam, & mihi imaginor illos carnifices, qui nudum in ſuo ſanguine jacentem pedibus conculcarunt. Moveor adhuc magis, liqueſcit cor meum, cum recordor Chriſti corruentis ſub cruce, & video aliquos, qui caput cum ſpinea corona jacens in terra pedibus conculcant. Sileo; quia adverto aliquos nolle repeti toties, quod injuriam hanc repetant

ſa-

ſacrilegè Communicantes. O Crucifixe JESU! me quod attinet, doleo me unquam te offendiſſe, execror & deteſtor omnia peccata mea: Ah! ſi fortaſſis & ego aliquando per indignam communionem his injuriis te affeci, ſi & ego te conculcavi pedibus! hoc doleo! hoc deteſtor. Et juro, ut potius repentina mors me rapiat, potius terra dehiſcat, ut tartarus me deglutiat, antequam hoc ſcelus committam iterum: Ite, abſolvi meam materiam de Jeſu Crucifixo.

CONCIO XX.

De

HISTORIA PASSIONIS,

SIVE

Altera Concio de Paßione Salvatoris noſtri IESV CHRISTI.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit hæc Concio de Captivitate, de Oſculo Judæ, de inflicta alapa coram Anna, de injuriis illatis in domo Caiphæ, de ſententia mortis à Cõcilio in illum latâ; de nocturno carcere.

§. 1. *Petitio gratiæ neceſſaria ab afflictiſſima Matre; per dolorem perpeſſum in valedictione Filii.*

§. 2. *Propoſitio myſteriorum, de quibus aget hac Concio.*

§. 3. *Piæ Orationis deſideria, dicendi ferventer de Paſſione, exemplo ardentium Concionatorum.*

§. 4. *Turbatur Concionator ob præſentiam aliquorum exiſtentium in ſtatu peccati mortalis: Vt etiã hi cum fructu audiant concionem, recitatur Oratio Dominica & ſalutatio Angelica.*

§. 5. *Tempus & hora Captivitatis*

§. 6. *Quibus miraculis, in binis vocalis. Ego ſum; Chriſtus D. oſtenderit ſuã omnipotentiam, primum eſt, quod non agnoverint Chriſtum D.*

§. 7. *Alterum miraculum; quod duobus verbis exanimati corruerint, eadem vocula, piis erunt ſolatio, impiis terrori.*

§. 8 *Tertium miraculum, quod tandem illum agnoverint.*

§. 9. *Judam offerentẽ oſculum Chriſtus Dn. ſuaviſſimè alloquitur.*

§. 10. *Quare oſculum Iudæ vocetur* ſanguineum.

§. 11. *Deſcribitur modus, quo Chriſtus D. fuit captus.*

§. 12 *Proſecutio; cum invectiva in illos,*

qui hodie conjurant in Chriſtum Dominum.
§. 13. *Quâ barbarie ductus & tractus fuerit in urbem: Pia ſuſpiria ad ſanguinem Chriſti.*
§. 14. *Apoſtrophe ad impios, cum obteſtatione per ſanguinem Chriſti.*
§. 15. *Adducitur ad Annam, & ab eodem condemnatur.*
§. 16. *Reſponſum Chriſti ad quæſtionem de doctrina.*
§. 17. *Infligitur illi alapa, cujus circumſtantiæ ponderantur.*
§. 18. *Accuſatur ſceleſtus nebulo, qui alapam inflixit, & variæ in illum proferuntur ſententiæ.*
§. 19. *Proſecutio, cum apoſtrophe ad Juſtitiam Divinam.*
§. 20. *Invectiva in illos, qui Chriſto Domino alapas infligunt.*
§. 21. *Exemplo Chriſti D. hoc veſpere nõ judicantis, differtur ſententia; offertur venia.*
§. 22. *Reſponſum Chriſti Dn. accepta alapa.*
§. 23. *Proponitur peccatori; hæc quæſtio:* Cur cædat JESUM?
§. 24. *Rogantur filiæ Sion, ut antequam JESUS rapiatur ad Caipham, abſtergant genas Chriſti, ex alapa cruentas ſanguine.*
§. 25. *Accuſatur coram Caipha.*
§. 26. *Cauſæ, ob quas Concilium Iudæorum judicavit Chriſtum eſſe reum mortis.*
§. 27. *Adjuratio Caiphæ.*
§. 28. *Reſponſum Chriſti Dn.*
§. 29. *Caiphas præ irâ laceravit veſtimenta*
§. 30. *Ventilatur hæc quæſtio,* an Chriſtus ſit reus mortis.
§. 31. *Quantò magis reus ſit Peccator.*
§. 32. *Proſecutio.*
§. 33. *Denegatione Petri.*
§. 34. *Quomodo Iudæi tractarint Chriſtum Dominum poſt latam ſententiam.*
§. 35. *Septem injuriæ illatæ Chriſto Dn. in nocturno carcere.*
§. 36. *Aliæ quinque.*
§. 37. *Tres aliæ; & numerus alaparum, ictuum, &c.*
§. 38. *Injuria omnium graviſſima.*
§. 39. *Pia obteſtatio, ut ſimus devoti erga hæc myſteria.*

§ 1. *Petitio gratiæ neceſſaria ab afflictiſſima Matre, per dolorẽ perpreſſum in valedictione Filii.*

HOc ipſo tempore, quo huc ad me, de triſtiſſimo patientis Chriſti myſterio verba facturum confluxiſtis, hoc inquam ipſo tempore, hoc ſanctiſſimi Jovis veſpere exiſtimo, circa quintam veſpertinam, poſt triſtiſſimam valedictionem, inter planctus, inter ſingultus & lacrymas, inter ſuſpiria triſtiſſimorum cordium; Chriſtum D. à dilectiſſima Matre, ex Bethania Jeroſolymam verſus diſceſſiſſe: Ah gemitus materni pectoris, quando diſcedentem vidit dilectũ, animæ ſuæ theſaurum; dulciſſimum illum natum! & diſcedẽtem! heu! ad tam dira, metuenda, atrocia tormenta! Ah lacrymas ſuaviſſimi JESU ob afflictiſſimam Matrem! ah Matris gemitus ob Filii diſceſſum! Triſtiſſima Virgo, Mater afflictiſſima! per dolores cordis tui, per tuos gemitus, per tuas te lacrymas oro atque obteſtor; ut horis hiſce, quibus de cruen-

cruenta Paſſione Filii tui perorandũ mihi eſt; mihi inquam, quin & cariſſimis hiſce Auditoribus meis, unam aliquam gratiam, unum aliquod amoris tui ſymbolum impertire digneris; Rogas, quæ illa gratia? quod ſymbolum? Explico; una, una eſt guttula materni illius doloris, qui hoc veſpere cor tuum virgineum in amariſſimum mœroris Oceanum demerſit! Non ignoras Virgo Mater, fuit, illâ horâ, quâ tuus tibi JESUS ſupremum valedixit, fuit cor tuum mare amaritudinis, guttulam peto. Unica guttula tui doloris, tam ille fuit immenſus, nos omnes optatâ implebit amaritudine & compaſſione erga dilectiſſimum tuum Filium. O triſtis Mater! lacrymarum, quæ hoc veſpere ex virgineis tuis oculis defluxerunt, inter ſupremos amplexus & oſcula Filii tui, præcipuè cum receſſit ex oculis tuis, non eſt numerus; neque Angelos amare quoque flentes, puto illas numerare potuiſſe! unicâ ſaltem lacrymulâ emolli corda noſtra ad triſtitiam, diſpone ad fletum, in teneram animi compaſſionem reſolve. Quot lacrymas ex oculis, tot exiſtimo erupiſſe ſuſpiria ex intimo corde triſtiſſimæ Matris: Ah JESU! ah Fili mi JESU,! mea vita, meũ ſolatium, quò abis? in manus hoſtium ad vincula & catenas? fili mi! JESU, quò abis? ad columnam, ad virgas, ad ſpinas? & ſine Matre? mi JESU, quò abis? ad montẽ Calvariæ, in mortem, ad Crucem! JESU! JESU! O triſtis Mater! Hæc ſunt, quæ hoc veſpere, pro me, meiſque Auditoribus, ſuſpiria efflagito.

Verùm, quò me initio ſtatim hujus Concionis, mei rapiunt affectus? ne miremini Auditores; DEUS mihi teſtis eſt; non mentior. Deſiderium cordis mei eſt, dicere hoc veſpere de Chriſti Dn captivitate, de alapa corã Anna illi inflictâ, de injuriis in domo Caiphæ illatis, de concilio in quo proclam..tus eſt reus mortis, de nocturno carcere; de his inquam myſteriis cupio ad vos dicere, piè, devotè, cum tenerrima compaſſione, cum fervore, cum ingenti fructu animarum noſtrarum: id quod me præſtiturum facile confido, ſi afflictiſſima Mater JESU ſuo me favore proſequatur. §. 2. *Propoſitio Myſteriorum, de quibus aget hac Concio.*

Fuere Concionatores, quorum verba, dum dicerent de Paſſione, arſerunt ut faculæ, imò manus, digiti, lingua, facies, flagrare viſa ſunt: ſic ardere ego, ſic urere alios, & ſanctis inflammare deſideriis hâc in concione exopto. Fuere alii, quorum corda ſub dictione, ardore amoris & compaſſionis, adeo liquefacta ſunt, ut magis lacrymarum copiâ, quàm dictione moverint Auditores: ſic diſſolvi in lacrymas, ſic in fletus liquefieri, meum & Auditorum meorũ corda deſidero. Fuêre; qui de Paſſione Chriſti, quatuor, quinque, ſex horas, tanta dixerunt contentione, ut fractis lateribus, ſciſſis venis, erumpente ex naribus & ore, ſanguine, in cathedra corruerint exanimes. O ſi ita me mori contingeret! quid ſi ſub hâc dictione! ſi ita DEO meo viſum eſt, fiat! modò Doloroſa Mater, per Vulnera, per ſanguinem, per mortem Filii ſui, hanç mihi obtineat gratiam, ut §. 3. *Pia Orationis deſideria dicendi ferventer de Paſſione; exemplo ardentiũ Concionatorum.*

corde

Digitized by Google

corde contrito & humiliato prius exclamare liceat, *JESV in te credo, in te ſpero, te amo. JESV Fili David, miſerere mei, propitius eſto mihi peccatori*; ſic non invitus, etiam ſub hâc concione, finem ſimul dicendi, ſimul vivendi faciam. Fuere Concionatores, & ſunt hodie, dum in Hiſpania & Italia, qui de Paſſione tanto perorant fervore, ut Auditores inter altiſſimos ſingultus & lacrymas, elatis vocibus in actus Contritionis & divini amoris erumpant, ut qui odia fovent, in ipſo mox templo ineant pacem, & in mutuos cum inimicis ruant amplexus, ut in omnibus angulis Eccleſiæ triſtis reſonet echo, *Miſericordia! Miſericordia!* ut primarii ruant in genua, coram Crucifixo triſti murmure gementes, *JESV! JESV!* ſimilibus ſpectaculis non eſt aſſueta Germania, ita ego tamen dicere cupio hac concione, ut mei Auditores, intus in corde, in anima, intra præcordia pectoris ingemiſcãt, ut calidis ferantur in Jeſum patientem ſuſpiriis, ut ſi non oculis, cordi ſaltem ſuas indulgere lacrymas non vereantur, inter lacrymas cordis, cupio ut reſonent ſuaves illæ voces, *Jeſu doleo! Jeſu amo te! mi Salvator ignoſco meis inimicis.* Hoc ut conſequar, ut hoc ſpiritu mea dictio animetur, ut ejuſmodi igniculis me, & meos accendam Auditores; peculiari Divini Numinis, Divorumque cœlitum auxilio ſingulari, mihi inprimis opus eſſe intelligo. O Mater miſericordiæ! triſtis Mater, dulcis tamen Mater! per gladium tui doloris, per amaritudinem Virginei cordis tui, in qua hoc veſpere valedixiſti Filio tuo, te rogo, peccator ego quidem, ſed ſervulus tamen tuus, ſed tamen mancipium tuum, plus audeo! ſed filius triſtiſſimi cordis tui rogo, obteſtor, ut qua me indigere conſpicis gratia, eam mihi à Filio tuo dilecto conſequaris. Unum & ſolum honorẽ tuum, & Filii tui intendo.

§. 4. *Turbatur Cõcionator ob præſentiam aliquorũ exiſtentiũ in ſtatu peccati mortalis, ut etiam hi cum fructu audiant concionem, recitatur Oratio Dominica & Salutatio Angelica.*

Et quid hoc? quid ſentio? & quis motus ſubitò turbat ſuaviſſimas cogitationes cordis mei, quas de Chriſti Paſſione Auditorib. meis proponere cogito? quæ furia me exagitat, ut iraſcar; ut fremam? quæ umbræ me turbant? Ignoſcite mihi Auditores, fateor; iraſcor ex animo, fremit Spiritus meus, turbatus ſum Sed exẽplo Chriſti Salvatoris mei, de quo ait S. Joannes c. 11. v. 33. *Infremuit Spiritu, conturbavit ſe ipſum, & rurſum fremens in ſemetipſo, lacrymatus eſt.* Altera vice id contigit, Joannis cap 13. v. 21. ubi in ultima concione ad Apoſtolos poſt lotionem pedum, *turbatus eſt Spiritu.* Unde illa turbatio in Chriſto? ille motus indignationis? ille fremitus? illæ lacrymæ? Ipſe ſacer textus utroque loco inſinuat cauſam cap. 11. ante oculos Chriſti, mortuus atque in ſepulcro, jam in quartum diem fœtens Lazarus recubabat, ad triſte hoc ſpectaculum turbatus, infremuit, lacrymatus eſt, ingemuit, in cœlum ad Patrem elevavit oculos. cap. 13. verſ. 20. inquiens Chriſtus: *Amen, amen, dico vobis, quia unus*

Digitized by Google

unus ex vobis tradet me. En crimen! en cauſa! hoc nimirum eſt, quod Filium Dei in concione turbavit! propter Judam infremuit! Judas ille perfidus, crudelis, ſceleratus, hunc Chriſto dolorem incuſſit, atque una excuſſit lacrymas, gemitus, ſuſpiria. Eadem me turbant, eadem mihi bilem ſtomachumque movent Auditores; Olfacere mihi videor fœtida ſepulcra ſcelerum, in quibus aliqui ex meis Auditoribus defoſſi recumbunt, non in quartum diem, ſed multos menſes, imò annos. Diſertius loquar. Intelligo illos, qui concionem hanc meam audituri, actu ſunt in ſtatu peccati mortalis. Vereor ne adſit aliquis Judas, aliquis proditor, traditor, qui hac ipſa nocte Chriſtum meum iterum vendere non erubeſcet; talis non ad iracundiam me concitet? hoccine me non conturbet? hi proditores, hi traditores, hi fœtentes latenteſque Lazari in ſepulcro ſcelerum, quo fructu audient meam concionem? Hoc itaque faciam, cum Chriſto Domino prius elevabo oculos ad cœlum, cum ſancto Franciſco Xaverio prius flectam genua, & pro iis, qui ſunt in ſtatu peccati mortalis orabo unum Pater & Ave, ut bonus Deus etiam his ſub hac concione, veram cordium contritionem largiri dignetur. Vos idem mecum ſupplices facite Auditores, & flexo poplite Orationem Dominicam ſemel; ſemel item in eundem, quem dixi finem, ſalutationem Angelicam recitate.

PUNCTUM I.

Tempus & hora Captivitatis.

§. 5. *Tempus & hora Captivitatis.* Ex probabili opinione, Chriſtus D. in hortum Oliveti venit, ex cœnaculo, paulo poſt octavam veſpertinam, ibi uſque ad nonam, à nona uſque ad decimam, à decima uſque ad undecimam noctis, perſeveravit in oratione, ſub terribili triſtitia & agonia, imò ſanguineo ſudore; ſecundum ea, quæ à me anno ſuperiori ex hoc eodem loco percepiſtis. Illis horis, quibus Salvator in vigilias, preceſque incubuit in horto, Judas in domo ſummi Sacerdotis, cum Judæis pactum init, ſeu potius nefandum illum contractum, de pretio venditionis; numerati illi ſunt triginta argentei: collecti quoque milites qui ad capiendum jam jam Chriſtum, anteſignanum Judam ſequerentur. Sacer textus inſinuat, fuiſſe illi additam cohortem integram, quæ apud Romanos trecenta ad minimum capita complectebatur. Hi itaque milites ex urbe, nocturno tempore, in ſummo ſilentio, ad evitandum nempe tumultum egreſſi, *& Judas antecedebat eos*, facem ſceleri præferens, rectà ad montem Oliveti,

Digitized by Google

ubi Magiſtrum ſuum ſolitum pernoctare in oratione meminerat, contenderunt. Judas eò loci pervenit cum impii cohorte, circa horam noctis undecimam; Chriſtus D. videns à longè faces atque laternas, poſtquam, ut meditantur nonnulli, ad radices montis, in torrente Cedron, manus ac faciem, nonnihil abſterſiſſet, acceſſit ad diſcipulos, quos ſomno oppreſſos excitavit, & dixit Matth. 26. v. 45. *Dormite jam & requieſcite; ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite; eamus, ecce appropinquavit, qui me tradet.* Adhuc eo loquente Judas intravit hortum, cùm eo turba multa, cum gladiis & fuſtibus, facibus & laternis, ut inſinuavi circa undecimam noctis.

PUNCTUM II.

De illis verbis Chriſti: Quem quæritis? Ego ſum.

§ 6. Quibus miraculis, in binis voculis, Ego ſum, Chriſtus D. oſtenderit ſuã omnipotentiam. Primum eſt, quod non agnoverint Chriſtum

Jeſus autem ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit & dixit eis, *Quem quæritis?* Reſponderunt ei, *Jeſum Nazarenum.* Et dicit eis JESUS; *Ego ſum, & omnes abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* In paucis verbis plura miracula obſervate, quibus ſe, ſuamque potentiam, & bonitatem divinam luculenter oſtendit. Nam 1. Judas hanc illis velut teſſeram dederat; *Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt.* In hunc irruite, hunc tenete. Verùm ut demonſtraret Chriſtus, quàm leves atque inanes hæ forent cogitationes, quàm puerilia adverſus Deum conſilia, quàm non metuendæ inſidiæ, ſi modo eas ſponte formidare non vellet; excæcatus eſt Judas, ut licet ipſe, quod pictoribus placet, lucernam prætulerit, licet arderent faces, licet tædis atque ignibus inſtructi comitarentur complures, ipſum tamen, quem inquirebat Chriſtum, nec ipſe nec quiſquam alius ex militibus, ſerviſq; Sacerdotum agnoverit. Simile quid jam pridem ante militibus Regis Syriæ uſu venerat, nam & hos, dum ad capiendum virum Dei Eliſæum properarent, cæcitate percuſſos ſacer textus commemorat. Quid quod Judas, ut Patres nonnuli exponunt, in ingreſſu in hortum, ut aliquem ſibi, quem non norat, obviam procedere animadvertit, ſtetit attonitus, immobilis, tremens, plenus timore, quales nocturno tempore, ſtare, tremere, timere ſolent, quos ſcelerum reos, propriæ damnat conſcientiæ teſtimonium.

§. 7. Alterum miraculũ, quod exa-

Itaque dum Judas & milites ſilent, dum præ timore nemo audet loqui, aperit ecce tibi benedictum os ſuum Chri-

nimati duobus verbis corruerint. Eadem vocula Ego ſum; piis erunt ſolatio, impiis terrori.

Chriſtus, & verbis ſuaviſſimis interrogat, *quem quæritis?* dicunt illi, *Jeſum Nazarenum*, quibus iterum mellea lingua reponit has geminas voculas, *Ego ſum.* Et en alterum miraculum. Enimverò hoc dicto territi, cumprimũ quaſi exanimati, imo veluti quodã fulmine proſtrati, alius ſuper aliũ retroſum, præ timore palpitantes in terram corruerunt. S. Hieronymus ait, ex oculis Chriſti, cùm dixit, *Ego ſum*, erupiſſe quoſdã radios, veluti fulgura, quæ totam cohortem cũ ſuis armis & laternis, momento in terram dejecerunt. S. Leo ſer. 2. de paſſ. *Quid poterit Majeſtas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda.* Hoc facit, cum balat, ut Agnus: quid faciet, cum rugiet ut Leo? Itane terruit vox hominis loquentis in anguſtiis mortis, quomodo terrebit vox loquentis irati Dei, & tremendi Judicis; in iride ſuæ Majeſtatis? Sed ad vos me converto Auditores, unicum eſt ſiquidẽ quod vos in hiſce duabus voculis, *Ego ſum*, animadvertere cupio, nimirum verba hæc gemina, ſummo vobis eſſe ſolatio, ſummo etiam eſſe poſſe terrori. Solatio bonis; terrori impiis. Matth. 14. v. 27. in navi maritimis expoſita procellis, fluctibuſq; jactantur Apoſtoli; erant conſternati timore omnium animi, at ecce, dum ſuper aquas ad illos accedit Jeſus, & ait, *Ego ſum*, ceſſit repente timor, remiſit cum periculo triſtitia, formido evanuit. Erit! erit hora, quâ vitæ noſtræ navicula in agone terribiles inter anguſtias mortis jactabitur; quàm tum bene futurum iis, quàm benè ſodalibus Congregationis Agoniæ; nam aderit JESUS & dicet, *Euge ſerve bonè! noli timere, ego ſum!* ipſe ego ſum adjutor tuus, Achates tuus, protector tuus; ego, qui animam pro te poſui, ego, qui meum pro te fudi pretioſum ſanguinem, age modo, quia ſervum te mihi fidelem præbuiſti, *intra in gaudium Domini tui.* Væ autem impiis! Væ! ſi, cum inter anguſtias mortis jactabuntur, ſi tum inquam, compareat Chriſtus & dicat, *Ego ſum*, quem tuis in ſceleribus, vitaque, quam vixiſti, nefariâ es perſecutus; *ego ſum*, cui tu illa, quæ meo in corpore conſpicaris, inflixiſti vulnera: *Ego ſum*, quem tua illa damnata libidine, meminiſtin' peccator, quo in loco, quo tempore, quando, cum quibus? in crucem egiſti impiè! Væ tibi peccator miſerande! quin etiam ſi tum ſimul ex oculis erumpant? & erumpent flammæ furoris? quid fiet? niſi ut terrore oppreſſus cum Juda & hoſtibus Chriſti cadas retrorſum, atque in præcipitium & æternæ damnationis abyſſum, ex qua nulla unquã redemptio eſt ſperanda, devolvaris.

§ 8. *Tertium miraculum, quod tandem illum agnoverint.*

Judas & milites ſupini jacuerunt in terra, quoad Chriſtus D. iterum ex illis quæſivit, *quem quæritis*, tum iterum erecti in pedes, nondum tamen, O cæcitatem! illum cognovere. Job 26. v. 34. *Videntes non viderunt*, hinc quem quærerent interrogati, iterum dixerunt, *Jeſum Nazarenum*: *qui reſpondit, Dixi vobis, quia Ego ſum; ſi me quæritis, ſinite hos abire, hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* Et ecce tertium miraculum; hic aperti ſunt oculi Judæ; proinde *confeſtim accedens ad JESUM dixit; Ave Rabbi*

& oſculatus eſt eum. Hæc ſunt verba S. Matthæi cap. 26. v. 43. Iisdem ferè verbis, oſculum Judæ refert S. Marcus c. 14. v. 45. & S. Lucas cap. 22. v. 47. ait, *Appropinquavit Jeſu, ut oſcularetur eum.* Nolo ego modò invehi in proditorium hoc oſculum, aliaque ſcelera infamis traditoris, neque in illos, qui & hodie ſimilibus oſculis Chriſtum vendunt, non pro triginta argenteis ſed momentanea aliqua voluptate; facio hoc per annum luculenter; plus me hac concione de Chriſto, quam de proditore loqui delectat.

PUNCTUM III.

De illis verbis Chriſti: Amice ad quid veniſti.

§. 9. *Iudam offerentem oſculum, Chriſtus D. ſuaviſſimè alloquitur, & ſic variis modis conatur Iudam expugnare.*

Dum benigniſſimus Salvator oſculum excepit, ſuaviſſima illum vocula compellat amicum, *Amice*! Mi Jeſu! verè mel & favus fuit ſub lingua tua; alius fuiſſet tonus noſtri idiomatis; aliis uſi fuiſſemus compellationibus; ſcelerate, perfide, avare, hypocrita, proditor, beſtia, diabole, Deicida, nec verbulum tale excidit ex ore Salvatoris, ſed ſuaviter ait *Amice*: quàm pius ac bonus fuit in hoc Salvator noſter erga ſuum proditorem! quàm ſolicitus adhuc, an obſtinatum illud pectus poſſet emollire: Dum in cœnaculo Apoſtolorum lavit pedes, ante omnes reliquos ſe abjecit ad pedes Judæ, neque aquis tantum eos abluit, ſed divinis inſuper & calidis lacrymis, quæ ex oculis Chriſti, vel in ſordidiſſimos Judæ pedes delapſæ ſunt, vel ſaltem in aquam, quâ Salvator noſter in lotione pedum fuit uſus: lacrymis adjunxit ſuaviſſimum oſculum, fortaſſis inter lavandum levavit oculos, iiſque benigniſſime in Judam defixis ad cor ejus, lingua cordis hunc in modum fuit locutus: Fili quid moliris? equidem novi tuas cogitationes, novi ſcelera, novi intentiones, revertere fili mi, revertere, agnoſce crimen, ego lubens condonabo. Sed ſurdus erat Judas, non cor tantùm, ſed aures quoque inſederat diabolus. Itaque Chriſtus Dn. convertitur ad minas Mat. 26. v. 21. *væ autem homini illi, unus veſtrum me traditurus eſt, melius ei eſſet, ſi natus non eſſet homo iſte.* An non hic tempus erat agnoſcendi ſcelus, procidendi ad pedes Chriſti, dicendi cum gemitu, Ah mi Jeſu! ego ſum, peccavi, ignoſce. Sed nec minæ quidquam profecerunt. Præter lacrymas, præter minas Salvator noſter adhibet nova beneficia: poſt inſtitutionem Venerabilis Sacramẽti illud Judæ quoq; porrexit. Patet ex textu; Joan. 13. v. 27. *Poſt buccellam intravit in eũ Sathanas*, & ex querela Chriſti D. apud S. Lucam: *Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa.* Fuſtrà. *Judas de Apoſtolatus faſtigio*, ait S. Hieron. epiſt. ad Ruſticum. *in proditionis barathrum labitur, nec familiaritate communi, nec in-*

intinctione, buccella nec obſequii gratia frangitur, ne hominē tradat, quē Filium DEI noverat. Judas non quievit, quoad Magiſtrum ſuum in præſentia cohortis perfido oſculo ſalutavit.

§. 10. *Quare oſculum Judæ vocetur ſanguineum.* De quo aliquid tantùm hic commemoro, quod in me mirum excitat motum iræ & indignationis contra Judam; Amoris verò & compaſſionis erga mitisſimum JESUM. Alia inter epitheta, quibus hoc oſculum deſcribitur, vocatur etiam ſanguineum: non ſolùm ideo, quod traditor per illud, velut teſſeram, innocentem ſanguinem tradiderit in manus hoſtium, ut ipſe poſtmodum profeſſus eſt Judas, ſed quia oſculum libavit genis, & juxta aliquos ipſi ori, ſaltem faciei Chriſti, quæ erat adhuc plena & madida ſudore ſanguineo, ita quidem ut Judas ſuum ſceleratum os, impias quoque genas, & parricidalem faciem, à guttulis, hærentis in facie CHRISTI ſanguinis, rubore & purpurâ cruentatam retraxerit. Hanc ſceleſtam faciem nefarii proditoris, ſic purpuratam à guttis ſanguinei ſudoris, ex oſculo faciei Salvatoris, cupio eſſe ſpeculum eorum, qui ſacrilegè vel exomologeſin ſacram, vel ad ſacroſancti corporis ſynaxin, accedunt; ut in illo intueantur, quali, quantoque ſe ſcelere contaminent; ut perſpiciant talem ipſorum Confeſſionem, Communionemque, aliud non eſſe, quam ſanguineum proditoris oſculum, qui quantum de ſe eſt, ſacratisſimum CHRISTI ſanguinem rurſum prodit, traditq; diabolo. Et verò ipſi etiam Salvatori noſtro, hoc oſculum Judæ tam fuit viſum admirandum, ut ille dixerit: *Juda, oſculo filium hominis tradis?* quaſi diceret; fierine poteſt, ut tam horrendum atque nunquam à memoria hominum auditum admittas facinus? O Juda! vide, vide, in quā ultro te calamitatem abjicias; Nihilominus ſaxeum fuit cor Judæ; non diſceſſit à nefario Magiſtri amplexu, priusquam inter furioſas militum manus innocentem Agnum vidit captivum.

PUNCTUM IV.
De ipſa Captivitate.

§. 11. *Deſcribitur modus, quo Chriſtus D. fuit captus.* Captivitatem ſic deſcribunt Evangeliſtæ; S. Matthæus ait cap. 26. v. 50. *Tunc acceſſerunt & manus injecerunt in Jeſum, & tenuerunt eum.* S. Lucas ait cap. 22. v. 46. *Comprehendentes eum duxerunt in urbem.* Sanct. Marcus cap. 14. verſ 46. *At illi manus injecerunt in eum.* S. Joannes cap. 18. v. 11. ait. *Cohors ergo & tribunus, & miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum.* Hæc eſt brevis deſcriptio captivitatis ex quatuor Evangeliſtis. Jam aliàs monui, me in meis concionibus de Paſſione non excurrere in figuras & varios diſcurſus; nudam hiſtoriam cum piis meditationibus & affectibus proponere conſuevi, quod & hic præſtare contendo. Equidem hoc triſtisſimum myſterium ita mihi ob ocu-

Digitized by Google

ob oculos ſtatuo: quemadmodum lupi vel leones irruunt in agnum! quemadmodum in captam prædam incurrunt moloſſi, quemadmodum accipitres involant in columbam; tali furia, tali impetu, tali ferocia milites & ſervi Judæorum Chriſtum Dominum invaſerunt: atque ut ante omnia ex præcepto Judæ ducerent illum cautè, varia injecerunt vincula, funes & catenas. Nonnemo robuſtior, injecto circa collum prægrandi fune, mitiſſimum agnum, qui jam amplius os non aperuit, in terram deturbavit; humi proſtrato, interim dum quidam manus ligarent, alii ligarunt brachia: alii truſerunt pedibus, alii fuſtibus & baculis, perticis alii: alii etiam pugnis, verberando, trudendo, trahendo, retrahendo, dolorem ſimul ac ignominiam inflixerunt. An non hæc fuit hora & poteſtas tenebrarum? Eheu! ſic Agnus DEI jacet, & conculcatur ſub pedibus impiorum! eheu! quot duros & inhumanos ictus, quot verbera, quot alapas, quot impetus, quot in capite plagas, in facie, in dorſo, in brachiis, in humeris, in tibiis, quot in toto demum corpore ictus excepit! an nõ hæc fuit hora & poteſtas tenebrarum in Filium DEI?

§. 12. Proſecutio, cum invectiva in illos qui hodie conjurant in Chriſtum.

Qui funem collo illigatum tenuit, illum immani vi, ferme ad ſuffocationem contorſit. Inhumana planè fuit ſævitia eorum, qui in capillos & ſanctiſſimam barbam, ſummâ cum furiâ, & atroci contumeliâ involarunt, qui unguibus pulcerrimam ejus faciem lacerarunt: O horam & poteſtatem tenebrarum! O mi JESU! O cœleſtis Samſon! verè, verè Philiſtiim ſuper te, Judicum 16. v. 14. leones rugientes ſuper te! tauri pingues ſuper te! tigrides ſuper te! O mi Salvator, *Conjuratio, conjuratio!* lib. 4. Reg. cap. 11. v. 14. illa inquam conjuratio, quam ſceleſta jam pridẽ concepit Synagoga; quam Judas in lucem edidit, quam modo nefanda militum, Judæorumque cohors perficere allaborat: Condoleo ex intimo corde Salvatori meo; & eò quidem amplius, quo plures quotidie, atque haud ſcio, an atrociores etiam contra JESUM meum ſubornentur conjurationes. O ſuperbi! lethalis ſuperbia eſt conjuratio contra DEUM, & humillimum JESUM; O avari! vos contra eundem novi eſtis lupi, & lupi rapaces, qui Chriſto in pauperibus non parcitis: ô Veneris alumni, ô iracundi & invidi! conjuratio, conjuratio, vos rabidi eſtis canes, vos leones, qui in Jeſum meum rurſum inſurgitis, involatis, irruitis. O gulæ mancipia, vos pingues tauri, contra DEI filium exiſtitis.

§. 13. Qua barbarie ductus & tractus fuerit in urbe. Pia ſuſpiria ad ſanguinem Chriſti.

Age nunc, quid porro machinantur ſceleſti? Bene, fortiterque ligatum ex horto verſus urbem educunt: quis vel voce, vel calamo aſſequi poterit, crudelem atque inauditam illam barbaram crudelitatem, quam in aſperrima via erga Chriſtum D. exercuerunt? In nocte & hora tenebrarum, quibuslibet audendi quidvis contra Chriſtum videtur conceſſa poteſtas. Non ducitur; trahitur potius

Digitized by Google

potius mitiſſimus Agnus: ab aliquibus funibus raptus; ab aliis in veſtibus apprehenſus, ab aliis in brachiis jactatus; ab aliis vellicatus capillis. Funem alius in dexteram trahit; mox alius in ſiniſtram; trahente uno antrorſum, in adverſam alii partem nituntur, accedentibus variis verberibus, impulſibus, contumeliis, uſque adeo, ut neceſſum fuerit Chriſtum Dn. ſæpius prolabi in terram jam pronum in ſanctiſſimam faciem & pectus, jam ſupinum in dorſum; mox in aliquod latus, cum gravisſimâ alliſione brachiorum & cubitorum, ad petras & ſaxa. Videritis fortasſis picturam, quæ nobis repræſentat quomodo illum funibus traxerint per torrentem Cedron: quâ ratione temerarii aliqui nebulones, pulveres & lapillos projecerint in faciem Chriſti, quo pacto alii ejus pedibus implicaverint baculos & fuſtes, ad quos, ſicut etiam ad petras allidendo tibias, ita eas ſauciaverunt, ut divinus ſanguis de cruentis tibiis, accedentibus guttis ſanguinei ſudoris, quæ adhuc ſub veſtibus de ſuperiori parte corporis ſtillabant, copioſe & cum immani, qualis tibiarum eſſe ſolet, dolore in terram defluxerit. Quid ad hæc dicimus? quid cogitamus Auditores? ego quidem de me fateor, ingenuè, ſummam mihi conſolationis ſegetem ex eo ſubnaſci, quod per Dei gratiam crebro in ejusmodi audeam, gaudeamque ſuſpiria erumpere: Mi JESU! per ſanguineum ſudorem tuum, propitius eſto mihi peccatori. Dilecte cordis mei, per ſanguinem, quem fudiſti in ſpinea coronatione, ſalvum me fac. Frequentisſime ingemiſco, per ſanguinem Crucis & quinque ſanctisſimorum Vulnerum, ne projicias me æternum à facie tuâ. Sed hoc quoque fateor; hactenus hujus cruoris, qui in aſperrimo itinere captivitatis de ſauciis Chriſti defluxit tibiis, & benedictis illius pedibus, quibus ſubinde vel in ſpinas, vel acutos lapillos impegêre, non ita fui memor, ſed dixi: Nunc cœpi, ita mihi animo fixũ eſt: hoc etiamnum veſpere incipiam, atque allaborabo, ut frequentisſimè cum gratiarum actione, cum tenerrimâ compasſione, cum intimo dolore, gratam animo foveam memoriam dolorum, quos meus Salvator in ſua captivitate ſuſtinuit, & præſertim illius ſanguinis, qui ex ſauciatis ejus tibiis in terram profluxit.

§. 14. *Apoſtrophe ad impios cũ obteſtatione per ſanguinẽ Chriſti.*

Verùm & hoc mihi occurrit: Decurſu anni frequenter per ſanguinem Chriſti, per varias ejus effuſiones, rogare ſoleo atque obteſtari, impios, ut pœnitentiam agant, ut convertantur, ut doleant ſe DEUM offendiſſe, ſe hactenus fuiſſe tam ingratos Pasſioni Chriſti: Suntne inter vos, apud quos fortasſis nihil profeci his obteſtationibus? audi quisquis hic verſaris in ſtatu peccati mortalis; audi, & hoc ſaltem veſpere, miſerere Chriſti tui; Chriſti inter manus lictorum, in vincu-

Digitized by Google

vinculis atque catenis tam atrocia patientis; per illa vincula, per catenas, injurias & dolores Chriſto in tam acerba via illatos, per illum ſanguinẽ, quem jam oculis tuis propoſui, hoc veſpere ingredere cubiculum cordis tui, claude oſtium, & ſolus conſidera, quis, quænam, à quibus, pro te, pro tua anima, patiatur: agnoſce tua ſcelera fuiſſe & eſſe cauſam talium dolorum, & tigris es, leo es, ſaxum es, ſi non movearis, ut doleas, ut gemas, ut clames, ut bonus JESUS tui misereatur. O ſi mea concio hoc veſpere, tam ſit felix & fortis, ut, illis vinculis & catenis, quibus meus Salvator fuit conſtrictus, vel unicum peccatorem! ah! unam oviculam perditam, ex rictu infernalis lupi, ex faucibus rugientis leonis, ex abyſſo ſcelerum, ex ſtatu peccati mortalis, ex profundo limi, ex periculo æternæ damnationis, eruam, atq; ad Chriſtum meum, ad vitam ſanctam, ad pœnitentiam, ad cœlum deducam: Verùm etiam ad pios meos Auditores, ſe extendit votum meum, & piiſſimum deſiderium, cui occaſionem præbent Sancti Patres, qui Filium DEI, ligatum vinculis, vocant *Captivum Amoris:* O ligate Amor! O captive Salvator! ſat longi ſunt funes tui, ſatis fortes; ecce noſtras manus, ecce brachia, ecce corda! liga nos, conſtringe nos, coarcta nos, tam fortiter, tam arctè, tam indiſſolubiliter, ut omnes hoc veſpere ſimus tecum captivi Amoris. O dulces funes. O aurea vincula, quibus cum Chriſto conſtringimur. His vinculis ligatus S. Paul⁹, auſus fuit dicere. *Quis non ſeparabit à caritate Chriſti*, &c. (poteſt hic fieri ſuavis affectus.)

PUNCTUM V.

Adducitur ad Annam, & ab eo examinatur.

§. 15. *Adducitur ad Annam & ab eodem examinatur.*

Poſt medium noctis tandem ad portas urbis perventum eſt; & admirabili DEI providentia, per illam inductus fuit portam, Salvator, per quam ante dies quinque tanto fuerat triumpho, tanto applaudentium comitatu, pompaque invectus, ingens ubiq; gaudiũ, plauſus & clamor exoritur, qualis eſſe ſolet inter milites, qui divitem in urbem prædam pertrahunt: *Et*, ait textus, *adduxerũt eum ad Annam primùm*, de quo S. Cyrillus ait, quod ipſe Judæ numerarit triginta argenteos, & primus fuerit, qui apud Principes ſacerdotum fecit mentionem, vel conſilium de Chriſto occidendo ſuggesſit: Vipera, plena odio & rabie contra Chriſtum: cogitate, quo jubilo vident illum ſub ſcemate, ſtantem hoc ante ſuos oculos, in vinculis, & oneratum catenis: Hic itaque primus *interrogavit IESVM*, & primo quidem loco de diſcipulis ſuis. Sed heus! Quis? quem interrogat! diſcipulus, & impius Magiſtrum ſanctiſſimum:

Servus

Digitized by Google

...vus Dominum, Reus Judicem, Creatorem creatura: homo Deum: Annas, Jeſum: Quis, quem interrogat? Ignorantia, ſcientiam: ſtultitia, ſapientiam: Vanitas, Veritatem: Vox hominis ſceleſtiſſimi Verbum Patris: O ſceleſte: O ſi ſcies, quis eſſet, quem interrogas, non ſederes in ſolio, turgidus faſtu, ſed inclinares te uſque ad ſolum, coram illo, in cujus nomine flectitur omne genu, cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Impie: tune audes interrogare, qui, *ſi interroget te*, Job. 9. v. 3. *non poteris ei reſpondere, unum pro mille.* ſi ipſe, hoc momento repente interrogaret te, quid reſpondebis ei? Interrogabit tamen aliquando, & obmuteſces, quando, ligatis manibus & pedibus, in tenebras exteriores præcipitaberis. Quid interrogavit Annas? primo loco, de diſcipulis ſuis v. g. cur, quave poteſtate eos congregaſſet? cur piſcatores? non legis peritos? cur idiotas, non doctos? ubinam eſſent? cur ab iis deſertus? & ſimilia. Quia Chriſtus Dn. in laudem diſcipulorum nihil proferre voluit, ne minus honorificè de illis loqueretur, ſiluit. Hic mihi liceat, verbum in aurem vobis dicere, Auditores, verbum breve ſed aureum, quod à noſtro diſcimus Salvatore, nimirum, ut cum de proximis noſtris, aut inimicis etiam, honorificè & in eorum laudem loqui, vel non poſſumus, vel nolumus, ſileamus, illorumque defectus ac vitia; heroico & inprimis laudabili ſilentio involamus.

§. 16. *Reſponſu Chriſti D.* Silente Chriſto Domino, applaudentibus qui aſtabant famulis, animoſior Annas, alteram illi quæſtionem enodandam propoſuit, & quidem *de ejus doctrina*, qualis eſſet? unde illam, & à quibus Magiſtris, ipſe filius fabri, doctrinam peregrinam, novam, contrariam legi Moyſis & Prophetarum, hauſiſſet? *ad quæſtionem de doctrina.* Qui ad primam quæſtionem ſiluit, ad ſecundam paucis, ſed gravibus hiſce verbis reſpondit Joan. 18. v. 20. *Ego palam locutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus ſum nihil, quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus ſum ipſis. Ecce hi ſciunt, quid dixerim ego.* Quid hoc? vinctus, captivus, in vinculis, in catenis, coram hoc tribunali, coram hoc judice, coram Anna, tam loquitur liberè? tam clarè? ſine timore? quale pondus in verbis? qualis majeſtas in facie, quæ confidentia in ore? ſecurus ſcilicet, & intrepidus eſt, dum de ſua loquitur doctrina, quæ firma eſt, ſolida, certa, cœleſtis, divina. Omnes ſuos Auditores vult eſſe cenſores, quaſi diceret: quædam præcepi, quædam conſului, multa in Templo, multa in Synagoga, multa in ædibus, in campis, in montibus, in viis, in mari: audierunt me dicentem quàm plurimi, ex his circumſtantibus, imò ex his, qui me conſtrictum vinculis tenent. Quamobrem, ſi tu Anna, me non audiviſti, ex his, quid locutus ſim, percontare: quis eſt, qui me arguat erroris? illos, quos ſanavi, infirmos, illos, quibus viſum reſtitui, cæcos, ſurdos, claudos, mortuos; quos ad vitam excitavi; mihi ut teſtimonium per-

Digitized by Google

perhibeant, non ſolicito: à vobis, à meis hoſtibus, audire volo, atque intelligere, ſi me cujusdam poſſint falſitatis convincere. Palam ſemper locutus ſum: nec qui fundamenta doctrinæ meæ evertat, quenquam ex omnibus ac ſingulis pertimeſco. *Veritas ſum*, Joan. 14. v. 6. veritatem docui. Hæc breviter coram Anna ſummo Pontifice anni ſuperioris Salvator mundi: Sed nec Annas, nec quiſquam alius ex aſtantium numero, vel verbulum tali divino reſponſo auſus fuit opponere.

PUNCTUM. VI.

Coram Anna infligitur illi alapa.

§. 17. *Infligitur illi alapa, cujus circumſtantiæ ponderantur.* Reſponſi loco ſucceſſit horribilis alapa, à ſervo Pontificis, in faciem JESU tantâ vehementiâ inflicta, ut in totâ aulâ triſtis ejus echo reſonuerit. S. Joannes cap. 18. v. 22. factum ſic refert: *Unus aſſiſtens miniſtrorum, dedit alapam JESU dicens: ſic reſpondes Pontifici?* Chriſtus D. ſicut in ſilentio ad primam quæſtionem, ſummam oſtendit manſuetudinem, in reſponſo verò ad alteram, ſummam ſapientiam; ſic in ſufferendâ hâc alapa, infinitam demonſtravit patientiam. Et certè ignominioſa & planè pœnoſa fuit hæc alapa. Nam 1. fuit impacta ab irato ſatellite, à furibundo homine, à ſervo, ardente deſiderio placendi ſuo hero: tamen, ô virtutis divinæ præſtantiam! Chriſtus D. patientiſſimè tulit. 2. Impacta fuit manu ferreâ, ſive armata, ferrea chirotheca, ita ut veſtigium alapæ, in ſpecioſiſſimo illo vultu impreſſum remanſerit. Pſ. 13. v. 4. *gravata eſt ſuper me manus tua.* Qui ſudarium S. Veronicæ curioſi inſpexerunt, apparere adhuc in illo, illud veſtigium, teſtantur. Mitiſſimus Agnus gravatam manum, tulit invicta patientia! 3. Tantâ vi fuit incuſſa, ut faciem Chriſti ad Annam converſam, in alteram intorſerit partem; ut, teſte S. Vincentio Ferrerio, in terram illum proſtraverit. Job 15. v 25. *tetendit*, impius, *adverſus Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt.* Chriſtus D. patientiſſime tulit. 4. Ex ruptis proinde genis & ex concuſſis dentibus, erupit copioſus ſanguis; quo ferrea chirotheca, & manus ſceleſti ſatellitis fuit reſperſa: hinc ingens dolor in facie CHRISTI, præter ingentem confuſionem, & riſum aſſiſtentium, inde exortum. Ignominiam auget 5. hæc circumſtantia; quod fuerit illata à ſordido terræ filio, ab abjectiſſimo mancipio, fœtido Judæo, homine ſceleſtiſſimo, in Perſonam ſanctiſſimam, in Salvatorem mundi, in Filium DEI; Acceſſit denique 6. Acris ſervi impudentis increpatio, *ſic reſpondes Pontifici?* q. d. *Sic?* tanta fiducia? illa

Digitized by Google

illa libertate? Sic? tu captive, ut ſeductor populi: jam vinctus? in catenis? *Sic?* non habito reſpectu ad perſonam cui loqueris? ſic reſpondes Pontifici, tu impoſtor, tu fabri filius? Principi Synagogæ, Capiti ſacræ curiæ? tuo Judici? Omnes has ignominias Chriſtus mitiſſimus Agnus divina patientia tulit.

§. 18. *Accuſatur ſceleſtus nebulo, qui alapam inflixit, & varie proferuntur ſententiæ.*

Sed quomodo? Filio DEI inflicta fuit hæc alapa, & cœlum non exhorruit? terra non tremuit? æther non immugiit? Manus ſervi impudentis, Regi, Domino, DEO inflixit alapam, & momento non exaruit? & gehennalis ignis ex barathro, non invaſit hominem ſceleſtiſſimum? Agite Auditores, vos ego hic Judices appello; hunc ſervum veſtro ſiſto tribunali, & accuſo; hic eſt ille, qui auſus fuit Filio DEI, in conſpectu plurimorum, impingere colaphum: dicite, quænam tormenta ſit meritus: ferte ſententiam; an non ſit reus mortis. Ni fallor, aliqui dicent, Core, Dathan & Abyron Numer. 16. v. 32. murmuraverunt contra Moyſen, & terræ hiatus inter flammas vivos deglutivit, deglutiat potius hunc nebulonem. Dicent alii 4. R. 2. v. 24. Pueros qui irriſerunt Eliſæum, devorarunt urſi; veniat, emergat, adſit aliquis ex inferni cavea urſus, qui hoc monſtrum devoret. Alii dicent Geneſ. 19. v. 24. ſuper Sodomitas cœlum pluit ignibus: pluite flammæ, de cœlo cadite ignes, erumpite fulgura fulminaque, ut condignis in ſceleſtum hoc caput ſuppliciis animadvertatis: hæc ferme fuit ſententia Sancti Auguſtini, de alapa Chriſto coram Anna inflicta, cum ait: *Si cogitemus quis alapam acceperit, nonne vellemus eum, qui percuſſit, aut cœleſti igne conſumi: aut terra dehiſcente abſorberi, aut correptum, dæmonio volutari. Quid autem: horum per potentiam jubere non potuiſſet, per quem factus eſt mundus, niſi patientiam nos voluiſſet docere.*

§. 19. *Proſecutio, cum Apoſtrophe ad D. Iuſtitiam.*

Fortaſſis alius, qui gravitatem injuriæ, per hanc alapam illatæ perpendit, ſimilibus verbis languentem excitabit Juſtitiam: hæc ſpectas, O æqua ſcelerum vindex, & inulta ſpectas? & non educis è vagina romphæam bis acutam? & non intendis arcum, ut è flammeis nubium globis ignitas jaculeris ſagittas, in improbum caput? in ſceleſtam manum? ubi tua fulmina & tonitura, O Divina Nemeſis! ubi ſulphureæ pluviæ? ubi grando? an non Deuteronomii 32. cap. v. 40. aliquando è fulguranti cœlo fulminatrix vox intonuit: *Levabo ad cœlum manum meam, & dicam, vivo ego in æternum: ſi acuero, ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, reddam retributionē hoſtibus meis.* O cœlum? ecce impius levat manum ſuam contra faciem DEI; & ubi manus tua? ubi fulgur? ubi ille gladius? ubi judicium? ubi retributio? deſcendat vivus in infernum, ut gravitatem culpæ, ex magnitudine pœnæ intelligat.

§. 20. *Invectiva in illos*

Paulò mitius mei Auditores, aliqui in ſe ipſos ferant terribilem ſententiam: nunquid & ex vobis, non pauci manus veſtras innocenti

 Chri-

Digitized by Google

qui Chriſto D. alapas infligunt.

Chriſti Sanguine cruentatas elevaſtis? ah! pudet extremi meminiſſe furoris! tum nimirum, tum & vos crudeles Chriſto colaphos inflixiſtis, tum alapis benedictam ipſius faciem præſcidiſtis, cũ temerè atq; audacter, perinde, acſi cæcum eſſet Numen, an oculi ejus pannis velati, in quæcunque flagitia præcipites ruiſtis. Vos, vos inquam, avari, vos uſurarii, vos pauperum, viduarumque oppreſſoret, ah quoties vos, in mitiſſimum Jeſum, perduelles veſtras dexteras erexiſtis! quoties eum alapis, colaphiſque cæcidiſtis? quid multa? ipſa vos membra veſtra condemnant: inſpicite manus veſtras, an non plenæ ſunt ſanguine pauperum: viduarum ac pupillorum? hos defraudare, hos depilare, his non ſuccurrere, aliquam illis inferre injuriam, eſt colaphizare Jeſum, eſt, ipſum Dei Filium alapis onerare. Quid de vobis nunc dicam, Veneris Amaſii? vos impura laſciviæ ſoboles, vos ventris carniſque mancipia, veſtra opera, ſtudia, facta, verba, imò ipſæ veſtræ cogitationes, nil ſunt aliud, quàm incuſſæ Agno innocenti alapæ. Ite nunc, & accuſate, cum ira, atque indignatione hunc furoris miniſtrũ, hunc diaboli ſatellitem, qui hodie alapam Chriſto inflixit; nimirum, voſmet accuſatis ipſi, voſmet vos declaratis, immanis hujus ſceleris reos, & idem ipſe aliquando in die judicii vos longe acrius accuſabit.

§. 21. Exemplo Chriſti D. hoc veſpere non ju-

Noſtrum proinde non eſt, judicare hunc ſervum: Solus Jeſus, qui alapam accepit, Judex eſſe poteſt: *Pater omne judicium dedit Filio.* Dicitaque mi Jeſu, quid meritus eſt, ſacrilegus hic miniſter? O bonitatem Salvatoris! hoc die neminem judicat, vel condemnat; dies paſſionis ſunt dies veniæ & gratiæ, itaque nec ego vos hodie condemnabo peccatores, ſed ſi veniam vultis, offero, ſi miſericordiam ſuſpiratis, ad eam vos deduco: Hæc enim Juſtitiæ, & immitioribus accuſatoribus atque judicibus reponit verba Salvatoris Lucæ 9. cap. v. 55. *Neſcitis cujus Spiritus ſitis? Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Ulciſci ſe poteſt, ſed non facit, ut doctrinam ſuam, quæ imperat, reddendum pro malo bonum, quæ manſuetudinem commendat, quæ plena eſt ſpiritu humilitatis ac patientiæ, ipſo opere confirmet; ut quamcunque à quocunque illatam injuriam æquo diſcamus animo tolerare. Scio, hanc doctrinam explodi ab hoc mundo, qui ait dentem pro dente, alapam pro alapa, vulnus pro vulnere, imò mortem. Sed hic locum habet illud S. Bernardi ſerm. de Nativitate. *Vel mundus errat, vel Chriſtus.* Hoc ſine blaſphemia dici non poteſt: Si ergo es diſcipulus Chriſti, ſi ſcholam ſanctæ crucis frequentas, diſce æquo animo ferre injurias. Chriſtus Dominus pro te patienter tulit alapam, tu pro amore illius modicam injuriam ſuſtinere dubitabis?

dicantis differtur ſententia, offertur venia Ioan. 5. 22.

§. 21. Reſponſio Chriſti, accepta alapa.

Accepta alapa Chriſtus D. non planè ſiluit, ait enim; *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem bene, quid me cadis?* Jones 18. verſu 23. Sancti Patres piè & curioſè percontantur, cur Chriſtus Dominus locutus fuerit cum

hoc

hoc percuſſore, & non cum illis, qui in illum vel flagellis ſævierunt, vel ſpineo diademate coronarunt, vel in lignum crucis ſuffixere. Antequam reſpondeam, ſuppono veriſſimam eſſe illam apud Hiſpanos paſſim receptam maximam; alapam, præſertim viro honorato & nobili inflictam, pro maxima injuria & ignominia reputari: Quo ſuppoſito facilè concluſerim, ab hoc nebulone majore affectum contumeliâ Salvatorē, quàm à flagellantibus aut crucifigentibus. Ideo Jeremias ait Threnorum cap. 3. v. 20. *dabit ſe percutienti maxillam, & ſaturabitur opprobriis.* Nunc itaque quæſtioni reſpondeo cum S. Laurentio Juſtiniano; Verba illa Chriſti Domini: *Quid me cædis? fuiſſe vocem reprehendentis, quæ in delinquentis conſcientiâ clamavit*, id eſt, Chriſtus D. ſuaviſſimis his verbis, ut ante Judam conatus fuit convertere ad pœnitentiam, offerendo illi veniam: & addit citatus Auctor: *De nullius itaque ſalute, quantumvis graviter ſit delinquens, diffidendum eſt, uſque ad vitæ terminum.*

§. 23. *Proponitur peccatori hæc quæſtio, cur cædat Jeſum.* Sed permitte mihi peccator, quiſquis es, ut & ego hanc tibi quæſtionem proponam: ediſſere enim, quid eſt, quod tu iterum piiſſimo JESU alapas duriſſimas infligere non dubitas? miraris? ego verò rem habeo compertiſſimam: quid enim aliud eſt peccatum mortale, quid aliud tua illa effrænis libido, tuum illud in proximos odium, tuus ille luxus ac ſuperbia, &c. niſi alapæ, ô ſcelus! ſed moderatius tecum agam, ſuavius tibi colloquar; dic peccator, cur cædis Chriſtum? cur tuum colaphizas Salvatorem? exprome, ſi quam habes tui defendendi rationem. Quid te movet? an quia, cum non fuiſti, creavit te? An quia, cùm ſis, ne eſſe deſinas, ipſe facit? an fortè, quia toties te recepit in gratiam, quia tam bonus eſt? an ob caritatem quâ dilexit te, & diligit? tu rurſum cædis? an ideo, quia facies ejus eſt pulchra, tam gratioſa, tam ſpecioſa & amabilis, tu alapis cædis? vide ſis, quid agas. Dic, quem cædis? nunquid Jeſum tuum? id eſt, tuum Salvatorem, tuum coram irato Patre Advocatum, tuum in periculis Protectorem: in neceſſitate Amicum: in ſolitudine ſocium, in mœrore Conſolatorem: huic tu alapas, huic contumelias? injurias? verbera? hunc tu cædis? & id hactenus feciſſe non pudet? non doles? Ah! vide obſecro, quem & qua de cauſa cædas, tuum ſolicitudine fratrem, amore Patrem, dilectione Matrem, fidelitate ſponſum! huic tu alapas! Perſona illius eſt majeſtatis infinitæ, debetur illi omnis honor, tu cædis? Juſtitia illius eſt infinita; debetur illi omnis timor, tu cædis? Immenſa eſt illi⁹ bonitas, debetur illi omnis amor, cur tu cædis? cur tu alapas infligis? Adverto, leniores iſtæ quæſtiunculæ tangunt cor tuum, pectus penitus emolliūt; perge, agnoſce ſcelus, dole, ingemiſce, ſuſpira, dic, *Manſuetiſſime Jeſu, propitius eſto mihi peccatori.* Redeo ad hiſtoriam Paſſionis.

§. 24. *Rogantur filiæ Sion, ut antequam* Juſſit Annas adduci Chriſtum ad Caipham, ubi conciliū majus Judæorum congregatum erat; video, audio, fortius conſtringuntur catenæ, ar-

Digitized by Google

Ieſus rapiatur ad Caipham, abſtergat genas Chriſti, ex alapa cruentas ſanguine. ctantur vincula, rapitur ad ædes Pontificis, novo clamore, renovatâ barbarie: confeſtim ſequar Jeſum meũ, habeo prius verbum, quo vos compellem Filiæ Sion: amabo vos, prius, antequam ex hac aula abducatur ſponſus veſter, in abſentia Matris & Magdalenæ pium aliquod opus caritatis Chriſto exhibete. Videtis ut ex ore benedicto ob concuſſos dentes roſeus emanet liquor! aſpicitis? mellea illa lingua diffluit cruore! ſpectatis? non jam roſæ ſunt in genis, ſed purpura ſanguinis; ſed ſputa, ſed phlegmata Judæorum: non ſurgunt argentea lilia, ſed ſimilis coloris lacrymæ deſcendunt. Nec lacrymas, nec ſputa, nec ſanguinem ipſe detergere poteſt, ligata ſunt brachia, conſtrictæ manus! ah filiæ! cum exieritis & huc veneritis ad piè audiendam Paſſionem, ubi nitida ſunt ſtrophiola? ubi candidæ faſciæ? accedite, abſtergite hunc ſanguinem à facie JESU! niveum ſtrophiolum eſt cor mundum & pium! abſtergite ſputa; pulchrum ſtrophiolum eſt cor contritum. Abſtergite lacrymas! fragrabunt illæ in cordibus veſtris ſuavius, quàm balſamum & violæ. Sanguineas inflictæ alapæ notas abſtergit quisquis Chriſtum amat; quiſquis illi tenerrimo quodam affectu compatitur. Sputa abſtergit, qui ſua ſcelera deteſtatur, & execratur. Abſtergit lacrymas, qui lachrymas vel compaſſionis, vel doloris, vel amoris indices effundere non dubitat. Modo ſequamur Jeſum ad domum Caiphæ.

PUNCTUM VII.

Coram Caipha accuſatur à falſis teſtibus.

§. 25.

Accuſatur coram Caipha. Circa horam à nocte primam, juxta noſtrum connumerandi horas computum, ex domo Annæ inter tumultus, vociferationemq; inſanam, raptus fuit ad domum Caiphæ Agnus noſter mitisſimus: huc enim, in domum peſtilentiæ, interim dum Chriſtus D. in domo Annæ verſatur, receperat ſe concilium majus ſeptuaginta duorum Scribarum & Phariſæorum: id, quod myſterium S. Matthæus c. 26. v. 57. D. Marcus c. 14. v. 44. in hunc modum deſcribunt: *Tunc tenentes Jeſum duxerunt ad Caipham, &c.* coram quo Chriſtus D. 1. falsò accuſatus, 2. Iniquè judicatus. 3. Cõdemnatus ſacrilegè. Atroces conjurationes in Principum & Regum capita, cuduntur ut plurimùm in ſecretis conventiculis, & nocturno potisſimum tempore: multi ad lucernam, lampademve ſubſcripſere proditionibus, quod in conſpectu ſolis, nunquam facere attentâſſent. Sæpe vincula injecta ſunt Regibus, ſtrangulati, confoſſi, perempti ſunt, ſed plerumque nocturno tempore, & faventibus tenebris, nimirum hoc ſibi tempus eligit crudelitas, in hanc intenta eſt opportunitatem tyrannis, ut funeſtas & atroces lædat tragœdias. Idem contigit hâc nocte, in qua ſubſcri-

Digitized by Google

ſubſcripſere plurimi, iniquisſimæ ſententiæ, crudelisſimæ mortis in caput Regis Regum. O tragœdiam! Filio Dei injecta ſunt vincula, veluti latro raptus eſt per plateas Jeroſolymæ, ad palatia Pontificum; Filio Altisſimi coram Anna, in conſpectu plurimorum à nefario ſatellite, loricatâ manu, inflicta eſt alapa, & ea quidem tam gravis atque palmaris, ut quemadmodum audivimus, in terram cœli Dominum proſtraverit: Fuerunt hæc initia tragœdiæ, funeſtisſimæque hujus noctis; ſequitur tragœdiæ pars, in qua coram pleno Judæorum concilio, Rex Regum condemnatus eſt ad mortem. Peractum eſt hoc judicium, ut dixi, in domo Caiphæ, ſummi Sacerdotis: hic ſedet in cathedra peſtilentiæ, utrimque ſeptuaginta duo, Seniores, Scribæ & Phariſæi; totidem rabidi canes, leones, tauri, tigrides, aſpides, quos omnes ira, odium, invidia, ſitis innocentis ſanguinis invaſerat: omnium vox fuit, ex c. 2. v. 10. Sapientiæ; *Venite, opprimamus pauperem juſtum:* de univerſis ait textus Paſſionis: *Principes Sacerdotū, & omne conciliū, quærebant falſum teſtimonium contra JESUM, ut eū morti traderent, & non invenerunt.* Benignisſimus Agnus ſtabat in medio coram ſumo Sacerdote, ſtabat in manibus militum, ſtabat vinculis arctisſimè ligatus, ita ut è digitis, ſub unguibus erumperet ſanguis; ſtabat vultu gravi, ſed jam ſputis pleno; ſtabat, facie ad majeſtatē quandam regiam cōpoſitâ, licet jam alapis & ſanguine eſſet deformata. Alius illi comes, vel Advocatus corā tot iniquisſimis judicibus & teſtibus, non aſtitit, quā Innocentia. De morte illi inferenda non dubitabant, ſed ſoliciti erant, ut cauſas invenirent, quibus iniquitatē, veluti larvâ juſtitiæ & ſanctitatis contegerent. O impii! jam captus, jam conſtrictus eſt vinculis, certa eſt ſententia, ut qualiscunque demum ſit Chriſtus, tollatur è medio, & jam quæritis teſtes, qui vos bene feciſſe pronuntient? impiè, perversè agitis; ſancti judicii ordinem pervetitis! Cauſas tamen mortis, quas invenerūt, ego ex libro Sapientiæ, in hunc f[illegible] modum recenſeo.

Prima fuit. *Inutilis eſt nobis:* quaſi dicerent; arbor mala exſcindenda eſt, & in ignem mittenda: hoc ex ore ejus audivim⁹, hic reus, hic vorax, hic potator vini, hic amicus publicanorum, hic ſeductor populi, hic qui in Belzebub ejicit dæmonia, non tantum inutilis eſt reipublicæ, ſed & noxius; itaque moriatur. Quid ad hæc mi Jeſu! ut video conticeſcis! ſed argumētum hoc facillimè tua refutat innocentia: dicere enim poteſt, Impii! quid utilius ſole? hic ſol eſt. An ille inutilis, qui veſtros ſanavit infirmos, qui cæcis viſum, qui ambulandi facultatem claudis, qui linguæ uſum mutis, qui ſurdis auditum, qui aliis alia, tum corporis, tum animi bona reſtituit; dicite, quid in hoc homine, in Chriſto inutile? an verbum, cui obedierunt venti, paruerunt maria, ſubſtrati ſunt dæmones, mortui obſecundarunt. An digiti? at, qui in aures ſurdi immisſi reddiderunt illi auditum? An contactus carnis? §. 26. *Cauſa, ob quam Concilium Judæorum judicavit Chriſtum dignum eſſe morte.*

nis? mundavit leproſos. An veſtis? ſolus attactus ſanavit fluxum ſanguinis. An ſaliva? viſum reſtituit cæcis. An ſanguis? illo abluuntur peccata mundi. Non moriatur ergò, ſed vivat Jeſus, omnibus utiliſſimus. Alterum accuſationis caput fuit: tantum eſt reipublicæ bonum, ſubditos inter & Magiſtratum, pax atque unio, ut quiſquis illud, non dicam tollere, ſed vel minimum perturbare auſit, jam hoc ipſo ſemet mortis reum conſtituat: hic fecit, hic populum à Galilæa uſque in Judæam duxit, hic negavit tributa eſſe danda Cæſari, & quid dubitamus? reus eſt mortis: tacet JESUS, reſpondet Innocentia; duplex eſt pax; mundi hujus & peccatorum cum Sathana; hujus eſt perturbator; ſed hoc laudem non vituperium, non odium, ſed amorem, non pœnam ſed præmium promeretur. Pacem ſanctam, inter DEUM & homines, inter cœlum & terram, quod attinet, hic JESUS illius eſt auctor, Princeps pacis. Vivat itaque, non moriatur. Jam verò tertiam alius ſuggerit rationem; Improperat nobis peccata legis, & multis in rebus famæ noſtræ notam inuſſit, fuit ſiquidē auſus dicere; Joan. 7. 19. *Nemo ex vobis facit legem*; *Væ vobis ſcribæ, &c. gravis proinde eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius; abſtinet ſe à viis noſtris, tanquam ab immunditiis.* Nunquid contumelioſus hic homo in nos auſus eſt jactare, *Generatio mala & adultera, vos ex patre diabolo eſtis.* Joannis 8. 44. An non talē jūre, meritoq; internecione delebimus? Tacet JESUS: at iterum reſpondet pro ipſo Innocentia: ſic eſt, iniquiſſimi judices, diſſimilis eſt vita illius, vitæ veſtræ: Veſtra eſt impia, nefaria, ſcelerata, plena ſceleribus, fraudibus, contumeliis, abominabilis: Vita ipſius eſt ſancta, innocens, immaculata. Sic illa: Verùm falſi teſtes qui rem ſe conficere poſſe arbitrabantur, tandem dixerunt, Blaſphemi, ſi qua legibus noſtris eſt auctoritas, in vivis tolerari non debent; auſus autem eſt blaſphemus hic homo dicere, ſe eſſe Filium DEI: gloriatur ſe Patrem habere DEUM, jactat ſe Meſſiam: & dubitamus eſſe reum mortis? Tacuit iterum JESUS: Innocentia reſpondit verbo; eſt Filius DEI, prout mox ipſe teſtabitur palam; itaque non eſt blaſphemus. Vivat Jeſus!

Hæc ratio viſa fuit Summo Pontifici, habere aliquod pondus, præ aliis, quibus Veritas manifeſtè refragabatur: Surgens ergo ait: *Adjuro te per DEUM vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius DEI.* Hæc eſt illa quæſtio de qua Salomō dixit Proverbiorum 12. v. 5. *Conſilia impiorum fraudulenta, verba impiorum inſidiantur ſanguini.* Et Jeremias cap. 5. v. 26. *Inventi ſunt in populo meo impii, inſidiantes, quaſi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros.* Dico ego, ad capiendū JESUM; nam negativè reſpondere nō poteſt, quia mētiri nō poteſt, ſi verò affirmet ſe eſſe Filiū Dei, condemnabitur ut blaſphemus. Quis itaque nō dicat ex c. 49. v. 5. Geneſeos, — § 27. *Adjuratis Caiphas.*

Digitized by Google

neſeos, *Simeon & Levi fratres*, (Scribæ, Phariſæi, Sacerdotes) *conſpirantes in interitum Hemor & Sichem*, (in interitum JESU) *Vaſa iniquitatis bellantia*: *in conſilium eorum*, *non veniat anima mea*, *& in cœtu illorum non ſit gloria mea*, id eſt, abſit à nobis, O bone JESU, ut & nos ſententiam mortis in te feramus, Sanctus es, atq; innocens, tibi vitā, tibi mille laudes, tibi mille cordium noſtrorum, amorumque pignora: non funera, non mortis, furoriſque inſtrumenta dedicamus.

PUNCTUM VIII.

Reſponſum Chriſti *Domini.*

§ 28. *Reſponſũ Chriſti D.* Quæſtionem propoſitam, licet Chriſtus D. ſciret fraudulentam; tamen, quia concernebat honorem, non tantùm accuſati, ſed æterni Patris; reſponſo dignari voluit. Cùm ergo quietum ſilentium tenerent omnia, & in medio concilii impii ſtaret Mediator Dei & hominum, aperiens os ſuum, ut omnibus aperiret veritatem, eructavit Verbum bonum; nam interrogatus à Pontifice, eſſetne Filius Dei? ſuaviſſimis, ſed paucis *Matth.13. v.5. Marc.3. v.10. Ioan 12. v.9.* gravibuſque verbis reſpondit: *Tu dicis*. q. d. ita eſt, ut inquis, *Ego ſum Chriſtus Filius Dei*. hoc audiviſtis à Præcurſore meo Joanne Baptiſta; *ego ſum!* teſtem habui vocem de cœlo; *ego ſum!* id teſtantur mea opera & miracula. Ego ſanavi cœcos, &c. ego ſuſcitavi Lazarum. O mi bone Jeſu! in ſumma, qua hoc judicium recolo, triſtitia atque animi compaſſione, hæc mea unica eſt voluptas, hoc unum ſolatium, quia tu es Jeſus Filius Dei vivi! teneris tu quidem in vinculis, es tamen DEUS meus, Amor meus, & omnia: jam, jam, pronuntiabitur in te fatalis illa ad mortem condemnatio: es tamen, es Deus meus! atrociſſimo te odio perſequuntur rabidi canes, & tamen es Deus meus! deformata eſt tū ſputis, tum colaphis vultus tui majeſtas atq; elegantia, es tamen DEUS meus. *Tu dixiſti.* Sed audiamus porro, quid edisſerat Jeſu, *Veruntamen* quia modo omnibus his teſtibus invidia & ira excæcati, non creditis, cogemini aliquando veritati aſſentiri; ideo, *Matth.19. v.28.* *Dico vobis, à modò videbitis Filium hominis ſedentem à dexteris virtutis DEI, & venientem in nubibus cœli.* Ego Judex veſter atque arbiter apparebo, ego vos omnes reos æternæ mortis pronuntiabo.

Tunc Princeps Sacerdotum præ furore, *ſcidit, veſtimenta ſua, dicens: blaſphemavit! quid adhuc egemus teſtibus, ecce, nunc audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur?* *Tunc*, cùm omnes in Concilio oportuiſſet procumbere & adorare Filium Dei; *tunc*, § 29. *Caiphas præ ira laceravit veſtimenta.*

Digitized by Google

tunc, cùm ſtatim debuiſſent eximire è vinculis & catenis, innocentem: cum debuiſſent ſupplices veniam rogare; *tunc*, cum ſummus Pontifex per totam Judæam debuiſſet amandare præconem, & per illum nuntiare deſideratam Meſſiæ præſentiam, Redemptorem mundi, eſſe in Judæâ, eſſe Jeroſolymæ; tum verò ſummus ſacerdos præ rabie laceravit veſtimenta ſua, infremuerunt alii, alii aperuerunt ora ſua; alii expuerunt in faciem ejus: lictores verò pugnos fuſtesque in eum impegêre: & Agnellus innocens, factus eſt, quaſi non habens redargutionem in ore ſuo; neque coram Caipha, vel Judæorum Concilio, amplius aperuit os ſuum.

PUNCTUM IX.

Sententia: ſive, verba illa, Reus eſt mortis.

§. 30. *Ventilatur hac quæſtio; An Chriſtus D. ſit reus mortis.*

Arrigamus nunc aures, ut feralem audire liceat ſententiam: Quærenti ſummo Pontifici, quid vobis videtur? illi, illæ viperæ, illi canes, reſponderunt, *Reus eſt mortis*. Iniquiſſima eſt hæc ſententia, ſi Chriſti Dn. innocentiam ſpectemus; juſtior nulla, ab ullo unquam etiam integerrimo judice prolata fuit, ſi conſideremus, quæ expediat, ut moriatur pro genere humano. Ut tamen de æquitate ſententiæ amplius conſtet, cogitemus Innocentiam Chriſti appellaſſe ad thronum Judicis altioris, ad æternum Patrem, cujus Sermo veritas eſt: huic Innocentia quæſtionem hanc propoſuit, quid ſentiat de Filio ſuo, an reus ſit mortis? Reſponſum Patris invenio lib. 2. Reg. c. 12. v. 5. *Vivit Dominus, quoniam Filius mortis eſt vir qui hoc fecit*; qui peccata hominum in ſe ſuſcepit, debet mori: ille vir, qui in capite libri ſuum ſubſcripſit nomen, ut pro aliis Juſtitiæ meæ ſatisfaciat, ille reus eſt mortis! Mi bone JESU, tu es vir ille! clamat hoc Caiphas, ſubſcribit Concilium, confirmat id Pater tuus: Tu ipſe confeſſus es, & non negaſti, tu dixiſti; itaque reus es mortis: vade mi JESU, diſpone te ut moriaris cras, quia id expedit nobis, *ut unus moriatur pro populo, ne tota gens pereat*, Joan. 11. v. 50. Sic itaque Chriſtus D. exiguo tempore coram Caipha fuit accuſatus, judicatus, & reus mortis publicè proclamatus.

O peccator, habeo hic iterum verbum, quod loquar ad cor tuum; non cupio ego te condemnare, ſed lubet tantummodo percontari; ſi dicam ad ſanctos angelos; O Sancti ſpiritus, hic peccator toties blaſphemat, toties per horrendas maledictiones renovat Vulnera Chriſti, dicite, quid videtur vobis de tali blaſphemo, ah miſer! timeo, ne pronuncient te eſſe reum mortis æternæ. O Sancti Angeli, hic jam ab annis decem tot peregit Confeſſiones la- §. 32. *Quanto magis reus ſit peccator.*

ſacrilegas ; hic non ſemel duntaxat cum Juda, ſed tricies, quinquagies, centies, impuro ore, cordeque ſcelere mortali inquinato, manducare auſus eſt panem Angelorum! O genii cœleſtes! hic jam tot annis acerbas in proximum ſuum fovet inimicitias, toties rogatus à Confeſſario, toties à Concionatoribus objurgatus? quid vobis videtur de homine iſto? dicite, an non ſit reus mortis æternæ? Sed nunc, huc iterum oculos convertite Beatiſſimi Spiritus, en hic jam inter ultimas mortis anguſtias colluctatur Euclio aliquis, pauperum oſor, pupillorum oppreſſor, cujus vita nil fuit aliud, quàm miſerorum pernicies, inopum naufragium, &c. jam tandem ad ſeriam ipſum pœnitentiam exhortatur ſacerdos, qui morienti aſtat; ille, ſurdus ad cœleſtia, animam licet jam jam acturus, adhuc opibus inhiat, adhuc terrenis hæret immerſus? adhuc de exomologeſi ſacrâ ritè peragenda, non eſt ſolicitus! quid vobis videtur? ah! reus eſt mortis, actum eſt, conclamata eſt ſalus, nulla ſpes vitæ æternæ? moriendum eſt, & heu! morte moriendum æterna: hæc vobiſcum ipſi accuratius obſecro, perpendite.

§. 32. *Profectio.* O impii! quæritis fortaſſis, quid mihi, quid aliis creaturis, de vobis videatur? audite ſententiam; ſol, qui vos illuminat, terra, quam calcatis, aër, in quo reſpiratis; ignis qui vos calefacit; aqua, quam bibitis: omnia elementa, contra vos clamant: quod niſi hodie pœnitentiam agere incipiatis; rei ſitis mortis æternæ. Quid ſi repentina mors, vos hoc momento raperet ad tremendum Judicem? nunquid veſtra ſcelera, nunquid cacodæmones, nunquid veſtræ ipſorummet conſcientiæ, nunquid vos eſſe reos mortis edicerent? In veſtro agone, in ſuprema lucta coram Judice tremendo vos angent Sancti Angeli, hic cum Cruce, iſte cum clavis, alius cum ferrea illa chirotheca, qua Chriſto D. tot inflixiſtis alapas, &c. ſed quid clamabunt niſi vos eſſe reos mortis, & æternæ damnationis? Jam verò, quid niſi unica reſtat tremendi Judicis ſententia? hic adhuc vobis offert veniam & miſericordiam; dummodo pœnitentiam agamus, dummodo corde contrito & humiliato obſecremus, ut propter injurias in domo Caiphæ illi illatas, ob falſas criminationes, ob iniquiſſimam mortis pronuntiatæ ſententiam, ſuam nobis exhibere clementiam, benigniſſimè dignetur.

PUNCTUM X.

Negatio & Lacrymæ Petri.

§. 33. *De negatione Petri* Hactenus de fatali in Salvatorem ſententia. Nunc ad te Apoſtolorum Princeps Petre, nunc ad tuam conſtantiam examinandam accedimus.

Digitized by Google

mus. Inter illatas Chriſto, in domo Caiphæ injurias, haud ſanè parum ipſum afflixit, lapſus & negatio Petri: nam dum timidum muliercula levi voce aggreditur, *Et hic cum illo erat*, ecce tibi jam timore conſternatus ſuccumbit Petrus & ait, *Non novi hominem*: mox addit juramentum, denique *cœpit deteſtari, & anathematizare & jurare, Neſcio hominem iſtum*: O mi Petre, & tu JESUM non noſti, cum quo dixiſti, te velle ire in mortem? pro cujus defenſione, paulò ante extraxiſti gladium in horto? ſed propter frigus & noctis, & amoris in corde, Petrus induruit ut Petra: O mi JESU! num de petra hac poteris aquam elicere? Numer. 20. Mi JESU! ecce primus tuorum militum proſtratus à fœmina jacet, tu Dux es: erige illum. Ecce unam ex tuis oviculis in medio luporum: tu Paſtor es, eripe illam: ah reſpice Petrum: jam gallus ter cantabit, & appropinquavit uſque ad portas inferni. Reſpice, infixus eſt in limo profundi, venit in altitudinem maris: porrige illi dexteram? Petrus perit? Et Dominus, cum à Concilio rapitur ad carcerem, converſus reſpixit Petrum: gallus ter cantavit, & Petrus recordatus eſt verbi Domini, agnovit ſcelus, & egreſſus *flevit amarè*! ſine virga, unico ſuavi intuitu emollit petram Moyſes noſter, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ. Prô! qualis illa, quamque ſubita metamorphoſis! eodem, quo Petrus reſpicitur momento, pœnitet, eodem in amaras incipit diſſolvi lacrymas! Utinam & hodie Chriſtus D. ita reſpiceret illos qui cum Petro, ſi non verbo & ore, certe opere ſummam primamque Veritatem negare non dubitant. Multorum lingua ait cum Petro Matth. 16. v. 17. *Tu es Chriſtus Filius DEI*: opera cum eodem Petro clamant, *Non novi hominem iſtum*. de quibus S. Paulus ait ad Titum cap. 1. v. 16. *Confitentes ſe noſſe DEUM, factis autem negant*: Dic mihi (cuperem, ut vel ex Principum aulis, vel ex Machiavelli ſcholis nonnemo mihi reſponderet) noſtine hominem, qui præſens eſt in altari, ſub accidentibus Hoſtiæ? verbo dicis, Homo: DEUS, Salvator meus, Chriſtus JESUS hic præſens eſt! hoccine credis? Et firmiter! Ita, ſic tu quidem loqueris: ſed ubi opera? ſi credis illum eſſe præſentem, quem adorant Angeli, quem tota cœlorum Curia reveretur? cui genua flectuntur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum: ubi eſt exterior, quem illi debes latriæ cultus? ubi reverentia? ubi debita adoratio? coram DEO tuo ſtas inſtar trunci: ſub elevatione ſanctiſſimi Sacramenti vix alterum flectis poplitem, coram DEO tuo tam impudenter fabularis, rides, cachinnaris! ut mulierculæ, ut amaſiæ, in ſcorto, majorem exhibeas reverentiam, quàm tuo Salvatori? nunquid hoc eſt, factis negare Chriſtum? ſed quid ego ita in abſentes animadverto? Ad hiſtoriam Paſſionis revertor.

Matth. 26. v. 27. Marc. 14. v. 71.

Ibid. Math v. 27.

PUN-

PUNCTUM XI.

Nocturnus Carcer.

§. 34. *Quomodo Judæi tractarint Christum D. poſt latam ſententiam.*

Quid poſt latam mortis ſententiam, cum Chriſto Domino egerint impii, paucis ita narrat S. Matthæus cap. 26. verſ. 67. *Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes; Prophetiza nobis, quis eſt, qui percuſſit.* Sanctus Marcus & Lucas addunt: *Velaverunt eum, & multa blaſphemantes dicebant in eum.* Prædixerant hæc omnia dudum Prophetæ: Job. cap. 16. v. 11. *Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſaturati* (ſive, ſatigati ſunt) *pœnis meis:* Jeremias Thren. 3. v. 30. *Dabit* (q. d. non tantùm non avertet, ſed ultro ex deſiderio patiendi, porriget) *percutienti ſe maxillam.* Iſaias cap. 50. v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus* [illegible]*e*: Hebræus textus ſic habet: *ab ignominiis & ſputo.* De quibus omnibus ait David in perſona Chriſti Pſ. 98. v. 20 *Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam,* id eſt, quænam & quanta Filius DEI in illa nocte tolerarit, ſoli notum eſt DEO; juxta illud S. Hieronymi; *Funeſta illa nox, nunquam niſi in die judicii aperietur.* Quæ interim referunt Sancti Patres, & libelli pii, ad ſequentia capita reduci poſſunt.

§. 35. *Septem injuriæ illatæ Chriſto D. in nocturno carcere.*

1. Dicta mortis ſententia, complures ex ipſis ſcribis & phariſæis, ſurgentes & irruentes in JESUM dederunt illi alapas, & expuerunt in faciē ejus. ex accuſatoribus, ex judicibus facti ſunt carnifices. 2. Poſtquam Judæi ad quietem ſe receperunt, Salvator noſter, ab aliquot miniſtris eximie ſceleratis, ductus eſt in ſubterraneam ſpecum ſive carcerem, juxta illud Pſ. 87. v. 7. *Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebris & umbrâ mortis.* 3. Occluſis portis pedibus Chriſti ingentem injecere catenam, quâ illum columnæ vel parieti alligarunt, ut ſecuriores eſſent, ne fugere poſſet. 4. Tum expuerunt in faciem ejus, neque in faciem tantùm, ſed vi aperuerunt benedictum os, & in illud atque collum turpiſſima ſputa phlegmataq; exſcrearunt: Talia ſpectatis cœli, & non vibratis fulmina? 5. Percuſſerunt faciem ejus, & totum corpus, alii palmis, alapas, alii pugnis colaphos aliqui ferreis chirothecis, nonnulli baculis uſi & fuſtibus, alii aliis modis verbera Chriſto Domino impegerunt, in humeros, in brachia, in pectus, in ſanctiſſimum caput. 6. Alii truſerunt in terram, pedibus conculcarunt. 7. Quia majeſtas & venuſtas ſpecioſiſſimi vultus, frænum quoddam erat audaciæ, turpiſſimo velo, velarunt faciem ejus. Nunquam impudentia fuit impudētior, audacior, crudelitas

 crude-

Digitized by Google

crudelior, quàm illâ nocte, quâ fuerunt obvelati, lucidiſſimi oculi ſolis Juſtitiæ: tum, illum percuſſerunt liberius, tum expuerunt frequentius, tum irriſerunt petulantius, quærentes cum ſarcaſmis, *Prophetiza nobis* Chriſte, *quis te percuſſit?* quis hanc inflixit alapam? quis in te expuit? forte dixerunt ex Sap. c. 2. v. 12. *Non videt nos, circumveniamus juſtum.* Sed erratis impii! oculis licet velatis, videt tamen omnia Chriſtus: O mi JESU! ſub hoc velo tua latet infinita ſcientia & ſapientia, quã veneramur: ſub hoc velo, tua, quã timemus, omnipotentia quieſcit abſcondita; ſub hoc velo tua tegitur pulcritudo, quam amamus; ſuavitas & dulcedo, ad quam ſuſpiramus: volo dicere velarunt faciem tuam mi JESU, percutiunt, vulnerant, conſpuunt, nihilominus DEUS es, quem veneramur, quẽ adoramus, quem timem⁹, in quem ſperamus, quem amamus, ad quem ex toto corde ſuſpiramus.

§ 36. *Alia quinque.* Jam ut delabar ad alias Chriſto Domino, nocturno in carcere illatas injurias, tempus monet: 8. Aperuerunt ora ſua, extenderunt linguas, & frenduerunt in ipſum. 9. Vellicarunt barbam & capillos, teſte Iſaia ſupra cit. *Genas meas dedi vellentibus*; D. Hieronymus legit: *tergum meum dedi percuſſoribus, & genas meas depilantibus* Vatablus ex hebræo. *Velentibus vellere pilos genarum & barbæ.* 10. Aliqui genas & faciem Chriſti lacerarunt unguibus. O mi JESU! per infames has injurias miſerere peccatricis animæ meæ: 11. Ob tot alapas & colaphos, ob has vellicationes & lacerationes intumuit facies Chriſti, laceratæ genæ fluxerunt ſanguine, tumidi oculi lacrymis, imò totũ caput Chriſti adeo fuit concuſſum, adeo percuſſum, ut ex naribus, auribus, oculis & ore, undique copioſus eruperit ſanguis. 12. Conſputationes verò tam fuêre frequentes, ut divinus vultus, capilli, caput, frons, oculi, genæ, labia, barba, collum, verbo tota facies oppleta fuerit ſputis. Adverto, indignamini, & iraſcimini, nequiſſimis his miniſtris, ſed in vos impii, atque veſtra ſcelera, veſtram illam iram, atq; indignationem convertite: ſputa in faciẽ JESU ſunt veſtræ blaſphemiæ! ſputa ſunt veſtræ detractiones! ſputa ſunt verba libidinoſa; ſputa veſtræ imprecationes; ſputa ſunt ſexcenta alia, quibus piiſſimum Salvatorem veſtrum offenditis, ſcelera.

§. 37. *Tres alia, & numerus illud.* Sed necdum quies, necdum injuriarum eſt finis! 13. Præter ſputa etiam lutum & cineres, ſimilesque ſordes in faciem ejus injecerunt. 14. Pupugerunt ſtimulis & acubus. In nobili & antiquiſſima picturâ inter illuſores Chriſti; depictus eſt unus qui alligatum baculo ericium, applicat ſub toga, femoribus & tibiis ejus. O inventũm Sathanæ. 15. Vincula & catenas, quibus fuit ligatus, ſæpius inſpexerunt, & conſtrinxerunt arctius, cum novo tormento mitiſſimi agni. Quod attinet tempus, quo injuriæ hæ & tormenta durarunt, probabile eſt, duraſſe quatuor vel quinque integras horas; à mediâ ſcilicet nocte, uſq; ad quintam noſtram matutinam; ut bene dixerit Jobus, nequiſſimos hos ſatellites fuiſſe ſatiatos

op-

opprobriis: id eſt, totiesillum percuſſerunt, tot dederunt alapas, &c. ut denique defatigati ceſſaverint. Habetur in variis libris pia revelatio, quæ perhibet Chriſto Domino inflictas fuiſſe alapas centum & decem, ictus in collum, centum viginti; in caput, octuaginta quinque, in humeros ſexaginta duos, in brachia, quadraginta; in tibias triginta duos: contuſionum oris, fuerunt triginta: capillis tractus fuit trecenties, barbâ, quinquageſies octies; humi abjectus inſtar canis, centies ſeptuageſies. Si ita eſt, probabile eſt, majorem ex his partem contigiſſe funeſtâ & terribili hâc nocte, ſub horis & poteſtate tenebrarum, in nocturno carcere, qui non niſi in extremo die judicii, ut ſuperius dixi ex S. Hieronymo, aperietur.

§. 38. *Injuria omnium graviſſima.* Supereſt injuria omnium graviſſima; cumulus nimirum blaſphemiarum, & calumniarum, quibus totâ hâc nocte aures Chriſti Domini, immane quantum, fuerunt afflictæ. Sex genera laudum enarrat Sanctus Joannes in Apocalypſi, quibus Divina Majeſtas in cœlis extollitur, & ſunt: *Benedictio, Claritas, Sapientia, Gratiarum actio, Honor, Virtus & fortitudo:* Apocalyp. 5. v. 13. Iiſdẽ modis, Pater cœleſtis voluit in terris honorari Filium ſuum, Benedictione; cum à tota urbe in magnifico triumpho ipſi fuit acclamatum, Matth. 21. verſ. 9. *Benedictus, qui venit in nomine Domini:* ſive Claritate, diffuſione famæ, Lucæ cap. 4. verſ. 37. *divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis:* Sapientiam ejus, quod attinet, ſtupuerunt illam omnes, Lucæ 2. Gratiarum actiones, redditæ illi fuerunt innumeræ, à cæcis, ſurdis, claudis. Honore tanto illum ſunt proſecuti, ut & Regem creare conſtituerint. Virtutem & fortitudinem ſuam oſtendit innumeris miraculis: ſenſerunt illam infernæ poteſtates & dæmonia. Omnia hâc nocte inverterunt nequiſſimi lictores, qui Chriſtum afflixerunt: pro hymnis, gratiarum actionibus, benedictionibus, innumeras effuderunt blaſphemias; Regem ſuum tractarunt velut mancipium, imò latronem, ſapientiſſimum veluti ſtultum; fortiſſimum ligarunt vinculis, veluti debilem homuncionem; Filium Altiſſimi ut terræ vermiculum conculcarunt. Ite hodie impii! ite ſacrilegi! ite luxurioſi! repetite has Chriſti injurias, quantum vultis, illudite, blaſphemate, cædite, conſpuite: erit cum veſtri vobis oculi aperientur, cum Majeſtatem illam; illam Patris ſapientiam; illam cœli fortitudinem agnoſcetis attoniti, atque, ſed heu! nimis ſero, expaveſcetis. Nos verò, ô Fili DEI; nos tuis, etiam in obſcuro hoc carcere, genibus, pedibusque humiles advolvimur: nos tibi benedicimus ô JESU! ſit tibi laus, honor, & gratiarum actio, Rex noſter, ô JESU! in ſæcula! in omnem æternitatem, ſis benedictus, & Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Antequam cum benedicto Salvatore noſtro captivo, ex ſubterraneâ §. 39. *Pia obtestatio, ac*

hac

Digitized by Google

Simus devoti erga hæc myſteria. hac ſpecu diſcedam, rogo vos Auditores! per illas alapas & colaphos, per verbera, per injurias omnes, hac nocte pro nobis ſuſtinuit, per hæc inquam omnia vos obſecro, & obteſtor, ut myſterium hoc peculiari ſemper cultu, & frequenti memoria recolatis. Sunt qui nocturno tempore Deum graviter offendunt, vos! qui in occultis, qui in tenebris, Filium Dei hodiedum crudeliter tractatis: Vos! qui angulos quæritis veſtrarum libidinum: ſed & vos! alia manet nox, longè triſtior, obſcurior, feralior; Vos: aliæ ſpectant tenebræ, cum dirisſima dæmonum in vos, in omnem æternitatem, poteſtate & ſocietate, conjunctæ. O nox feralis! O tenebræ horrendæ! tenebræ exteriores! ſic itis ab umbris ad umbras, ſic ruitis è tenebris in tenebras, quas nullus unquam ſol, dum Deus erit, diſcutiet. Nos autem Chriſtum amantes animæ, nos triſtem illam, qua ita vexatus, contuſus, illuſus eſt Jeſus noſter, noctem piisſima ſemper devotione, ſi non in oculis, in animo ſaltem circumferamus. Nos bone Jeſu, noctis illius memores vivemus, crebros inter amoris gemitus, ac ſingultus, inter amara cordis contriti ſuſpiria: ita fiet, ut ex hujus mundi tenebris, & obſcura calamitatum nocte in clarisſimam cœleſtium deliciarũ lucem afferamur.

CONCIO XXI.

DOMINICA RESURRECTIONIS Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Surrexit, non eſt hic, Marc. 16. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Concio hæc proponit varia, de glorioſa Chriſti Domini Reſurrectione, ut in animis Auditorum excitet paſchale gaudium.

§. 1. *Eſt brevis repetitio dolorum & tormentorum quæ Salvator noſter in cruenta paſſione pertulit.*

§ 2. *Symbola Reſurrectionis Chriſti; Sol, Pelicanus.*

§. 3. *Phœnix & Aquila.*

§. 4. *Serpens, Cervus, flores, arbores.*

§. 5. *Occumbente Sole in cruce, veſpere flevimus: Oriente Sole, ad matutinum lætitia ex Pſ. 29.*

§. 6. *Mel in ore occiſi leonis à Samſone, fuit figura lætitiæ in die Reſurrectionis*

§. 7. *Planctus, converſus eſt in gaudium.*

§. 8. *Magnum fuit noſtrum gaudium in die Nativitatis Chriſti; majus eſſe debet in Reſurrectione.*

§. 9. *Quanta gloria, ſanctiſſima Anima Chriſti, cadaveri in ſepulcro, rurſum fuerit unita.*

§.10. *Jo-*

Digitized by Google

§. 10. *Joſeph, Moyſes, &c. fuerunt figura Chriſti Reſurgentis.*

§. 11. *Quanta lætitia Apoſtolorum, fœminarum, &c. in Reſurrectione, & quinam illius fiant participes.*

§. 12. *Quare Reſurrectio Chriſti vocetur ſancta.*

§. 1. *Eſt brevis repetitio dolorum & tormẽtorum quæ Salvator noſter incruentâ paſſione pertulit.*

TRiſtitia implevit die Paraſceves cor noſtrum cum doloroſa Matre Salvatoris noſtri, flevimus amare cum Maria Magdalena & Petro, neq; hoc immerito, vidimus enim & audivimus, quam dira, quam horrenda, quam atrocia pro humano genere pertulerit tormenta filius Dei, vidimus inquam, nefarie ſervum ſceleratũ nequam Judam ſuum Dominũ & Magiſtrum vendentem, falſo oſculo in manus Judæorum tradentem, ſpectavimus qua crudelitate & barbarie hæc ſcelerata cohors hunc innocentem agnum, catenis & funibus horrendum in modum ligarunt, ſpectavimus quo furore mitiſſimum Jeſum de nocte traxerint ad civitatem Jeroſolymam ad nequiſſimam ſynagogam Judæorum, vidimus qua iniquitate conjecerint in tenebroſum carcerem, & qua alacritate inde iterũ eduxerint ut ſiſterent eum coram falſis judicibus Caipha, & Anna, ſpectavimus, quam gravis ſanctiſſimæ ejus faciei fuerit inflicta alapa, quæ adeo horrenda fuit, ut cœli terræq; creatorem in terram proſtraverit, vidimus falſo accuſatum, & inique ad mortem condemnatum, &c. Hæc triſtia magna animi noſtri conſternatione audivimus & vidimus quam patienter filius Dei omnia hæc tormenta pertulerit, at hodie, audire volumus lætiora & quã glorioſe reſurrexerit, & debellatis hoſtibus triumpharit Salvator noſter Chriſtus Jeſus, cui ſit honor & gloria in ſæcula.

§. 2. *Symbola Reſurrectionis Chriſti, Sol, Pelicanus.*

Ipſa Natura nobis proponit pulchras imagines & ſymbola, glorioſæ Reſurrectionis Chriſti; Sol quotidie occidit & oritur. Sol Juſtitiæ ante triduum ſemel occidit, dum pro nobis mortuus eſt in cruce, hodie pulcrior rurſum oritur, atque ita oritur, ut in æternum non occidat amplius. Mors amplius illi non dominabitur. In crucifixione per tres horas eclipſin paſſus eſt ſol; poſt tres horas priſtinum ſplendorem recuperavit: Sic tribus diebus & noctibus eclipſin paſſus fuit Sol Juſtitiæ in ſepulcro; hodie tranſiit eclipſis; Chriſtus Dominus eſt ſol infinitæ pulchritudinis; & in æternum nulli erit amplius eclipſi ſubjectus. Pelicanus, aperto pectore, copioſo ſanguine, animat, nutrit & fovet pullos ſuos, ut totus ipſe langueat. Sed pullorum calore recreatus, ſurgit animoſior & vivacior. CHRISTUS Dominus Salvator mundi ante triduum fuit hic pelicanus; aperto pectore, ſanguine cordis lavit nos à peccatis noſtris, dedit nobis vitam & gratiam; ſed cum ſanguine ſuam propriam dedit vitam, crucifixus nuper Pelicanus. Hodie reviviſcit, hodie reſurgit, hodie eſt Pelicanus gloriæ; uſque ad conſummationem ſæculi, Matth. 28. v. 20. nos paſcet ſuâ carne & ſanguine, in Sacramento Altaris, nunquã tamen iterum morietur.

§. 3. *Phœnix & Aquila.* Phœnix compoſito nido ex lignis odoriferis, à radiis ſolis accenditur, comburitur, conſumitur. Sed intra breve tempus ex cineribus novus reſurgit Phœnix. Odoratus hic nidus ante triduum, fuit lignum ſanctiſſimæ Crucis, in qua cœleſtis noſter Phœnix Chriſtus Dominus & ignibus dolorum, & radiis ardentis amoris ita fuit accenſus, ita arſit, ut totus factus fuerit holocauſtum & ſacrificium DEO, in odorem ſuavitatis. Ex cineribus ſepulchri hodie reſurgit novus & glorioſiſſimus Phœnix. *Chriſtus reſurrexit, non eſt hic*, dixit Angelus Marc. 16. v. 6. Aquila ſuo tempore lavans ſe in fonte, poſitis veteribus plumis, exponit ſe ſoli, & juventuti quodammodo reſtituitur: Nova Aquila. Et CHRISTUS Dominus cœleſtis aquila, ante triduum lotus fuit in fonte ſui ſanguinis; poſitis & relictis in cruce exuviis ſanctiſſimi corporis, anima ejus benedicta abiit ad limbum. Hodie reviviſcit cœleſtis Aquila; ornata plumis, agilitatis, immortalitatis & omnis generis gloriæ. Fortis Aquila, ſi incidat in laqueos venatoris, quibus etiam aliæ aves captæ ſunt, illos diſrumpit & frangit, & victrix avolat, aliaſque volucres ut annorum ſerie captivas liberat. Aquila noſtra ſceleratorum laqueis ante triduum adeo fuit irretita, ut etiam mortis compedes non potuerit evadere; ſed hodie, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus cum ipſo; hodie mortis deſtructæ compedes, lacerati funes, vincula diſſoluta, catenæ confractæ, hodie ſuperas, libera atque immunis, regiones petiit, Aquila, è clauſo terræ monumento, feliciſſimis gloriæ ſuæ, divinitatisque pennis ſubvecta.

Serpens inter rimas petræ exuens veteres exuvias, an non quaſi reſurgere videtur? Ante triduum vidimus ſerpentem exaltatum in ligno crucis: ſed poſitis exuviis, hodie *reſurrexit, non eſt hic.* Cervus rejuveneſcit devoratis ſerpentibus: cerva noſtra matutina, cervus noſter Crucifixus, ante triduum, devoravit in cruce mortem, Diabolum & peccatum, in monte myrrhæ: idem hodie in montibus gloriæ, in glorioſa Reſurrectione, cervus eſt, cujus cornua aperuerunt portas inferni. Similes imagines Reſurrectionis in aliis animalibus, imò in gemmis, arboribus, floribus, aliisque creaturis nobis proponit Natura. Moritur granum frumenti, & ſurgit in ſpicam. Moritur granum ſynapis, & fit arbor. Moriuntur flores in hyeme, reviviſcunt in vere. Totus mundus prædicat CHRISTI Reſurrectionem: ut ſic confirmetur fidei noſtræ articulus, quo illam credimus, de qua, præſenti ſermone paucula vobis proponere cogito, ad paſchalem nimirum lætitiam excitandam in cordibus noſtris, & ut cum gaudio CHRISTO Reſurgenti accinamus lætiſſimum *Alleluja*. Intelligent, ſi me attentè audierint, in quo Paſchale gaudium conſiſtat.

§. 4. Serpens, corvus, flores, arbores, &c.

Marc. 4. v. 32. Ioan. 12. v. 24.

§. 5. *Occubente ſole in cruce, ve-* Cimbri olim ſole occidente valdè triſtabantur & ululantes complorabant, ſole verò manè rurſum orien-

ſpere flevimus; Oriente ſole, ad maxima: inũ lætitia.

oriente, effuſi in gaudia plaudebant. Planximus nos ante triduũ in amaritudine cordis & cum lacrymis, deliquium & occaſum ſolis noſtri pulcherrimi in cruce; ſed dum hodie de thalamo ſepulcri ſ procedit tanquam ſponſus, ornatus ſpontus, formoſus ſponſus, indutus ſtolam gloriæ; dum gloriosè reſurgit, plaudimus, & exultamus; ut verificetur verſus 6. Pſalm. 29. *Ad veſperum demorabitur fletus.* Ita! flevimus illo veſpere, quo vidimus noſtrum ſolem in deliquio mortis ſudare ſanguinem: flevimus! illâ nocte qua tam atroci[illegible]it paſſus: flevimus! amarè, in veſpere Paraſceves ſub cruce, cum vidimus illum occumbere. Sed *ad Matutinum*, hoc mane, quo glorioſus reſurgit, *lætitia.* hoc mane, in hodierna aurora, lætitia in corde Matris: lætitia apud pias fœminas, lætitia in Apoſtolis, lætitia præcipua & ſumma, lætitia inenarrabilis, ineffabilis in corde Salvatoris: guttula, eſt illa lætitia quam nos hodie experimur, guttula eſt omne illud gaudium, quo recolimus glorioſam CHRISTI Reſurrectionem.

§. 6. *Mel in ore occiſi leonis à Samſone fuit figura lætitiæ in die Reſurrectionis.*

In ore leonis quem generoſus Samſon Jud. 14. v. 14. proſtravit & laceravit, intra breve tempus mellificarunt apes; cum enim poſt paucos dies Samſon tranſivit, in faucibus occiſi leonis, invenit dulciſſimos favos, & mel ſuaviſſimum: inde illa ejus quæſtio; *E forti egreſſa eſt dulcedo.* Occubuit ante triduum noſter Leo de tribu Juda; ut diabolo eriperet prædam, ut ex limbo educeret captivos Patres, ut aperiret cœlum, in cruce mori debuit. Sic vivit, & hodie gloriosè reſurgit. Hinc mel & lætitia; ſanctiſſima Crux fluit melle, hinc ſuavitas & lætitia noſtra. Spinea corona floret, ſpinæ verſæ ſunt in roſas, quæ plenæ ſunt melle. A ſpinea corona noſtra lætitia! Cum lacrymis vidimus cruentos clavos in ejus pedibus & manibus; hodie guſtamus, quod illi clavi, cum lancea Longini, non tantum membra & cor Chriſti aperuerint, ſed etiam melleos fontes. Ex his lætitia.

§. 7. *Planctus converſus eſt in gaudium.*

Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea: canamus *Alleluja!* Chriſtus à mortuis reſurgens, convertit planctum noſtrum in gaudium, Pſalm. 29. v. 12. *Et circumdat nos lætitia.* Quantas ante triduum nobis oſtendit tribulationes? qualia vulnera? qualia tormenta? ſed hodie converſus, vivificat nos, & de abyſſis terræ reducit nos. Hinc lætitia, ut cum gaudio dicamus cum S. Petro ep. 1. c. 1. v. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam, regeneravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti, ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem conſervatam in cœlis.* Hodie hanc gloriam videmus in glorioſiſſimo Corpore CHRISTI: radiant ejus vulnera, ut ſoles lucidiſſimi. Benedictus DEUS! ſimilis ſplendor & gloria; pro nobis aſſervatur in gloria. Similes ei erimus. *Benedictus DEUS!* Sanctiſſimum Chriſti Reſurgentis corpus eſt pulcherrimum, eſt agile, ſubtile, lucidum, immortale. Benedictus

ctus DEUS, qui in tali gloria Filium ſuum reſuſcitavit, & benedictus, qui propter mortem & benedictionem Chriſti ſimilem nobis gloriam aliquando in cœlis communicabit. Similes ei erimus; ideo lætamur & exultamus: ideo canimus *Alleluja:* ideo ad mututinum, lætitia in cordibus noſtris. Socii fui paſſionum, hodie ſocii ſumus & conſolationis, 2. Cor. 2. v. 4. Qui ante triduum CHRISTO compaſſi ſunt, cum eodem hodie conſolatione perfunduntur. Salvator noſter iterum vivit.

§. 7. *Magnum fuit noſtrum gaudium in die Nativitatis Chriſti: majus eſſe debet in Reſurrectione.*

Si in Nativitate ejus, cecinerunt Angeli, *Gloria in exelſis DEO,* Luc. 2. v. 10. Si unus dixit Paſtoribus, *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Salvator mundi*; quantò magis, quàm longè majori lætitia hodie cani debet lætiſſimum *Gloria*! hodie, gaudium noſtrum debet eſſe magnum, quia renatus eſt Salvator mundi, non jam puer mortalis, ſed glorioſus victor mundi, & mortis. Iterum ortus eſt ſol, ſed alio modo, quàm quo primùm viſus eſt in ſtabulo. Ibi Sol ille prodiit ex utero Virginis, ſed cooperuit illum tum nubes noſtræ mortalitatis, & multò magis ante triduum in monte Calvariæ, in cruce. Orientem ſolem in ſtabulo comitata fuit pluvia tribulationum; obſcurarunt illum nimbi & caligines perſecutionum, & breviſſimo curſu peracto, iſte idem ſol deſcendit in occidentem, occidit! obductus nubibus lacrymarum, imò ſanguinis. Itaque dies Nativitatis fuit dies hyberna, læta quidem, ſed ſimul frigida, obſcura, brevis. Hodie ſol ille renaſcitur, rurſum oritur & procedit ex ſepulcro, ſed totus clarus, ſerenus, totus illuſtris, nunquam amplius obiturus. Hac die cantemus *Gloria*! cantemus *Alleluja*! hac die gaudium noſtrum magnum eſſe oportet. In Nativitate gaviſi ſumus, quia vidimus Redemptorem noſtrum Parvulum in cunis; hodie gaudeamus, quia videmus illum potentiſſimum Gigantem. Gaviſi tum ſumus, quia vidimus illum in ſtabulo, in pago [illegible]hlemitico; hodie exultemus, quia videmus illum glorioſum in monte, in conſpectu regiæ urbis Jeroſolymæ. Tunc exultavimus, tunc gaudium noſtrum fuit magnum, quia vidimus Redemptorem Agnum; hodie exultemus; quia videmus illum Leonem, qui ſuo rugitu exterruit mortem, tremefecit gehennam, conturbavit caſtra & legiones principum tenebrarum. Hoc efficit Judæorum crudelitas; occidit Agnum in cruce, qui Agnus hodie ſurgit victorioſus, ut Leo occiſus eſt Agnus, & vicit Leo. Et huic Agno & Leoni, ſit honor & gloria, nobis gaudium & lætitia!

§. 8. *Quanta gloria ſãctiſſima Anima Chriſti, cadaveri in ſepulchro rurſũ fuerit unita.*

Jacebat in ſepulcro Corpus & Cadaver Chriſti, unitum quidem Divinitati, ſed ſeparatum ab Anima, ſed ſub triſtiſſima illa ſpecie, qua veſpere Paraſceves depoſitum fuerat de cruce, jacebat ſubtus lapidem, obvolutum ſindone & linteis, pallidum, frigidum, vulneribus & concreto ſanguine horridum, livoribus & plagis coopertum: meminiſtis hauddubiè,

bię, quale illud aſpexeritis, cum de cruce fuit depoſitum. Medium hujus noctis prætererat, & cœlum ab ea parte, qua prodroma ſolis, candida Aurora ex cubili ſuo egreditur, incipiebat albeſcere, cum Chriſti Anima, materialem ſolem prævertere volens, mira celeritate, natura obſtupeſcente, per ipſa ſaxa, ſepulcrum ingreſſa eſt, & Corpus ſibi rurſus unitum momento revocavit ad vitam. O mirabilem mutationem, quæ momento illum contigit! hoc ſimile illam aliquo modo declarat. Subinde occumbente ſoli aliqua nubes ſe opponit: tam obſcura atque atra, ut aſpicientibus ſit terrori, ſed dum ſol illam feret ſuis radiis, ita repente incipit lucere, & ſplendere, ut videatur tota aurea, ſplendida, imò ipſe globus ſolis, vel alter aliquis Cynthius. Pari ratione Auditores, ſplendidiſſima atque lucidiſſima Anima Chriſti, ſimulatque iſtud corpus frigidum, vulneratum, deforme, rurſum intravit ſimulatque animæ rurſum fuit unitum, cum Deitas quæ ab utraque hominis ſubſtantia non receſſerat, quod poteſtate diviſerat, illud rurſum poteſtate conjunxit, ſtatim Anima inſtar ſolis, tenebras convertit in lucem: ad præſentiam tantæ gloriæ abiit ſqualor, evanuit omnis horror, diſſipatus eſt color demortui cadaveris, evanuerunt vulnera, ſputa, lacrymæ. Succeſſit per omnia membra, in toto corpore ſummus decor, ſumma gratia, ſumma lux, ſumma pulchritudo, caput, frontem, oculos, genas, vultum, manus, brachia, pectus, totum corpus occupavit. Aſpicite rutilantiſſimum corpus illud, quod mortis caligne vidiſtis obſcuratū Aſpicite immortale, quod vidiſtis mortuū Aſpicite impaſſibile quod ſævos cruciatus vidiſtis perpeti. Aſpicite admirabili ſubtilitate præditum, quod vulnerib. vidiſtis perfoſſum. Aſpicite Patribus Angeliſque ſtipatū, quod latronū vidiſtis inpœna ſociū. Aſpicite ſepultos cruciatus omnes, atque opprobria, gloria Reſurrectionis. D. Chryſologus, *Reſurrectionis gloria ſepelivit morientis injuriam.*

Et talis exivit ex ſepulcro, talis reſurrexit! & quis eſt iſte, qui ex ſepulcro prodit tam formoſus? Iſte eſt Joſeph, qui jam exit de carcere, attonſis crinibus mortalitatis, & indutus eſt veſtem immortalis gloriæ, ut deinceps dominetur, non in Ægypto, ſed in cœlis & in terris. Quis eſt iſte? Iſte eſt Moyſes, qui jam prodit ex aqua, & ex juncea fiſcella, ut Phaaronem & ejus exercitum ſubmergat in mari. Exod. 2. v. 3. Quis eſt iſte? iſte eſt Mardochæus, qui jam exuit ſaccum & cilicium, & indumenta regia indutus, hoſtem ſuum Aman in parata cruce ſuſpendit, Eſth. 6. v. 11. Quis eſt iſte? Iſte eſt Daniel, qui teterrimo dracone interfecto, in lacum leonum immiſſus; incredibili potentia eorum ora concluſit, & jam liber exiit, Dan. 6. v. 7. Quis eſt iſte? Iſte eſt Samſon, qui circumdatus hoſtibus, & in civitate incluſus, mediâ nocte ſurrexit, & effractis atque ſublatis portis hoſtium conſilia eluſit. Quis demum eſt iſte? Iſte eſt Jonas, quem in mare præcipitatum

§. 9. Ioſeph, Moyſes, &c. fuerunt figura Chriſti Reſurgentis.

tatum cete grande devoravit, ſed tertiâ die littori & nobis eſt redditus. Jonæ 2. verſ. 11. An non hic meritò cogitamus; Gloria ſit huic Joſepho, nobis lætitia! Frater noſter eſt hic glorioſus Joſeph, nos ſimul ex carcere & è tyrannide liberavit. Gloria huic Moyſi, nobis lætitia! nos liberati ſumus, quia diabolum, mortem, peccatum ſubmerſit in rubro mari ſuæ Paſſionis. Gloria & honor ſit huic Mardochæo, ſic honoretur, quem Pater cœleſtis vult honorari; nobis lætitia: Amano crucifixo, nos liberati ſumus à ſententia mortis. Gloria huic Danieli, huic Samſoni, huic Jonæ, nobis lætitia! nos participes ſumus tantæ victoriæ, tanti triũphi! *Alleluja! Alleluja.*

§. 11. Quanta lætitia Apoſtolorũ, fœminarum, &c. in reſurrectione. Et quomodo illius fiant participes.

Quis eſt iſte? Iſte eſt, qui reſurgit inſtar ſolis, qui non ſolùm in ſe eſt lucidiſſimus, & pulcherrimus, ſed ſimul ex aliorũ cordibus omnes pellit nebulas triſtitiæ. De Apoſtolis canit Eccleſia: *Triſtes erant Apoſtoli, de Chriſti acerbo funere, quem morte crudeliſſimâ, ſervi necarant impii*; par triſtitia occuparat animos fœminarũ: Aliqua, illas & quoſdam diſcipulos, ſolabatur cogitatio, an fortaſſis, ut promiſerat, eſſet ad vitam rediturus; ſed ſpes hæc, tam erat debilis, ut eſſet quaſi ſcintilla in denſiſſimâ caligine. Quamprimùm verò Magdalena illum cognovit, in horto ad ſepulcrum, in ſpecie hortulani, qualis lætitia in corde Magdalenæ? Piis fœminis obviat in viâ; qualis lætitia: Agnoſcitur à diſcipulis euntibus in Emaus, Luc. 24. v. 13. quale gaudium! Veſpere Reſurrectionis, apparet diſcipulis ſimul congregatis; quanta exultatio? ut Eccleſia canit in eodem hymno: *JESUque facti compotes, almo beantur lumine; pulſa triſtitia, ingens lætitia omnium animos occupavit:* Subdit hymnus ſuave hoc deſiderium: *Ut ſit perenne omnibus, Paſchale JESUS gaudium!* Non dubito omnes idem deſiderare; ſed examinent ſe prius, an ſint facti compotes JESU? facti ſunt illi, qui paſchalem Confeſſionem, & Communionem peregerunt; ut decet, illi, qui ante triduum ſuo in Crucifixum amori, & compaſſioni liberaliter indulſerunt; compotes facti ſunt, qui ad novitatem vitæ, moresque homine Chriſtiano dignos, cum DEI, quem in Communione paſchali percepere, gratia, aſpirare cœperunt, &c. His omnib⁹ JESUS eſt paſchale gaudium: Illis vero! qui lætiſſima hac die, ſedent adhuc in tenebris, jacent adhuc in vinculis & carcere, in ſervitute peccati mortalis; quale illis poteſt eſſe gaudium? quomodo hi poſſent gaudere de Chriſti reſurrectione & gloriâ, cujus nullam habent ſpẽ, ut aliquando fiant participes, ſi maneant in hoc ſtatu; Gloriæ & lætitiæ Chriſti Reſurgentis illi fiunt compotes & participes, qui illum amant. Hi guſtant dulces favos, & ſuave mel Reſurrectionis. Horum corda plena ſunt gaudio ob gloriam Chriſti, & ardentia in amore, ut cras audiemus de diſcipulis euntibus in Emaus. Si qui ſunt, qui etiam paſchalibus feriis, ſi non verbis, ſaltem factis Chriſtum perſequuntur, hi nihil ſperent, de paſchali gaudio. Explicabo id

clarius

Digitized by Google

§ 12. *Quare Reſurrectio Chriſti vocetur ſãcta.* clarius ex quodam animi mei ſenſu! nam;

Cum heri veſperi recitarem Litanias omnium Sanctorum, peculiare percepi ſolatium cum ad illam deveniren petitionem: *Per ſanctam Reſurrectionem tuam, libera nos Domine*; & cogitavi, quare hic titulus datus ſit tanto myſterio; quare Chriſti Reſurrectio vocetur *Sancta*. Puto id factum eſſe, ut intelligamus, quales nos eſſe debeamus, ſi participes eſſe velimus paſchalis gaudii; Sancta vocatur Reſurrectio, non tantum quia ille qui reſurgit eſt ſanctiſſimus; nam prout Patri & Spiritui S. ita & Filio, Cœlites acclamãt, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, ſed præterea, ut & nos in tanta ſolennitate ſimus. Sancti: Sancti autem ſunt, qui in ſanguine Agni occiſi, loti ſunt ab omnibus peccatis, his JESUS eſt paſchale gaudium; ſancta & læta eſt illis Chriſti Reſurrectio. Sancti ſunt, qui ſic loti, induti quoq; ſunt ſtola & purpura caritatis, virtutum & bonorum operum: Qui liberi ſunt, ab omnibus inordinatis affectionibus erga creaturas, his JESUS à mortuis reſurgens eſt paſchale gaudium, his ſancta & læta eſt Reſurrectio Chriſti: quod S. Paulus inſinuavit Epheſiis c. 1. v 3. *Benedictus DEUS & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui benedixit nos, in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus, in caritate.* Ad Coloſſ. 3. v. 12. illos vocat, *electos & dilectos DEI.* Atque ex his omnibus facile erit intelligere, quibus ſit paſchale gaudium JESUS, iis nimirum qui ſanctam, cum ipſo, vitæ, morumque reſurrectionem celebrarũt; iis, qui in novitate vitæ ſanctæ ambulant; iis, quibus vera pietas, ſanctitasque curæ eſt; ut ſanctæ Reſurrectionis, ſic paſchalis gaudii ſunt participes, quod eſt Chriſtus JESUS glorioſe à mortuis reſurgens, cui ſit honor & gloria in ſæcula!

CONCIO XXII.

DOMINICA IN ALBIS.

Pax vobis, Joannis 20. v 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Reſurrectio Spiritualis, Animæ à morte peccati, ad vitam gratiæ, in hoc, ſimilis eſſe debet Reſurrectioni Chriſti, ut non moriatur iterum: Occaſione cujus circumſtantiæ, hæc Concio agit contra recidivam in peccata.

§. 1. *Pax*

§. 1. *Pax eſt fructus Paſſionis Chriſti: Oſtenditur hoc eleganti Emblemate.*

§. 2. *Chriſtus reſurgens non iterum mortuus eſt: neque anima iterum mori debet per peccatum.*

§. 3. *Quomodo Chriſtus D. mortuus ſit pro delictis commiſſis, non futuris: ex S. Paulo.*

§. 4. *Proſecutio ex ratione Theologica.*

§. 5. *Recidiva inducit facilitatem ad peccandum.*

§. 6. *Eſt periculoſa, & damnoſa: Quod probatur ex Ezechiele.*

§. 7. *Proſecutio.*

§. 8. *Recidiva cauſat lapſus in graviora peccata. Probatur ex eodem loco Ezechielis.*

§. 9. *Explicatur recidiva, ſimilitudine ex pſ. 143.*

§. 10. *Alia ſimilitudine deſumpta à captivis.*

§. 11. *Ut peccator perfectè liberetur: peccatorum catena debent confringi.*

§. 12. *Chriſtus D. ſentit, & punit recidivam.*

§. 13. *Elegans dictum, & utilis monitio S. Chryſoſtomi.*

§. 14. *Tragica Hiſtoria, ſive atrox ſupplicium in recidivos.*

§. 1. Pax eſt fructus Paſſionis Chriſti. Oſtenditur hoc eleganti Emblemate.

IN erudito Emblemate: caſſidem vel galeam, quam apes converterunt in alveare, pictor depinxit; nam galea, plena eſt diſpoſitis ordine favis, & melle, cum hoc eleganti lemmate; *Ex bello Pax.* Eja Pictor, loco galeæ, mihi hodie depinge ſpineam coronam, quâ ante paucos dies in ſua Paſſione Chriſtus Rex noſter fuit coronatus; ſed plenám favis & melle, lemma ego apponam: Ex hâc coronâ, ex his ſpinis, dulciſſima Pax; quam nobis hodie in glorioſa Reſurrectione, idem Salvator noſter apprecatur. Fundamentum emblematis habeo in ſacrâ ſcripturâ, Judicum 14. v. 14. *Ex comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Niſi forte cuique veſtrum magis arrideat, ut depingatur arbor vel palma ſanctiſſimæ Crucis, in quâ mellificavit cœleſtis Apis. Neque mihi hæc arbor diſplicet, ſed addatur hæc Epigraphe: *Ex Cruce Pax*: cujus fructus ſunt dulces gutturi noſtro. Quod ſi jam Apelli alicui placeat, inſtrumenta omnia Paſſionis, in unam contrahere picturam, in faſciculum myrrhæ, qualis inter brachia Sanct. Bernardi depingi ſolet: vel in unum floſculum, in granadillum, columnam, vincula, virgas, ſpinas, clavos, crucem, lanceam: & circumvolitantes apiculas, cum dulciſſimo melle: hæc pictura placet & mihi, dumodo addatur hæc ſuperſcriptio, *Ex clavis, ex virgis, ex ſpinis, à columna, è cruce, ſuaviſſima Pax*, quam nobis attulit Chriſtus Dn. glorioſè à mortuis reſurgens: Eſſentiam, effectus & fructus hujus Pacis explico in variis Concionibus: modo oſtendam hanc Pacem inter nos & Chriſtum Dn. his feſtis initam, debere eſſe firmam, conſtantem & ſtabilem. Ne ſcilicet, qui cum Chriſto ſpiritualiter reſurrexerunt ex morte peccati, ad vitam gratiæ, in priſtinas rurſum

rurſum ſordes relabantur. Hæc enim recidiva, uti admodum probroſa & turpis, ſic & periculoſa eſt, atque ut plurimùm exitialis. Unde ea mihi ſpes dicenti ſubnaſcitur, fore, ut me per horæ hujus decurſum in re tam & utili, & neceſſaria, æquis auribus, animiſque audiatis.

§. 2. *Chriſtus reſurgens non iterũ mortuus eſt. Neque anima iterum mori debet per peccatum.*

Reſurrectio Chriſti, exemplar eſt, & forma reſurrectionis noſtræ: non tantum illius, quæ corporalis eſt, & in reunione ſpiritus cum corpore, in noviſſimo die judicii futura, conſiſtit: verum etiam reſurrectionis ſpiritualis, quâ à morte peccati, ad vitam gratiæ reſurgimus: de qua Apoſtolus ait, ad Rom. c. 6. v. 4. *Quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Particula, *quomodo*, varia includit myſteria & circumſtantias modi, quo Salvator noſter reſurrexit. Una ex præcipuis eſt, quod ſurrexerit immortalis, & ſecurus ſe nunquam iterum moriturum. *Scientes, quod Chriſtus, reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* ibid. Ita & nos hoc ſacro paſchali tempore meminiſſe debemus, nos per paſchalem confeſſionem, è ſepulchris peccatorum, reſuſcitatos eſſe ad vitam gratiæ, & cum Chriſto D. reſurrexiſſe; cum firmo & ſtabili propoſito, nunquam reincidendi in mortem peccati? Et hæc eſt illa Pax, quam Salvator noſter nobis apprecatur, *ut ultra non ſerviamus peccato.* ad Rom. 6. v. 7. quod inter nos & Deum inimicitiam conſtituit, ac proinde paci, quam Chriſtus D. ſuo iniit ſanguine, directè opponitur. Breviter Ægidius de columna, in Citatum locum: *Quicunq; debent imitari Chriſtum immortaliter viventem*, (addo ego qui pacis à Chriſto allatæ volunt eſſe participes) *non debent ulterius ad peccata redire.* S. Thomas hodie converſus ad Chriſtum, nunquam rediit ad infidelitatem: S. Petrus nunquam iterum negavit Chriſtum; ſemel Magiſtro ſuo iterum reconciliati, ſemper cum illo manſerunt in pace.

§. 3. *Quomodo Chriſtus D. mortuus ſit pro delictis commiſſis, non futuris ex S. Paulo.*

Frequenter reſurgere, & redire ad ſepulchrum; ſæpius incipere novam vitam per pœnitentiã, & iterum mori per peccata, frequenter cum Deo inire pacem & eandem mox violare: contrahere fœdus, ſtatimque rumpere; oblatam gratiam acceptare, mox eandem reſpuere, verbo, frequenter relabi in eadem peccata, res eſt periculoſa: quod verbis planè gravibus videtur inſinuare voluiſſe S. Paul. dum ep. ad Romanos, in memoriam illis revocat ingens beneficium, per opus Redemptionis & effuſionem ſanguinis Filii Dei collatum, his verbis c. 3. v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius per Redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem poſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem Juſtitiæ ſuæ.* Quibus addit verba alia valde difficilia, *propter remiſſionem præcedentium delictorum.* quo modo loquendi videtur Apoſtolus velle excludere peccata deinde ſecutura, quaſi inferre velit; quidquid Dei Filius paſſus eſt, quoſcunque ſuſtinuit dolores, quaſcunque toleravit injurias, quod omnes paſſus ſit eo fine, ut à præteritis nos peccatis vindicaret; cum tamen certum ſit,

ſit : Ipſum eſſe propitiationem pro peccatis totius mundi , præteritis, & futuris.

§. 4. Proſecutio, ex ratione Theologica.

Difficilem locum ſic aliqui explicant; Apoſtolum quaſi ſupponere, illum , qui agnoſcit beneficium Redemptionis , & infinitam Chriſti caritatem, quam cruce pro nobis voluit mori , non peccaturum iterum, ſaltem lethaliter : quo ſenſu Chriſtus Dn. reſpectu peccatoris , pro peccatis jam commiſſis tantum mortuus eſt ; Utinam hoc fieret ! Utinam qui beneficium redemptionis agnoſcunt, non iterum peccarent! Alii ex verbis Apoſtoli alium eruunt ſenſum , congruum materiæ quam tracto. Peccator dum reſipiſcit, dum de pœnitentia cogitat , dum corde contrito confitetur , moraliter certus eſſe non poteſt, Chriſtum Dn. pro omnibus paccatis præteritis ſatisfeciſſe, & promptiſſimum eſſe , ut illa remittat : promptiſſimum , ut tali pœnitenti applicet efficaciter pretiũ ſanguinis, & merita ſanctiſſimæ Paſſionis: ſed caveat talis peccare iterum , quis enim ſcit. an Chriſtus D. iterum daturus ſit media efficacia ad pœnitentiam ? quis obſecro Conſiliarius ejus fuit ? De commiſſis nuper ſceleribus, ſeriaque ut ſpero pœnitentia, atque confeſſione deletis, quod bene ſperes, non equidem male tibi conſulis: imò & decet, & expedit. At de futuris , de committendis, quis ſcit an iterum propitiari velit Altiſſimus ? *Patientia nimium ſæpe læſa* , *tandem* , ut ajunt, *fit furor*, quis ſcit, ſi cras præ miſericordia eligat Juſtitiam? quis ſcit, an illud pœnitendi tempus : vel certè illam, quã modo præditus es, iterum confitendi voluntatem; vel ſi voluntatem, etiam occaſionem ſit præbiturus. Hæc te mi fili , nonnihil velim accuratius conſiderare.

§. 5. Recidiva inducit facilitatẽ ad peccandum. S. Anſelmus.

Urget meum diſcurſum S. Anſelmus dum ait; *Per oſtenſionem ſuæ juſtitiæ placuit DEO, ut remitteret illis præcedẽtes culpas, & juſtificaret eos, ut deinceps juſtè viverent :* alioquin potius timendum eſt, ne lapſus & reincidentia frequens in nova & nova peccata; cauſa ſit novis ſemper peccatis : nolo hic theologicè diſcurrere, qua ratione peccatum poſſit eſſe pœna, & ſupplicium alterius peccati : hoc docet experientia, illis, qui facile relabuntur, quibus poſt ſpiritualem reſurrectionem mors peccati, rurſum dominatur, ſubtrahi efficacia auxilia: ut deinde facillime , in plurima & graviſſima ruant ſcelera , idque cum præſentiſſimo ſalutis diſcrimine. D. Cyrillus in cap. 8. S. Joannis obvio rem ſimili declarat : *Relapſus in ægritudinem periculoſior eſſe ſolet , & exitio propior , quàm prior ille languor : & quos prima valetudo adverſa non extinxit ; ſæpius iterata poſt redditam incolumitatem ægrotatio ſuſtulit è vita.* Haud ſecus fruſtra pœnitentiæ medicamentum ſumitur, ſi poſt eam peractam ad præteritæ vitæ ſordes reditur. Ac proinde Chriſtus D. languenti juxta piſcinam dixit, Joannis 5. v. 14. *Ecce ſanus factus es , jam noli peccare , ne deterius tibi aliquid contingat.* Sanctus Bernardus ſic explicat hunc locũ, *deterius.* ſer 2. de Aſſumpt. *fiet Filius gehennæ , qui poſt indulgentiam*

tiam deliſtorum, in eaſdem denuo ſordes inciderit.

§. 6. *Eſt periculoſa, & damnoſa: quod probatur ex Ezechiel.* Pulchrum nobis refert exemplum Ezechiel c. 16. v. 22. Ait ibi Dominus ad animam lapſam in peccatum, ſub typo impiæ Jeroſolymæ, poſtquam fuiſſet ornata gratia & juſtitia. *Tranſiens per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo*, hoc eſt, *in peccatis tuis*, inquit Origenes hom. 6. in hoc caput Ezechielis. Nihilominus, Dominus miſeram ſuaviter allocutus, illi dixit; *In ſanguine tuo vive, & receptam in gratiam, multiplicatam dedit illam quaſi germen agri*: id eſt, reddidit illam formoſiſſimam, & pulcherrimè ornavit. Illa tamen hanc gloriam parvi pendens, grandis effecta, iterum lapſa, iterum ruit in peccata: amplius ex his fœdata, quam prius extiterat, unde facta eſt *nuda & confuſione plena*. Sed denuo per eam tranſiens Deus, eamq; oculis miſericordiæ ſuæ reſpiciens, amictum expandens ſuper eam, ejus operuit ignominiam, lavit, mundavit, unxit, veſtivit, calceavit, ornavit, ſaginavit, inſuper & honoravit, ita, *ut nomen ejus egreſſum eſſet in gentes propter ſpeciem ſuam, quia perfecta erat in decore Dei, quem poſuerat ſuper eam.* Et quis diceret hanc ſponſam iterum fore ingratam? quis diceret redituram ad ſuas ſordes? quis putaſſet ruituram iterum in gravia ſcelera? reincidit tamen, rediit, rurſum peccavit & gravius quam antea. Sed tum ait illi Dominus: *Et habens fiduciam in pulchritudine ſua, fornicata es, quapropter, Væ, Væ tibi! ait Dominus.* ibid. v. 15.

§ 7. *Profectio.* Probabile eſt aliquas animas ante quadrageſimam jacuiſſe in ſanguine ſuo, graviſſimorum ſcelerum: Tranſiens vidit hoc benigniſſimus Salvator noſter, ah! quàm doluit, quam ſenſit! animas, quas ipſe creavit, quas ipſe ſuo ſanguine redemit, à Diabolo, à beſtiis ita conculcari: Miſericordia motus, non ſuaviter tantùm dixit, *Vive! revertere, revertere Sunamitis*; Sed ſanguineas etiam manus porrexit, vindicavit eam ex hoſtibus, per efficacem gratiam, qua excitante & adjuvante acceſſerunt, ad piſcinam Sacramenti Pœnitentiæ: ibi in balneo pretioſi ſanguinis Jeſu Chriſti, lotæ ſunt, dealbatæ ſunt ſuper nivem, unctæ ſunt, ornatæ ſunt, imò ſaginatæ per Paſchalem Communionem pretioſo Corpore & ſanguine Filii DEI: cum magno decore cum Chriſto reſurrexerunt, *Pax vobis!* O animæ felices! ſed quid ſi aliquæ mox poſt initam pacem Chriſto rurſum indicant bellum? *Væ, Væ!* quid ſi veſtes pulcherrimas abjiciant & veterem induant hominem? *Væ!* ait Dominus: Quid ſi ad priora non tantum redeant ſcelera? ut fieri aſſolet: *Væ!* ait Dominus, ſi fiduciam habentes in bonitate Chriſti, iterum fornicentur, non expectent à Chriſto reſurgente Pacem & ejus fructus, ſed *Væ, Væ!* ait Dn. ob illas pœnas, quibus juſtus DEUS punit recidivos in peccata.

§. 8. *Recidiva cauſat lapſus in graviora peccata.* Et hoc advertendum eſt in citato loco Ezechielis; poſteaquam illa Anima, quæ ſub ſchemate Jeroſolymæ nobis proponitur, non ſemel, ſed ſæpius poſt veniam & juſtificationem in priora peccata reincidiſſet: ad eam promptitudinem peccandi, ſeu,

Digitized by Google

Ibidem, Ezechiel. v. 16. Pagninus hoc explicat Ezechiel.

ut verius dicam, ad eam effrænationem, immanitatemque prolapſa eſt ſcelerum, ut dicat Deus, nullum ex perditiſſimis hominibus unquam talia ſcelera perpetraſſe: *Et fornicata es ſuper eis, ſicut non eſt factum, neque futurum eſt:* Sive, ut legit Pagninus: *eis*, ſcilicet, ſceleribus, *non futura ſunt ſimilia, & non erit populus; qui talia faciet.* licet Sanctus Paulus ad Rom. 2. à v. 3. uſque ad finem narret horrenda gentium crimina. Neque hodie dubitandum eſt, eos, qui frequenter per pœnitentiam juſtificantur, præſertim hoc paſchali tempore, & mox iterum labuntur in ſcelera: Reſurgunt cum Chriſto, & iterum moriuntur, pacem cum eo ineunt, & rurſus bellum indicunt, cum toties ruunt, ad eum demum ſtatum devenire, ut non ſit amplius genus peccatorum, in quod non incidant: ut potius occaſio peccandi deſit, quàm voluntas. Paulatim plane putreſcunt, & corrumpuntur cicatrices, & fiunt miſeri, & curvantur in finem, &, ut S. Macharius loquitur hom. 21. t. 2. Bibl. *in ipſa profundiſſima peccata delabuntur, quæ planè deſtruunt pacem cum Chriſto; & quaſi quandam neceſſitatem peccandi inducunt.*

§. 9. Explicatur recidiva ſimilitudine ex Pſ. 143. v. 12.

Spiritualem quorundam reſurrectionem hoc paſchali tempore pulchro ſimili explicat regius Pſaltes Pſ. 143. v. 12 *Filiæ eorum compoſitæ, circum ornatæ ut ſimilitudo templi.* Per ornatas has filias intelligo illas animas quæ per paſchalem confeſſionem ornatæ ſunt pulcherrimis ornamentis gratiæ, ut S. Athan. legat: *circumornatæ auro, argento, gemmis, ſerico.* Sed propter quam cauſam ſunt ſimiles ornatis templis? His ipſis diebus præ oculis habemus ſimile, quod David nobis proponit. Quam ornata his feriis fuerunt templa; ob ſupellectilem auream & argenteam, ob pretioſas thecas cum reliquiis Sanctis expoſitas, ob elegantes tapetes & cortinas, ob inauratas ſtatuas, inter venuſtiſſimos flores. Qualis pompa! qualis ornatus! & quamdiu durabit? hoc forte veſpere, venient Sacriſtani, & tollent omnia; ſpoliabunt altaria, denudabunt parietes, abſcondent ſtatuas, includent thecas, claudent imagines, vela removebunt, auferent conopæa, &c. Feſtum paſchale finitum eſt. Hoc eodem modo ornantur multorum animæ per confeſſionem; decore variarum virtutum, argento puritatis, auro caritatis, gemmis donorum Spiritus S. Qualis ornatus? quantus decor? quantus ſplendor? *Pax, omne bonum his animabus.* Habitat in illis Spiritus Sanctus: ſunt templum Dei vivi. Sed heu! quam diu durat hæc manſio & habitatio Divinæ gratiæ? forte cras aliqui relabentur in peccatum mortale, & per hoc anima, priori elegantia & venuſtate, momento, non tantùm ſpoliatur; ſed templum Dei fit rurſum ſpelunca latronum & habitatio Spiritus nequam. Arca tanti theſauri, qualis eſt gratia, qualis eſt pax Chriſti; arca, in quam fuit repoſitum ſanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ; fit rurſum ſepulchrum animæ putridæ, fœtidæ & mortuæ. Non ſic; non ſic Auditores, reſurgamus cum Chriſto; non talem ineamus

mus pacem, ſed firmam, ſtabilem, conſtantem. Non ſerviamus iterum peccato, mors non dominetur nobis amplius.

§. 10 *Alia ſimilitudine deſumpta à captivis.* Duplex eſt claſſis captivorum, qui exeunt ex aliqua triremi in portubus maritimis, v.g. Genuæ, Seviliæ, videmus aliquos exire colligatos, catenis, alios ſeparatos quidem, ſed cum annulo ferreo circa collum, vel pedes; quod certū ſignū eſt, tales nō eſſe planè liberatos, ſed mox ſuū in carcerem redituros: qui verò libertate donantur, & non redituri dimittuntur, illos videmus incedere ſine his ferreis annulis & catenis! Et hi poſtremi repræſentant hoc paſchali tempore illos, qui è captivitate Sathanæ perfectè ſunt liberati; ſcilicet illi, qui ad tam grave jugum peccati mortalis nunquam redibunt. Qui verò redeunt, mala ſua voluntate, pejoris ſunt conditionis quàm ante. Sic aggravantur catenæ, ſi annuli ferrei malarum conſuetudinum fiunt fortiores. S. Oreſichius t. 4 Bibl. Sed *liberi ſumus, jugum de cervicibus noſtris mundanæ ſervitutis abjecimus, cur rurſus reverti volumus ad vomitum?* Cur fortioribus vinculis conſtringi? cur carceri includi profundiori, ex quo forte deinde nunquam liberabimur.

§. 11. *Ut peccator perfectè liberetur, peccatorum catenæ debent confringi.* Spiritualis animarum reſurrectio perfecta, ad normam reſurrectionis Chriſti requirit, ut confractæ ſint catenæ ſcelerum, ut illorum funes diſſolvantur, ut diſciſſa vincula, ut compedes remoti, atque ita diſſoluti atque confracti, ut nulla eorum pars, vel collo, vel pedibus affixa hæreat. Integram atque omnibus numeris abſolutam eſſe noſtram oportet liberationem; proinde fugiendæ impoſterum, quibus rurſum captivari poſſumus, occaſiones: Frangendi ſunt malarum conſuetudinum, inter ſe, quaſi innexi annuli: ambulandum eſt in libertate Chriſtiana; execranda vel umbra tantùm ſervitutis priſtinæ, qua teterrimo fueramus Cacodæmoni mancipati.

S. Auguſtinus in concord. Evang. obſervavit, vendentes & ementes in templo, bis à Chriſto D. ex illo fuiſſe ejectos; prima vice, verbis tantùm: altera verò vi & flagellis, Joannis 2. c. 15. Itaque licet ſemel Judæi à negotiatione in templo à Chriſto ejecti eſſent, tamen ad illam, ad eundem locum redierunt; quod coram oculis Chriſti eorum crimen aggravavit, & divinam ejus iram ſolicitavit, & optimum, mitiſſimumque Dominum maximè exacerbavit. Et hodie illi peccatum aggravant, & illi iram DEI ſolicitant, & illi Chriſtum D. exacerbant, qui toties cum illo pacem ineunt, & rurſum frangunt; reconciliantur Judici, & iterum offendunt. Recedunt paulisper à malo, ſed iterum redeunt. §. 12. *Chriſtus D. ſentit & punit recidivā. S. Auguſt. in Ioan. c. 1. v. 15.*

Proinde, ſaudeo, cum S. Chryſoſtomo; *Noli peccare poſt veniam; noli vulnerari poſt curam, noli ſordidari poſt gratiam.* Indulgentiæ ingratus eſt, qui poſt veniam peccat. Sanitate indignus eſt, qui ſemetipſum, poſtquam curatus eſt, vulnerat; nec mundari meretur, qui ſe ipſum poſt gratiam ſordidat. Non eſt dignus pace Chriſti, qui bellum cum illo quærit; non decet, ut fiat particeps gaudii §. 13. *Elegans dictum & utile monitio S. Chryſoſt.*

 glo-

Digitized by Google

glorioſæ Reſurrectionis, qui redit ad ſepulcrum.

§. 14. *Tragica hiſtoria, ſive acre ſupplicium in recidivos.*

Punit tales Deus. Terribilem hiſtoriam refert Paoleti. Aliquot laſcivos juvenes die Paſchatis, cum eodem die confeſſi communicaſſent, veſperi in popina, ob erumpentem ex ore ſanguinem ſubitò corruiſſe mortuos. Eadem ipſa hora decidit de cœlo terribilis grando, cum ſerpentibus, ut exterritus vir quidam ſanct' à Deo petierit ſibi revelari cauſam tã atrocis ſupplicii; cui apparens Angelus dixit: *In die ſancto Paſcha communionem receperunt, & poſtmodum contra ſeipſos, & Sacramentum Altaris in potu, in luxuriis deliquerunt.* Cavete Auditores! ſcitis, quæ Sacramenta ſuſceperitis, &c. videte, ne contra vos, ne contra Chriſtum D. iterum peccando peccetis, &c. punit tales Deus. Poteſt fieri vehemens motus, per grandinem iræ D. & ſerpentes, &c.

Adhorta. à peccatis deſerendi.

CONCIO XXIII.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego ſum Paſtor bonus, Joann. 10. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VAriis argumentis; ex baculo, veſte, facie, voce, loquela, ſuaviſſimis promiſſionibus boni Paſtoris, declaratur infinitus & ſuaviſſimus ejus Amor, erga ſuas oviculas. Miſcentur piæ aliquot digreſſiones ad ſodales Agoniæ, deſponſanturque cum Chriſto Crucifixo.

§. 1. *Chriſtus D. in reſurrectione Leo eſt, & tamen mitis Paſtor; cujus immenſum amorem declarat hac concio.*

§. 2. *Chriſtus D. terribilis & ſuavis: in opportunitate: Paſtoris amorem declarat paſtoralis virga, vel baculus.*

§. 3. *Item Paſtoris veſtis, ſive Chriſti D. in reſurrectione, & amabilis facies ejuſdem.*

§. 4. *Utile eſt, imaginari ſibi* Chriſtum; *quod fieri poteſt, per varia myſteria vitæ ejus.*

§. 5. *Volupe eſt hoc amabili tempore, ſibi Chriſtum proponere veluti Paſtorem. Paſtoris nomen eſt nomen amabile.*

§. 6. *Bonus Paſtor loquitur ſuaviter.*

§. 7. *Præſertim per os Prophetæ Oſeæ, dũ promittit ſe velle Oviculam lactare. Quid hæc vocula ſignificet.*

§. 8. *Alia*

§. 8 *Alia explicatio; quàm ſuaviter agat bonus Paſtor.*

§. 9 *Ducit oviculas in ſolitudinem. Digreſſio ad ſodales Agoniæ.*

§. 10 *Loquitur ad cor eius Suaves affectus illius allocutionis.*

§. 12. *Quomodo viciſſim loqui debeamus cum Chriſto Domino.*

§ 12. *Chriſtus D. bonus Paſtor percutit fœdus cum oviculis Alia digreſſio ad ſodales Agoniæ.*

§. 13. *Chriſtus D. ſuas oviculas ſibi deſponſat.*

§. 14. *Epilogus, omnes Auditores, præſertim ſodales, deſponſat cum crucifixo.*

§. 1. Chriſtus D. in Reſurrectione leo eſt & tamen mitis Paſtor, cujus immenſũ amorem explicat hæc concio.

INter paſchales acclamationes, & lætisſimas voces, quibus Chriſto Domino à mortuis reſurgenti gratulati ſumus, ſæpius cum gaudio audivimus illum verſum 5. ex cap. 5. Apocal. *Vicit leo de tribu Juda.* & qualis leo? Antiqui ſoliti fuerunt pingere leonem dilacerantem dracones; hinc illa epigraphe: *Draconem unguibus lacerat.* Talis leo fuit Chriſtus Dominus à mortuis reſurgens. Tertiâ die poſt mortem in cruce, Jeremiæ capite 4. v. 7. *Aſcendit leo de cubili ſuo*, & peccatum, mortem, diabolum, veluti dracones dilaceravit. Vicit leo! qualis leo? Agamemnon in ſcuto ſuo inſculptum leonem præferre fuit ſolitus, ut aſpectu hujus terrorem incuteret. Unde leo fortitudinis quoque eſt ſymbolum, quâ oculorum ſuorum fulmine, reliquas exterret beſtias, & rugituum ſuorum tonitru, tremorem & trepidationem incutit. Unde David perſecutiones Saulis contra ſe, aptius ſe non poſſe exprimere putavit, quã adhibitâ ſimilitudine rugientis leonis, Pſalm. 16. verſ. 12. *Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam.* Pſalm. 21 verſ 22 *Salva me Domine ex ore leonis.* Tempore paſſionis vidimus quomodo Judæi & milites tractarint leonem de Juda, ut cruci tandem affixerint, coactus fuit divinus Leo ſecedere ad tempus in cubile ſepulcri, ſed die tertio reſurgens, vicit & omnes ſuos hoſtes proſtravit. S. Aug. in c. 1. S. Joannis, *Leonem occiſus occidit.* Timeant qui ſunt hoſtes Chriſti; his eſt terribilis leo, qualis fuit cuſtodibus ſepulcri & ſynagogæ in glorioſa reſurrectione. Inhæreret mea concio huic metaphoræ, ſi agere vellet contra impios; quia verò loqui volo cum bonis, memini verborum Ariſtotelis l. 1. hiſt. anim. c. 1. *Leo fortis eſt, mitis tamen & liberalis*, ſcilicet erga victos & proſtratos. Talis quoque eſt Salvator noſter in glorioſa reſurrectione, ut oſtẽdat, quàm liberalis ſit & mitis, vocat ſe Paſtorem; in Chriſto Domino Leo ſimul eſt Paſtor, qui cum ſuis oviculis agit mitisſimè, benignisſimè, ac liberalisſimè. Mitis, benignus, liberalis, bonus Paſtor eſt Salvator noſter; quod oſtendam hâc concione, & cum ſit Dominica menſtruæ Congregationis Agoniæ, in concionis decurſu, non ero immemor meorum ſodalium, & Crucifixi mei Paſtoris. Vos modo conſueto me favore dicentem proſequimini.

Digitized by Google

§. 2. *Chriſtus D. terribilis & ſuavis. In opportunitate. Paſtoris amorem declarat paſtoralis virga, vel baculus.*

Maximilianus Auguſtiſſimus Imperator ex Domo Auſtriaca, dicere fuit ſolitus: In opportunitate, ſe eſſe utrumque, Leonem & Agnum. Sive ſeverum & terribilem hoſtibus, mitem autem & benignum Amicis. Talis Imperator & Monarcha eſt Chriſtus Salvator noſter. In opportunitate, tempore judicii, in opportunitate, cum vindictam vult ſumere de hoſtibus, in opportunitate, cùm Juſtitiam vult demonſtrare, Leo eſt. Sed in opportunitate alia, cùm ſuis ſuum amorem vult oſtendere; in opportunitate, cum ſolicitus eſt, de ſuis, in opportunitate, cùm amat: in opportunitate, cùm nos vult conſolatione perfundere: vocat nos oviculas, ſe verò Paſtorem. In opportunitate hac, cùm Paſtor eſt, in glorioſa Reſurrectione, in ſuo de hoſtibus triumpho, totus eſt mitis, ſuavis & benignus. Paſtores aliqui ſunt, qui oviculas regunt & ducunt, *in virga ferrea*, Pſalm. 2. v. 9. *in virga ſuperbiæ*, Exodi cap. 14. v. 17. *in virga iræ*, Exodi 22. v. 6. *in virga furoris*, Iſaiæ 10. v. 5. *in virga ignea*, Ezechielis c. 19. v. 14. Tales virgæ in ſacra Scriptura ſymbolum ſunt crudelis dominii & dominatus, infernalis Aſſur, his virgis reguntur hædi. Aliam virgam & baculum in glorioſa reſurrectione victricibus manibus præfert paſtor noſter cœleſtis Chriſtus Dominus in ſignum imperii, & mitiſſimi dominii. Baculus dulciſſimi paſtoris noſtri germinat pulcherrimis floribus, ſicut virga Aaronis, Numeror. 17. v. 5. Ezechiel. 7. v. 15 *Baculus ejus eſt virga aurea ſignum Regiæ clementiæ*, Eſther. 4. v. 11. *Baculus hic eſt virga pinguiſſimæ hæreditatis.* Pſalm. 73. v. 2. Eſt virga de radice Jeſſe, hic paſtor eſt manſuetiſſimus Filius mitiſſimæ Virginis. Baculus ejus eſt virga vigilans, dulciſſimis oculis ſuaviſſimæ ſuæ providentiæ plena. Jeremiæ 1. v. 12. Micheæ 7. v. 14. eſt virga, quæ paſcit populum. Eſt virga floridiſſimi regni, ad Hebræos cap. 1. v. 8. dixit S. Paulus ex Pſal. 22. v. 4. *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Omnes hæ voces & modi loquendi, flores, aurum, hæreditas, ſuaves oculi, vigilantes, ſoliciti, regnum, cœleſtia ſolatia, pinguia paſcua, nobis oſtendunt amorem, clementiam, ſuavitatem, ſolicitudinem, divitias, potentiam, gloriam, optimi noſtri Paſtoris erga ſuas oviculas. Floridus eſt paſtor, aureus paſtor, ſuavis paſtor, ſolicitus, vigilans, regius paſtor. In hac vita paſcit oviculas in paſcuis optimis, deinde deducit eas ad regnum & hæreditatē gloriæ æternæ.

§. 3. *Item paſtoris veſtu, ſive Chriſti D. in Reſurrectione. Et amabilis facies ejuſdem.*

Veſtis Paſtoris eandem begnitatem oſtendit. Scio pictores Chriſtum glorioſè reſurgentem à mortuis depingere in veſte purpurea, juxta illam quæſtionem Angelorum, Iſaiæ 63. v. 2. *quare rubrum eſt veſtimentum tuum?* Super hodiernum Evangelium de metaphora boni Paſtoris, magis mihi placent illi, qui ſigno ſanctiſſimæ Crucis, veluti paſtorali baculo opponunt vexillum ex purpura, in ſignū pretioſi ſanguinis, quē effundendo vicit; glorioſū verò & lucidiſſimū Chriſti Corpus induunt veſte ex tenuiſſima & candidiſſima byſſo, nec ſine ſuavi myſterio: id enim Evange-

liſta

liſta ipſe S. Matthæus inſinuat, qui vultum & veſtem Angeli, qui apparuit ſuper ſepulchrum accuratè deſcripſit, cap. 28. v. 3. *Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, veſtimenta autem ejus ſicut nix.* Quomodo in uno Angelo conveniunt, ignis fulguris, & frigus nivis? quod myſterium pulchrè explicant Ludolphus de Saxonia p. 2. cap. 71. & Dion. Carthuſ. ibi art. 45. D. Greg. homil. de paſch. Primus ait: *Facies Angeli, viſa fuit ignea, ad incutiendum timorem cuſtodibus. Veſtimenta autem ſicut nix, ad dandum conſolationem mulieribus.* Alter inquit: *Vultum quaſi ſcintillantem atque terribilem habuit, ad perterrendum infideles cuſtodes, atque ideo dicitur, quod exterriti ſunt, & facti ſunt veluti mortui. Et veſtimenta alba ſicut nix; id eſt clara ac ſplendida, ad conſolandum fœminas religioſas.* Tertius ſic ſcripſit. *In fulgure terror timoris eſt; in nive autem blandimentum candoris, quia verò omnipot. Deus, & terribilis eſt peccatoribus & blandus juſtis, rectè Reſurrectionis teſtis Angelus in fulgure vultus & in candore habitus demonſtratur, ut de ipſa ſua ſpecie, & terreret reprobos, & mulceret pios.* Eadem prorſus de Chriſto Reſurgente dicere debemus. Impiis, cuſtodibus, Synagogæ, inferno, dæmonibus fuit terribilis, facies ejus illos perſtrinxit ut fulgur, terruit illos atque exanimavit. In hodierno verò Evangelio, eſt Paſtor bonus, in veſte nivea, candida, paſtor amœniſſimus, veſtitus nive ad ſolatium & voluptatem oviculárum: facies verò ejus formoſa, amabilis, inſtar ſolis, qualem in Thaborea rupe ſuis ſe oſtendit.

§. 4. *Utile eſt imaginari ſibi Chriſtum, quod fieri poteſt per varia myſteria vitæ ejus.*

Bene ſuaſit Picus Mirandulanus de morte Chriſti l. 1. c. 8. *Quapropter recurrendum eſt ad Chriſtum imaginandum.* Varii variis modis hoc faciunt: quidam in hiſtoria Nativitatis imaginantur ſibi Jeſum Parvulum, alii alligatum columnæ, alii, coronatum ſpinis. Habeo hic, quod gratuler meis ſodalibus Agoniæ: nimirum hi ſæpe recurrunt ad Chriſtum imaginandum, hi illum ſibi crebrò ſtatuunt ob oculos, jam ſub hoc, jam ſub alio Amoris ſchemate; jam velut Hortulanum in horto Gethſemani ſanguineas decerpentem roſulas; jam velut Regem, purpura ſceptroque inſignem in domo Pilati; jam velut triumphatorem Ducem, crucis ſuæ trophæo onuſtum; modo, tanquam ſponſum ſanguineum deſponſatum ſibi in cruce: ſic volupe illis eſt hujus Hortulani, hujus Ducis, hujus Regis, hujus ſponſi crebro meminiſſe: ſubdit citatus Auctor, *Sic in bonitatis Dei* & Salvatoris noſtri, *cognitionem veniemus.*

§. 5. *Volupe eſt, hoc paſchali tempore, ſibi Chriſtum proponere, veluti Paſtorem. Paſtoris nomen eſt nomen amabile.*

Cùm ego hoc paſchali tempore me volo paſcere & recreare ſuaviſſimis cogitationibus, memor ſuum hodiernæ parabolæ, & Chriſtum D. mihi imaginor, veluti Paſtorem, cum florido baculo, cum amœna facie, in humeris reportantem perditam oviculam; vel requirentem adhuc centeſimam in dumetis, & inter ſpinas; vel ducentem ſuas oviculas ad pinguia paſcua, imò paſcentẽ ſua carne, & ſanguine? ſic devenio in cognitionem ejus bonitatis, ſic agnoſco, quàm ſit bo-

bonus & amabilis Paſtor. Quod de nomine ſponſi dixit S. Bernardus, *hoc nomen maximè indicat internos affe-ctus*; ego hodie dico de ſuaviſſimo nomine boni Paſtoris; hoc nomine, internos ſuos affectus amoris, dile-ctionis, curæ, providentiæ erga ſuas oviculas declarat. Intus in corde Chriſti, latet infinitus ille amor, quẽ vocula *Paſtoris* aliquo modo oſten-dit. Intus in ejus corde infixus eſt ille cœleſtis zelus in prædatores, illud odium in lupos, illa vigilantia in bel-luas inimicas. Vox *Paſtoris* id ſigni-ficat. Intus ardet, fervet, æſtuat, ob nimium ſalutis noſtræ deſiderium: Vox *Paſtoris* hoc inſinuat. Intus ſe vi-tamq; ſuam, ac ſanguinem, & ſi quid præterea habet, in amoribus offert, atq; exponit pro ſuis oviculis, hoc vox *Paſtoris* ſatis ſeperque eloquitur: Ab-undo ego gaudio & conſolatione, cum cogito me eſſe oviculam talis Pa-ſtoris.

§. 6. *Bonus Paſtor loquitur ſuaviter.*

De ſuaviſſimis quibuſdam verbis loquentis ſponſi in Canticis, dixit S. Bernardus ſer. 59. in Cant. *Amor lo-quitur: carmen hoc Amoris eſt.* Non miremur hodie humilitatem noſtri Salvatoris, quod ſe vocet Paſtorem, quod dicat ſe amare, ſe cuſtodire, ſe paſcere ſuas oviculas: ſic amor lo-quitur, ſive Chriſtus Dn. qui tantùm nos amat. Itane? ille potens, excel-ſus in gloria, ille fortis in ſua Reſurre-ctione, ſe vocat Paſtorem? ſic A-mor loquitur, ſic loquitur qui amat. Illene qui ſedet ad dexteram Patris in throno gloriæ; ſe ait eſſe paſtorem? Hæc phraſis eſt Amoris. Ille, qui glorioſus ſuper omnes Angelorum choros exaltatus ſedet, Ille qui orbem terrarum unico nutu ſuſtentat; ille à quo, per quem, & ex quo ſunt omnia? ille quem æternæ gloria Majeſtatis tremendum toti fecit mundo: ille terribilis inferno? Ita! ita! ille ſe Paſtorem dixit; ſed quod dicat, A-mor ſaudet, Amor ſuggerit, Amor imperat, Amor conjungit cum Maje-ſtate curas, cum ſceptro pedum, pi-leum paſtoritium cum corona. Uti-nam Oviculæ ſint memores dicti e-juſdem S. Bernardi, ſer. 83. in Cant. *Quid ni ametur Amor.* Quid ni ovi-culæ ament tam amabilem Paſto-rem.

§. 7. *Præſertim per os prophetæ Oſeæ, dum promittit, ſe velle oviculam lactare. Quid hæc vocula ſignificat.*

Spectavimus Paſtoris noſtri bacu-lum, veſtem; faciem, conſideravi-mus nomen & amorem; audiamus etiam loquentem: cum Oſea ait cap. 2. v. 14. *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus, dormire eam faciam fiducialiter. Et ſponſabo illam mihi in ſempiternum, & ſpo ſabo mihi in miſeri-cordia, & in miſerationibus.* Sic quoq; loquitur Amor boni Paſtoris. *Lactabo*, id eſt, ait Ruffinus, *in deſerto dabo He-bræis manna, quod in colore & ſapore, la-cti erit ſimillimum.* Suavius adhuc Paſtor bonus lactat ſuas oviculas in Euchariſtia, ſua carne & ſanguine, & ait, lactabo; id eſt, *ego ſum Paſtor bo-nus*, nam lacto meas oviculas, offero illis manna, propino illis lac, trado in eſcam, corpus meum: in potum, ſan-guinem; *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, Joannis 6. v. 56. Quas audio voces? quis loqui-tur: Amor loquitur? amans paſtor loquitur; JESUS loquitur! quidni

igitur

igitur ametur à nobis, quid ni à ſuis diligatur oviculis?

§. 8. *Alia explicatio. Quam ſuaviter agat bonus Paſtor.* Dicunt alii Interpretes, verbum hoc *lactare*, non derivari à lacte, ſed priſco, Lacio, cujus ſignificatio patet ex compoſitis; allicio, illicio, pellicio, illecto, delecto, ut lactare idem ſit, quod allicere, pellicere, &c. Secundum hanc derivationem verborum Chriſti D. *Ego ſum Paſtor bonus*, hic eſt ſenſus: ſic ago, cum meis oviculis, ſi forte aliquæ à via velint aberrare, ſi ſequi veſtigia gregum hœdorum: ego meo amore, mea ſuavitate, & præcipue dulciſſimo cibo & potu, Corporis & ſanguinis mei, illas alliciam & pelliciam ad me, donec illas ineſcem, & capiam, & efficiam, ut me ſequantur, ut vocem meam audiant: dulcedine divinæ conſolationis, & mei amoris, in funiculis caritatis, illas traham ad me; ego illectabo, delectabo. Audio. Amor! amans Paſtor! JESUS loquitur. Quidni loquatur & noſter Amor, frequenter & ſuaviter ad ſuum Paſtorem, quidni ovicula dicat cum Angelico Doctore; *Bone Paſtor, Panis vere, Jeſu noſtri miſerere: tu nos paſce, nos tuêre, &c*

§. 9. *Ducit oviculas in ſolitudinem. Digreſſio ad ſodales Agonia.* Addit Paſtor cœleſtis, ſe ſuas oviculas velle ducere ad ſolitudinem, ut ſcilicet abſtractæ à vanitate mundi, ab amore voluptatum, ab occaſionibus peccatorum; vocem & inſpirationes ſui Paſtoris melius audiant, & majori vacent devotioni, ut ibi ſint capaciores cœleſtium conſolationum. Hodierna menſtrua Dominica Congregationis Agoniæ, cauſa eſt, cur hæc verba præcipuè intelligam de meis ſodalibus. Vos, in viſceribus caritatis dilectiſſimi, vos peculiari titulo eſtis Oviculæ Chriſti Crucifixi, ideo vos, bonus veſter Paſtor, hodie ducet in amœniſſimam ſolitudinem, vel potius Paradiſum ſanctiſſimorum Vulnerum. Petrus & Magdalena optatam ſolitudinem invenerunt in ſpeluncis ſaxorum, ibi fleverunt amare! Nobis, Oviculis Chriſti bene eſt, in ſolitudine SS. Vulnerum, præſertim amantiſſimi cordis noſtri Paſtoris. Quæſiverunt alii pœnitentes ſolitudinem in ſylvis, in concavis arboribus, in maceriis murorum: O piæ Oviculæ! ſequamur nos hodie Amorem noſtri Paſtoris, ipſe nos ducet ad cavernas Vulnerum Crucifixi, ut nos ibi paſcat, recreet, tuetur. Quidni ſequamur?

§. 10. *Loquitur ad cor ejus. Suavis eſſentia illius alloquii.* Ulterius ſic loquitur Amor, ſive bonus Paſtor, *loquar ad Cor ejus.* Suaviſſima phraſis, dulciſſimum carmen Amoris; ex quo agnoſcimus ſuaviſſimum modum, quo bonus Paſtor agit cum ſuis oviculis. Senſus enim eſt: Cor ejus, verbis meis mulcebo, flectam, & ad me, meique amorem & cultum convertam. Leo Hebræus vertit. *Loquar in cor ejus.* Non video, quomodo ſuavitas vocis Chriſti tenerius poſſit explicari: Alii vertunt: *Loquar ſecundum cor ejus*, id eſt, proferam verba, quæ libenter audiet. Fructus & effectus ſuaviſſimi hujus alloquii enumerat Richardus de S. Vict. in Cant. c. 3. *Quo præſente innovatur anima, & quaſi ei adhærens ſentit interni guſtus dulcedinem, fidei illuminationem, ſpei augmentum, caritatis incentivum, compaſſionis affe-*

Digitized by Google

ctum, delectationem virtutum. Habet in oratione cum DEO familiare colloquium; audiri ſe ſentiens, & plerumq́; exaudiri: facie ad faciem cum DEO loquens, & audiens, quidquid loquatur in ea Dominus Deus; in oratione DEUM cogens, & interdum convincens.

§. 11. *Quomodo vicissim loqui debeamus cum Chriſto D.*

Non adducam ſimilia ſuavia verba ex aliis Sanctis Patribus; hæc ſufficienter nos monent & inſtruunt, quomodo in hodierna Congregatione veluti oviculæ audire debeamus, loquentem nobiſcum Paſtorem, & viciſſim illi loqui: eò conniti debemus, ut v. g. Oratio Roſarii SS. Vulnerum ſit familiare colloquium cum Chriſto Crucif. ait Paſtor, ſe velle nob s loqui *ad cor*, id eſt, ſuaviter, affectuoſè: loquamur & nos ſuaviter & affectuoſè ad cor Jeſu. Ait ſe velle loqui *in cor noſtrum*, ſive illa quę libenter audimus. Loquamur nos in Cor ejus, & ea, quæ ipſe libenter audit. Quid verò eſt, quod libenter audiat Jeſus noſter? quis ille ſonus eſt, qui ipſius aures ſuaviter afficiat? quis ille cantus, qui illum demulceat? dicam Auditores! ſunt piarum affectus virtutum; dicamus, mi JESU credo, adauge tu fidem meam. Credo, quia tu es Filius Dei vivi! O JESU ſpero! etſi me occideris, in te ſperabo. O Jeſu amo te! Valete poſthac creaturæ, quid mihi vobiſcum? JESUM diligo; nulli alteri, quam ipſi cor meum devoveo. Hic ferme eſt cantus, hæ fere ſunt voces ſodalium, ad JESUM agonizantem in cruce, JESU credo, &c. Ita nimirum orare debemus, ut ſentiamus fidei illuminationem, ſpei augmentum, caritatis incentivum, &c. ita orare, ut conemur veluti cogere, & convincere Chriſtum, ut concedat quod petimus, Sanctam mortem! quam illis verbis videtur Oviculis promiſiſſe, *Dormire eam faciam fiducialiter*, id eſt ſecundum phraſim S. Scripturæ, mori, cum magna fiducia, & ſolatio.

§. 12. *Chriſtus D. bonus Paſtor percutit fœdus cum oviculis. Alia digreſſio ad ſodales Agoniæ.*

Et hæc dulciſſima promiſſio, ſive, ſuaviſſima hæc verba faciunt, ut totum citatum locum ex Oſea intelligam de Congregatione Agoniæ, præſertim ſi aliam ſequamur lectionem, vel verſionem, quæ ſic habet: *Percutiam cum ea fœdus*: vel, *inibo aliquod pactum.* Et quis eſt alius hujus noſtræ Congregationis finis, quod aliud propoſitum, quam ut firmisſima quædam pacta ac fœdera ineamus. 1. inter nos invicem, ut alter alterum in extremo mortis Agone conſtitutum, quà precibus, quà ſubſidio, quantum poteſt, ſublevet, ut alter pro altero devotas coram Crucifixo preces effundat, ad beatam olim mortem impetrandam. 2. Nos inter & JESUM Crucifixum: cum eo ſiquidem percutimus fœdus, cum eo pactum inimus, & quale inquis, fœdus? quale pactum? fœdus ſalutis noſtræ, fœdus amoris mutui, fœdus beatitudinis æternæ. Nos morienti JESU cor noſtrum addicimus; illi ſuum nobis morientibus; Nos intra ejus Sanctiſſima Vulnera cõfugimus vivi, ut morientes ac mortuos non excludat, ô ter beata conventio! ô felix pactũ! Gaudete & exultate

Digitized by Google

tate in Domino quicunque hujus pacti vos reddidiſtis participes. Chriſtus Crucifixus Paſtor eſt, nos oviculæ. Ipſe lactat nos, ipſe paſcit nos, ipſe protegit nos, ipſe loquitur in cor noſtrum, ipſe aliquando faciet nos dormire fiducialiter.

§. 13. *Chriſtus D. ſuas Oviculas ſibi deſponſat.*

Audite tandem, quid loquatur Amor! *ſponſabo te mihi*, (pergit amans Paſtor in ſuaviſſimo alloquio ad Oviculas) *in ſempiternum, in miſericordia & miſerationibus*, id eſt, miſericordia maxima, utpote profecta ex intimis viſcerib⁹ amantiſſimi cordis. Talis nimirum eſt ſponſus & Paſtor noſter, qui nil magis deſiderat, quàm ut per amorem uniatur cum oviculis, & ſic ſuper illas effundat viſcera miſerationum. Utinam ego hodie conjunctionem & deſponſationem hanc inter meos ſodales, veluti oviculas, & Chriſtum veluti Paſtorem promovere poſſem! explicabo deſideriũ meum pia & brevi hiſtoria.

§. 14. *Epilogus, omnes Auditores, præſertim Sodales, deſponſat cum Chriſto Crucifixo.*

P. Raymundus Confeſſarius S. Catharinæ Senenſis, mira refert de deſponſatione, quæ contigit inter Chriſtum & illam Virginem. Alibi in hæreo diuti⁹, modo adverto ritum, quo contigit: B. Virgo in præſentiâ Filii & SS. Angelorum, accipiens dexteram Catharinæ extendit ejus digitum annularem, & petiit à Filio ut hanc Virginem ſibi deſponſaret: annuit Matri Chriſtus, & pulcherrimum annulum ejus ingerens digito, (aſſervatur adhuc Romæ) dicens, *Ecce ego, qui ſum Creator & Salvator tuus, te mihi deſpondeo in fide, quæ perdurabit in te ex hac hora, ſemper immutabilis, donec nuptiis æternis in cœlo conjugar; ibi me videbis facie ad faciem, meque perfrueris.* O felicem oviculam! ſodales amantiſſimi, agite, porrigite mihi dexteras veſtras; omnes, nullo excepto, ex corde! ſic mihi imaginor: in unâ meâ dexterâ concluſas eſſe omnes veſtras. Ne ſuſpicemini vel timeatis in me intentionem malam. Peto hæc coram Venerabili Sacramento; peto ad deſponſandos vos illi ſponſo, quẽ ipſæ ambiunt mentes Angelicæ; peto ad ſubarrhandum veſtram beatitudinem ſempiternam; Itaque, ô Virgo! ô Mater! omnium dexteras ego tibi offero; age, offer tu Filio tuo Crucifixo; extende digitos, roga illum ut nos omnes ſibi deſponſet. Annulum petimus Amoris. Sentio, exauditæ ſunt preces meæ; Chriſtus Salvator noſter, ſponſus noſter Crucifixus, ſanguinea ſua dextera, nos ſibi deſponſat, in fide & caritate. Eja mei Auditores! eſtis ſponſæ Chriſti, eſtis oviculæ boni Paſtoris! eja pergite ad ovile SS. Chriſti Vulnera; ſunt ibi alimenta vitæ, quibus ita paſcemur in hac valle lacrymarum, ut in altera vita per omnem æternitatem paſcamur in paſcuis gloriæ. Amen!

Narratio deſp. S. Catharinæ, quàm refert P. Raymũd.

Exclamatio ad B. virg.

Digitized by Google

CONCIO XXIV.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum: & jam non videbitis me, Joannis 16. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit, ex variis locis S. Scripturæ, diverſis ſimilitudinibus & teſtimoniis Sanctorum Patrum, omnia hujus mundi bona, eſſe Modicum.

§. 1 *Vitæ humanæ brevitatem, Mundi vanitatem, Chriſtus Dn. explicat unica vocula*, Modicum: *quod etiam facit hæc Concio.*

§. 2. *Comparando omnia caduca fumo.*

§. 3. *Celerem illorum tranſitum oſtendendo in Nabuchodonoſore, & Regibus.*

§. 4. *Vita hominis eſt celer curſus ad ſepulchrum.*

§. 5. *Illa celeritatas exponitur variis verbis, & ſimilitudinibus ex ſacra ſcriptura, & ex Sanct. Patribus.*

§. 6. *Exponitur* Modicum, *per ſomnum & ſomnium.*

§. 7. *In hac vita omnia ſunt* Modicum: *in altera omnia Æterna.*

§ 8. *Hedera Jonæ, arroſa à vermiculo, eſt pulchrum ſymbolum Modici.*

§. 9. *Et Cedrus montis Libani ex Pſ. 53.*

§. 10. *Qualis fuit Aman, ſuſpenſus de patibulo, & de illo clamans*, Modicum.

§. 11. *Et Alexander M. clamans ex inferno*, Modicum!

§. 2. *Epilogus, per varia anthitheta proponit Mundi fallaciam; & adhortatur ad amorem Cæleſtium.*

§. 1. Vita humana brevitatem, Mundi vanitati, Chriſtus D. explicat unica vocula,

OCtavianus Imperator, cū gravi morbo diu conflictatus, ſibi jam moriendū adverteret, amarè lacrymans ex circumſtantibus eſt percontatus. *Qualis quæſo Amici ſuaviſſimi, vobis videtur humana vita fabula & repræſentatio?* Ipſa quæſtione, ſapientiſſimus Imperator ſibi reſpondiſſe videtur, dum inſinuat vitam hominis, præcipue Regum eſſe quandam comœdiam vel potius tragœdam; quæ intra paucas horas luditur & abſolvitur. Dum incipit, jam currit ad finem & epilogum. Qualis eſt Vita hominis? Reſpondeat D. Gregorius lib.

Modicū: *quod etiā facit hæc Concio.*

lib. 34. mor. de vita hum. *Ætas noſtra dum diſtenditur & ſubſiſtit: moriendi vice quotidie deficit, per momenta vivendi.* Proinde frequenter, ut dici ſolet: *Hodie eſt in figura, cras in ſepultura*, ſuper illa verba Jobi, *Breves dies hominis ſunt.* c. 14. v. 5. idem D. Gregorius ait, *Ipſum noſtrum vivere, quotidie è vita tranſire eſt.* Et Rabanus l. 1. in Gen. cap. 19. *Per momenta homo, quotidie compellitur ad mortem.* & S. Auguſtinus de brevitate vitæ humanæ. *Homo in mortem fertur præceps, ſicut aqua pronus eſt in mare delapſus.* S. Ambroſius in Pſ. 1. propoſitæ quæſtioni ſatisfacit pulchro ſimili: *Etſi non videmur corporaliter ire, tamen progredimur: nam ſicut in navibus dormientes ventis aguntur in portum, etſi nullus quieſcentibus eſt ſenſus navigandi: tamen ventus eos urget ad finem, & impellit ignaros. Sic vita noſtra ſpatio defluente ad proprium unius cujuſque finem curſu latente deducitur. Tu enim dormis & tempus tuum ambulat.* Hæc & ſimilia, vitæ humanæ brevitatem, divitiarum, honorum, voluptatum, mundique hujus vanitatem indicant. Veritas æterna in hodierna Evangelio totum explicat hac unica vocula, *Modicum!* Id quod, dum hac Concione prolixius, verbis declarare intendo, rogo ut modicum quoque benevolè me, atque attentè audire non dedignemini.

§. 2. *Comparando omnia caduca fumo.*

Flante aura, in ictu oculi, ſummaq; celeritate fumus diſſipatus diſparet, & convertitur in *Nihil.* Talis fumus eſt vita noſtra: talis fumus ſunt honores & divitiæ, talis fumus eſt voluptas, talis fum' eſt omnis gloria hujus mūdi; ſæpiſſime in ictu oculi, celerrime omnia diſparant in morte. Anima hominis poſt mortem pergit ad æternitatē; cadaver includitur ſepulchro, de homine, vel homini, præter animam remanet *Nihil.* Hunc fumum cum Chriſto Domino voco *Modicum.* Placuit hoc ſimile D. Gregorio l. 16 Mor. cap. 5. de celeritate vitæ. *Sic namque aurarum flatu, in altum evecta ſtipula rapitur, ſed caſu concito ad ima revocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, ſed repente in nihilum diſſipatur. Sic nebula ſe erigit, ſed exortus hanc radius ſolis, ac ſi non fuerit, abſtergit.* & Sanctus Auguſtinus in Pſal. 1. v. 4. *Erigitur in altum fumus, & in globum tumidum pergit: quanto magis attollitur, tantò amplius intumeſcit. Sed cum tranſieris, attende poſt te & nihil videbis.* Modicum fumus ille duravit.

§. 3. *Celerem tranſitum oſtendendo in Nabuchodonoſore & Regibus.*

Nabuchodonoſori, cum Daniel prophetando ei varias prædiceret calamitates, videbatur impoſſibile, ut ſuæ potētiæ aliquis reſiſteret, unde deambulans dixit: Dan. 4. v. 27 *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris mei?* Quam turgentia verba? qualis fiducia de diuturno in tali urbe regimine: vocat Babylonem *magnam*, quia teſte Herodoto l. 1. habuit in ambitu murorum quadringenta & octuaginta ſtadia, muri fuerunt craſſi quinquaginta cubitos, alti ducentos, & in his centum portæ æreæ. Hanc urbem Rex arrogantiſſimus, contemplatus, *haccine*, inquit, *eſt urbs illa, quam ego ædificavi?* & putavit ſe diu & multis annis in illa imperaturum. Sed, quando

do talia dixit, adfuit de cœlo Juſtitia, dicente ſcriptura, ibid. v. 22. *Cumq́ ſermo adhuc eſſet in ore Regis*, ô modicum! vox de cœlo ruit: *Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex, regnum tranſibit à te; cum beſtiis erit habitatio tua, fœnum ut bos comedes:* & eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſore. Potentia, imperium, tanti Regis fuit fumus, evanuit, non amplius eſt, fuit *Modicum*, ut Reges, ut Monarchæ hujus mundi timeant DEUM, ut ſint memores vanitatis, ut cogitent pompam etiam Regum eſſe fumum & Modicum: Nimirum non ſoli vilium caſarum, atque mapalium incolæ, non ſoli agreſtes natique ad ſtivam ruſtici, non ſoli pauperes ad Libitinam celeri paſſu contendunt; & vos divites, vos Eucliones, & vos Alexandros, vos Cæſares eadem manent fata. Omnes eadem claudimur orbitâ: modicum eſt, quidquid hic vivitur; etjam dum triumphali quadriga ducimini, per compita & plateas: *Modicum*, etiam dum de hoſtibus triumphatis oppreſſis: *Modicum*, etiam dum vernans juventutis flos, ſeros promittit nepotes: *Modicum*, etiam dum inter tympana & tubas acclamant univerſi, dum fortuna ridet, arridet: *Modicum*, etiam dum omnia ad nutum proſperè fluunt: *Modicum*, paulo poſt eodem cogemur ordine, omnes eadem claudemur orbita. Omnia tranſeunt!

§. 4. Vita hominis eſt

Dico vos advertere ex cit. loco Danielis, quàm illa particula, CUM *ſermo adhuc eſſet in ore Regis*, in ſenſu morali eleganter explicet Evangelicum *Modicum*. Cùm enim filii hujus ſæculi, v. g. cum divites dicunt: Nunc requieſce anima mea, habes bona plurima, jam ædificatæ ſunt ædes, dilatata cellaria, amplificata horrea, cultæ ſunt vineæ, &c. cum hæc dicunt, cum talia cogitant, tunc adeſt mors derepente, quæ in ictu oculi, divitum claudit oculos; & quid illorum vita in maximis divitiis fuit, niſi *Modicum!* Cùm voluptuoſi dicunt, ex libro Sapientiæ, cap. 2. verſ. 8. *Venite coronemus nos roſis, &c.* cum putant ſe floribus coronatos, tunc adeſt mors, tollit flores & roſas, offert myrthum & vocat ad ſepulcrum. O Modicum! Miror quoties lego lib. 1. Regum caput decimum, verſ. 1. ubi cum Samuel unxiſſet Saulem in Regem, illi dixit: *Hoc tibi ſignum, quia unxit te Deus in Principem; cum abieris hodie à me, invenies duos viros juxta ſepulcrum Rachel.* Quid coronæ, quid ſceptro, quid regiis divitiis, quid roſis, cum ſepulcro? cum fœtido cadavere dudum ſepultæ & putrefactæ Rachelis? Memoria nimirum mortis, Regibus, divitibus, filiis vanitatis, nimis eſt amara & moleſta, identidem tamen ingerenda. Propter quam cauſam Samuel quoque dixit Sauli, ut Mendoza priora illius verba explicat: *Coronam tibi obtuli, ſed tu ad ſepulcrum perge:* & quidem Rachelis, quæ fuit formoſiſſima fœmina, & tamen in flore ætatis fuit mortua. Ad ſepulcrum perge,

celer curſus ad ſepulcrum.

cui

Digitized by Google

cui te faſtus regius non eripiet, ſed includet, & fortaſſis poſt modicum, poſt paucos annos, quod etiam contigit & morte luctuoſa. Advertitisne hæc, ô filii vanitatis: offert vobis mundus roſas, flores & coronas, ſed cum illis pergitis, & properatis ad ſepulcrum. Offert opes Crœſi, Midæ divitias, Regum theſauros; ſed acceleratis ad ſepulcrum. Offert purpuras, ſceptra, coronas, ſed feſtinatis ad tumulum. Pollicetur Principum favores, Magnatum gratiam, Regum amicitiam: ſed ad mortem contenditis. Montes promittit aureos, ſpondet fauſtos omnium conceptuũ veſtrorum ſucceſſus, eventus ominatur lætiſſimos. Sed, *O formoſe Puer nimium ne crede colori*, mendacium eſt, quod falſus ſpondet mundus; vanitas, quod ominatur, quod prædicit, fumus, pulvis, umbra; vide potius quàm celeri greſſu tua fata accelerent; hæc Veritas eſt; Vide quàm parum abſis à ſepulcro, hæc ſapientia eſt. Vide quâ te ratione ad felicem ex hac vita diſceſſũ, compares; hoc tuo ingenio digna eſt meditatio.

§. 5. *Illa celeritas exponitur variis verbis & ſimilitudinibus ex S. Scriptura & ſanct. PP.*

Vix quicquam eſt, quod ſacræ literæ, earumque Interpretes & ſancti Patres, tam variis verbis & modis explicent, ſicut hoc Modicum. Ipſas ſimilitudines ex S. Scriptura alibi adduco. Modo aliquos ſanctos Patres audite, & quidem S. Auguſtinum ſer. 23. de verbis Domini. *Temporalia bona non ceſſant inflammare futura, corrumpere venientia, torquere tranſeuntia: concupita inardeſcunt, adepta vileſcunt, amiſſa vaneſcunt!* Sunt fumus! qui modicum durat in aëre! Ex mente Jobi cap. 9. v. 25. *Dies hominis velociores ſunt curſore, fugiunt, pertranſeunt, quaſi naves poma portantes*, quæ properare debent, ne poma computreſcant. Alii legunt. *Sicut naves volantes*, vel, *Sicut aquila volans ad eſcam*. Tum celerrimus eſt volucris hujus volatus, celerius tamen homo properat ad ſepulcrum. S. Auguſt. *Quò magis feſtinant, ut ſint; eò magis feſtinant, ut non ſint.* Philo libro de Joſepho. *Vigilantium imaginationes, ſomniis ſunt ſimillima, veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt: prinſquam comprehendantur, avolant.* ut impii ultrò fatentur apud Iſaiam cap. 12. v. 13. *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Hæc omnia, tempus eſſe breve, præterire, evaneſcere, currere, fugere, pertranſire, feſtinare, volare, properare ad non eſſe, abire, avolare, & celerrimè cras mori; quid verba tam varie explicant aliud quàm *Modicum* vitæ humanæ, *Modicum* divitiarum, *Modicum* honorum, *Modicũ* voluptatum, & omnis gloriæ hujus mundi. Omnia durant brevi tempore, mox evaneſcunt, fugiunt, volant, avolant, properant, ut cras non ſint. Interim tamen, hoc Modicum, *filiis hujus ſaculi longum videtur, quoniam adhuc agitur*, adhuc ſũt in divitiis, &c. *cùm finitum fuerit, tunc ſentient, quàm modicum fuerit*, inquit citatus S. Auguſtinus.

§. 6. *Exponitur Modicum per ſomnium.*

Super verba illa Jobi cap. 27. v. 19. *Dives cũ dormierit, nihil ſecũ auferet; cũ dormierit, aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet*, ait S. Greg. M. lib. 18. Mor. cap. 19. *In his verbis docuit, quod impius cũ in morte evigilat, in vera cognitione, tunc nihil eſſe conſpicit, quod tenebat.*

Digitized by Google

Veniet quandoque tempus ut evigilet, & tunc cognoſcet, quod vacuum fuerit, quod in ſomno tenebat. Confirmatur ex Pſalm. 15. v. 6 *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* ubi pulcrè S. Ambroſius, *Dormierunt ſomnũ ſuum; & quia dormierunt divites ſomnum ſuum,* id eſt mortem impiorum, *non habent Chriſti quietem, non reſurgunt Chriſti reſurrectione.* ſcilicet ad gloriã, ſed ad damnationẽ. Parũ eſſet, divitias, honores, voluptates fuiſſe Modicũ, hoc luctuoſũ eſt; hoc modicũ finire, terminare, infelici morte, quæ poſt Modicũ, æternam ſecũ trahit damnationem. D. Gregor. l. 10. Mor. c. 38. *Vitæ fugientis amatores, dum ſtudioſè ſe in præſentibus conſtruũt, repente ad æternam pœnam rapiuntur.* Cum dives in Evangelio diceret, Luc. 12. v. 19. *Anima mea, habes bona plurima,* ruit vox de cœlo, *ſtulte, hac nocte repetunt animam tuam,* & nocte illa mortuus, ſepultus eſt in inferno; ubi ardet, & æternum ardebit.

§. 7. *In hac vita omnia ſunt Modicũ, in altera omnia æterna.*

Sic, *Modicum*, locum habet in hac vita, in altera, omnia ſunt æterna. Hic, quidquid poſſides, breve; quidquid deſideras, anguſtum, quidquid cogitas, Modicum eſt. Ibi, quidquid vides longum; quidquid ſentis, diuturnum, quidquid numeras, infinitum: quidquid pateris, æternum eſt. Hic, ſi qua fortè te premit calamitas; eam inſtantis propediem finis memoriâ conſolaris; ibi, nulla finis ſpes, nulla termini poterit eſſe expectatio. Hoc, mi Chriſtiane, *Modicum*, ſæpe, ſi ſapis, cum Æterno confer. *Modicum* & æternum hujus & alterius vitæ dominatum, inter ſe diviſerunt. Felix, qui hic ita *Modicum* conſiderat, ut ibi æternùm gaudeat. Felix, qui à modicis animum ſuum hic abſtrahit, ut aliquando poſſideat æterna.

§. 8. *Hedera Ionæ arroſa à vermiculo, eſt pulcrum ſymbolum Modici.*

Jonas excedens ex civitate Ninive, exivit in campum & facit ſibi umbraculum, ſub quo requieſceret; ad majorem delectationem, Jonæ 4. v. 5. *Deus præparavit hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ, ut eſſet umbra ſuper caput eius, & protegeret eum:* quo facto, ait v. 6 cit. capitis, *lætatus eſt Ionas ſuper hæreda lætitiâ magnâ.* fortè cogitavit, diu hic habitare, morari, vivere, gaudere; ſed unica nocte ſtetit viridis hæc domuncula; nam v. 7. *paravit Deus vermem aſcenſu diluculi, in craſtinum, & percuſſit hæderam. & exaruit.* Unde adeò contriſtatus fuit Jonas, ut petiverit animæ ſuæ, ut moreretur, & dixerit, *Melius eſt mihi mori quàm vivere.* Advertitis? Domuncula tam elegans, hædera tam viridis, habitatio tam jucunda, lætitia Jonæ tam magna, omnia fuerunt Modicum; in cauſa fuit unicus vermiculus. Talia umbracula & tabernacula ſibi erigunt filii hujus ſæculi; divites illa ornant auro & gemmis; voluptatis clientes, roſis: Superbi, coronis, purpura & ſceptris: hic habitare cogitant, & cũ magna lætitia, multis annis, longo tempore; & dum hæc cogitant, Deus parat vermem, mittit morbum, mortem allegat; mordet hæderam, & vitam humanam hic vermis, & momento omnia exareſcunt. Omnia fuerunt *Modicum*,

§. 9. *Et Cedrus montis*

Breviter ſed acutè dixit Divid Pſal. 36. v. 34. *Cum perierint peccatores, videbis,*

Libani, ex Pſ. 36 *debis*; & quid videbimus ? nimirum quod ait, ſe ſuis oculis vidiſſe: *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani.* Quid inde ? *& tranſivi, & ecce non erat: quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.* Modicum ſterit, modicum floruit tam elegans arbor. S. Ambroſius in hunc locum ſic ait: *Vidi eum in ſæculo hoc, vidi eum oculis corporis, vidi etiam elevantem ſe, & ſuperexaltantem in ſermonibus ſuis; æſtimantem, ſe aliquid eſſe, qui nihil eſt.* Vides Cedrũ in monte altiſſimo ſuperexaltatũ ? ſed vento frangitur, ſed igni exuritur; ſed vetuſtate diſſolvitur, ſed roditur à vermibus, à putredine conſumitur. Ita eſt dives in ſæculo; fulget quidẽ ſplendore quodam gratiæ ſæcularis, ut libanus, nixus eſt mundi potentiæ; opibus & divitiis exultat: videtur aliquid eſſe; ſed tranſi, expecta parumper, donec moriatur talis dives, vel Rex, vel Princeps; tum tranſi, tum accede ad ſepulcrum, tum aſpice cineres, & videbis, quid ſuperſit, pulvis, cinis. Nihil! tunc agnoſces, Cedris altiſſimis & pulcerrimis appendi poſſe tabellam cedrinam, cui ſtylo ferreo inſcripta eſt hæc vocula, *Modicum*! Regum, Principum, Divitum tumulis & tumbis, brevius & verius Epitaphium inſcribi non poteſt, quàm hæc vocula Chriſti, *Modicum*!

§. 10. Qualis fuit Aman, clamans de patibulo, Modicũ. Cedrus altiſſima erat Aman, egreſſus è convivio Regis & Reginæ, lætus & alacer reverſus domum, convocatis amicis, & uxore, illis expoſuit, Eſter c. 5. v. 11. *magnitudinem divitiarum ſuarum, & quanta cum gloria, ſuper omnes ſervos ſuos Rex ſe elavaſſet.* poſt hæc ait: *Regina quoque Eſther nullum alium vocavit ad convivium cum Rege, præter me, apud quam etiam cras cum Rege pranſurus ſum.* En, quanta gloria: altius hæc cedrus non videtur potuiſſe excreſcere, & eâdem nocte, hoſti ſuo Mardochæo machinatus fuit mortem. Tranſite parumper Auditores, expectate, quieſcite unica nocte, cum cras, diluculo, Aman perierit, cum cras, ille Aman! pendebit in patibulo, cum cras, ipſe, & domus ejus tota, ipſe, ejuſque divitiæ, ipſe, & ejus jactantia: ipſe, & filii, & uxor, & quæcunque ejus erãt, non erunt ipſius; cras, cum illa Cedrus à vento regii furoris radicitus eradicabitur, cras, cum tota ejus gloria & pompa, cum radix, truncus, rami, folia, flores, fructus, redigentur in favillam, tunc videbis! quid videbimus? Amanum, non amplius eſſe, præteriiſſe, abiiſſe, fugiſſe, avolaſſe omnem ejus gloriam, non inveniri amplius locum ejus. Agnoſcetis æternam Veritatem, in hodierno Evangelio, bene, verè omnia hæc vocaſſe Modicum.

Qualis Cedrus Alexauder Magnus? ut caput 1. lib. 1. v. 34. Machabæorum dicat, *Siluit terra in conſpectu ejus, exaltum eſt, & elevatum cor ejus; obtinuit regiones gentium, & tyrannos, & facti ſunt illi in tributum.* Siſtite parum, ſtate, conſiderate tam elegantem arborem. *Poſt hæc*, ait textus, *decidit in lectum, & cognovit, quia moreretur.* Mortuus eſt Alexander: cecidit illa alta & ſuperba Cedrus: jam tranſite & videte; quid videbimus? non eſſe amplius; Alexandri *§. 11. Et Alexander M. clamans ex inferno Modicum.*

 glori-

gloriam duraſſe *Modicum.* Alexander, Amanus, ſimileſque tyranni ex inferno clamant ex Pſalm. 89. v.7. *Defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus.* Aman cogitabat videre Mardochæum pendentem de patibulo; quàm turbatæ fuerunt hæ cogitationes, ipſe ſuſpenſus fuit. Alexander cogitabat alterum ſibi ſubjicere mundum: turbavit ſubitò mors has cogitationes, antequam unum devicit, vidit ſe mori. Symmachus & Aquila citatum Pſalmi 89. verſum ſic legunt: *Acceleravimus.* Breves fuerunt dies vitæ noſtræ, fugit gloria noſtra, avolarunt noſtræ divitiæ, nos cum illis properavimus ad ſepulcrũ, & citò, celeriter, feſtinanter, ut potentiſſimi, ut ditiſſimi, intelligant & diſcant, omnia vana in hoc mundo ex mente & doctrina Chriſti, eſſe *Modicum.*

§. 12. *Epilogus per varia antitheta proponit mundi fallaciã, & adhortatur ad amorem cæleſtiũ.*

Omnia quæ hactenus dixi, quotidiana confirmat experientia. Mundi mel, poſt modicum, eſt fel, ejus munera, funera; ejus pax, fax: ejus arriſus, irriſus: ejus culmen, fulmen: illius jocus, focus. Mũdi fallacis oculi, poſt modicũ ſunt ſcopuli: ejus cumuli, tumuli: illius ſors, mors. Mundi lætitia, poſt modicum eſt triſtitia; honos, onus: ſapientia, dementia: mellei boli, fiunt doli. Mundi amplexus, poſt modicum, fit nexus, blanditia, ſævitia: copia, inopia: Mundus amat, poſt modicum hamat: pſallit, mox fallit: blanditur, mentitur: oritur, ſtatim moritur. Si talis eſt mundus, ut quid diligitis mundum? qui momento vobis auferri poteſt. D Chryſoſtomus hom. 14 in ep. ad Rom. ait: *Res ipſa in dies ſingulos tubâ clarius clamitant, præſentium rerum tenuitatem, pericula, vanitatem.* Modicum quid diligitis? *Nolite conſtanter diligere mundum,* ait S. Anſelmus, *dum amatis, fugit.* Deum potius & Chriſtum D. amemus, qui cœleſtia offerunt & æterna. Qui mundi bona deſiderat, *Modicum* deſiderat, qui ad Chriſti opes anhelat, ſuſpirat ad æterna! O Jeſu! divinæ fons ſapientiæ! tu illius modici, quod ore tuo nos docuiſti, ita nunc precor, profundè noſtris animis imprime, ut amemus cœleſtia. Jam ex hoc momento proteſtor cum meis Auditoribus, velle nos, *modicum,* quod offert mundus, contemnere, velle nos æterna præ temporalibus, &c. Tu modo hanc noſtram mentẽ benigne ſuſcipe, & voluntatẽ clementer tribue, ut conformem ei vitam ducamus.

Suſpirium ad Chriſtum Ieſũ.

CONCIO XXV.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Vado ad eum, qui miſit me: quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum, Joan. 16. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX ſacra Scriptura, aliiſque argumentis probatur hæc maxima: Summa in cœlis

Digitized by Google

cœlis gloria, ſumma voluptas, ſummumgaudium erit videre Chriſtum, & eſſe cum illo. Additur unus & alter modus, quo ad tantam felicitatem nos debemus diſponere.

§. 1. *Chriſtus Dominus variis dictis contriſtavit Apoſtolos.*

§. 2. *Et variis modis fuit conſolatus: præſertim memoriâ gloriæ cœleſtis, de qua agit hæc Concio.*

§. 3. *Summum in cœlis gaudium erit, videre Chriſtum in gloria: præſertim oculis Beatorum.*

§. 4. *Aurium ſumma erit oblectatio, audire laudes Chriſti.*

§. 5. *Chriſtus in gloria erit lilium, vel thuribulum cœleſti odore replens Paradiſum.*

§. 6. *Ineffabilis jucunditas erit, eſſe cum Chriſto: probatur ex c. 17. S. Matthæi.*

§. 7. *Ubi Chriſtus, ibi gaudium, experti fuerunt tres Pueri in fornace Babylonicâ.*

§. 8. *Et latro in Cruce.*

§. 9. *Guttula cœleſtis gloriæ, ſuperat omnia gaudia mundi, quàm immenſa erit gloria, hauſta ex aſpectu Chriſti.*

§. 10. *Qui tantæ gloriæ in cœlis cupiunt eſſe participes, in hoc mundo ament Chriſtum.*

§. 11. *Amor Chriſti, & Crucis, præcipuè nos diſponunt ad illam gloriam.*

§. 12. *Proſecutio.*

§. 1. Chriſtus D. variis dictis contriſtavit Apoſtolos.

IN ultima ſua Concione & valedictione ad Apoſtolos & diſcipulos, veſpere Paſſionis, multa illis dixit Salvator noſter, quæ illos turbare, & triſtitiâ implere illorum corda non immeritò potuerunt. Ait illis, non omnes præſentes eſſe electos, & ipſe turbatus ſpiritu proteſtat⁹ dixit, Mar. 14. 18. *quia unus ex vobis tradet me.* Non turbarent hæc verba Apoſtolos? quis miretur, quod aſpexerint ſe ad invicem, hæſitantes de quo talia diceret. Ait deinde Chriſtus Dominus, *Abſque ſynagogis facient vos: venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Hæc facient vobis, &c. Amen, Amen dico vobis, plorabitis & flebitis vos: mundus gaudebit, vos contriſtabimini; in mundo preſſuram habebitis,* Joan. 16. 20 Hæc & ſimilia non turbarent diſcipulos? quid mirum, quod impleverit illos triſtitia. Sed tamen, tum ſummus fuit illorum mœror, cum Chriſtus Dominus ſe debere illos deſerere, iturũ ſe ad Patrem, ipſos autẽ manſuros in hoc mundo edixit: ibid. v. 16. *Modicum*, ait, *& non videbitis me, quia vado ad eum qui miſit me.*

§. 2. Et variis modis fuit conſolat⁹, præſertim memoria gloriæ cœleſtis, de qua agit hæc Concio.

Variis itaq; modis Chriſtus Dominus ſimul triſtes diſcipulos fuit conſolatus: proferendo multa, de amore cœleſtis Patris erga ſe, & erga ſuos: promittendo illis Spiritũ S. & verum gaudiũ, abhortando illos ad orationẽ & mutuã dilectionẽ, prædicendo fore, ut triſtitia vertatur in gaudium, fletus in riſum, contemptus in gloriã. Solatiũ ſumũ fuerũt illa verba Chriſti, *iterũ videbitis me. Vado enim parare vobis locum*, & manſiones pulcherrimas, ut in illis aliquando æternùm mecum gaudeatis. Inſinuant nobis hæc verba, ſummam aliquando in cœlis fore felicitatem, videre

Chriſtum in gloria, & eſſe cum illo in beatis illis manſionibus in æternum. Vos interim jucundiſſimum orationis argumentum, lætis ſimul atque attonitis animis excipite; & cum me de æternâ illâ Beatorum gloriâ differentem audietis, de veſtra me patria, de ſalute veſtra, de domo, in qua æternum habitatis, loqui cogitate.

§. 3. *Summum in cœlis gaudium erit, videre Chriſtum D. in gloria, præſertim Oculis Beatorũ.*

Unum ex præcipuis gaudiis Beatorum in cœlis, erit videre Chriſtum Salvatorem, in gloria & majeſtate, & pulchritudine, & decore ſuo. Omnes ſenſus habebunt objecta magni gaudii, atque inexplicabilis lætitiæ. Quidquid delectabile, & deſiderabile erit viſu, ibi erit: aurea palatia, gemmeæ plateæ, cryſtallini muri, amoeniſſimi horti, fontes, prata, &c. Hoc eſt admirabile, quod hominis oculos nihil adeo oblectet, quam pulchritudo formoſi hominis, unde Aſſyriis dicitur; *Conſiderabant faciem ejus*, (nimirum Judithæ. 10. v. 14.) *& erat in oculis eorum ſtupor, quoniam pulchritudinem ejus mirabantur nimis.* Quale gaudium erit in cœlis, videre milliones Beatorum, inter quos minimus, ſua pulchritudine, vincet omnem venuſtatem, quæ in hoc mundo oculis noſtris objici poteſt. Quid verò erit videre Chriſtum D. in gloria ſua? natabunt oculi Beatorum in oceano illius pulcritudinis, immerſi torrenti voluptatis. l. 3. Regum. cap. 1. v. 40. narratur, quanto gaudio populus Iſraëlis fuerit perfuſus: *aſcendit enim canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra à clamore eorum*, eo quod viderent Salomonem, coronatum Regem; quale erit gaudium in cœlis videre Chriſtum, Salomonem cœleſtem, Regem cœli & terræ coronatum, corona gloriæ infinitæ? cũ Job cap. 19. v. 25. illud conſideravit, in hoc exilio, inter graviſſimos dolores, in ſua tribulatione, his verbis ſe fuit conſolatus: *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in carne mea videbo DEUM meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt. Repoſita eſt hæc ſpes mea, in ſinu meo.* Hæc modo, de gaudio oculorum ex aſpectu Chriſti Salvatoris in gloria, & pulchritudine ſua.

§. 4. *Aurium ſumma erit oblectatio audire laudes Chriſti.*

Oblectatio aurium ſimiliter erit cœleſtis, tum ob Muſicam & melodiam, quæ ibi perpetuò reſonabit, tum ob voces laudis; & ſuavitatem loquelæ, qua Sancti in cœlis utentur. In præſenti materiâ de gaudiis cœli, quæri ſolet, an revera futura ſit ibi Muſica & harmonia, qualis cauſari ſolet à diverſis inſtrumentis, artis muſicæ, organis, tibiis, fiſtulis, cytharis, &c. Sed quæſtioni clarè videtur ſatisfacere S. Joannes in Apocalypſi cap. 14. v. 20. *Et vocem, quam audivi, ſicut cytharædorum cytharizantium in cytharis ſuis.* Seraphicus Sanctus Franciſcus in agone ab Angelo recreatus fuit, unico quaſi ductu, tactuque cœleſtis chelys, & putavit ſe eſſe immerſũ æternæ beatitudini. Quod ſi unicus Angelus ita recreavit aures S. Franciſci, quid facient milliones cœleſtium Muſicorum, canentium divinas laudes? Nolo hic inhærere Suavitati, quâ fruentur aures ex cœleſti loquelâ inter Sanctos, præſertim cum Chriſto & B. Virgine; hoc, modò

modò tantùm inſinuo; Cogitate, quidquid in aurium recreationem ulla commenta eſt ætas; quidquid ars æmula naturæ in delectionem reperit, quidquid à quacunque ſuavi voce animalium, hominumque natum eſt, canorum gratumque, nihil erit ad illam delectionem, quæ erit in cœlis in auribus Beatorum, præcipuè illam, quam haurient ex auditu, quo audient laudes & benedictiones, gratiarumque actiones, quibus Chriſtus Redemptor noſter æternùm in cœlis laudabitur. Vox Patriarcharum erit; *Salus & laus IESV Salvatori noſtro.* Vox Prophetarum, *Vivat oraculorum noſtrorum ſcopus; Vivat tenebrarum noſtrarum expulſor, Sol Juſtitiæ: Vivat, in quem tot annorum luſtris, imò ſeculis ſperavimus!* Confeſſores exclamabunt, *Hic JESVS eſt, quem corde, quem ore, quem vultu, quem inceſſu, quem vitâ moribuſq́; confeſſi ſumus. Vivat, Vivat!* Acclamabunt Martyres, *ſit laus Deo noſtro, pro nobis quondam crucifixo, cujus nos ſanguis animavit ad prælium; cujus nos Vulnera ſtimularunt ad certamina; cujus nos patientia, ad fundendum pro ipſo pariter ſanguinem, induxit.* Virgines denique accinent, *Vivat Agnus noſter, floreat lilium noſtrum, triumphet ſponſus noſter, exultet amoris noſtri Amor. hic Agnus, Jeſus eſt: hoc lilium, Jeſus eſt: hic ſponſus, Jeſus eſt: Amor noſter Jeſus eſt! ipſi laus, honor, benedictio & gratiarum actio, & virtus, in ſecula.* O divinas voces! O amabiliſſima beati Auditus gaudia! quæ cum conſideraret S. Auguſtinus, in lib. meditationum cap. 25. non potuit ſibi ab illis temperare ſuſpiriis, dum ait, *Felix ego, & verè in perpetuum felix; ſi poſt reſolutionem hujus corpuſculi, audire meruero illa cantica cœleſtis melodiæ, fortunatus ego, nimiumq́; beatus, ſi & ego ipſe meruero cantare ea, & aſſidere Regi meo. & cernere eum in gloriâ ſuâ, & audire, quomodo æternùm laudetur.* Summa itaque oblectio aurium in cœlis, erit laus Jeſu Chriſti: Sanctorum aures cum oculis natabunt in oceano voluptatis.

De odoribus cœli Empyrei ait P. Suarez de ſanctis; *ipſa etiam Beatorũ corpora, imò & locus ipſe, ſuaviſſimum odorem ſpargent*: In Paſchate canit Eccleſia, *Sancti tui Domine florebunt ſicut lilium. & ſicut odor balſami erunt ante te.* S. Joan. vidit Angelos ante thronum ſtantes cum thuribulis aureis, plenis odoribus Sanctorum. In feſto Corporis Chriſti, cum in aliquo capaci templo, in præſentia conferti populi, inter ſuavem Muſicam, inter illas cæremonias, quibus adoratur & colitur SS. Sacramentum, ſuaves etiam apparantur odores? cũ perſonati Angeli, vel alii miniſtri Eccleſiæ, altare circumeunt, cum argenteis thuribulis; odorum illa fragrantia, mirificè oblectat noſtrum odoratum. Ob templi elegantiam, ob veſtium & altarium ornatum, propter aſpectum auri, argenti atque gemmarum, ob ſuavitatem muſicæ, propter odorum fragrantiam, videmur nobis eſſe in aliquo paradiſo. Quid erit igitur in cœlo, ubi aurea, gemmeaque illa civitas, cœleſtis Jeroſolyma, plena erit odoribus, cœleſtibus & præſertim illo, quem ſpar-

§ 5. Chriſtus in gloria erit lib[a]ũ vel aureũ thuribulũ cœleſti odore replens Paradiſum.

get

Digitized by Google

get illud aureum thuribulum Divinitatis, illa SS. Humanitas, illud glorioſiſſimum Corpus Chriſti Salvatoris noſtri: Pulcerrimus Jeſus, quale erit lilium, qualis odor balſami erit ante illum? *Tunc ſurſum reſpiciens* (ait S. Gregorius de S. Tarſilla Virgine in agone) *Ieſum venientem vidit, tantaque ſubito fragrantia boni odoris aſperſa eſt, ut ipſa quoque ſuavitas cunctis oſtenderet, illuc Auctorem ſuavitatis veniſſe.* Et quæ ab illo ſpirabit ſuavitas in cœlis! in naribus Beatorum, quibus præſens eſt in gloria: ſponſa cùm hoc conſideraret, ingemuit, *Trahe me poſt te, curram in odorem unguentorum tuorum*, Cant. c. 1. v. 3. ſumma itaque voluptas odoratus in cœlis, erit Jeſus Nazar. Beatorum nares, cum oculis, cum auribus natabunt in pelago deliciarum.

S. Gregorius de ſancta Tarſilla virg. cui Chriſtus Ieſus in agone apparuit

§. 6. *Ineffabilis jucunditas erit, eſſe cum Chriſto. Probatur ex cap. 17. Matth.*

Idem dicendum eſt de objectis guſtus & tactus, ſive de ineffabili quadam delectatione, quæ admirabili & ſuaviſſimo modo, quo hi ſenſus, & omnia membra corporis alicujus beati, æternum recreabuntur. Modò hic non hærebo, propero enim, ut tandem clarius oſtendam, JESUM in cœlis fore objectum ſummæ beatitudinis. Dico itaque, ineffabilem fore jucunditatem, in cœlis eſſe cum Chriſto. Matth. 17. v. 2. Chriſtus D. Petrum, Joannem & Jacobum eduxit in excelſum montem, & apparuerunt Moyſes & Elias, loquentes cum JESU. Gloria verò, quæ in Chriſto abſcondita latebat, per ſplendoris ſui redundantiam in vultu ejus apparuit, unde *reſplenduit facies ejus ſicut ſol; veſtimenta autem ejus facta ſunt alba, ſicut nix: nubes lucida obumbravit eos.* Sic locus ille in monte, repente viſus fuit Petro, tam beatus, ut præ gaudio exclamarit, *Bonum eſt nos hic eſſe.* O nos beatos! ſi hic permanere liceat: *faciamus* itaque *hic tria tabernacula.* Et unde in Petro tantum deſiderium hic commorandi, hic habitandi, hic permanendi? unde tanta cœleſtis lætitiæ redundantia? Reſpondet S. Remigius in catena D. Thomæ de loco. *Viſa Domini Majeſtate, adeo delectatus eſt, ut cuncta temporalia oblivioni traderet, & ibi in perpetuum vellet permanere.* In monte? inter ſaxa & lapides? inter vepres & ſpinas? inter ventos, & aëris tempeſtates? quidni? omnia hæc, paradiſus ſunt, ſi Chriſtus adeſt. Ob duas ſcilicet cauſas, addit S. Remigius. 1. Ratione viſionis: quia Petrus videbat Filium DEI. Venerabilis Beda. *Petrus glorificatam Chriſti Humanitatē contemplatus, tanto afficitur gaudio, ut nullatenus ab ejus intuitu vellet ſecerni: atque ideo dixit, Bonum eſt hic eſſe.* 2. Ratione fruitionis; quia per cordis jubilum, quo in monte Thabor Petrus afficiebatur, dulciter ſe rapi ſentiebat, ut alibi eſſe non deſideraret. *Ex nimio fervore, Petrus, videns gloriam, ita affectus erat, ut nunquam voluiſſet ſeparari*, ait Doctor Angelicus; ideoque proponit Domino hoc conſilium, *faciamus hic tria tabernacula.* Dion. Carthuſianus ait, *ſi ex Petro quæſitum fuiſſet. Quid hic ages Petre? quare hic manere deſideras? reſpondiſſet: Ut videamus Chriſtum in tanta Majeſtate & gloria.* Unde advertere poſſumus, quam deſiderabilis, & imenſa futura ſit gloria, quam Beati haurient ex tam amabili objecto, quod erit Jeſus Chriſtus Filius Dei. Si enim

in hoc

Digitized by Google

in hoc mundo, inter ſpinas, converſatio cum dilecto noſtro, dum latet poſt cancellos, dum faciem gloriæ abſcondit, tam eſt dulcis; quàm ſuavis illa erit inter roſas & lilia? ſi nobis tam bene eſt, cum per Fidem, Spem & Caritatem, per ſancta deſideria, adhæremus Redemptori noſtro; ſi ſeparari ab illo non cupimus: ſi hic alia tabernacula non deſideramus, quã Vulnera crucifixi, quantis tum affluemus deliciis, cum illum non amplius velut per ſpeculum, & in ænigmate contemplabimur; cùm non in umbra tantùm, ſed in clariſſima luce glorioſe radiantem ſpectabimus: cum ſuſpiciemus frontem illã majeſtate plenam, illos binos oculos gratiſſimo lumine, ſupra omnem gemmarum ſiderumq; fulgorem radiantes, illas amabiles genas: illa ter dulcia labia: collũ illud lacteum, illos fortiſſimos humeros, pectus illud, amoris divini ſedem: ah: quæ nobis mens erit, quis tener affectus, cum beneficas illas Filii Dei manus intuebimur: illas inquam manus, quæ tot ægris ſanitatẽ, tot languentibus vires, tot egenis opes: tot miſeris fortunam reſtituere benigniorem? quid cum omnia totius corporis membra, articulos, nervos, venulas, cæſuras, compoſitionẽ denique ipſã inſtar cryſtalli diaphanam, luſtrabimus! Domine, quam bonum erit, nos ibi eſſe: O Jeſu oſtẽde nobis vultum tuum! O ſponſe! monſtra nobis faciem tuam, & ſalvæ erũt animæ noſtræ! Hæc ſancti quoque Remigii fuit cogitatio, cũ dixit: *Si autem tunc Petrus ſic accenſus eſt, quanta erit ſuavitas & dulcedo, videre Regem in decore ſuo: & intereſſe choris Angelorum, & Omnium Sanctorum, illum laudando, &c.*

§. 7. *Ubi Chriſtus ibi gaudium: experti fuerunt tres Pueri in fornace Babylonica.*

Inquirunt Interpretes cauſam, ob quam tribus Pueris in fornace Babylonicâ, inter flammas fuerit bene? cur tam ſuaviter cecinerint & benedixerint Dominum? *Ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum & benedicentes Domino.* Ex aliis verbis Danielis cap. 3. *Et ſpecies quaſi ſimilis Filio Dei*: inferunt aliqui Interpretes, fuiſſe illis inter flammas objectam ſpeciem vel imaginem formoſiſſimi adoleſcentis, tanquam figuræ ſanctiſſimæ Humanitatis, quam ſuo tempore aſſumpturus eſſet Filius Dei; & ſuaviſſimi hujus vultus aſpectus, effecit ut flammarum ardores non ſenſerint, ut inter ignes fuerint quaſi in paradiſo. *Et quomodo fornax non ſuavis fuerit pueris* (Loquor cum Didaco de Baëza tom. 3.) *qui ſecum Chriſtum habebant? ſanè ubi Chriſtus eſt, vel in mediis tormentis & periculis; ibi & refrigerium, & ſuavitas, & malorum medela.* Intelligamus hoc de quacunque Cruce & adverſitate, quâ premimur.

§. 8. *Et latro in Cruce.*

Pendente Chriſto D. in Cruce, ad latus dexterum pependit pius latro; cui poſt humiles preces, *Domine memento mei*: reſpondit Jeſus, *Hodie mecum eris in paradiſo*; Luc. 23. 43. id eſt, ait Dion. Carthuſ. *in affluentiâ beatitudinis veræ.* Alii. *In loco amœniſſimo & jucundiſſimo.* In manſionibus pulcerrimis. Sed nunquid anima latronis deſcendit ad limbũ, manente cadavere in ſepulcro? nunquid paradiſus erat ad huc clauſus; neque apertus fuit, antequam Chriſtus D. eò glorioſus aſcẽderet: Sic reſpondet citatus Doctor. *Cum Chriſtus in limbum Patrum deſcendiſſet,*

mox animas ibi repertas beatificavit, dando eis præmium eſſentiale: videlicet beatiſſimam fruitionem Divinæ eſſentiæ, cujus beatitudinis gloria, jam nomine Paradiſi exprimitur; & ſic latronis quoque anima ſtatim beatitudinem adepta eſt, & fuit in paradiſo. Hoc infero ex hoc diſcurſu? ſi in limbo, in loco obſcuro & tenebroſo, ſi in cruce, ſi inter flammas, tanta eſt felicitas, tanta beatitudo, eſſe cum Chriſto; quid erit eſſe cum illo in cœlo? quid erit, ibi illum videre, ibi frui ejus aſpectu? & in omnem æternitatem? ſi hic mundus, qui revera eſt ardens fornax Babyloniæ, amatoribus Jeſu eſt cauſa & fons tantæ ſuavitatis; qualis fons gloriæ, & lætitiæ erit in cœlis.

§. 9. *Guttula gloriæ cœleſtis ſuperat omnia gaudia mundi: quam immenſa erit gloria hauſta ex aſpectu Chriſti.*

Sed audiamus, quid de minima gloria cœleſtis beatitudinis Richardus de S. Victore exiſtimet, ſerm. de Spiritu S. *Audacter affirmo, quod ſola una hujus mellis ſtilla poteſt, quod totus mundus non poteſt: Cor quidem copia mundi non ſatiat: una hujus dulcedinis gutta plane inebriat.* Sic Sanctus hic loquitur de minimâ beatitudine: O animæ piæ! quid faciet in cœlis ille torrens voluptatis, qui fluet ex pulcerrimis oculis Jeſu, cum illum videbimus ſicuti eſt: quomodo ſatiabit illos, qui in hoc mundo nihil deſiderarunt magis, quam videre Jeſum. Quid faciet ille torrens lætitiæ, qui fluet ex aſpectu glorioſiſſimorũ Vulnerum ſuper illos, quorum in hoc mundo voluptas fuit, in illis habitare. Quid faciet fluvius mellis, qui fluet de mellea lingua Jeſu glorioſi! Audacter affirmo, ſũma gloria, ſũma voluptas, ſummum gaudium in cœlis erit videre Jeſũ, & vivere cum illo in longiſſimam æternitatem: & hæc eſt illa voluptas, quam Chriſtus D. promiſit ſuis diſcipulis Joannis 15. v. 11. *Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit*; & de quâ dixit deinde S. Paulus ad Rom. 15. v. 13 *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace,* vos ſcilicet, qui in Chriſtum creditis, qui illum amatis, qui cum illo eſtis in paſſione.

§. 10. *Qui tanta gloria in cœlis cupiunt eſſe participes; in hoc mundo ament Chriſtum.*

Non addo hæc ſine cauſa, qui enim aliquando in cœlis illâ felicitate frui deſiderant, ut Chriſtum videant in gloria, conari debent, ut prius in hoc mundo illum ament, & cum illo, vel pro illo aliquid patiantur. Interrogant S. Chryſoſt. Rabanus & alii, cur Chriſtus D. non omnes, ſed tres ſolùm Apoſtolos ſecũ eduxerit in montem Thabor, & reſpondent: *quia aliis potiores erant. Tanquam familiares & cariores*; S. Ambroſius ait: *His tribus manifeſtavit hæc, quia Sanctiores erant, & alios excellebant, Petrus in fervore fidei, Joannes in prærogativâ Virginitatis, Jacobus erat futurus primus Martyr.* Hæc eadem à meis Audit. & præſertim ſodalibus Agoniæ requiro; ut in hoc mundo ſint familiares & cariores Chr. Crucifixi, ut excellant in fervore fidei & amoris erga eundẽ: ut adverſa, injurioſa, moleſta, acerba, ferant fortiter & conſtanter; hæ duæ virtutes Amor Chriſti & Patientia, ducent nos ad montem excelſum gloriæ, ut ibi eum videamus ſicut eſt in gloria.

§. 11. *Amor Chriſti & Crucis præ cæteris diſponunt ad illam glo-*

Admiratione dignum eſt, quod heri audivi legi de piiſſimo Pat. Jacobo Sancio è Soc. Jeſu. Percepto aliquando diviniſſimo Sacramento vidit Jeſulum Parvulum intrantem ar-

cana

viam. Exemp. mira. Patris Iacob. Sancii è S. I

eana ſui pectoris, cui mox dixit: *Dom. tu es verus Deus & Homo; nec minor es quam ſim ego. Ergo extende te: imple hoc caput meum, hæc brachia mea, hoc corpus meum. Tui ſunt hi mei oculi, tuæ hæ meæ aures, tuum hoc meum os, & manus, & pedes. Tu in me loquere, inambula, tu vive undiq; in me. Vivo itaq; jam, non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Audit. amantiſſimi! O ſi ego in vobis hoc amore Chriſti implere poſſem veſtros oculos: ô ſi intrare arcana pectoris: ut oculi nihil videre deſiderēt, corda nihil amare niſi Jeſum: O ſi hoc amore implere poſſem veſtras cogitationes, ut nihil cogitēt, niſi Jeſum. O ſi & manus ſic inpoſterum eas extenderitis erga pauperes & afflictos, ſic eas converteritis ad opem caritatis, & eleemoſynas. O ſi & pedes! ſic expeditiores eſſetis in adeundis templis, in viſitandis infirmis, in Eccleſiis inviſendis. Sodales meos cupio præcipuè impleri hoc amore, atque ita impleri, ut omnia veſtra membra, omnes cogitationes, vota, ſuſpiria, ſolo Jeſu Crucifixi amore redundent, hunc ſolùm ſervent, ab hoc paſcantur, recreentur, potentur, foveantur, tegantur ac protegantur, donec aliquando in cœlis ab eodem impleantur gloria & voluptate.

§. 12. Profecutio ejusd. exmp.

Sed ad Patrem, cujus ſupra memini, revertor. Idem ſibi viſus fuit manducare crucem à Chriſto ſibi oblatā; parvulam illam quidem initio, ſed quæ poſtea extenſa longè ac latè totum illum implevit: Quantum enim ſe extendit Amor Chriſti in nobis, tantum ſe extendit amor crucis, & deſideriū multa patiendi pro Chriſto. Ita ergo in nobis extendatur Crux Chriſti, ut omnia membra crucifigantur & aliquid patiantur pro Chriſto. Oculi debent crucifigi, ut ne quid poſt hac aſpiciant niſi cœleſte; crucifigi debent aures, ne quid percipiant niſi Sanctum. (eſt locus pro pulcra inductione per membra corporis) Quod cum fecerimus, enim verò tum in intimam nos Chriſti immergemus amicitiam, tum vitā ducemus, & ſuo tempore claudemus ſanctiſſimam, tum ducemur in gloriæ montem, tum aperientur oculi noſtri, ad videndam Dei pulcritudinem & gloriam, de quâ breviter S. Auguſt. cum quo & finio; *Tota merces erit videre, quod amas; & ſumma felicitas erit amare, quod vides.*

CONCIO XXVI.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Petite, & accipietis, Joannis cap. 16 v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PEtitio Eſtheris Reginæ ad Aſſuerum, pro ſuo populo, ne moreretur; applicatur Orationi Sodalium Congregationis Chriſti in Cruce Agonizantis.

zantis. Quantos & quales favores à Chriſto Crucifixo obtineat fervens oratio, oſtenditur, ex piis & affectuoſis hiſtoriis, ſive ſanctâ morte Amatorum Crucifixi.

§. 1. *Affectus admirationis ſuper infinitam Dei bonitatem & liberalitatem à quo omnia obtinet & impetrat Oratio, præſertim, Mortem Beatam.*

§. 2. *Iudæis in ſummo periculo conſtitutis ſuccurrit oratio Eſtheris Reginæ.*

§. 3. *Liberalitas Aſſueri fuit figura Chriſti Salvatoris.*

§. 4. *Juſtiſſimas habemus cauſas, ut ſimus ſoliciti de felici morte, potiſſimùm per Orationem.*

§. 5. *Congregatio Agoniæ, eſt Regina, ſponſa, &c.*

§. 6. *Cujus orationem Chriſtus D. de throno Crucis & clementiæ facillimè exaudit. Cum pia apoſtrophe & obſecratione ad Chriſtum.*

§. 7. *Varia elogia orationis, per conglobationem ex Sanctis Patribus. Præſertim quod obtineat à Chriſto Crucifixo magnos favores, pro hora mortis.*

§. 8. *Beatiſſima mors pii Religioſi.*

§. 9. *Piiſſimum deſiderium Amatoris Crucifixi, & ſuavis ejus mors.*

§. 10. *Vulnera Chriſti comparantur cum pulchris roſis, ſumma in illis quies, etiam in morte.*

§. 11. *In cruce & crucifixo ſumma lætitia, etiam inter anguſtias mortis.*

§. 12. *Pretioſa aliqua occupatio, pii ſodalis & præparatio ad beatam mortem.*

§. 13. *Quomodo agon morientis, terribilis & ſuavis.*

§. 14. *Alia brevis hiſtoria, & affectuoſa. Nullus Amator crucifixi, deditus orationi, malè moritur.*

§. 15. *Epilogus incutit timorē mortis.*

§. 1. Affectus admirationis, ſuper infinitam Dei bonitatem & munificētiam; à quo omnia impetrat oratio, præſertim mortem beatam.

Libro primo de orando Deum, ait S. Chryſoſtomus *Quis non obſtupeſcat & admiretur, tantam benevolentiam erga nos Dei, ut non mortalibus tãtùm honoribus largiatur, ut dignos nos habuerit, qui cum ipſo colloquamur, noſtraque vota apud ipſum deponamus.* In conſideratione Evangelii hodierni multò major mihi oboritur admiratio, de tanta inſuper liberalitate & munificentia, ut diviniſſimo ſuo ore nobis promittat, nos in nomine ſuo omnia impetraturos, dummodo noſtra vota apud illum deponere non pigeat. Hoc præterea obſtupeſco & admiror, quod ſuaviſſimis verbis nos urgeat, ut petamus; quod modum doceat, quo efficaciter orare poſſimus; nimirum cum magna perſeverantia. Quærite, pulſate, unâ, alterâ, tertiâ vice, donec Pater cœleſtis nos exaudiat, & nobis aperiat poſtas infinitæ ſuæ liberalitatis. *Vult enim Deus rogari, vult cogi, vult quâdam importunitate vinci:* ait S. Gregorius in 6. Pſalmum pœnitet. Vix legi hactenus ullum Concionatorem, qui hodiernâ Dominicâ non agat de laudibus & excellentiâ Orationis, vel ejus neceſſitate & fructibus, vel modo, quo orandum eſt. Idem ego facio in variis Concionibus, & faciã modo: Verùm, quia hodierna Dominica ſimul eſt feſtum principale congregationis Chriſti in cruce agonizantis

Digitized by Google

tis; latiſſimam materiam conſtringã, & ex hiſtoria Eſther oſtendam, ſanctam orationem meorum ſodalium pro felici morte, animatam ferventi amore erga Chriſtum crucifixũ, obtinere admirabiles, & ſuaviſſimos favores atque gratias, quibus bonus Jeſus ſuos in ſupremo agone conſolatur. Erit materia ſuavis, affectuoſa & pia; vos illam proinde, eo quo par eſt, & quo ſoletis modo guſtuque excipite.

§. 2. Judæis in ſummo periculo conſtitutis ſuccurrit oratio Eſtheris Reg. cap. 4. v. 6.

Ingens fuit luctus populi Judaici cum in Suſa publicatum fuit Regis Aſſueri edictum, annulo ſuo obſignatum ut uno die occiderentur, & delerentur omnes Hebræi, à puero ad ſenem, viri & fœminæ. Id, quod cùm Mardochæus inaudiiſſet, ſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens caput cineribus; quin & in omnibus provinciis atque urbibus, ad quas crudele Regis decretum pervenerat, planctus fuit ingens, jejunium, fletus, lacrymæ, & orationes ad DEUM; Mardochæus exemplar edicti miſit Reginæ Eſther Judææ, & monuit eam, ut intraret ad Regem, & deprecaretur eum pro populo; Difficile hoc viſum fuit Reginæ; tandem tamen curavit dici Mardochæo, *Vade & congrega omnes Judæos, & orate pro me.* & tradam me morti & periculo. Die tertia Eſther induta regalibus veſtimentis, ingreſſa fuit ad Regem, ut traderet libellum ſupplicem pro populo, qui in tanto verſabatur periculo; & adeo placuit oculis Regis, ut mox extenderit contra eam virgam auream, quam poſtquã Regina fuit exoſculata, dixit illi Rex capit. 5. v. 4. *Quid vis Eſther Regina? quæ eſt petitio tua? etiamſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.*

§. 3. Liberalitas Aſſueri fuit figura Chriſti Salvatoris.

Omnes, qui lectum hodiernæ Dominicæ Evangelium audiverunt, advertere poſſũt, liberaliſſimum Aſſuerum fuiſſe figuram Regis Regum, Chriſti Salvatoris noſtri, Regis clementiæ, uncti oleo miſericordiæ, qui ad ſuos extendit, non virgam & ſceptrum, ſed dulciſſimum cor ſuum, & manus plenas hyacinthis dicens; Jo. 16. 23. *Si quid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis Petite & accipietis.* Sed oratio pura, mũda, ornata variis virtutibus eſt veluti formoſa Eſther, tãtum placens oculis cœleſtis Aſſueri, ut illi promittat impetraturam, quidquid petierit: quod enconium cuivis orationi tribui poteſt.

§. 4. Juſtiſſimas habemus cauſas, ut ſoliciti ſimus de felici morte. Potiſſimũ per orationem.

Verum, cum antea Auditores meos monuerim, eſſe hodie feſtũ principale per annum, Congregationis Chriſti in cruce agonizantis, peculiariter mihi ſermo erit de illa oratione, quâ ſodales privatim, quotidie, & publicè ſemel in menſe, à Chriſto crucifixo petunt ſanctam mortem. Non miror quod id faciant, & quod ſeriò faciant. Verſatur ante oculos noſtros quotidie, regium & univerſale illud edictum affixũ à S. Paulo Apoſtolo, confirmatum oraculo divino, Hebr. 9. 27. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori!* vel morte ſancta, vel infelici & impia: & cùm nemini conſtet, quâ morte quiſque ſit moriturus, & quando, quo die qua horâ, die an nocte, meritò omnes ſunt ſoliciti, omnes ingemiſcimus, omnes mortem formidamus. Soliciti Mardochæi fuerunt, qui hanc congregationem inſtituerunt, qui congregarunt tot ferventes ſodales ex utroque ſexu, ut in unũ congregati, ſimul in nomine Jeſu cruc. fixi, peteremus mortẽ ſanctam.

Digitized by Google

Sanĉti Patres, atque ipſa Scriptura ſancta, congregationem omnium fidelium in Eccleſia ſive Eccleſiam, vocant Virginem, Sponſam, Reginam in veſtitu deaurato ſtantem ad dexteram Sponſi; meo judicio, formoſiſſima quoque Virgo, pulcherrima Sponſa, elegantiſſima Regina eſt congregatio Chriſti Agonizantis. Sine periculo audet illa ſe ſiſtere in conſpectum ante oculos Regis ſui crucifixi, ut omnium noſtrum nomine offerat libellum noſtrum ſupplicem, noſtras preces, præſertim Roſarium quinque ſanctiſſimorum vulnerum, quo petimus liberari à tremendo edicto mortis infelicis, quâ moriuntur impii, & gratiam moriendi ſanctè. Adeò Chriſto crucifixo placet hæc Sponſa, hæc Regina, hæc congregatio, ut ejus oſculo ſtatī porrigat aureā virgā ſanctiſſimæ crucis, in ſignum regiæ clementiæ & miſericordiæ; imò ut ante dixi, diviniſſimū cor ſuū nobis offert, cū liberaliſſima illa promiſſione, *Petite & accipietis.*

§. 6. *Cujus orationem Chriſtus D. de throno crucis & clemētia, faciliimè exaudit cū pia Apoſtrophe & obſecratione ad Chriſtum.*

Vel cogitare, ſanctiſſimam crucem eſſe regium thronum cœleſtis Aſſueri, thronum clementiæ & gratiæ. Cogitate regium ejus thronum eſſe ſanctiſſimam Hoſtiam in Sacramēto Euchariſtiæ: in hac enim nobis adeſt Salvator noſter, Rex noſter, ut omni die, imò horâ benevolam nobis præbeat audientiam, ſi nos ſupplices ruamus in genua, ſi oremus ferventer, ſi crebris ad ipſum ſuſpiriis anhelemus, ſi demiſſa mente noſtras ipſi commendemus neceſſitates, ſi cruenta ipſius membra, tenero pietatis oculo, ſed magis tenero cordis affectu contueamur, ſi rogemus, & inſtemus per ſanctiſſima ejus vulnera, & quidem hodierno congregationis noſtræ feſto, nemo dubitet, & crucem, & clavos, & lanceam, imò ipſa cruenta vulnera nobis offerret exoſculanda. Audire mihi videor, cœleſtem Aſſuerum de throno crucis dicentem: *Quid vis Eſther* ? quid vultis mei, Matriſque meæ ſub cruce filii ? quid petunt veſtræ lacrymæ ? quid illi gemitus ? quid illa ſuſpiria ? quid illæ obteſtationes, per mea vulnera, per meum ſanguinem, per meam mortem ? Reſpondebo ego, mi Jeſu, omnium ſodalium meorum nomine; Sanctam mortem ! Hæc eſt petitio noſtræ congregationis, ut in ſupremo agone nobis exhibeas illos favores, illas gratias, quas crucis & paſſionis tuæ amatoribus ſoles exhibere. Id à te petimus mi Jeſu, quod expirans in cruce, petiviſti à Patre tuo. In manus tuas commendamus ſpiritum noſtrum. Ah ! quid interrogas mi Jeſu, quid petamus? Libellus noſter ſupplex eâ continetur oratiunculâ, quâ frequenter ad te ſuſpiramus, Anima Chriſti, ſanctifica me, &c. Parum eſt, quod obſecramus, & multum eſt. Parum, quia tu infinitæ es bonitatis ſimul, ac potentiæ; at multum ! quia petitio noſtra omnes mundi hujus theſauros antecellit. Parum: quia duabus tantum voculis continetur, Mors beata: multum; quia felicem ſecùm trahit æternitatem: Permitte me loqui, ut ſentio, mi Jeſu ! indulge aliquid meo in te affectui, Salvator crucifixe: quod petimus, hoc eſt, ut in tua

in tua vulnera abſcondas nos, ut in hora mortis noſtræ voces nos, ut jubeas nos venire ad te. En hæc noſtrorum ſumma votorum, huc noſtræ tendunt preces, huc noſtra collimant ſuſpiria. Hoc petit Eſther Regina, hoc flagitat noſtra, & tua multò magis, congregatio.

§. 7. *Varia elogia orationis per conglobationem ex ſanctis Patrib. præſertim quod obtineat à Christo D. crucifixo, magnos favores pro hora mortis.*

Multa me movent & inflammant ad Orationem, quâ petimus ſanctam mortem. Oratio reſiſtit iræ cœleſtis Aſſueri, quâ impios punit morte infelici. Oratio tenet ejus brachia, etiam cum triſulco fulmine ſunt armata, ne quod minatus eſt, exequatur. Oratio eſt ſuaviſſimum incenſum, in conſpectu Dei, & acceptabile ſacrificium. D. Greg. Nyſſ. l. de orat. *Oratio corporum robur eſt, abundantia domus, regni vires, belli trophæum, pacis ſecuritas. Oratio virginitatis ſigillum eſt, viatoribus ſcutum, dormientium cuſtos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium ſalus.* S Chryſoſt. in Geneſin, *Magna arma ſunt preces, magna ſecuritas, magnus theſaurus, magnus portus, refugii locus, caput bonorum omnium, baſis ac radix vitæ frugiferæ.* S. Ephrem. ſerm. de Virg. *Omnis oratio ſancta & pura cum Deo familiariter agit; cœlum jugiter penetrat, in ipſa Angeli atque Archangeli exultant, & coram throno ſancti & excelſi univerſorum Domini illam ſtatuunt.* Sermones, homiliæ, diſcurſus, conciones ſanctorum Patrum plenæ ſunt ſimilibus encomiis, quæ omnia hodierno feſto applicare poſſem, orationi præcipuè meorum ſodalium, quâ petunt ſanctam mortem ad majorem fervorem ad ardorem in iſtis precibus concitandum; ſed hoc unicum hac concione inſinuare ſufficiat, ad fervorem orationis in hac materia; valdè me accendi conſideratione favorum, quos Chriſtus crucifixus ſuis amatoribus in agone ſolet exhibere, qui ſunt admirabiles, pii & affectuoſi. Exemplis rem explicabo.

§. 8. *Beatiſſima mors pii Religioſi.*

Chriſti D. id temporis bonitatem expertus fuit ille amator, (non dubito fuiſſe ſodalem hujus Congregationis, quam puto jam tum in monte Calvariæ, cum Chriſtus penderet inter anguſtias crucis fuiſſe fundatam) qui poſt ſacrum devotè peractum, videre ſibi viſus fuit, animam ſuam à B. Virgine inferri in latus Jeſu Crucifixi. Alias cogitans de doloribus Salvatoris, viſus ſibi fuit amplexu ab illo ſtringi; ita ut Chriſtus in cruce, totum Alphonſum, (hoc viro ſancto fuit nomen) velut imbibere, ſeu intra ſe condere videretur. Pro felici morte oranti vox de cœlo ad ejus aures delapſa fuit; pſal. 31. v. 6 *intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, quâ gradieris, firmabo ſuper te oculos meos,* O mi Jeſu Crucifixe! hos favores hodierna Dominica, (quia jubes) & feſto peto pro meis ſodalibus & Auditoribus: ut aliquando in agone, Mater miſericordiæ noſtras animas inferat in dulciſſimum cor tuum, ut tum nos cogitemus de tua paſſione, tu verò amplexu nos ſtringas, & nos totos veluti imbibas, & intra te condas. Ut aliquando in umbra & caligine mortis nobis des intellectû, & inſtruas nos, & firmes ſuper nos oculos tuos in via qua grademur ad æterni-

æternitatem. Via verò, Auditores mei quam tenere debemus ad hos favores obtinendos, ſunt regulæ & ſtatuta noſtræ congregationis; hac via quicunque graditur, quiſquis Agonizantis Chriſti congregationem, dum poteſt, piè frequentat, quiſquis ad eandem intentionem menſtrua ſacra Communione ſe reficit, quiſquis Roſariolum quinque ſanctorū vulnerum præmiſſo contritionis affectu devote recitando percurrit, næ ego illi ſanctam ac longè feliciſſimā mortem polliceor: Itaque cum hodie veſperi in congregatione illud Roſorium orabitis, ſic orate, tam recitate devotè, quaſi hæreretis inter brachia crucifixi, quaſi toti eſſetis in ejus corde incluſi: *Petite & accipietis.*

§. 9. Piiſſimū deſideriū Amatoris crucifixi & ſuav. ejus mors.

Semper mihi placuit illud ſuſpirium ferventis amatoris erga Chriſtum Crucifixum. O ſi me! omnesque animi & corporis mei vires diſtillare poſſem, vel in unicam guttulam guſtus & beneplaciti Majeſtatis divinæ! Moriens hic inter oſcula crucifixi plus quam vicies repetiit dulciſſimum nomen Jeſus. O ſi ego hodie omnium ſodalium & Auditorum meorum corda, affectus, vires, oculos, linguas, &c. ita diſtillare poſſem in unicam guttulam guſtus & beneplaciti Chriſti in cruce agonizantis. Alias corda veſtra deſponſavi cum ſponſo ſanguinū, pendente in cruce; hodie mihi illa permittite, ut omnia injiciam in ardentem clibanum amoris ſive pectoris Chriſti, ut ibi diſtillentur in guttulam guſtus, ſitientis Jeſu in cruce. Merces erit favor ille ingens, ut olim moriamur, inter dulciſſima nomina! Jeſus! Maria! Sic amatores & ſodales crucifixi ſolent mori: aliis in agone Chriſtus Dominus de cruce ſanguineis manibus benedixit, alios ſolutâ dexterâ de cruce fuit amplexatus, alios aſperſit guttis roſei ſui ſanguinis, aliis oſtendit paradiſum, alios variis aliis modis fuit conſolatus: de aliis referunt hiſtoriæ, quod in horribili lucta cum morte nihilominus in corde crucifixi, mirifice acquieſcentes exarſerint in Deum. Hos favores ex corde voveo meis auditoribus, ut nobis aliquando Chriſtus de cruce ſanguineis manibus benedicat, & nos foveat inter brachia ſua, ut in ejus corde & pectore, inter anguſtias mortis conquieſcentes, toti ejus amore ardeamus. Sed: *petite & accipietis.*

§. 19. Vulnera Chriſti comparantur cum pulcris roſis. Summa in illis quies, etiam in morte.

Fuit vir religioſus è ſocietate Jeſu, qui circa feſtum Pentecoſtes vidit roſam colore pulcherrimam, & ſenſit ſe in arcano pectoris valde accendi, & mirè omnia circumquaque ardere. Alias Chriſtum D. vidit in admirabili lumine, pendentem tamen in cruce, vel bajulantem crucem, quam etiam ſubinde humeris Patris impoſuit. Ajebat hic Dei ſervus, ſe in Chriſti vulneribus non minus ſuaviter quieſcere, quam parvulus ſederet in ſinu Matris ſuæ. Mors ejus deinde fuit ſuaviſſima & ſanctiſſima. Hos ego favores opto meis ſodalibus. An non videtis pulcherrimas binas roſas, in pedibus Chrucifixi colore rubro, & ſan-

& ſanguine divino pulcherrimas? annon placent binæ aliæ in ſanctiſſimis manibus ? & illa amœniſſima roſa dulciſſimi cordis ? utinam & pulchritudinem videatis! utinam ſimul in arcano pectoris ſentiatis vos vehementer accendi; utinam circumquaque ardeant omnia. Si contingat, ut ſubinde humeris noſtris etiam crucem imponat, ferenda eſt: fortiter in tribulatione, in adverſitatibus quietem quæramus in vulneribus Salvatoris, ibi erimus non minus ſuaviter, quàm ſedeat parvulus in ſinu Matris. In Cruce, cum Cruce, in ſanctiſſimis vulneribus, in ſinu Mariæ, moriemur morte ſuaviſſima & ſanctiſſima. *Petite & accipietis.*

§. 11. *In cruce & crucifixo ſumma lætitia, etiam inter anguſtias mortis.*

Cum Franciſcus Benzius è Soc. Jeſu, mœſtus & varie fluctuans inter lacrymas conſolatorem aliquem optaret, objecta illi fuit pulcherrima effigies Crucifixi, & mox ſuaviſſimo fuit ſolatio delibutus. Meritò timemus mortem, meritò ingemiſcimus, merito lecrymas effundimus, meritò oramus ferventer, ut in ſupremo agone, adſit nobis Conſolator. Sic pergite: Jeſus Crucifixus ille erit, dummodo amemus, dummodo oremus ferventer, præcipuè Roſarium SS. Vulnerum. Tale ſolatium à Crucifixo ſuo, in morte ſenſit ille amator vel Sodalis, qui Medico dicenti, ut per feneſtrã cœlum jam vicinum, reſpiceret, commonſtrato Crucifixo dixit: *En cœlum meum! & tota lætitia mea!* Talis lætitia fuit S.P. Ignatio, qui coram Crucifixo plus quàm tricies, crebro ſingultu in talia verba proumpebat, *In ſolo Chriſto, & in Cruce Chriſti reperitur vera lætitia.* Talis lætitiæ fuit particeps, qui in agone cum magno gaudio, circumſtantibus dixit: *Bono animo! Chriſtus meus Crucifixus me valde amat.* Cum ſenſu talis lætitiæ obiit ille ſodalis, qui cum ſæpius magno ſenſu exclamaſſet: *Arcta via quæ ducit ad cœlum!* arctior! arctiſſima! terrorem incuſſit, & lacrymas excuſſit non paucas: mox tamen oculis in Crucifixum & Cœlum ſublatis, junctiſque manibus conquievit in mortem placidiſſimam. Hanc veritatem agnoſcunt mei ſodales, quam arcta ſit via, quæ ducit ad cœlum, ideo tam ſunt ſoliciti, ideo tam ferventer orant, ideo tenent regiam viam S. Crucis, ut Chriſtus olim in agone, ſit noſtrum ſolatium, noſtra lætitia, & ſic conquieſcamus in mortem ſanctam.

§. 12. *Pretioſa aliqua occupatio pii ſodalis, & præparatio ad beatam mortem.*

Placuit Superis alia devotio erga Crucifixum. Quotidie per quartam horæ partem pretioſe ſe occupavit in hoc, ut conaretur in corde ſuo concitare ſelectiſſimos virtutum actus erga Jeſum Crucifixum, fidem, ſpem, caritatem, &c ſelectiſſima addebat deſideria, & ſelectiſſimas obteſtationes. In pretioſa hac occupatione, inter hos virtutum actus, inter talia deſideria, ſuaviſſimè deinde expiravit: Laudo meos ſodales, qui ſaltem quovis menſe unâ horâ pretioſè ſe occupant, ut orent Roſarium quinque Vulnerum, &c. Chriſtus Crucifixus hunc eis viciſſim exhibebit favorem, ut in his ſanctis cogitationibus olim ſuaviter expirent: *Petite & accipietis.*

§. 13. *Quomodo Agon morientis, terribilis & ſuavis.*

Horribilis fuit agon cujuſdam ſodalis, ſed mox ſuaviſſimus horribilis, quia inclinante jam vitâ adfuit circa lectum magna dæmonum caterva truci horrendoque aſpectu, leonum, urſorum, taurorum, draconumque portentoſis & igneis formis, ægrum territura. Æquè terribiles fuerunt ſpectrorum voces, & ejulatus. At non diu duravit conflictus; athletæ ſpectandum ſe obtulit Chriſtus D. affixus Cruci; neque ſpectandum tantùm ſe ſtitit, ſed ſuavibus verbis paventem erexit, pollicituſque fuit, ſe illi ad extremas vitæ metas adfuturum; ne diffideret. Fortaſſis ſimilis lucta nos manet; fortaſſis ſimilia monſtra in fatali lectulo nos exterrebunt: hoc agamus, amemus Crucifixum; ſimus ferventes ejus ſodales; pugnabit ipſe nobiſcum, fugabit dæmones, ad extremam vitæ metam nobis aderit. Ne diffidite, petite hanc gratiam & accipietis.

§. 14. *Alia brevis hiſtoria, affectuoſa. Nullus amator Crucifixi deditus orationi malè moritur.*

Non audietis ſine ſolatio feliciſſimam mortem illius ſodalis, qui in agone dixit Crucifixo, *Bene noſti Domine, quàm ſerio connixus fuerim hocce biennio ut te quærerem. Ne me nunc deſere Domine, in hac hora; quæſo te per hæc Vulnera, quæ pro me ſuſcepiſti, & libato ſingulis Chriſti Vulneribus oſculo,* in vulnere lateris tacuit, quaſi dulciſſimo correptus deliquio. Poſt mediam fere horam ſibi reſtitutus dixit, *Benedictus ſis mi Jeſu, Amen.* Rogatus à Confeſſario, num è cœlo quippiam boni haberet, cum magna humilitate, & motus titulo obedientiæ, reſpondit. *Adfuit mihi Chriſtus Dominus meus, & mihi dixiſſe viſus eſt, me eſſe prædeſtinatum, ſeque expectare, ut cum eo diſcedam.* Orto ſcrupulo, de aliquâ noxa quod hæc dixiſſet, petivit abſolutionem, & illico dulci quiete conſopitus ad Chriſtum ſuum & in cœlum evolavit: Placetne vobis hæc mors mei ſodales! O mi Jeſu Crucifixe! tu bene noſti, quam ſidem mei ſodales ſerio te quærant, quàm ferventer orent, ah! per tua Vulnera obteſtor, ne nos deſeras in illa hora. Permitte ut devotiſſimè exoſculer illos tuos pedes, illas manus, illud latus. Auditores! dum mihi videor figere oſculum dulciſſimo Cordi, ſentio motum, ut aliquod vobis verbum plenum ſolatio exponam. Videor mihi audire JESUM dicentem de Cruce: Omnes ferventes amatores Crucifixi eſſe prædeſtinatos. (pathetice hæc ſunt dicenda) Benedictus Jeſus Crucifixus, Amen. O verbum conſolationis! O nuntium lætum, amabile, jucundum! Ita eſt! ita mihi dicentem, audire videor Crucifixum. Neque ſane fallor; niſi vos me in errorem inducitis, niſi voſmet ultro ex hoc felici prædeſtinatorum albo excludatis: niſi amorem in Jeſu morientem exuatis; niſi à conſuetis venerandi Sanctiſſima ejus Vulnera devotionibus, deſciſcatis; non felici fato defungi, & quod conſequens eſt auguſtiſſimo Beatorum ſodalitio accenſeri: Nullus unquam verus amator Crucis, Orationi deditus periit, nullus fervens agonizantis Chriſti ſodalis, nullus Sanctiſſimorum Chriſti Vulnerum cultor, infelici clauſula mortalis hujus vitæ curſum terminavit. Fi-

Digitized by Google

§. 15. *Epilogus inceutis timorem mortis.* Finio tandem: Cum quidam oculis intentius in Crucifixum converſis, illum aſpiceret, moneri ab eodem ſe ſenſit, fore ut propediem moreretur, & contigit. Agite Auditores, in altum levate oculos, iiſque aſpicite oculos Salvatoris, vel ſpineam coronam, vel frontem morte pallidam: aſpiciam ego una vobiſcum, forte me, forte vos, inſtantis propediem mortis admonet, forte ſalutares pœnitentiæ igniculos cordibus noſtris injiciet; forte unicus ille aſpectus pias ex oculis noſtris lacrymas eliquabit: forte ad opus quoddam heroicum, ad dandam aut petendam ab inimicis veniam, ad ſui ipſius victoriam, ad ſeriam vitæ emendationem, quis ſcit? aſpiciamus devote! forte commovebit, ut ad ſanctam nos præparemus mortem. *Petite & accipietis, &c.*

CONCIO XXVII.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Joannis 15. verſ. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit illa ex ſacra ſcriptura, tria efficacia media, quibus ex mente Doctris Angelici, reddimur apti & capaces, ad ſuſceptionem Spiritus Sancti, Orationem, Communionem, ſive ſumptionem SS. Euchariſtiæ, & Perſeverantiam.

§. 1. *Exordium eſt brevis repetitio Concionum habitarum à Paſchate, cum Propoſitione hujus Concionis.*

§. 2. *Quomodo B. Virgo & Apoſtoli ſe diſpoſuerint ad adventum Spiritus S. ex c. 1. Act.*

§. 3. *Et primi Chriſtiani. Per Orationem, Auditionem Verbi Divini, & ſumptionem panis. De efficacia Orationis, ut impetret Spiritum S.*

Digitized by Google

§. 4. *Qualis debeat eſſe illa Oratio; accenſa actibus Compunctionis.*

§. 5. *Plena deſideriis, quorum varia adducuntur Elogia.*

§. 6. *Proſecutio.*

§. 7. *Querela contra illos, qui plus terrena, quàm cœleſtia deſiderant.*

§. 8. *Oratio fervens & accenſa deſideriis, requirit Perſeverantiam.*

§. 9. *Per ſumptionem Euchariſtiæ, neceſſario nobis communicatur Spiritus S. Ubi Chriſtus D. eſt per gratiam, ibi quoque eſt Sanctus ille Spiritus.*

§. 10. *Inter Chriſtum Dom. & Spiritum Sanctum, ingens eſt connexio, quæ oſtenditur ex cap. 4. Canticorum.*

§. 1. Exordiũ, eſt brevis repetitio Concionũ habitarũ Paſcha- cum propoſitione hujus concionis.

ADvertiſſe vos opinor Auditores, objectum & materiã omnium mearum Concionum, à feſto Paſchatis, uſq; ad Dominicam hodiernam, fuiſſe Chriſtum Dominum glorioſiſſimum noſtrum Redemptorem. In die Reſurrectionis ipſe fuit fons veræ lætitiæ paſchalis. Feria ſecundâ Paſchatis, oſtendit nobis viam ad gloriam, per ſemitam Crucis. Feriâ teriâ oſtendi, in rebus creatis nihil eſſe gratioſius, nihil delectabilius, nihil pulchrius, illo ramo Olivæ pacis, quam nobis Chriſtus D. attulit ex arcâ ſepulchri: Dominica in Albis ejus Reſurrectio fuit nobis ſpeculum reſurrectionis noſtræ, à morte peccati ad vitam gratiæ. Dominica ſecundâ poſt Paſcha illum oculis veſtris propoſui, veluti mitiſſimum, benigniſſimum & liberaliſſimum Paſtorem. Dominica tertia, Chriſtus D. unica vocula; *Modicum*, nos docuit, omnia bona hujus mundi eſſe vana, falſa, caduca: penes ſe ſolum, reperiri veram, ſtabilem, & ſempiternam felicitatem. Concio mea Dominicæ quartæ poſt Paſcha, oſtendit, ſummam aliquando in cœlis fore felicitatem, videre Chriſtum D. in gloria & eſſe cum illo in beatis illis manſionibus in æternum. Concio mea Majalis feſto Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, fuit panegyris plena encomiis ſanctæ Crucis, tum S. Philippi, tum Chriſti Redemptoris. Sermo Dominicæ quintæ egit de illis favoribus, quos fervens oratio ſodalitatis agoniæ obtinet à Chriſto Crucifixo, pro morientibus. Feſto admirabilis Aſcenſionis ejus ad cœlos, ſub concione mea, reliquimus mundum, & cum eodem aſcendimus in cœlum. Inde, poſt octiduum, ab eodem Salvatore noſtro expectamus Spiritum S. Æquum nunc igitur eſt, ut meis Auditoribus hodie oſtendam, quomodo cum B. Virgine, & Sanctis Apoſtolis, ad ejus adventum nos diſponere atque præparare debeamus: Occaſione hujus diſcurſus, iterum aliqua pietatis fomenta, erga glorioſiſſimum Redemptorem noſtrum, in cordibus veſtris fovere conabor; ut ſic omnes conciones meæ Paſchales hujus anni, cedant in ipſius gloriam, amorem & honorem. De benevolâ veſtrâ attentione, in materia tam jucunda, & vobis grata, non dubito.

§. 2. Quomodo B. Virgo

Præparationem pro adventu Spiritus S. perfectiorem vobis præſcribe-

& Apoſtoli ſe diſpoſuerint ad adventũ Spiritus S. ex c. 1. Act.

bere non poſſum, quàm illam, quam ſanctus Lucas ait obſervaſſe Apoſtolos & ipſam ſanctisſimam DEIparam B. Virginem Mariam. Reverſi ex monte Oliveti, ubi Chriſtus Dominus aſcenderat ad cœlum, Jeroſolymam, convenerunt in cœnaculo, vel aulâ magnâ alicujus domus; quærunt Interpretes, qualis illa fuerit, an Simonis leproſi, an Joſephi ab Arimathæa, an Nicodemi? perinde eſt, in aliquo tali loco, teſte ſancto Luca, Actorum 1. v. 14. *Erant omnes perſeverantes unamiter in oratione.* Ecce, tres nobiliſſimas virtutes, quibus vacarunt Apoſtoli, ut ſe diſponerent ad adventum Spiritus Sancti: Prima eſt, *Oratio:* Secunda, *Unanimitas:* Tertia, *Perſeverantia*; ſive ut græca lectio inſinuat; *Fortis Patientia*, & tolerantia, in laboribus, fatigationibus, tædiis, perſecutionibus Judæorum: Pro *unanimiter*, legunt alii, *erant pariter:* in græca eſt*: erant in idipſum*: Syrus; *Erant ſimul*; Pagninus; *erant conjuncti*: Sanctus Baſilius; *Ubi multi, unus: & unus, nõ ſolus, ſed in pluribus:* Alia lectio ſic habet. *Erant perdurantes magna, continuaque inſtantia, & conſtantia.* Harum virtutum actus, conficiunt quaſi auream & fortem catenam, quæ de cœlo trahit Spiritum ſanctum. Amat enim divinus ille Spiritus, has virtutes, orationem, pacem, quietem, unionem fraternam, perſeverantiam, patientiam; præſertim ſi accedat devotio & familiaritas erga B. Virginem, de quâ ſequitur; *Erant omnes ſimul cum mulieribus & Maria Matre JESU.* Cum enim illa ſit, Dei Patris Filia, Filii Dei vera Mater, Spiritus ſancti Sponſa; quare non obtinebit à ſanctiſſima Trinitate, quod per illam petimus & flagitamus.

§. 3. Et primi Chriſtiani. Per orationem, auditionem Verbi D. & ſumptionẽ Panis. De efficacia orationis, ut impetret Spiritũ S.

Redeo ad verba Sancti Lucæ, quæ plena ſunt pulcherrimis documentis; *erant perſeverantes in oratione, in doctrina & fractione panis.* Quibus verbis proponuntur tria primaria primorum Chriſtianorum munia & exercitia; nobis, quoad poſſumus imitanda & frequentanda: ut oremus, ut audiamus Verbum DEI, ut frequenter communicemus: In primâ Eccleſia Majores noſtri id fecerunt quotidie: hinc tanta ſanctitas, & tam eximia perfectio. Triplex hoc exercitium eſt quaſi vigor & vita animarum noſtrarum: ſicut enim ad vitam corporalem requiruntur tria, ſol, panis & halitus, ſive aër & reſpiratio; ita totidem requiruntur ad vitam Spiritualem; Spiritualis Sol, puta Verbum DEI, quod nos illuminat; Spiritualis Panis; puta Euchariſtia, quæ nos nutrit & confortat: Et Spiritualis halitus vel reſpiratio, puta oratio, qua Spiritum ſanctum trahimus de cœlo, juxta illud Davidis Pſalm. 118. verſ. 131. *Aperui os meum & attraxi ſpiritum.* Hæc tria adumbrata olim fuerunt in templo, per Candelabrum cum ſeptem ramis; per menſam panum propoſitionis, & altare thymiamatis. Candelabrũ repræſentat Verbum DEI; Menſa panum Euchariſtiam; altare, orationem: Oratio e-

Digitized by Google

nim, eſt thymiama DEO odoratiſſimum & gratiſſimum: adeo, ut Sanctus Bernardus dixerit tr. de nat. d. amoris. cap. 2. *In qua tanta eſt fides, ut ſperet omnia: tanta devotio, ut DEUM videatur cogere; tantus amor, ut omnia, quæ petit, in oratione ſe ſentiat obtinere: Omnia*, ait Sanctus Bernardus, *obtinet perfecta oratio*: ergo & Spiritum Sanctum. Ita eſt: Sed Spiritus Sanctus eſt donum Altiſſimi, obtinet oratio. Spiritus Sanctus eſt digitus dexteræ DEI! hunc obtinet oratio. Spiritus Sanctus eſt fons vivus, limpidiſſimas gratiarum, ex amoris divini oceano, aquas derivatas diſtillans: & hunc fontem ſcaturire facit oratio. Oratio has aquas in cor hominis derivat, his liquoribus animæ hortulum irrigat; Spiritus Sanctus ignis eſt, quem in terras mittet Pater, ad exurenda ſcelera, ſcelerumque radices, & hunc impetrat ignem, hanc flamam accendit oratio. Spiritus Sanctus eſt in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium: Sed hanc requiem diſponit oratio, hanc temperiem afflat oratio; hanc conſolationem affundit oratio. Tanta eſt orationis dignitas, tanta vis ac virtus, tanta præſtantia!

§ 4. Qualis eſſe debeat illa Oratio, ac iſ. ſa actibus Compunctio: is Oſtendit B. Laur. Juſtinianus Lib.

Qualis hæc oratio eſſe debeat, inſinuat Beat. Laurentius Juſtinianus lib. de obed. cap. 18. *Nonne in iiſdem* (de conventibus fidelium loquitur) *frequentiſſime devotionis lacrymæ, compunctionis gemitus, ſuſpiria pietatis, compaſſionis & Caritatis ad Deum inceſſanter effunduntur vota.* S. Bernardus tr. de modo bene vivendi, Serm. 10. hanc efficaciam de cœlis attrahendi Spiritum Sanctum attribuit potiſſimum orationi compunctionis, ſive contriti & humiliati peccatoris. Poſtquam enim dixit, Luc. 7. verſ. 47. *Maria Magdalena per compunctionem & lacrymas meruit à Domino audire, remittuntur tibi peccata tua*, poſtquam dixit: *Bona compunctio theſaurus eſt deſiderabilis, & inenarrabile gaudium in homine Compunctio eſt ſanitas animæ, baptiſmus, &c.* tandem ſubdit: *Compunctio Spiritum Sanctum reducit ad ſe, quia cum mens à Spiritu Sancto viſitatur, ſtatim homo peccata ſua plorat*: Pulcherrima ſcilicet eſt hæc combinatio; Spiritus Sanctus facit nos orare, flere, lugere peccata, & oratio de cœlis in corda noſtra Spiritum Sanctum adducit.

de obedientia c. 18. Sanct. Bernardus ſerm. 10. de mod. bene vivendi.

§. 5. Plena deſideriis, quorum varia adducuntur Elogia.

Et quid ni adducat? præſertim ſi animata ſit, & plena ferventibus deſideriis; nam ut Sanctus Thomas ait: *Deſiderium quodammodo facit deſiderantem aptum, & paratum ad ſuſceptionem deſiderati*: Cujus adventum poſt paucos dies deſideramus, eſt Spiritus ſanctus. Oratio plena deſideriis debet nos prius reddere capaces, aptos, & paratos, ut ad nos deſcendat: Cum piiſſimus David eſſet plenus ſancto deſiderio videndi Deum, ait Pſalm. 62. verſ. 3. *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Pſalm. 62. *In terra deſerta, invia & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam*: Super quæ verba pie dixit Sanctus Auguſtinus. *Hæreditatem enim nobis dabit, ſe ipſum Deus,*

ut ipſum

Digitized by Google

ut ipſum poſſideamus, & ab ipſo poſſideamur in æternum: Ergo in Sancto appareamus DEO, ut appareat nobis: appareamus illi in ſancto deſiderio, ut appareat nobis in potentia, & gloria Filii DEI. Iisdem fere verbis uti poſſum de Spiritu ſancto. Chriſtus Dominus Salvator noſter, antequam aſcenderet ad cœlum, promiſit nobis illum Spiritum, ut h c veniat, & poſſideat nos, ut mira in nobis operetur, ut nos inſtruat, ut nos doceat omnem veritatem, ut nos omni conſolatione perfundat: Sed ſanctitate nos oportet eſſe conſpicuos, ut ſanctiſſimus ille Spiritus nobis appareat neceſſe eſt, prius appareamus Spiritui ſancto in ſanctis deſideriis, in ferventi oratione; ut ipſe nobis appareat in igne, in turbine, in vento, in forma columbæ; quemadmodum audiemus poſt octiduum. Sic nimirum ferventibus deſideriis, ſic ardenti oratione, aptos nos atque paratos ad ſuſceptionem deſiderati hoſpitis comparemus. De quâ præparatione & diſpoſitione ad adventum Spiritus ſancti puto loqui Iſaiam cap. 55. verſ. 1. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac.* Contradicere ſibi videtur Propheta; non requirit argentum, non commutationem; & nihilominus loquitur de emptione. *Properate, emite!* Myſterium latet in vocula, *ſitientis*, ſitis eſt pretium, ſitis eſt aurum, ſitis eſt argentum: pro ſiti, pro deſideriis DEUS vendit divinas conſolationes. Acutè dixit Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 40. de bapt. *O ingentem benignitatis celeritatem! O facilem contrahendi rationem! cupiditatem ipſam* (orationem, deſideria, ſuſpiria) *DEUS ingentis pretii loco habet: Sitit, ſitiri, bibere cupientibus potum prabet: promptus eſt, liberalis atque munificus cum ſititur.* Talis quoque eſt Spiritus ſanctus, ſitit, ſitiri, ferventibus deſideriis, ardentibus ſuſpiriis, inflammata oratione nos reddimus aptos ad ſuſceptionem deſiderati.

Idem videtur eſſe ſenſus verborum B. Virginis in ſuo cantico, *Magnificat*, Luc. 1. verſ. 53. *Eſurientes implevit bonis.* Hoc ſane mirabile! eſurire, deſiderare, ſitire, optare, petere, orare, concupiſcere, obſecrare, flagitare, eſt repleri bonis. De omnibus bonis cœleſtibus locuta fuit ſanctiſſima Virgo his diebus: eſurire Spiritum S. ſitire illum, deſiderare, optare, ad illum anhelare, ſuſpirare, hoc eſt, repleri Spiritu ſanct. Magna ſunt, quæ promiſit Chriſtus D. magna quæ poteſt, & vult dare, ſuavia, dulcia, ſcilicet vinum & lac, ſive quod eſt dulciſſimũ in ſanctiſſima Trinitate, Spiritum S. ſed eſuriem & ſitim petit pro pretio. Deſidera, pete, concupiſce, ſuſpira & dabit. S. Chryſoſtomus hom. 4. in cap. 1. Gen. *Is enim Domini noſtri mos eſt, ut quoties videt animam aliquam multo deſiderio, promptitudineque intenſa, ſpiritualibus* (his diebus dicam ego, Spiritui ſancto) *inhiantem, liberaliter illam* § 6. *Proſecutio.*

zantis. Quantos & quales favores à Chriſto Crucifixo obtineat fervens oratio, oſtenditur, ex piis & affectuoſis hiſtoriis, ſive ſanctâ morte Amatorum Crucifixi.

§. 1. *Affectus admirationis ſuper infinitam Dei bonitatem & liberalitatem à quo omnia obtinet & impetrat Oratio, præſertim, Mortem Beatam.*

§. 2. *Iudæis in ſummo periculo conſtitutis ſuccurrit oratio Eſtheris Reginæ.*

§. 3. *Liberalitas Aſſueri fuit figura Chriſti Salvatoris.*

§. 4. *Juſtiſſimas habemus cauſas, ut ſimus ſolicıti de felici morte, potiſſimùm per Orationem.*

§. 5. *Congregatio Agoniæ, eſt Regina, ſponſa, &c.*

§. 6. *Cujus orationem Chriſtus D. de throno Crucis & clementia facillimè exaudit. Cum pia apoſtrophe & obſecratione ad Chriſtum.*

§. 7. *Varia elogia orationis, per conglobationem ex Sanctis Patribus. Præſertim quod obtineat à Chriſto Crucifixo magnos favores, pro hora mortis.*

§. 8. *Beatiſſima mors pii Religioſi.*

§. 9. *Piiſſimum deſiderium Amatoris Crucifixi, & ſuavis ejus mors.*

§. 10. *Vulnera Chriſti comparantur cum pulchris roſis, ſumma in illis quies, etiam in morte.*

§. 11. *In cruce & crucifixo ſumma lætitia, etiam inter anguſtias mortis.*

§. 12. *Pretioſa aliqua occupatio, pii ſodalis & præparatio ad beatam mortem.*

§. 13. *Quomodo agon morientis, terribilis & ſuavis.*

§. 14. *Alia brevis hiſtoria, & affectuoſa. Nullus Amator crucifixi, deditus orationi, malè moritur.*

§. 15. *Epilogus incutit timorē mortis.*

§. 1. Affectus admirationis, ſuper infinitam Dei bonitatem & munificētiam; à quo omnia impetrat oratio, præſertim mortem beatam.

LIbro primo de orando Deum, ait S. Chryſoſtomus *Quis non obſtupeſcat & admiretur, tantam benevolentiam erga nos Dei, ut non mortalibus tãtùm honoribus largiatur, ut dignos nos habuerit, qui cum ipſo colloquamur, noſtraque vota apud ipſum deponamus.* In conſideratione Evangelii hodierni multò major mihi oboritur admiratio, de tanta inſuper liberalitate & munificentia, ut diviniſſimo ſuo ore nobis promittat, nos in nomine ſuo omnia impetraturos, dummodo noſtra vota apud illum deponere non pigeat. Hoc præterea obſtupeſco & admiror, quod ſuaviſſimis verbis nos urgeat, ut petamus; quod modum doceat, quo efficaciter orare poſſimus; nimirum cum magna perſeverantia. Quærite, pulſate, unâ, alterâ, tertiâ vice, donec Pater cœleſtis nos exaudiat, & nobis aperiat poſtas infinitæ ſuæ liberalitatis. *Vult enim Deus rogari, vult cogi, vult quâdam importunitate vinci*: ait S. Gregorius in 6. Pſalmum pœnitet. Vix legi hactenus ullum Concionatorem, qui hodiernâ Dominicâ non agat de laudibus & excellentiâ Orationis, vel ejus neceſſitate & fructibus, vel modo, quo orandum eſt. Idem ego facio in variis Concionibus, & faciā modò: Verùm, quia hodierna Dominica ſimul eſt feſtum principale congregationis Chriſti in cruce agonizantis

tis; latiſſimam materiam conſtringã, & ex hiſtoria Eſther oſtendam, ſanctam orationem meorum ſodalium pro felici morte, animatam ferventi amore erga Chriſtum crucifixũ, obtinere admirabiles, & ſuaviſſimos favores atque gratias, quibus bonus Jeſus ſuos in ſupremo agone conſolatur. Erit materia ſuavis, affectuoſa & pia; vos illam proinde, eo quo par eſt, & quo ſoletis modo guſtuque excipite.

§. 2. Iudæis in ſummo periculo conſtitutis ſuccurrit oratio Eſtheris Reg. cap. 4. v. 6.

Ingens fuit luctus populi Judaici cum in Suſa publicatum fuit Regis Aſſueri edictum, annulo ſuo obſignatum ut uno die occiderentur, & delerentur omnes Hebræi, à puero ad ſenem, viri & fœminæ. Id, quod cùm Mardochæus inaudiiſſet, ſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens caput cineribus; quin & in omnibus provinciis atque urbibus, ad quas crudele Regis decretum pervenerat, planctus fuit ingens, jejunium, fletus, lacrymæ, & orationes ad DEUM; Mardochæus exemplar edicti miſit Reginæ Eſther Judææ, & monuit eam, ut intraret ad Regem, & deprecaretur eum pro populo; Difficile hoc viſum fuit Reginæ; tandem tamen curavit dici Mardochæo, *Vade & congrega omnes Iudæos, & orate pro me.* & tradam me morti & periculo. Die tertia Eſther induta regalibus veſtimentis, ingreſſa fuit ad Regem, ut traderet libellum ſupplicem pro populo, qui in tanto verſabatur periculo; & adeo placuit oculis Regis, ut mox extenderit contra eam virgam auream, quam poſtquã Regina fuit exoſculata, dixit illi Rex capit. 5. v. 4. *Quid vis Eſther Regina? quæ eſt petitio tua? etiamſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.*

§. 3. Liberalitas Aſſueri fuit figura Chriſti Salvatoris.

Omnes, qui lectum hodiernæ Dominicæ Evangelium audiverunt, advertere poſſũt, liberaliſſimum Aſſuerum fuiſſe figuram Regis Regum, Chriſti Salvatoris noſtri, Regis clementiæ, uncti oleo miſericordiæ, qui ad ſuos extendit, non virgam & ſceptrum, ſed dulciſſimum cor ſuum, & manus plenas hyacinthis dicens; Jo. 16. 23. *Si quid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis Petite & accipietis.* Sed oratio pura, mũda, ornata variis virtutibus eſt veluti formoſa Eſther, tãtum placens oculis cœleſtis Aſſueri, ut illi promittat impetraturam, quidquid petierit: quod enconium cuivis orationi tribui poteſt.

§. 4. Iuſtiſſimas habemus cauſas, ut ſoliciti ſimus de felici morte. Potiſſimũ per orationem.

Verum, cum antea Auditores meos monuerim, eſſe hodie feſtũ principale per annum, Congregationis Chriſti in cruce agonizantis, peculiariter mihi ſermo erit de illa oratione, quâ ſodales privatim, quotidie, & publicè ſemel in menſe, à Chriſto crucifixo petunt ſanctam mortem. Non miror quod id faciant, & quod ſeriò faciant. Verſatur ante oculos noſtros quotidie, regium & univerſale illud edictum affixũ à S. Paulo Apoſtolo, confirmatum oraculo divino, Hebr. 9. 27. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori!* vel morte ſancta, vel infelici & impia: & cùm nemini conſtet, quâ morte quiſque ſit moriturus, & quando, quo die quâ horâ, die an nocte, meritò omnes ſunt ſoliciti, omnes ingemiſcimus, omnes mortem formidamus. Solciti Mardochæi fuerunt, qui hanc congregationem inſtituerunt, qui congregarunt tot ferventes ſodales ex utroque ſexu, ut in unũ congregati, ſimul in nomine Jeſu cruc. fixi, peteremus mortẽ ſanctam.

Digitized by Google

Sancti Patres, atque ipſa Scriptura ſancta, congregationem omnium fidelium in Eccleſia ſive Eccleſiam, vocant Virginem, Sponſam, Reginam in veſtitu deaurato ſtantem ad dexteram Sponſi; meo judicio, formoſiſſima quoque Virgo, pulcherrima Sponſa, elegantiſſima Regina eſt congregatio Chriſti Agonizantis. Sine periculo audet illa ſe ſiſtere in conſpectum ante oculos Regis ſui crucifixi, ut omnium noſtrum nomine offerat libellum noſtrum ſupplicem, noſtras preces, præſertim Roſarium quinque ſanctiſſimorum vulnerum, quo petimus liberari à tremendo edicto mortis infelicis, quâ moriuntur impii, & gratiam moriendi ſanctè. Adeò Chriſto crucifixo placet hæc Sponſa, hæc Regina, hæc congregatio, ut ejus oſculo ſtatī porrigat aureā virgā ſanctiſſimæ crucis, in ſignum regiæ clementiæ & miſericordiæ; imò ut ante dixi, diviniſſimū cor ſuū nobis offert, cū liberaliſſima illa promiſſione, *Petite & accipietis.*

§. 6. *Cujus orationem Chriſtus D. de throno crucis & clemētia, faciliimè exaudit cū pia Apoſtrophe & obſecratione ad Chriſtum.*

Vel cogitate, ſanctiſſimam crucem eſſe regium thronum cœleſtis Aſſueri, thronum clementiæ & gratiæ. Cogitate regium ejus thronum eſſe ſanctiſſimam Hoſtiam in Sacramēto Euchariſtiæ: in hac enim nobis adeſt Salvator noſter, Rex noſter, ut omni die, imò horâ benevolam nobis præbeat audientiam, ſi nos ſupplices ruamus in genua, ſi oremus ferventer, ſi crebris ad ipſum ſuſpiriis anhelemus, ſi demiſſa mente noſtras ipſi commendemus neceſſitates, ſi cruenta ipſius membra, tenero pietatis oculo, ſed magis tenero cordis affectu contueamur, ſi rogemus, & inſtemus per ſanctiſſima ejus vulnera, & quidem hodierno congregationis noſtræ feſto, nemo dubitet, & crucem, & clavos, & lanceam, imò ipſa cruenta vulnera nobis offerret exoſculanda. Audire mihi videor, cœleſtem Aſſuerum de throno crucis dicentem: *Quid vis Eſther?* quid vultis mei, Matriſque meæ ſub cruce filii? quid petunt veſtræ lacrymæ? quid illi gemitus? quid illa ſuſpiria? quid illæ obteſtationes, per mea vulnera, per meum ſanguinem, per meam mortem? Reſpondebo ego, mi Jeſu, omnium ſodalium meorum nomine; Sanctam mortem! Hæc eſt petitio noſtræ congregationis, ut in ſupremo agone nobis exhibeas illos favores, illas gratias, quas crucis & paſſionis tuæ amatoribus ſoles exhibere. Id à te petimus mi Jeſu, quod expirans in cruce, petiviſti à Patre tuo. In manus tuas commendamus ſpiritum noſtrum. Ah! quid interrogas mi Jeſu, quid petamus? Libellus noſter ſupplex eâ continetur oratiunculâ, quâ frequenter ad te ſuſpiramus, Anima Chriſti, ſanctifica me, &c. Parum eſt, quod obſecramus, & multum eſt. Parum, quia tu infinitæ es bonitatis ſimul, ac potentiæ; at multum! quia petitio noſtra omnes mundi hujus theſauros antecellit. Parum: quia duabus tantum voculis continetur, Mors beata: multum; quia felicem ſecum trahit æternitatem: Permitte me loqui, ut ſentio, mi Jeſu; indulge aliquid meo in te affectui, Salvator crucifixe: quod petimus, hoc eſt, ut in tua

Digitized by Google

in tua vulnera abſcondas nos, ut in hora mortis noſtræ voces nos, ut jubeas nos venire ad te. En hæc noſtrorum ſumma votorum, huc noſtræ tendunt preces, huc noſtra collimant ſuſpiria. Hoc petit Eſther Regina, hoc flagitat noſtra, & tua multò magis, congregatio.

§. 7. *Varia elogia orationis per conglobationem ex ſanctis Patrib. præſertim quod obtineat à Christo D. crucifixo, magnos favores pro hora mortis.*

Multa me movent & inflammant ad Orationem, quâ petimus ſanctam mortem. Oratio reſiſtit iræ cœleſtis Aſſueri, quâ impios punit morte infelici. Oratio tenet ejus brachia, etiam cum triſulco fulmine ſunt armata, ne quod minatus eſt, exequatur. Oratio eſt ſuaviſſimum incenſum, in conſpectu Dei, & acceptabile ſacrificium. D. Greg. Nyſſ. l. de orat. *Oratio corporum robur eſt, abundantia domus, regni vires, belli trophæum, pacis ſecuritas. Oratio virginitatis ſigillum eſt, viatoribus ſcutum, dormientium cuſtos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium ſalus.* S Chryſoſt. in Geneſin, *Magna arma ſunt preces, magna ſecuritas, magnus theſaurus, magnus portus, refugii locus, caput bonorum omnium, baſis ac radix vitæ frugiferæ.* S. Ephrem. ſerm. de Virg. *Omnis oratio ſancta & pura cum Deo familiariter agit; cœlum jugiter penetrat, in ipſa Angeli atque Archangeli exultant, & coram throno ſancti & excelſi univerſorum Domini illam ſtatuunt.* Sermones, homiliæ, diſcurſus, conciones ſanctorum Patrum plenæ ſunt ſimilibus encomiis, quæ omnia hodierno feſto applicare poſſem, orationi præcipuè meorum ſodalium, quâ petunt ſanctam mortem ad majorem fervorem ad ardorem in iſtis precibus concitandum; ſed hoc unicum hac concione inſinuare ſufficiat, ad fervorem orationis in hac materia; valdè me accendi conſideratione favorum, quos Chriſtus crucifixus ſuis amatoribus in agone ſolet exhibere, qui ſunt admirabiles, pii & affectuoſi. Exemplis rem explicabo.

§. 8. *Beatiſſima mors pii Religioſi.*

Chriſti D. id temporis bonitatem expertus fuit ille amator, (non dubito fuiſſe ſodalem hujus Congregationis, quam puto jam tum in monte Calvariæ, cum Chriſtus penderet inter anguſtias crucis fuiſſe fundatam) qui poſt ſacrum devotè per actum, videre ſibi viſus fuit, animam ſuam à B. Virgine inferri in latus Jeſu Crucifixi. Alias cogitans de doloribus Salvatoris, viſus ſibi fuit amplexu ab illo ſtringi; ita ut Chriſtus in cruce, totum Alphonſum, (hoc viro ſancto fuit nomen) velut imbibere, ſeu intra ſe condere videretur. Pro felici morte oranti vox de cœlo ad ejus aures delapſa fuit; pſal. 31. v. 6 *intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, quâ gradieris, firmabo ſuper te oculos meos,* O mi Jeſu Crucifixe! hos favores hodierna Dominica, (quia jubes) & feſto peto pro meis ſodalibus & Auditoribus: ut aliquando in agone, Mater miſericordiæ noſtras animas inferat in dulciſſimum cor tuum, ut tum nos cogitemus de tua paſſione, tu verò amplexu nos ſtringas, & nos totos veluti imbibas, & intra te condas. Ut aliquando in umbra & caligine mortis nobis des intellectũ, & inſtruas nos, & firmes ſuper nos oculos tuos in via qua gradimur ad æterni-

æternitatem. Via verò, Auditores mei quam tenere debemus ad hos favores obtinendos, ſunt regulæ & ſtatuta noſtræ congregationis; hac via tuta quicunque graditur, quiſquis Agonizantis Chriſti congregationem, dum poteſt, piè frequentat, quiſquis ad eandem intentionem menſtrua ſacra Communione ſe reficit, quiſquis Roſariolum quinque ſanctorū vulnerum præmiſſo contritionis affectu devote recitando percurrit, næ ego illi ſanctam ac longè feliciſſimā mortem polliceor: Itaque cum hodie veſperi in congregatione illud Roſorium orabitis, ſic orate, tam recitate devotè, quaſi hæreretis inter brachia crucifixi, quaſi toti eſſetis in ejus corde incluſi: *Petite & accipietis.*

§. 9. *Piiſſimū deſideriū amatoris crucifixi, & ſuavis ejus mors.*

Semper mihi placuit illud ſuſpirium ferventis amatoris erga Chriſtum Crucifixum. O ſi me! omnesque animi & corporis mei vires diſtillare poſſem, vel in unicam guttulam guſtus & beneplaciti Majeſtatis divinæ! Moriens hic inter oſcula crucifixi plus quam vicies repetiit dulciſſimum nomen Jeſus. O ſi ego hodie omnium ſodalium & Auditorum meorum corda, affectus, vires, oculos, linguas, &c. ita diſtillare poſſem in unicam guttulam guſtus & beneplaciti Chriſti in cruce agonizantis. Alias corda veſtra deſponſavi cum ſponſo ſanguinū, pendente in cruce; hodie mihi illa permittite, ut omnia injiciam in ardentem clibanum amoris ſive pectoris Chriſti, ut ibi diſtillentur in guttulam guſtus, ſitientis Jeſu in cruce. Merces erit favor ille ingens, ut olim moriamur, inter dulciſſima nomina! Jeſus! Maria! Sic amatores & ſodales crucifixi ſolent mori: aliis in agone Chriſtus Dominus de cruce ſanguineis manibus benedixit, alios ſolutâ dexterâ de cruce fuit amplexatus, alios aſperſit guttis roſei ſui ſanguinis, aliis oſtendit paradiſum, alios variis aliis modis fuit conſolatus: de aliis referunt hiſtoriæ, quod in horribili lucta cum morte nihilominus in corde crucifixi, mirifice acquieſcentes exarſerint in Deum. Hos favores ex corde voveo meis auditoribus, ut nobis aliquando Chriſtus de cruce ſanguineis manibus benedicat, & nos foveat inter brachia ſua, ut in ejus corde & pectore, inter anguſtias mortis conquieſcentes, toti ejus amore ardeamus. Sed: *petite & accipietis.*

§. 19. *Vulnera Chriſti comparantur cum pulcris roſis. Summa in illis quies, etiam in morte.*

Fuit vir religioſus è ſocietate Jeſu, qui circa feſtum Pentecoſtes vidit roſam colore pulcherrimam, & ſenſit ſe in arcano pectoris valde accendi, & mirè omnia circumquaque ardere. Alias Chriſtum D. vidit in admirabili lumine, pendentem tamen in cruce, vel bajulantem crucem, quam etiam ſubinde humeris Patris impoſuit. Ajebat hic Dei ſervus, ſe in Chriſti vulneribus non minus ſuaviter quieſcere, quam parvulus ſederet in ſinu Matris ſuæ. Mors ejus deinde fuit ſuaviſſima & ſanctiſſima. Hos ego favores opto meis ſodalibus. An non videtis pulcherrimas binas roſas, in pedibus Chrucifixi colore rubro, & ſan-

Digitized by Google

& ſanguine divino pulcherrimas? annon placent binæ aliæ in ſanctiſſimis manibus ? & illa amœniſſima roſa dulciſſimi cordis ? utinam & pulchritudinem videatis! utinam ſimul in arcano pectoris ſentiatis vos vehementer accendi; utinam circumquaque ardeant omnia. Si contingat, ut ſubinde humeris noſtris etiam crucem imponat, ferenda eſt: fortiter in tribulatione, in adverſitatibus quietem quæramus in vulneribus Salvatoris, ibi erimus non minus ſuaviter, quàm ſedeat parvulus in ſinu Matris. In Cruce, cum Cruce, in ſanctisſimis vulneribus, in ſinu Mariæ, moriemur morte ſuavisſima & ſanctisſima. *Petite & accipietis.*

§. 11. *In cruce & crucifixo ſumma lætitia, etiam inter anguſtias mortis.*

Cum Franciſcus Benzius è Soc. Jeſu, mœſtus & varie fluctuans inter lacrymas conſolatorem aliquem optaret, objecta illi fuit pulcherrima effigies Crucifixi, & mox ſuaviſſimo fuit ſolatio delibutus. Meritò timemus mortem, meritò ingemiſcimus, meritò lacrymas effundimus, meritò oramus ferventer, ut in ſupremo agone, adſit nobis Conſolator. Sic pergite: Jeſus Crucifixus ille erit, dummodo amemus, dummodo oremus ferventer, præcipuè Roſarium SS. Vulnerum. Tale ſolatium à Crucifixo ſuo, in morte ſenſit ille amator vel Sodalis, qui Medico dicenti, ut per feneſtrâ cœlum jam vicinum, reſpiceret, commonſtrato Crucifixo dixit: *En cœlum meum! & tota lætitia mea!* Talis lætitia fuit S.P. Ignatio, qui coram Crucifixo plus quàm tricies, crebro ſingultu in talia verba proumpebat, *In ſolo Chriſto, & in Cruce Chriſti reperitur vera lætitia.* Talis lætitiæ fuit particeps, qui in agone cum magno gaudio, circumſtantibus dixit: *Bono animo! Chriſtus meus Crucifixus me valde amat.* Cum ſenſu talis lætitiæ obiit ille ſodalis, qui cum ſæpius magno ſenſu exclamaſſet: *Arcta via quæ ducit ad cœlum!* arctior! arctiſſima! terrorem incuſſit, & lacrymas excuſſit non paucas: mox tamen oculis in Crucifixum & Cœlum ſublatis, junctiſque manibus conquievit in mortem placidiſſimam. Hanc veritatem agnoſcunt mei ſodales, quam arcta ſit via, quæ ducit ad cœlum, ideo tam ſunt ſoliciti, ideo tam ferventer orant, ideo tenent regiam viam S. Crucis, ut Chriſtus olim in agone, ſit noſtrum ſolatium, noſtra lætitia, & ſic conquieſcamus in mortem ſanctam.

§. 12. *Pretioſa aliqua occupatio pii ſodalis, & præparatio ad beatam mortem.*

Placuit Superis alia devotio erga Crucifixum. Quotidie per quartam horæ partem pretioſe ſe occupavit in hoc, ut conaretur in corde ſuo concitare ſelectiſſimos virtutum actus erga Jeſum Crucifixum, fidem, ſpem, caritatem, &c ſelectiſſima addebat deſideria, & ſelectisſimas obteſtationes. In pretioſa hac occupatione, inter hos virtutum actus, inter talia deſideria, ſuavisſimè deinde expiravit: Laudo meos ſodales, qui ſaltem quovis menſe unâ horâ pretioſè ſe occupant, ut orent Roſarium quinque Vulnerum, &c. Chriſtus Crucifixus hunc eis viciſſim exhibebit favorem, ut in his ſanctis cogitationibus olim ſuaviter expirent: *Petite & accipietis.*

Digitized by Google

§ 13. *Quomodo Agon morientis, terribilis & ſuavis.*

Horribilis fuit agon cujuſdam ſodalis, ſed mox ſuaviſſimus horribilis, quia inclinante jam vitâ adfuit circa lectum magna dæmonum caterva truci horrendoque aſpectu, leonum, urſorum, taurorum, draconumque portentoſis & igneis formis, ægrum territura. Æquè terribiles fuerunt ſpectrorum voces, & ejulatus. At non diu duravit conflictus; athletæ ſpectandum ſe obtulit Chriſtus D. affixus Cruci; neque ſpectandum tantùm ſe ſtitit, ſed ſuavibus verbis paventem erexit, pollicituſque fuit, ſe illi ad extremas vitæ metas adfuturum; ne diffiderit. Fortaſſis ſimilis lucta nos manet; fortaſſis ſimilia monſtra in fatali lectulo nos exterrebunt: hoc agamus, amemus Crucifixum; ſimus ferventes ejus ſodales; pugnabit ipſe nobiſcum, fugabit dæmones, ad extremam vitæ metam nobis aderit. Ne diffidite, petite hanc gratiam & accipietis.

§. 14. *Alia brevis hiſtoria, affectuoſa. Nullus amator Crucifixi deditus orationi malè moritur.*

Non audietis ſine ſolatio feliciſſimam mortem illius ſodalis, qui in agone dixit Crucifixo, *Bene noſti Domi, quàm ſerio conniſus fuerim hocce biennio ut te quærerem. Ne me nunc deſere Domine, in hac hora; quæſo te per hæc Vulnera, quæ pro me ſuſcepiſti, & libato ſingulis Chriſti Vulneribus oſculo,* in vulnere lateris tacuit, quaſi dulciſſimo correptus deliquio. Poſt mediam fere horam ſibi reſtitutus dixit, *Benedictus ſis mi Jeſu, Amen.* Rogatus à Confeſſario, num è cœlo quippiam boni haberet, cum magna humilitate, & motus titulo obedientiæ, reſpondit. *Adfuit mihi Chriſtus Dominus meus, & mihi dixiſſe viſus eſt, me eſſe prædeſtinatum, ſeque expectare, ut cum eo diſcedam.* Otto ſcrupulo, de aliqua noxa quod hæc dixiſſet, petivit abſolutionem, & illico dulci quiete conſopitus ad Chriſtum ſuum & in cœlum evolavit: Placetne vobis hæc mors mei ſodales! O mi Jeſu Crucifixe! tu bene noſti, quam iidem mei ſodales ſerio te quærant, quàm ferventer orent, ah! per tua Vulnera obteſtor, ne nos deſeras in illa hora. Permitte ut devotiſſimè exoſculer illos tuos pedes, illas manus, illud latus. Auditores! dum mihi videor figere oſculum dulciſſimo Cordi, ſentio motum, ut aliquod vobis verbum plenum ſolatio exponam. Videor mihi audire JESUM dicentem de Cruce: Omnes ferventes amatores Crucifixi eſſe prædeſtinatos. (pathetice hæc ſunt dicenda) Benedictus Jeſus Crucifixus, Amen. O verbum conſolationis! O nuntium lætum, amabile, jucundum! Ita eſt! ita mihi dicentem, audire videor Crucifixum. Neque ſane fallor; niſi vos me in errorem inducitis, niſi voſmet ultro ex hoc felici prædeſtinatorum albo excludatis: niſi amorem in Jeſu morientem exuatis; niſi à conſuetis venerandi Sanctiſſima ejus Vulnera devotionibus, deſciſcatis; non felici fato defungi, & quod conſequens eſt auguſtiſſimo Beatorum ſodalitio accenſeri: Nullus unquam verus amator Crucis, Orationi deditus periit, nullus fervens agonizantis Chriſti ſodalis, nullus Sanctiſſimorum Chriſti Vulnerum cultor, infelici clauſula mortalis hujus vitæ curſum terminavit. Fi-

Digitized by Google

§. 15. *Epilogus incutit timorem mortis.*

Finio tandem: Cum quidam oculis intentius in Crucifixum converſis, illum aſpiceret, moneri ab eodem ſe ſenſit, fore ut propediem moreretur, & contigit. Agite Auditores, in altum levate oculos, iiſque aſpicite oculos Salvatoris, vel ſpineam coronam, vel frontem morte pallidam: aſpiciam ego una vobiſcum, forte me, forte vos, inſtantis propediem mortis admonet, forte ſalutares pœnitentiæ igniculos cordibus noſtris injiciet, forte unicus ille aſpectus pias ex oculis noſtris lacrymas eliquabit: forte ad opus quoddam heroicum, ad dandam aut petendam ab inimicis veniam, ad ſui ipſius victoriam, ad ſeriam vitæ emendationem, quis ſcit? aſpiciamus devote! forte commovebit, ut ad ſanctam nos præparemus mortem. *Petite & accipietis, &c.*

CONCIO XXVII.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Joannis 15. verſ. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit illa ex ſacra ſcriptura, tria efficacia media, quibus ex mente Doctris Angelici, reddimur apti & capaces, ad ſuſceptionem Spiritus Sancti, Orationem, Communionem, ſive ſumptionem SS. Euchariſtiæ, & Perſeverantiam.

§. 1. *Exordium eſt brevis repetitio Concionum habitarum à Paſchate, cum Propoſitione hujus Concionis.*

§. 2. *Quomodo B. Virgo & Apoſtoli ſe diſpoſuerint ad adventum Spiritus S. ex c. 1. Act.*

§. 3. *Et primi Chriſtiani. Per Orationem, Auditionem Verbi Divini, & ſumptionem panis. De efficacia Orationis, ut impetret Spiritum S.*

Digitized by Google

§. 4. *Qualis debeat eſſe illa Oratio; accenſa actibus Compunctionis.*

§. 5. *Plena deſideriis, quorum varia adducuntur Elogia.*

§. 6. *Proſecutio.*

§. 7. *Querela contra illos, qui plus terrena, quàm cœleſtia deſiderant.*

§. 8. *Oratio fervens & accenſa deſideriis, requirit Perſeverantiam.*

§. 9. *Per ſumptionem Euchariſtiæ, neceſſario nobis communicatur Spiritus S. Ubi Chriſtus D. eſt per gratiam, ibi quoque eſt Sanctus ille Spiritus.*

§. 10. *Inter Chriſtum Dom. & Spiritum Sanctum, ingens eſt connexio, quæ oſtenditur ex cap. 4. Canticorum.*

§. 1. Exordiū, eſt brevis repetitio Concionū habitarū à Paſchate cum Propoſitione hujus Concionis.

ADvertiſſe vos opinor Auditores, objectum & materiā omnium mearum Concionum, à feſto Paſchatis, uſq; ad Dominicam hodiernam, fuiſſe Chriſtum Dominum glorioſiſſimum noſtrum Redemptorem. In die Reſurrectionis ipſe fuit fons veræ lætitiæ paſchalis. Feria ſecundâ Paſchatis, oſtendit nobis viam ad gloriam, per ſemitam Crucis. Feriâ teriâ oſtendi, in rebus creatis nihil eſſe gratioſius, nihil delectabilius, nihil pulchrius, illo ramo Olivæ pacis, quam nobis Chriſtus D. attulit ex arcâ ſepulchri: Dominica in Albis ejus Reſurrectio fuit nobis ſpeculum reſurrectionis noſtræ, à morte peccati ad vitam gratiæ. Dominica ſecundâ poſt Paſcha illum oculis veſtris propoſui, veluti mitiſſimum, benigniſſimum & liberaliſſimum Paſtorem. Dominica tertia, Chriſtus D. unica vocula; *Modicum*, nos docuit, omnia bona hujus mundi eſſe vana, falſa, caduca: penes ſe ſolum, reperiri veram, ſtabilem, & ſempiternam felicitatem. Concio mea Dominicæ quartæ poſt Paſcha, oſtendit, ſummam aliquando in cœlis fore felicitatem, videre Chriſtum D. in gloria & eſſe cum illo in beatis illis manſionibus in æternum. Concio mea Majalis feſto Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, fuit panegyris plena encomiis ſanctæ Crucis, tum S. Philippi, tum Chriſti Redemptoris. Sermo Dominicæ quintæ egit de illis favoribus, quos fervens oratio ſodalitatis agoniæ obtinet à Chriſto Crucifixo, pro morientibus. Feſto admirabilis Aſcenſionis ejus ad cœlos, ſub concione mea, reliquimus mundum, & cum eodem aſcendimus in cœlum. Inde, poſt octiduum, ab eodem Salvatore noſtro expectamus Spiritum S. Æquum nunc igitur eſt, ut meis Auditoribus hodie oſtendam, quomodo cum B. Virgine, & Sanctis Apoſtolis, ad ejus adventum nos diſponere atque præparare debeamus: Occaſione hujus diſcurſus, iterum aliqua pietatis fomenta, erga glorioſiſſimum Redemptorem noſtrum, in cordibus veſtris fovere conabor; ut ſic omnes conciones meæ Paſchales hujus anni, cedant in ipſius gloriam, amorem & honorem. De benevolâ veſtrâ attentione, in materia tam jucunda, & vobis grata, non dubito.

§. 2. Quomodo B. Virgo

Præparationem pro adventu Spiritus S. perfectiorem vobis præſcribe-

& Apoſtoli ſe diſpoſuerint ad adventū Spiritus S. ex c. 1. Act.

bere non poſſum, quàm illam, quam ſanctus Lucas ait obſervaſſe Apoſtolos & ipſam ſanctisſimam DEIparam B. Virginem Mariam. Reverſi ex monte Oliveti, ubi Chriſtus Dominus aſcenderat ad cœlum, Jeroſolymam, convenerunt in cœnaculo, vel au à magnâ alicujus domus; quærunt Interpretes, qualis illa fuerit, an Simonis leproſi, an Joſephi ab Arimathæa, an Nicodemi? perinde eſt, in aliquo tali loco, teſte ſancto Luca, Actorum 1. v. 14. *Erant omnes perſeverantes unamiter in oratione.* Ecce, tres nobiliſſimas virtutes, quibus vacarunt Apoſtoli, ut ſe diſponerent ad adventum Spiritus Sancti: Prima eſt, *Oratio:* Secunda, *Unanimitas:* Tertia, *Perſeverantia*; ſive ut græca lectio inſinuat; *Fortis Patientia*, & tolerantia, in laboribus, fatigationibus, tædiis, perſecutionibus Judæorum: Pro *unanimiter*, legunt alii, *erant pariter:* in græca eſt: *erant in idipſum*: Syrus; *Erant ſimul*; Pagninus; *erant conjuncti*: Sanctus Baſilius; *Ubi multi, unus: & unus, nō ſolus, ſed in pluribus:* Alia lectio ſic habet. *Erant perdurantes magna, continuaque inſtantia, & conſtantia.* Harum virtutum actus, conficiunt quaſi auream & fortem catenam, quæ de cœlo trahit Spiritum ſanctum. Amat enim divinus ille Spiritus, has virtutes, orationem, pacem, quietem, unionem fraternam, perſeverantiam, patientiam; præſertim ſi accedat devotio & familiaritas erga B. Virginem, de quâ ſequitur; *Erant omnes ſimul cum mulieribus & Maria Matre JESU.* Cum enim illa ſit, Dei Patris Filia, Filii Dei vera Mater, Spiritus ſancti Sponſa; quare non obtinebit à ſanctiſſima Trinitate, quod per illam petimus & flagitamus.

§. 3. Et primi Chriſtiani. Per orationem, auditionem Verbi D. & ſumptionē Panis. De efficacia orationis, ut impetret Spiritū S.

Redeo ad verba Sancti Lucæ, quæ plena ſunt pulcherrimis documentis; *erant perſeverantes in oratione, in doctrina & fractione panis.* Quibus verbis proponuntur tria primaria primorum Chriſtianorum munia & exercitia; nobis, quoad poſſumus imitanda & frequentanda: ut oremus, ut audiamus Verbum DEI, ut frequenter communicemus: In primâ Eccleſia Majores noſtri id fecerunt quotidie: hinc tanta ſanctitas, & tam eximia perfectio. Triplex hoc exercitium eſt quaſi vigor & vita animarum noſtrarum: ſicut enim ad vitam corporalem requiruntur tria, ſol, panis & halitus, ſive aër & reſpiratio; ita totidem requiruntur ad vitam Spiritualem; Spiritualis Sol, puta Verbum DEI, quod nos illuminat; Spiritualis Panis; puta Euchariſtia, quæ nos nutrit & confortat: Et Spiritualis halitus vel reſpiratio, puta oratio, qua Spiritum ſanctum trahimus de cœlo, juxta illud Davidis Pſalm. 118. verſ. 131. *Aperui os meum & attraxi ſpiritum.* Hæc tria adumbrata olim fuerunt in templo, per Candelabrum cum ſeptem ramis; per menſam panum propoſitionis, & altare thymiamatis. Candelabrū repræſentat Verbum DEI; Menſa panum Euchariſtiam; altare, orationem: Oratio enim

ut ipſum poſſideamus, & ab ipſo poſſideamur in æternum: Ergo in Sancto appareamus DEO, ut appareat nobis: appareamus illi in ſancto deſiderio, ut appareat nobis in potentia, & gloria Filii DEI. Iisdem fere verbis uti poſſim de Spiritu ſancto. Chriſtus Dominus Salvator noſter, antequam aſcenderet ad cœlum, promiſit nobis illum Spiritum, ut huc veniat, & poſſideat nos, ut mira in nobis operetur, ut nos inſtruat, ut nos doceat omnem veritatem, ut nos omni conſolatione perfundat: Sed ſanctitate nos oportet eſſe conſpicuos, ut ſanctiſſimus ille Spiritus nobis appareat neceſſe eſt, prius appareamus Spiritui ſancto in ſanctis deſideriis, in ferventi oratione; ut ipſe nobis appareat in igne, in turbine, in vento, in forma columbæ; quemadmodum audiemus poſt octiduum. Sic nimirum ferventibus deſideriis, ſic ardenti oratione, aptos nos atque paratos ad ſuſceptionem deſiderati hoſpitis comparemus. De quâ præparatione & diſpoſitione ad adventum Spiritus ſancti puto loqui Iſaiam cap. 55. verſ. 1. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac.* Contradicere ſibi videtur Propheta; non requirit argentum, non commutationem; & nihilominus loquitur de emptione. *Properate, emite!* Myſterium latet in vocula, *ſitientes*, ſitis eſt pretium, ſitis eſt aurum, ſitis eſt argentum: pro ſiti, pro deſideriis DEUS vendit divinas conſolationes. Acutè dixit Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 40. de bapt. *O ingentem benignitatis celeritatem! O facilem contrahendi rationem! cupiditatem ipſam (orationem, deſideria, ſuſpiria) DEUS ingentis pretii loco habet: Sitit, ſitiri, bibere cupientibus potum præbet: promptus eſt, liberalis atque munificus cum ſititur.* Talis quoque eſt Spiritus ſanctus, ſitit, ſitiri, ferventibus deſideriis, ardentibus ſuſpiriis, inflammata oratione nos reddimus aptos ad ſuſceptionem deſiderati.

§ 6. *Proſecutio.*

Idem videtur eſſe ſenſus verborum B. Virginis in ſuo cantico, *Magnificat*, Luc. 1. verſ. 53. *Eſurientes implevit bonis.* Hoc ſane mirabile! eſurire, deſiderare, ſitire, optare, petere, orare, concupiſcere, obſecrare, flagitare, eſt repleri bonis. De omnibus bonis cœleſtibus locuta fuit ſanctiſſima Virgo his diebus: eſurire Spiritum S. ſitire illum, deſiderare, optare, ad illum anhelare, ſuſpirare, hoc eſt, repleri Spiritu ſanct. Magna ſunt, quæ promiſit Chriſtus D. magna quæ poteſt, & vult dare, ſuavia, dulcia, ſcilicet vinum & lac, ſive quod eſt dulciſſimũ in ſanctiſſima Trinitate, Spiritum S. ſed eſuriem & ſitim petit pro pretio. Deſidera, pete, concupiſce, ſuſpira & dabit. S. Chryſoſtomus hom. 4. in cap. 1. Gen. *Is enim Domini noſtri mos eſt, ut quoties videt animam aliquam multo deſiderio, promptitudineque intenſa, ſpiritualibus* (his diebus dicam ego, Spiritui ſancto) *inhiantem, liberaliter illam*

Digitized by Google

illam gratiâ & opulentis donis ſuis locupletet. Si ſcire deſideremus, quâ menſurâ nos impleturus ſit ſanctiſſimus ille Spiritus, attendamus, quæ ſit menſura deſideriorum noſtrorum: obſervemus, quàm ardens ſit ſitis noſtra, quàm perfecta noſtra oratio, quantam petamus, flagitemus, obſecremus.

§. 7. *Querela contra illos, qui plus terrena, quã cœleſtia deſiderãt.*

Sed timeo, ne locum habeat querela S. Hieronymi epiſt. 1. ad Demetr. V. *Conſiderare pudet, quantus ſit fervor in ſeculo; qua cura ſingula quaque ſtudia hominum quotidie ad perfectiora nitantur: divitiarum amor expleri neſcit; bonorum cupido inſatiabilis eſt, celerem habitura res finem ſine fine quæruntur. Nos divinam ſapientium* (dico ego Spiritum S.) *cœleſtes divitias, immortales honores, pigra quadã diſſimulatione negligimus, & ſpirituales divitias, aut neglimus, aut ſi leviter deguſtaverimus, continuò nos putamus eſſe exſatiatos.* Sic eſt profectò: pudor eſt videre hominum ſitim & deſideria erga temporalia; & contrà frigidiſſimam tepiditatem in divinis. Chriſtus D. aſcendens ad cœlos, promiſit ſe miſſurum nobis inde dulciſſimum manna, ſuaviſſimum lac, Spiritum Paracletum, cum illo cœleſtes conſolationes. Sed major pars ait cum Iſraelitis in deſerto, Numeror. 11. c. v. 4 *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* anima illorum erat avida, & nauſeabat ſuper cibo leviſſimo, unde meritas cum iiſdem Hebræis luunt pœnas, ut lædantur & mordeantur ab ignitis ſerpentibus, quorum deinde ſerpentina eſt ſitis erga ſcelera, ut operentur quidquid ſenſualitas concupiſcit, quidquid ſuggerit libido. Sed non habitat, neque habitabit Spiritus S. inter tales ſerpentes.

§. 8. *Oratio fervens & accenſa deſideriis requiris perſeverantiã.*

Sed redeo ad meũ diſcurſum; quâ ſcilicet ratione ad adventum Spiritus S. nos debeamus diſponere, qui ſupponit, hos venenatos ſerpentes, ſive deſideria carnis inordinata, jam eſſe in nobis mortificata. Primam itaque Concionis meæ partem præcipuam, in qua oſtendi, orationem & ſancta deſideria eſſe optimam diſpoſitionem, finio verbis S. Hieronymi in cap. 3. Thren. *Qui ad concupita venire voluerit,* (id eſt, qui deſcenſum Paracleti deſiderat) *reflectere mentem à ſtudio orationis non debet, ſed magis perſeverare in intentione cœpta illum oportet.* Anna ſterilis l. 1. Reg. c. 1. tandem obtinuit filium Samuelem, *ſed multiplicavit preces coram Domino aſſiduè,* quam voculam eleganter expoſuit ſanctus Chryſoſtomus homil. de Anna; *Eadem non deſtitit, iiſdem verbis iterandis, multum temporis aſſumere.* Pulcherrimas preces habet Eccleſia, quibus petimus à Patre cœleſti, Spiritum S. per merita Chriſti Salvatoris noſtri, præcipue illas notiſſimas, *Veni S. Spiritus,* vel *Veni Creator Spiritus &c.* Itaq; hoc octiduo multiplicemus hæc deſideria coram Deo, *aſſiduè!* non deſiſtamus, eadem, iiſdem verbis iterare; illis iterandis impendamus multum temporis.

§. 9. *Per ſumptionem Euchariſtiã neceſ-*

Sed nimis diu huic puncto fui immoratus; itaque ad alterum progredior, & pronuntio, ferventi orationi, ipſo feſto Pentecoſtes addendam eſſe devo-

Digitized by Google

devotam Communionem, in qua, modo excellentiſſimo Spiritus S. nobis communicatur. Ratio eſt, per ſacram Communionē realiter & ſubſtantialiter unimur Chriſto D. ſicut cibus unitur corpori. S. Eugenius Pontifex: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima efficit dignè ſumentis eſt adunatio hominis ad Chriſtum; & quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt, quod per hoc ſacramentum in ſumentibus dignè, gratia augeatur, ut homo ſanctificetur, &c.* Et quid hoc eſt aliud, quàm in ſacra Communione, ſuprà dignè illam ſumentem, deſcendere Spiritum S. cui gratia & ſanctificatio hominis attribuitur. S. Cyprinus de cœna Domini, ait effectum S. Communionis eſſe, ut dignè ſumens Euchariſtiam, *Chriſti bajulus ipſum ferat in pectore, ipſum gerat in mente, & omni tempore habitatori ſuo dicat laudes, ipſum amet & benedicat.* Eadem dicenda ſunt de Spiritu S. Dignè ſumens Euchariſtiam illius fit bajulus, cum Chriſto in pectore geſtat Spiritum S. Neque enim ſine illo in nobis poteſt eſſe gratia Chriſti. Per dignam Communionem cum carne & ſanguine Chriſti, cum ſanctiſſima ejus anima & Divinitate Spiritus S. fit noſter Habitator, S. Chryſoſt. ſerm. 1. in Pent. *Spiritus S. eſt copula unionis noſtræ cum Chriſto*: quia proinde Chriſtus in Euchariſtia ſe nobiſcum unit, ſimul nobis ſanctiſſimum ſuum ſanguinem, ſimul paſſionem & merita communicat, cum illis Spiritum S. nobis tribui neceſſe eſt.

§. 10. *Inter Chriſtum D. & Spiritum S. ingens eſt connexio, quæ oſtenditur ex c.4. Cant.*

Capite 4. v. 15. Cant. ſponſus vocatur à ſponſa; *fons hortorum, puteus aquarum viventium; quæ fluunt impetu de Libano.* Richardus de S. Victore quærit, quis ſit myſticus ille fons, qui oritur in monte Libano, & inde cum tanto fluit impetu? & reſpondet, eſſe ſanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, quæ in monte Libano, in vera Eccleſia, eſt fons omnis benedictionis. Pauca verba Richardi mihi modo placent, quibus ait: *De Libano fluxerunt aquæ, id eſt, de Chriſto.* Dum hæc refero, puto vobis incidere piiſſimas cogitationes de Chriſto crucifixo in monte Calvariæ; ibi enim ex latere Chriſti, cum pretioſo ſanguine, defluxerunt aquæ & rivuli ſanctiſſimorum Sacramentorum, præcipuè ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. Laudo ſanctas has cogitationes, mihi aliam ſuggerit citatus Richardus, cum ait: *De Libano fluxerunt aquæ iſtæ, id eſt de Chriſto; quando Spiritus S. tanquam torrens diſcipulis influxit, & ſuavi eos ubertate donorum inebriavit.* Contigit hoc feſto Pentecoſtes, quando ille Spiritus viſibili ſpecie deſcendit de cœlis, cum aquis gratiarum. Sed advertendum eſt, hunc fontem non ſcaturiiſſe, antequam in monte Calvariæ de latere Chriſti fluxiſſet aqua vitæ. Non venit Spiritus S. antequam ipſe Chriſtus inſtituiſſet ſanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ: tanta inter hæc duo eſt connexio. Simus certi, ſi in Pentecoſte per devotam communionem fiamus participes ſanguinis Chriſti, etiam Spiritus Sanctus tanquam torrens nobis influet, & ſuavi nos ubertate donorum inebriabit,

bit. Si per communionem uniamur Chriſto D. ſi fiamus cum eo cor unum & anima, ſimul per gratiam nobis unietur Spiritus S. Sancta Communio & fervens oratio, facient nos lætos & paratos ad ſuſceptionem deſiderati. Per ſuſceptionem Euchariſtiæ frequenter nos uniamus Chriſto, ſi frequenter gratiam Spiritus S. in cordibus noſtris diffundi optamus: Accedant præcipuè fervida cordis deſideria, & ſuſpiria, quæ, oratiunculas jaculatorias vocamꝰ, veluti tela cœlos penetrantia, accedat denique orationis perſeverantia, & non deerit (ſancte promitto) non deerit hiſce ſtudiis Spiritus S. Non deerit ſpiritus amoris, ubi inſtruitur divini amoris epulum Euchariſticũ. Non deerit cœleſtis ille ignis, ubi ignea precum, ſuſpiriorum, gemituumq; jacula cuduntur. Non deerit denique Spiritus ille Sanctus, Corona Sanctorum omnium, ubi perſeverantiæ in bono coronam, capitibus noſtris imminere perſpexerit.

FINIS *Partis Primæ.*

AL-

Digitized by Google

ALVEI SECUNDI,

Sive

CONCIONUM

IN

Omnes Dominicas à Pentecoſte uſque ad Adventum,

PARS II.

Digitized by Google

CONCIO XXVIII.

FESTO PENTECOSTES.

Paracletus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, Joannis 14. verſ. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit & explicat undecim Elogia Spiritus Sancti, ex cap. ſeptimo Libri Sapientiæ.

§. 1. *Deus, dando mundo Spiritum Sanctum, declaravit aliquas proprietates infinitæ ſuæ liberalitatis; & qualem Spiritum dederit.*

§. 2. *Spiritus Sanctus eſt Spiritus intelligentiæ.*

§. 3. *Sanctus, Unicus, Multiplex.*

§. 4. *Subtilis, & diſertus, ſive clarus.*

§. 5. *Talis hodie fuit Spiritus in Apoſtolis; an talis ſit in nobis.*

§. 6. *Spiritus Sanctus eſt Spiritus mobilis, incoinquinatus, certus, ſuaviſſimus.*

§. 7. *Fortiſſimus.*

§. 8. *Talis fuit in Apoſtolis: orandum, ut talis quoq; ſit in nobis.*

§. 9. *Præſertim in rebus arduis, & inter adverſitates.*

§. 10. *Læta Patientia in adverſis, eſt infallibile ſignum præſentiæ Spiritus Sancti.*

§. 11. *Imploratio Spiritus Sancti, per puncta Concionis.*

§. 1. DEUS, dando mundo Spiritum S. declaravit aliquas proprietates infinitæ ſuæ liberalitatis & qua-

QVàm munificus! quàm liberalis eſt Dominus DEUS noſter! prius noſtra deficiunt deſideria, in petendo; quàm ipſius bonitas in dando. Prius vas cordis noſtri impletur, quàm ipſe deſiſtat infundere. Lib. 4. Reg. cap. 4. v. 6. ad preces Eliſæi, mirabiliter multiplicatum fuit oleum, ad implenda

lum ſpiritum dederit. da vaſa triſtiſſimæ viduæ : *cumq; plena eſſent vaſa, dixit ad Filium ſuum; affer mihi adhuc vas, & ille reſpondit, non habeo, ſtetitque oleum.* Sic olei emanatio non prius ceſſavit, quam plena eſſent vaſa, neque alia ſuppeterent : & ita prius corda noſtra implentur oleo divinæ gratiæ, quàm DEI liberalitas exhauriatur, ita Deus cor hominis implet, ita exſatiat, ut plus tribuat, quam cor illud deſiderare poſſit. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret;* Joan. 3. v. 16 quis deſiderare auſus fuiſſet, ut daret & Spiritum Sanctum ? dedit tamen. Venit de cœlis, ſecunda Perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, Verbum Patris; aſſumptâ humanâ naturâ, verus Deus & homo, nobiſcum vixit, nobiſcum habitavit, nobiſcum ambulavit in terris : quis petere tentaſſet adventum quoque Perſonæ Tertiæ, ſive Spiritus Sancti, ut & hic deſcenderet in terras, modis tam diverſis & mirabilibus; in ſono venti vehementis, in ſpecie ignis, in forma ignearum linguarum, in imagine columbæ, in aura tenui ? Et nihilominus Pater cœleſtis, & Chriſtus Dn. poſtquam ad Patrem rediit, etiam Spiritum Sanctum nobis miſerunt. Iterum exclamo, quàm minificus! quàm liberalis eſt Dominus DEUS noſter! Plus enim tribuit, quàm petere audeamus. Sed jam obſervate alterum myſterium in mirabili fluxu olei, cujus feci mentionem. Vidua non petiit tantum quantum illi præſtitit Propheta. Solutionem debiti illa tantùm rogavit, cum dixit v. 8. *creditor venit, ut tollat filios meos ad ſerviendum ſibi:* cui Eliſæus, *Quid vis ut faciam tibi.* Hoc, illa ait, *ut creditori poſſim quocunque modo ſatisfacere.* Sed non ita contigit. Satis hoc fuiſſet peritioni viduæ, ſed non divinæ liberalitati; ita hæc largiter effudit oleum, ut non ſolùm ad debiti ſolutionem, ſed etiam ad ſuſtentandam vitam ſufficiens exiſteret; *Vade, vende oleum, & redde creditori tuo; tu autem & filii vivite de reliquo,* v. 7. Mira munificentia! nec tamen mira, quia divina, quæ ſemper tribuit ultra optata, ultra vota, *munificentia inundans!* ut illam vocat D. Cyprianus ad Donatum. Meminiſtiſne ardentium precum, anhelantium ſuſpiriorum, quibus antiqui Patres petierunt Incarnationem Verbi, & adventum Meſſiæ dudum promiſſum? Iſa. 45. v. 8. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum : aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Et hoc, ad neceſſitatem, ad ſolutionem debiti infiniti, & exaudivit illos Deus; dedit tandem mundo Unigentium Filium ſuum. Quis ex Patriarchis vel Prophetis petiit adventum Spiritus Sancti? tamen dedit dona hominibus, & inter illa, hodierna die Spiritum S. Hæc itaque divina liberalitas, ut eluceſcat magis, ex uno aut altero loco S. Scripturæ; hac concione oſtendere conabor, qualis ſit ille ſpiritus, quàm benignus ac liberalis. Vos pios hoſce conatus, favore veſtro atque attentione tantiſper proſequimini.

Inter laudes Divinæ ſapientiæ Liber ſapientiæ c 7. v. 22. hanc quoq; nume- §. 2. *Spiritus S. eſt ſpiri-*

tus Intelligentia. merat. *Eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus.* Scio apud Interpretes eſſe litem, de qua ſapientia ſit ſermo. An de creata, quæ fuit in Chriſto D. quatenus fuit homo: an de inchoata, & ſi de hac, an de ſecunda perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ ſapientia Patris dicitur; an de illa, quæ vocatur Spiritus Sanctus, ſive Spiritus Sapientiæ, an verò de attributo divinæ Sapientiæ, quæ tribus Perſonis communis eſt, prout relationem dicit ad effectus, quos cauſat in hominibus. Pertinet ſubtilis hæc quæſtio ad ſcholas. De hac cathedra modo pronuntio, Salomonem hoc citato loco, locutum fuiſſe de Spiritu Sancto. Involvuntur enim in illis verbis multa bona, chariſmata, gratiæ, & effectus, quæ propriè Spiritum Sanctum ut auctorem & fontem reſpiciunt, & ab illo hominibus communicantur. 1. ad Cor. c. 12. v. 11. *Hæc autem omnia operatur, unus atque idem Spiritus.* Perpendite ſingula. Nam 1. Spiritus S. eſt *Spiritus intelligentiæ*; in Græco, *Spiritus intelligens.* Alii legunt, *Spiritus ſagax.* Vatablus; *Intelligentia.* D. Gregorius in hunc locum, *Spiritus intellectus: omnia proſpiciens, omnia luſtrans; omnium Epiſcopus*, quod inſtar vigilantis Præſulis, omnia circumſpiciat, omnia ſcrutetur, omnia viſitet. Et licet in ſanctiſſima Trinitate, Sapientia, Intelligentia, Intellectus, Verbum ſit Filius; tertia tamen Perſona hujus ſapientiæ, hujus intelligentiæ, hujus intellectus, hujus Verbi, eſt Spiritus Sanctus æquè intelligens, æque ſapiens: quia Deus eſt; à Patre & Filio procedens; & præterea vim intelligendi, rationali creaturæ, præſertim ſupernaturalia, tribuit: Solet in Sanctis & Electis, in filiis D E I per gratiam, eſſe aliquis impulſus aut amor intelligendi ea, quæ ſpectant ad myſteria fidei, ad vitam ſanctam & Deo gratam; qui impulſus homini inſeritur à Spiritu Sancto.

§. 3. Sanctus, Unicus, Multiplex.

2. Spiritus ille, citato loco, vocatur Sanctus; tum quia eſſentialiter & ſubſtantialiter ipſe eſt Sanctitas increata; tum quia homines ſanctificat & Deo gratos reddit: quo ſenſu S. Paul. ad Rom. 1. v. 4. illum appellat, *Spiritum Sanctificationis.* Item Sanctus, ajunt SS. Patres, quia eos, quos ſanctificat, ſimul purificat ab amore rerum terrenarum, & transfert ac conjungit ad amorem cœleſtium: *Sanctus* enim, in græco idem eſt, *ac ſine terrâ, a, quod eſt ſine, & gyos, quod eſt terra; unde ſanctus dicitur Spiritus, quia à terra ſuſtollit, quos ſanctificat.* 3. Divinus ille Spiritus eſt *Unicus*: quia multorum & diverſiſſimorum donorum, unus atque idem auctor eſt; Unicus eſt, quia una & ſimpliciſſima ejus eſt natura: Unicus, quia unit bonos unitate fidei, & caritatis, ut ſint cor unum, & anima una. Unicus! quia omnia juſtorum opera, dirigit ad unam Dei gloriam, & illum finem, ad quem creatus eſt homo. Unicus tamen hic Spiritus, ſimul, 4. eſt multiplex, per diverſa chariſ-

Digitized by Google

chariſmatum dona, quæ tribuit Eccleſiæ, quam replet: S. Bernardus ſerm. 4. de Pent. *Multiplex: quoniam multipliciter filiis hominum inſpiratur ad uſum, ad miraculum, ad ſalutem, ad ſolatium; ad fervorem.* Ex mente ſanct. Auguſtini ep. 102. multiplex dici poteſt, quia ita plenos & gratiarum refertos efficit ſuos, ut ſimul multa & ardua agant ad Dei gloriam & ſalutem proximi: præſertim in viris Apoſtolicis, qui per orbem prædicāt Evangelium.

§. 4. *Subtilis & Diſertus, ſive Clarus.* Pergit Liber Sapientiæ in laudibus Spiritus ſancti, & ait verſ. 5. *ſubtilis*, græcè *tenuis*, omnia penetrans, etiam *profunda Dei*, ut inquit Apoſtolus 1. Cor. 2. verſ. 15. *Subtilis eſt, quia tales reddit, in quibus per gratiam habitat: Spiritualis enim homo*, ait Ap. cit. loco, *omnia dijudicat*: exquirit, inquirit, penetrat, diſcernendo Spiritus, an veri, an falſi ſint, an à Deo, an à diabolo, an à Spiritu, vel à carne: diſcernit paſſiones ab inſpirationibus divinis; ſegregat ſpiritus vanos, & falſos, à veris: minutiſſimas dijudicat labes, dijudicans, penetrans, diſcernens, quid Deo placeat, quid diſpliceat. Huc præcipuè tendunt illa ſuaviſſimi hymni ſuſpiria: *Veni S. Spiritus: veni, & lucem ſegrega à tenebris, pulchrum à turpi, honeſtum ab indecoro.* O lux beatiſſima, reple cordis intima: tua nimirum lux eſt, quæ animorum noſtrorum aciem recreat: tua lux eſt, quæ ſicut oriens Aurora pulſis mœſtitiæ tenebris, nos lætificat: tua lux eſt, quæ noctem diſſipat, quæ umbras pellit tartareas, quæ illuminat intima cordis. O lux beatiſſima: O ſubtiliſſime Spiritus, reple cordis intima, in illis intimis vides, quot & quænam ſcelerum monſtra lateant abſcondita, ubi lateat ſenſualitas, ubi amor proprius deliteſcat, ubi moretur inordinatus erga creaturas affectus: O lux beatiſſima, tuum obſecro fulgorem immitte, & omnis ille tenebrarum chorus dicto citius evaneſcet: Ob quam eandem cauſam divinus ille Spiritus, 6. dicitur *diſertus*, id eſt, clarus, apertus, illuſtris, ſive, qui omnia explicat & illuſtrat: *Diſertus* præcipue quoad ſermonem, ad quem verba ſuppeditat apta ad mentis ſententiam aperiendam, & perſpicuam efficiendam, verbis propriis & præcipuè efficacibus Sap. 10. v. 21. *Linguas infantiū fecit diſertas*, hoc eſt, loquentes verbis claris & lucidis. Iſaias cap. 36. verſ 24 ait, quod aperta erit lingua mutorum. Sed ita eſt diſertus, ut ſimul ſit ſolidus, fortis, imprimens, operansque per verba: nam multæ v. g. concionatorum linguæ ſubinde videntur diſertæ, ſed verba ſunt vacua, puerilia, ſine motu Auditorum, ſine fructu: titillantur aures, non commoventur corda: multa dicunt, & jucunda, & pulchra; eructant verba ſuavia, ſed inania, quæ non ſuggeſſit Spiritus ſanctus, ſed Spiritus vanitatis & ſuperbiæ, per quem ſe ipſos quærunt: diſerti, ſed deſerti à Spiritu S. ait quidam Interpres.

Antequam pergam ad reliquas laudes, quas citavi ex lib. Sap. duo advertite. 1. Quâ ratione hodiernâ die deſcendens ille Spiritus ſupra B. Virginem & Apoſtolos, in illis fuerit talis *§. 5. Talis Spiritus fuit hodie in Apoſtolis; an talis ſit in nobis.*

talis Spiritus, ſcilicet intelligentiæ; *Sanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, diſertus.* De B. Virgine ſcimus, fuit Virgo ſapientiſſima: fuit arca pretioſiſſima, quæ excepit ſanctitatis theſaurum; fuit ſancta, ſancta, ſancta! qualis hic ſe mihi campus diſcurrendi, in laudes ſponſæ Spiritus ſancti, ſed modo aliud intendo, neque in hoc diu hærebo, quod idem Spiritus ſanctus hodie Apoſtolos repleverit intelligentiâ, ſanctitate, pietate, quod reddiderit illos impeccabiles, ſubtiles, diſertos? ſufficiat hæc tantum inſinuaſſe, ut 2. vos moneam, ut advertatis, an acceperitis Spiritũ ſanct. ſi enim in Dei laudibus, ſi in piis colloquiis, ſi in ardentibus precibus facundos ſimul ac fœcundos vos eſſe comperitis, gratulor. Si contra in hiſce omnibus elingues eſtis, doleo. Si multiplices virtutum flores in vobis germinent atque efflorescant, ſi veſtri ſancti mores, ſi ſanctæ cogitationes, ſi verba ſancta, ſi vita ſancta, iterum gratulor cœli novum hoſpitẽ, gratulor dulciſſimum Spirit. ſanct. adventum: ex fructibus inhabitantẽ in cordibus veſtris Spiritum ſanctum animadverto.

§. 6. *Spiritus S. eſt Spiritus mobilis, Incoinquinatus, Certus, ſuaviſſimus.*

Redeo ad laudes Spiritus ſancti & alteram partem meæ concionis. Eſt 7. *Mobilis*, quia in quib⁹ eſt, illos reddit mobiles & dociles ad divinos excipiendos impulſus, ad obſequendũ inſpirationibus, ad imitationẽ Chriſti D. &c. hæc velociter; nam, ut ait ſanct. Ambr. in c. 1. Lucæ, *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia.* 8. Eſt quoq; Spiritus *incoinquinatus.* Vatablus, *Incontaminatus.* S. Ambr. *Immaculatus.* D. Nazianzenus, *ab omni labe, maculaq; vacuus, impollutus, purus ab omni inquinamento:* & tales efficit homines; neque enim habitat, in corpore ſubdito peccatis. 9. eſt Spir. *certus*, ſanct. Ambr. *Manifeſtus*, Vatabl. *Evidens*, non errans neq; errare faciens, præſertim in articulis fidei. 10. Id. Sp *ſuaviſſimus.* Vatab. *Innocuus*, quia reddit ſuaves ac tractabiles, mãſuetos, affabiles, benignos, habentes Spiritum lenitatis, ad Gal. 6. quod elogium integram exigit concionem.

§. 7. *Fortiſſimus.*

Denique ait citatus locus ex libro Sapientiæ; *Quem nihil vetat:* ſive, *omnem habens virtutem.* S. Ambr. *qui omnia poteſt:* ſanct. Nazian. *Omnipotens*, & alios potentes faciens: unde ſanct. Paulus ad Philip. 4. v. 14. dixit; *Omnia poſſum in eo, qui me confortat:* Hic ſcilicet unus eſt; ex præcipuis effectibus Spiritus ſancti, reddere hominem ex ſe imbecillem ac debilem, fortem, generoſum, imperterritum, ad pericula, ad labores, ad quævis ardua pro Deo toleranda. Unde etiam, nullum validius eſt ſignum, inhabitantis Spiritus ſanct. in anima, quam hanc præ ſe ferre fortitudinẽ, hunc animum exhibere, hanc voluntatem oſtendere, ad exequenda Dei mandata, & ad ipſam etiam, ſi opus eſt, mortem ſubeundam. Hæc eſt virtus illa fortis, & robuſta, de quâ Chriſtus D. dixit Apoſtolis, *ut expectarent, donec ipſa induerentur de alto, neque ante quidquam auderent*, Lucæ 24. Proinde, antequam Spiritus ſanctus hodierna die deſcendit, fuerunt timidi, debiles *Virtute verò induti, non humanâ, ſed cœleſti*, ait Theodoretus

retus hic, *mira perpetrarunt*: S.Chryſoſtomus rem declarat ſimili: *ſicut milites, nemo dux exire ſinit, donec armati ſint, ſic & diſcipulos, ante Spiritus deſcenſum, ad conflictum egredi non permiſit*, ſed ait: *Vos autem ſedete* q.d. Necdum venit confligendi cum hoſtibus hora, mei diſcipuli, necdum vos, ut oportet paratos atque inſtructos perſpicio; prius eſt vobis de armatura providendum, quàm deſcendatis in arenam: prius indui debetis virtute ex alto, prius robore Spiritus S.muniri; *ſedete tantiſper in civitate & orate*: poſteaquã Spir. S.quem mittam vobis, velut lorica fueritis induti, enimverò, tum intrepide prodite in occurſum hoſtium, opponite vos Synagogæ, facilis tum erit pugna, jucunda colluctatio, victoria certa: Sic contigit.

§ 8. *Talis fuit in Apoſtolis. Orandum, ut talis ſit in nobis.*

Vix Apoſt. repleti Spir. S. cœperunt loqui *magnalia Dei*, & prædicare nomen Crucifixi, cũ horribilis contra eos excitata fuit tẽpeſtas, *Iudæorum namq;* (S. Chryſol. hom. 8. de laud. S. Pauli) *tunc populi movebantur, Phariſæorum latrabant linguæ, indignabatur conſpiratio Sacerdotum, in quo bello Iudæis ſociabantur & gentes* Et congregato concilio, Act 4.v.3. *denunciarunt illis, ne omnino loquerentur, neq; docerent in nomine Ieſu*. Quo audito diſcipuli, ſic Dom. deprecati ſunt v. 29. *Et nunc Domine reſpice in minas eorum, & da ſervis tuis, cum omni fiducia loqui verbũ tuũ: Et; Motus eſt locus, in quo erant congregati, & repleti ſunt omnes Spir. S. & loquebantur Verbũ Dei cũ fiducia*: imperterriti, impavidi, fortes, adamantini ad omnes minas, gaudẽtes, quod digni haberentur, cõtumelias pati pro nomine Jeſu. Habetis hic iterũ Audit. quod animadvertatis, continget, ut & vos involvant labores, certamina, pericula, continget, ut & vobis, ſeu aperto marte, ſeu claneculũ ſtruantur inſidiæ, ut & vos perſecutiones patiamini, ſed Spiritũ S. inclamate atq; exclamate: *Veni S.Spiritus, tu in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium*! Tu, qui Apoſtolos imperterritos reddidiſti, eã & nobis fortitudinẽ adde, eas vires ſubminiſtra, ut digni habeamur, cum gaudio aliquid pati pro nomine Jeſu.

§ 9. *Præſertim in rebus arduis & inter perſecutiones.*

Admiranda eſt vis Divini hujus Spiritus! quæ dum ſemel animum imbibit, non tantùm illũ fortem reddit, contra pericula extrinſeca, & hoſtes exteriores, ſed ad prælia quæ intra ſunt, majora, maxima, ingentia: Internas animi paſſiones vincit ille Spiritus, domat, ſubjicit, debellat, collidit, conſtringit, enervat, ut quod prius adynaton videbatur, fiat leve, facile, jucundũ. D Greg. l.18.mor.c.17. *Ardore divini amoris cor durum emollitur ad amorẽ, roboratur ad operationem, & ſicut prius durũ fuerat in amore ſæculi, ita poſtmodũ ſe forte exirit, in amore Dei, & quod ante audire renuebat, jã nunc & credere, & operari incipiat*: ſic fit frequentiſſimè, ut id, quod Deus imperat, quod patimur, videatur plane aſperũ, terribile, impoſſibile: quã diu ſe in nobis regnat Spiritus mundi, Spiritus carnis & ſenſualitatis, Spiritus vanitatis, &c. Sed deſcendat de cœlo Spir. S. repleat cor hominis, accendat in illo flammã divini amoris, induat illud ſua virtute veluti clypeo, &c. ſtatim apparet jucundũ, quod erat triſte, facile, quod difficile, ſuave in ſuave; dulce amarum. S. Aug. l. de bono vid. c.11. *Nullo modo ſunt oneroſi labores amantiũ: in eo enim quod amatur aut non laboratur aut labor ipſe amatur*. Blandiatur caro, contra ſpiritum, inſurgant diabolicæ poteſtates, ſæviat tyrannus, nigrumq; evomat anguis venenũ, fremat mare, ad cœlũ uſq; ſpumantes extollat undas, vel ut utar phraſi Abacuc c 3.v.17. *Ficus non afferat fructum, & non ſit germen in vineis, mentiatur opus olivæ, & arva non afferant cibũ* (cogitate vos quamcunq; crucem, quæ vos premit; qui Chriſtum amat, qui virtute Spiritus S de alto indutus eſt, dicet cum eodem Abacuc.c.3.18. *Ego autem in D. gaudebo; & exultabo in Deo ſalutari meo*. quẽ locum eleganter expendens D. Cyp. l. ad Dem. ait: *Viget apud nos ſpei robur, & firmitas fidei, & inter ſævientes ruinas, erecta mens & immobilis virtus, ut nunquam niſi læta patientia, & Deo ſuo ſemper ſecura anima, perſtat, & virtute de alto roboratur. Quid enim pericula, quid labores, quid perſecutiones, ad Dei ſervos, quos Paradiſus invitat, quos copia regni cœleſtis expectat: exultant ſemper in Dom lætantur, & gaudent in Deo ſuo, & mala atque adverſa hujus mundi fortiter tolerant.*

§. 10. *Læta Patientia in*

Itaque ut finiam, infallibile advertite ſignum, an deſcenderit hodie ſuper vos Spiritus S. Conſiderate veſtrã Patientiã, inter adverſa.

Pin-

Digitized by Google

adverſis. eſt infallibile ſignum præſentia Spiritus S.

Pingi ſubinde illa ſolet, in forma formoſæ Virginis, in ſacco cilicino, inter ſpinas, coronata tamen roſis. Eſtne talis veſtra patientia, id eſt, ut inter ſpinas ſitis læti, abundantes ſolatio, ut illa nihilominus ſit fortis, firma, erecta? Bene habet, his roſis inſidet Spiritus S. Faciei veſtræ Patientia, inter nubila, veſtræ illa ſerena, amabilis? micantne in illa ſuaves & læti oculi, defixi vel in Amorem Crucifixum, vel erecti in cœlum? Spiritus S. in illis reſidet. Et licet fortaſſis ſubinde triſtes ex illis fluant lacrymæ, fertur tamen ſuper illas Spiritus S. Attendite, an veſtra Patientia, etiam hoſti offerat ramum Olivæ, an lingua & labia ejus tum ſtillent melle, gaudio? hoc mel non ex alio fluit fonte, quàm à Spiritu S.

§. 11. Imploratio Spiritus S. per puncta Concionis

O Spiritus intelligentiæ, communica nobis excelſas cogitationes filiorum Dei! O Spiritus Sanctiſſime, ſanctifica nos: Spiritus puriſſime, purifica nos. Spiritus fortiſſime! eas nobis vires ſuppedita, quibus noſtris hoſtibus poſſimus & fortiter, & conſtanter reſiſtere. O lux beatiſſima! cordis noſtri tenebras diſſipa; eja tuos infunde radios, eja lætifica animas noſtras, illuſtra intellectum, reple memoriam, inflamma voluntatem, ut & in hac vita, tibi, tuoque Sanctiſſimo Nomini vivamus grati, & in alterâ, cum univerſo Beatarum mentium exercitu, accinamus Tibi, & Patri, & Filio, lætiſſimum illud triſagion, *Sanctus, Sanctus Sanctus*! atque in te, ſic æternùm felices exultemus, Amen.

CONCIO XXIX.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, Matth. 28. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Exponit utiliſſima exercitia, & aureas praxes colendi hoc ſanctiſſimum myſterium.

§. 1. *Exordium, eſt ardens deſiderium ad SS. Trinitatem, & propoſitio, Quomodo illa amanda ſit.*

§. 2. *Deſcriptio Animæ amantis SS. Trinitatem, ex S. Ambroſio.*

§. 3. *Cor*

Digitized by Google

§. 3. *Cor hominis debet eſſe altare, dedicatum SS. Trinitati.*
§. 4. *SS Trinitatem venerari debemus ardentibus precibus.*
§. 5. *Proſecutio ex S. Bernardo, & S. Chryſoſtomo, & aurea praxis, conſumendi diem totum, in honorem SS. Trinitatis.*
§. 6. *Proſecutio aurea hujus praxis.*
§. 7. *Proſecutio.*
§. 8. *Cultores SS. Trinitatis ſanctè moriuntur.*
§. 9. *Proſecutio, & adhortatio, ut nos totos demus huic devotioni, ſi ſanctè mori volumus.*

§. 1. *Exordiũ eſt ardens deſiderĩu ad SS. Trinitatem, & propoſitio quomodo illa amanda ſita:*

Pater Joannes Falco vir piiſſimus è ſocietate JESU, cum anno 1626. Moguntiæ, ultimo vitæ agone colluctatus decumberet, inter ardentisſima ſuſpiria excellentisſimarum virtutum, in hoc quoque prorupit: *Tu ſcis Sanctiſſima Trias, quomodo nihil aliud in vita mea quæſiverim, quam ut amorem tuum omnibus imprimerem: quæ in hunc finem media, quæ ſtudia, quos labores impenderim; cum per infirmitatem id porro non liceat, ſuſcipe voluntatem meam; ſi poſſem, omnes amore tui cuperem accendere, & inflammare.* Deinde, animam jam jam expiraturus *O me felicem*, ajebat, *ſi poſt puſillum temporis, de facie ad faciem mihi liceat videre Sanctiſſimam Trinitatē. O Pater! O fili, O Spiritus Sancte!* ſic abibat vir religioſiſſimus. Liceat mihi Auditores, ut ego ante hanc concionem in ſimilia deſideria erumpam; O Beata, O æterna Trinitas! tu ſcis me hac hora nil aliud intendere, quàm ut lingua mea ſit calamus velociter ſcribentis, qui in libris cordium meorũ Auditorum inſcribat amorem Sanctiſſimæ Triados. Aliud non quæro, quàm ut verba mea ſint ardentes faces, quæ illum accendant; ut lingua mea ſit ſtylus ferreus, qui hoc myſterium omnium cordibus imprimat & inſculpat: O Sanctiſſima Trinitas, ſuſcipe hanc voluntatem meam. O nos felices, ſi aliquando in cœlis æternum illam amemus & laudemus. Hoc concede O Pater, O Fili, O Spiritus Sancte! Hâc intentione, cum his deſideriis proponam vobis Auditores, quomodo in hac vita ſanctiſſimas tres Perſonas debeamus amare, quomodo debitis obſequiis, nos noſtraq; opera mancipare, quomodo auguſtiſſimæ illius Trinounius Majeſtatis favorem ac gratiam in ſingulas velut horas inire: quod quidem cum nobis mortalibus perquam ſit utile, ac neceſſarium, non ingratam hanc meam vobis concionem futuram, confido.

§. 2. *Deſcriptio animæ amantis SS. Trinitatē ex S. Ambroſ.*

Si unquam alias, hodie neceſſe eſt, ut totam animam colligamus, ut nihil habeamus commune cum terrâ, (Sanctus Chryſoſtomus hom. 79 ad pop.) ſed in ipſum cœlum nos transferamus, omnemque ex animo expellamus humanam cogitationem, ut cum Cherubinis & Seraphinis, noſtras extollamus voces, dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus!* Vel cum Eccleſia, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.* Talē animā eleganter deſcripſit S. Ambr. libro de Iſaac c.3. *Beata anima,*

Digitized by Google

quæ inſurgens de corpore, ab omnibus ſit remotior, atque intra ſemetipſam divinum illud eſſe, (dico ego hodierna feſtivitate Altiſſimum illud myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis) *ſi quo modo aſſequi poſſit, ſcrutatur & quærit.* Labyrinthus quidem eſt hoc Sacramentum, extricare ſe nemo poteſt, ſed intricari, & non poſſe in illo pergere, ingens eſt felicitas. Abyſſus eſt omniũ abyſſorum, aliquo tamen modo tentare poſſumus, an fides noſtra fundum inveniat. Æquor eſt, in cujus perſcrutatione, pia & humili, ſubmergi; noſtra eſt voluptas. *Anima talis*, pergit S. Chryſoſtomus, *bona contemnit viſibilia & ſenſibilia nec conſiſtit in eis; nec in ſuſcipiendis his immoratur, & reſidet, ſed aſcendit ad illa æterna, & inviſibilia, & plena miraculis; puro ſenſu ſe pia mentis attollens etenim perfectioni ſtudens, ſolum illud bonum Divinitatis attendit, nec aliud quid quam requirendum putat, quia tenet, quod ſummum eſt*: quod quia aliud non eſt, quam ſanctiſſima, excellentiſſima, eminentiſſima Trinitas, illius cultum, venerationem, amorem, adorationem, piiſſima mente quærere debemus.

§. 3. *Cor hominis debet eſſe altare dedicatũ ſanctiſſ. Trinitati.*

Homilia nona in Exodum ait Origenes. *Habeat anima mea in ſe altare defixum, in quo orationum hoſtias & victimas offerat Deo.* Hodierno feſto cultores ſanctiſſimæ Trinitatis ſua corda in ejuſmodi convertunt altaria, ut illis imponant non hoſtias & victimas taurorum & vitulorum, ſed ut ex illis in altum aſſurgat ſuaviſſimum thymiama ardentium deſideriorum, laudandi ſanctiſſimam Trinitatem: grana thuris, ſunt notiſſima illa verba, *Sanctus, Sanctus, Sanctus: Gloria Patri & Filio, &c. Benedicamus Patrem & Filium cum Spiritu S.* Ignis illa accendens eſt noſter ardor & fervor, quo deſideramus laudare tantum myſterium, & amor, quo ferimur & flagramus erga Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Advertite Auditores, an veſtra corda, ſint talia altaria, an in vobis ardeat hic ignis, an aſcendat ille fumus, qui coram throno Divinæ Majeſtatis, in thuribulis aureis fumigat in odorem ſuavitatis.

§. 4. *S. Trinitatem venerari debemus ardentibus precibus.*

Paulatim clarius inſinuo, quid à meis Auditoribus exigam in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, nimirum ut illas preces quas cum Eccleſia in honorem tanti myſterii proferre ſolemus, *Gloria Patri*, &c. oremus ferventer, & cum magno ardore, & ingenti animi ſubmiſſione. Lib. 3. Reg. c. 18. v. 42. *Elias aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem inter genua ſua.* Scio Interpretes & ſanctos Patres occaſione hujus ſitus excurrere in laudem reverentiæ ac ſubmiſſionis, qua ante orationem nos ſiſtere debemus conſpectui Divinæ Majeſtatis, & præſertim hodie coram Throno ſanctiſſimæ Triados. Placent mihi pro hoc diſcurſu verba S. Chryſoſtomi in Pſalm. 126. ubi cum egiſſet contra trepidè orantes, ait: *At ſancti, non ſic orabant, ſed cum ſummo ſtudio, ac maxima vehementia, ut etiam totum corpus inflecterent: Beatus quidem Elias orans, primùm quidem quæſivit ſolitudinem, deinde cum poſuiſſet caput ſuper genua, & ſe ipſum cum magno ardore incenderet, ita fundebat preces.* Non dubito, de vobis Auditores, fides veſtra de myſte-

rio

rio ſanctiſſimæ Trinitatis, veſtra cognitio beneficiorum, quæ ſcitis à Patre, Filio & Spiritu S. in vos collocata, ſuadent vobis, monent vos, ut hodie colatis ſanctiſſimam Trinitatem: omnes Angelorum chori vos invitant, præcinunt omnium Sanctorum in cœlis voces, ut canamus & nos, *Sanctus, Sanctus, &c.* Sed hoc ego exigo & moneo, ut prius ponatis vos per vivâ fidem in conſpectu ſanctiſſimæ Trinitatis, ut prius vos humilietis, ut humi repatis, vermiculorum inſtar, tum prius vos incendite, incendite corda, incendite animam, incendite oculos, incendite linguas, inflammate deſideria, & inter has flammas dicite millies cum ardentibus Seraphinis, *Gloria Patri, &c.*

§ 5. *Proſecutio ex S. Bern. & S. Chryſ. & aurea praxis cõſumendi diem in honorem SS Trinitat.*

Sermone quinto feria 4. Cinerum ait S. Bernardus. *Pro neceſſitatibus animæ orandum eſt frequentius & ferventius & pro vita æterna, tota pietate, & toto orandum eſt deſiderio.* S. Chryſoſtomus hom. 49. in Gen. *Fervens & æſtuans deſiderium oſtendamus.* Idē ego dico de orationibus, quæ orari ſolent in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis. v.g. Oras Litanias de tremendo hoc myſterio, tota pietate, & toto orandæ ſunt deſiderio. Suaſi alias meis Auditoribus uſum familiarem Roſarii ſanctiſſimæ Trinitatis: hodie orandum eſt tota pietate, toto deſiderio incenſi cordis, & flagrantis animæ. Antequam illud incipias ſub ſymbolo, ſive profeſſione articulorum fidei, accende te ipſū, tum inſtar ardentis globi vel accenſi pyroboli, igneis alis evolet cor tuum, in alto jungat ſe Seraphinorum choris, & cum illis concinat, *Sanctus, Sanctus!* Hom. 24. in c. 7. S. Matth. S. Chryſoſtomus ſic explicat, quid ſit pulſare ad portas divinæ miſericordiæ: *Pulſare, eſt vehementer accendi & ardere prorſus mente.* Sic pulſant, ſic ardent veri adoratores in Spiritu, & cultores ſanctisſimæ Trinitatis. Hos imitemur, totos ſubinde dies conſumendo in tanti myſterii honorem, hac praxi. Mane quamprimum evigilamus, accendere oportet fervens aliquod deſiderium, v.g. O amabilisſima Trinitas, ſuſcita in me flammam tui amoris, quæ per ſomnum aliquot horis fuit ſopita. Amo te ô ſanctisſima Trinitas! da ut quidquid hac die cogitavero, dixero, egero, cedat in honorem & gloriam tuam. *In nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Deinde, inter preces matutinas, iterum vos accendite ferventi aliquo deſiderio, v. g. Per has meas preces, *Patri, Filio & Spiritui S. ſit laus, honor, gloria & benedictio.* Puto, ſaltem ſpero, meis Auditoribus ſolenne eſſe, ut quotidie interſint ſacrificio miſſæ, media hora, qua illud durat, eſt illud tempus, quo in amore DEI, nosmetipſos veluti holocauſtum accendere oportet: tum coram Crucifixo, cujus paſſio recolitur, qui ſacramentaliter in altari iterum crucifigitur, toti ardere debemus. Sed agite cultores ſanctisſimæ Trinitatis, ſub eadem miſſa, ſub tremendo hoc ſacrificio, accendite quoque aliqua deſideria, quæ tendant ad peculiarem cultum, amorem & gloriam ſanctiſtimæ Trinitatis, v. grat. O Sanctisſima Trinitas, per hoc holocauſtum amoris, per

memoriam Paſſionis & mortis Chriſti, per infinita ejus merita, cum pretioſiſſimo ejus ſanguine, *ſit Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Per ſacrificium hoc Euchariſticum, ſit tribus Perſonis gratiarum actio, &c.

§ 6. *Proſecutio aurea hujus praxis.* Non ſcio ego reliqua opera veſtra Auditores, quibus per reliquum diem occupamini: quæcunque illa ſint, bona, vel ſaltem indifferentia; cum manum illis applicatis, accendite aliquod deſiderium, & dicite ardenti corde & linguâ, in hoc opere, *ſit gloria Patri, & Filio & Spiritui ſancto.* Sub ejus decurſu, quò frequentius, quò ardentius ſubinde dicetis, *Gloria Patri, &c.* eò Deo veſtro eritis gratiores. Finis operis his ipſis flammis ardeat, his Deo offeratur verbis, *Gloria Patri, &c.* Sub menſa, in colloquiis, in converſatione, in deambulationibus, e cultoribus ſanctiſſimæ Trinitatis, ejuſdem amor frequenter ſuggerit, eundem verſiculum, *Gloria Patri, &c.* Horæ cujuſque ſonitum, cogitate eſſe monitorem, qui nos monet, ut omnia horæ cujuſque momenta offeramus ſanctiſſimæ Trinitati. Dum tandem veſperi incumbimus, tale offeramus & accendamus deſiderium, veluti virgula ſuaviſſimi fumi, ut quoties venæ cordis palpitabunt, quoties movebuntur arteriæ, quoties trahemus anhelitum, toties anima noſtra velit, ut Patri, Filio & Spiritui ſancto ſit honor & gloria.

§ 7. *Proſecutio.* Hoc modo, diem totum conſecrare ſanctiſſimæ Trinitati, aureum planè, utile & jucundiſſimum eſt exercitium illam colendi: Jucundum illud reddit & facile, conſtans ejus uſus, cum incredibili augmento gratiæ & gloriæ; Quoties de die & nocte, corde & ore proferimus *Gloria Patri, &c.* toties augetur meritum, & in cœlis aliquando ingentis gloriæ erimus participes. Ut bene dixerit ſanct. Auguſtinus ſuper illa verba Davidis; *In terra deſerta, invia & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, ut viderem virtutem & gloriam tuam. Hæreditatem enim nobis dabit ſe ipſum Deus, ut ipſum poſſideamus, & ab ipſo poſſideamur in æternum: ergo in ſancto appareamus DEO, ut appareat nobis: appareamus illi in ſancto deſiderio, ut appareat nobis in gloria.* Sequamur, obſecro Auditores, fideliſſimum hoc Divi Præſulis monitum, & quid jucundius, quam ita quotidie apparere in ſancto coram ſanctiſſima Trinitate? quid facilius, quàm ad horæ ſonitum dicere, *Benedicta ſit ſancta Trinitas*? hoc eſt, apparere in ſancto, hoc eſt ſervum tantæ Majeſtatis ſe profiteri; hoc eſt, ita apparere in terris humilem, ferventem, devotum, ut tantò quondam glorioſiores beatioresq; appareamus in cœlis. *Is enim* (ait ſanct. Chryſoſtomus homil. 4. in cap. 1. Geneſeos) *Domini noſtri mos eſt, ut quoties videt animam aliquam, multo deſiderio, promptitudineq; intentâ, ſpiritualibus inhiantem, liberaliter illam gratia & opulentis donis ſuis locupletet.* Itaque quæramus nos, cum multo deſiderio gloriam ſanctiſſimæ Trinitatis, nec dubitemus, illa liberaliter cœleſtibus donis nos locupletabit, omnium noſtrorum deſideriorum, omnium motuum, omnium intentionum, *Deus eſt arbiter, ſecreto-*

rum

Digitized by Google

rum teſtis, & verax, & remunerator, inquit ſanct. Ambroſius in Pſalmum 18. & ſanctus Hieronymus in cap. 8 Ezechielis: *Si cogitaremus DEUM videre, & eſſe præſentem, nunquam quod ei diſpliceret, faceremus.* Et hoc eſt, quod primo loco requiritur ad laudem & cultum ſanctiſſimæ Trinitatis, ut non peccemus. Si deinde cogitaremus, eundem nobis omni momento præſentem omnia videre, quo non cultu noſtras DEO preces perſolveremus? quantam impenderemus in negotiis noſtris curam, quã ſolicitè vigilaremus, ne quid fortè tantis indignum, atque etiam inimicum oculis patraremus! DEUM immortalem! quàm eſſemus in ſermonibus circumſpecti, quàm cauti in deſideriis, quàm compoſiti ad pietatis affectum, quàm prompti ad orationis ſtudium, quàm in animæ noſtræ ſalutem intenti; quoties per diem, imò per horam, noſtrum in ſanctiſſimam Triadem amorem conteſtaturi diceremus, *Gloria Patri. Nullum enim majus frenum* (Cajetanus ſuper verba illa Geneſeos cap. 7. 17. verſ. 1. *Ambula coram me & eſto perfectus.*) *nulla eſt efficacior ratio, componendi geſtus, motus, verba & actiones hominis, quàm ambulare ante faciem Principis.* Dicam ego hodie; nulla eſt efficacior ratio, peragendi ferventer exercitia devotionis, quàm ambulare in conſpectu ſanctiſſimæ Trinitatis.

§. 8. Cultores SS. Trinitatis ſanctè moriuntur.

Tales cultores ſanctiſſimæ Trinitatis ſanctiſſimè ſolent mori. De P. Franciſco Foliano narrat ejus vita, quod toto ultimo vitæ triduo, jacuerit defixus in memoria & contemplatione ſanctiſſimæ Trinitatis, & ſic obiit. Poſt mortem aperto ejus corpore in corde reperta fuit triplex caruncula, veluti tres flammulæ, quæ ex una parte in unam coaluerant, admirante celeberrimo medico, Maſſilio Cognato. Patris tumulo hoc elogium fuit inſcriptum, *P. Franciſcus Felianus è Soc. Jeſu, eximius ſanctiſſimæ Trinitatis Cultor.* Utinam tales ego flammulas in corda meorum Auditorum hodie injicere poſſem. Unam cupio eſſe peculiarem amorem erga Patrem, alteram flãmulam cupio eſſe affectum ſingularem erga Filium, tertiam erga Spiritum ſanct. Utinam hodie in laudem Auditorum meorum omnium hoc uti poſſim elogio, quod omnes ſint cultores eximii ſanctiſſimæ Trinitatis.

§. 9. Profeſſio, & adhortatio ut nos totos demus huic devotioni, ſi ſanctè mori volumus. Oratio S. Auguſtini in agone.

Venerabilis Bedæ morientis ultima vox fuit, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto.* Alii in agone voluerunt ſibi prælegi, Hymnum, *Te Deum laudamus*; in honorem illius myſterii compoſitum. S. Auguſtinus in Solil. c. 37. velut in mortis porta, & æternitatis aditu conſtitutus, ſic orare ſolebat; *O tres coæquales, & coæternæ Perſonæ, Deus unus! pulſant ad oſtium tuum, Pater miſericordiſſime, deſideria, rugientium præcordiorum meorum, & clamores lacrymarum, oculorum meorum, ut evadam ad te Dominum Deum meum, ut videam divitias regni tui, & videam faciem tuam ſemper, & laudem dicam nomini tuo ſancto.* Inter hæc ardentia deſideria expiravit. Ut aliquando in Agone ſimiles affectus nobis occurrãt, illis aſſueſcere debemus

mus quotidie, dum ſani ſumus. Magnus myſterii hujus cultor in ſuprema lucta, pro ſolatio & ſancta ad mortem apparatione petivit ſibi afferri imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis, & defixos in illam oculos felici morte clauſit, illi devotioni per totam vitam, tenerè ſolidèque addimus. Hoc noſtro ſit ſolatio ſimul & documento dictum Auditores, & nos illa quondam fatalis hora comprehendet, & nobis diſcedendum erit aliquando ex hac mortali vita; tum itaque ſtudeamus defixos habere oculos; non in amicos circumſtantes, non in res perituras, quibus jamjam nuntium remittimus, non in caros ſodales, non in opes, &c. Sed ante in ſanctiſſimam Trinitatem: ab ea enim in hunc mundum legati quondam fuimus, ab ea tunc revocamur; tendimus ad centrum noſtrum; quod Deus eſt, revertimur ad Patrem, qui creavit nos, proficiſcimur ad Filium, qui redemit nos; migramus ad Spiritum S. qui ſanctificavit nos. Hæc tum prima, atque ultima noſtra eſſe debet cura, hic labor, hoc ſtudium. Pro Epilogo moneo, non deſiderare me à vobis preces longas, & longo tempore protractas, ſed breves & ſæpè repetitas. Reperio hoc monitum apud S. Chryſoſt. hom. de fide Annæ. Chriſtus & Paulus juſſit breves, ſed crebras fieri precationes, ex paucis intervallis: nam ſi in longum extenderis verba, cum frequenter ſis parum attentus, multam audaciam ſuppeditaſti diabolo, ut accedat, ſupplantetque, ac mentem ab his

Monitum S. Chryſ. de brevi ſed crebra orat.

quæ dicuntur avocet: *quod ſi frequẽter, ac ſubinde oraveris, tempus omne crebris dirimens intervallis, facilè poteris eſſe ſobrius & vigilans, ut precationẽ multa cum attentione perficias.* Impendis v. g. duas, tres, aut etiam plures horas ſtudiis tuis; evolvis libros, formas conceptus, bene hoc quidem, ſed amabo te, quid ſi ſubinde hanc tuam lectionem, meditationemve ſanctis ejuſmodi ad ſanctiſſimam Trinitatẽ ſuſpiriis non dico interrumperes, ſed exornares potius atque promoveres? quid ſi poſtquam unam alteramve paginam legendo evolveris, erectis in cœlum oculis diviniſſimum hoc carmen pronuntiares, *Gloria Patri, &c.* forte deambulas per horam in horto? non improbo, ſed quid ſi, dũ vel floſculum aſpicis, vel fructũ miraris, Divinæ etiam Triados memor, exclames, *Sanctus! Sanctus! Sanctus!* Age, quid videtur? an verò difficilẽ nimis atque operoſam tibi ſuadeo pietatẽ, minimè profectò. Domeſticos intra parietes ſedes, operi tuo, laborique intentus, vel fabricando, vel ſuendo, texendo, ſcindendo, pinſendo, &c. quid obſtat, mi civis, mi opifex, quo minus tu quoque hoc meum conſiliũ ſequaris. Crede mihi, tuis inde laboribus ingens accedet felicitas, non carebis mercede tua, cui tu benedicis vicies, aut etiam tricies, centeſiesve per diem, illa Sanctiſſ. Trinitas, te, tuosq; labores, mille aliis benedictionibus, gratiis, atque favoribus, tum in hac, tum in altera vita pleniſſimè cumulabit. Nunc itaque cum finem dicendi faciam, hujus ſanctiſſimi

ſimi exercitii, felix ſumite initium, nunc unà mecum omnes, quàm poteſtis humillimè, ardentiſſimeque exclamate: *Benedicta ſit ſanctiſſima Trinitas, laudemus & ſuperexaltemus eam in ſecula.* Iterum, iterumque ferventi animo dicite, *Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto!*

CONCIO XXX.

DOMINICA I. POST SS. TRINIT.

Epulabatur quotidie ſplendidè, Luc. 16. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEclarat magnitudinem, ſuavitatem, & mirabiles adinventiones Amoris, quem ſponſus animarum noſtrarum Chriſtus Dominus in inſtitutione Venerabilis Euchariſtiæ, tanquam in myſterio, & Sacramento Amoris, oſtendit.

§. 1. *Exordium eſt Propoſitio Concionis.*

§. 2. *Jonathas Davidi declaravit ſuum amorem, dando veſtes; plus in Venerabili Euchariſtia donat Chriſtus D.*

§. 3. *Præter veſtes Jonathas Davidi dedit arcum, ſagittas & pharetram: majora dedit Chriſtus D.*

§. 4. *Chriſtus D. in inſtitutione Euchariſtiæ quæſivit familiarem acceſſum in animas noſtras.*

§. 5. *Idem punctum proponitur alio modo.*

§. 6. *Quomodo principes ſubinde ſuis Proceribus ſint familiares: idem fecit Chriſtus D. aſſumendo varias formas.*

§. 7. *Quantus amor Salomonis erga ſuam ſponſam: ſuperat tamen illum Chriſtus Dominus.*

§. 8. *Filia Romana ſenem Patrem lactavit in carcere: major & ſuavior eſt amor CHRISTI in Euchariſtia.*

§. 9. *Quomodo in Euchariſtia nobis proponatur, cibus Angelorum, & Panis amoris.*

§. 10. *Idem amor, fuit & familiaris, & liberalis.*

§. 11. *Affectus amoris noſtri, erga Chriſtum Dom. tam liberalem in Euchariſtia.*

Digitized by Google

§. 1. Exordiũ eſt Propoſitio Concionis.

OCcaſione hodierni Evangelii, hâc concione agere poſſem de divitis epulonis menſa & epulis, in quibus Babylonica meretrix comeſſatorib. in aureo quidem ſcypho, pretioſum & ſplendens propinat vinum, ſed cum illo & in illo fel draconum, & venenum ſcorpionum: Verùm exiſtimo, Auditoribus meis fore gratius, hodierna Dominica, infra Octavam Corporis Chriſti, audire aliquid de Angelicis & divinis epulis, quas Chriſtus Dominus in Sanctiſſimo ſacramento Altaris inſtruxit, in quibus ex calice ſalutari manducamus carnẽ, & bibimus ejus ſanguinem, in qua regia menſa Animæ ſanctæ epulantur ſplendidè. Agere præterea poſſem, de funebri pompa, qua cadaver epulonis delatum eſt ad ſepulchrum, anima verò ejuſdem à diabolis in infernum fuit deportata, & ibidem ſepulta inter flammas. Sed perſuaſum mihi habeo, majori vobis fore delectationi, ſi deducam vos ad triumphum Amoris, in quo ſanctiſſima Euchariſtia, hodie ex variis Parochiis & Eccleſiis deducitur per urbem, ut quâ devotione, reverentia, adoratione die Jovis præterita Sanctiſſimum Sacramentum comitati ſumus; eadem & hodie proſequamur. Agere poſſem de flammis inferni, in quibus ardet & æternum ardebit infelix epulo; niſi certè in animum meum inducerem, fore vobis jucundius, audire aliqua de illis ignibus amoris & dilectionis, qui ardent in Altari in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Quod ſi vobis jucundum ſit de illis audire, mihi longè erit jucundius de illis in honorem SS. Sacramenti, perorare. Concionem meam die Jovis vocavi Triumphum Amoris; præſens ſermo vobis proponet Euchariſtiam eſſe Sacramentum, & Panem Amoris: Vel ut clarius loquar: Chriſtus Salvator, noſter, in inſtitione Euchariſtiæ ſuum infinitum erga nos amorem ſatis ſuperque declaravit: ſcio de hac re vobis nullum eſſe dubium, ſed & hoc non ignoro, illos, qui amant, de amoris objecto libenter cogitare & audire; & loqui. Proteſtor me amare Jeſum in Euchariſtiâ: anathema ex vobis ſit, qui non amat: Itaque amor Euchariſticus erit dulce objectum hujus concionis. Amator noſter, Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, ut illud eſſet myſterium Amoris. Hoc oſtendam.

§. 2. Ionathas Davidi declaravit ſuum amorem dando veſtes, plus in venerabili Euchariſtia donat Chriſtus Dom.

Cùm Jonathæ 1. Reg. 20. v. 4. 5. 6. inter ultimos amplexus, cum tenerrimis lacrymis diſcedendum eſſet à Davide; quàm fuit illa triſtis divulſio! quàm amara ſeparatio! nam David amabat Jonatham, plus quam animam ſuam; Jonathas Davidem ſuper amorem mulierum: itaque hic, exſpoliavit ſe regia tunica, reliqua exuit veſtimenta ſua, & gladium depoſuit & omnia donavit Davidi; in quibus donis Jonathas regiam oſtendit liberalitatem, erga illum quem diligebat: Ideo depingi ſolet Amor, totus nudus, ut pateat, quod in amicos omnia liberaliter effuderit. Abulenſis ſic: *Nihil autem erat, per quod tantùm poſſet indicari affectus Jonathæ ad David, quàm dando ei veſtes ſuas omnes; quod non potuit eſſe convenientis,*

***tis**, quàm dando ei omnia illa, quæ erant ſibi immediata : nihil autem erat immediatius ſibi, quàm veſtes : dare ergo has omnes illi; erat quaſi ſe ipſum totum dare, quia veſtes dedit uſque ad carnem.* Adverto piiſſimas veſtras cogitationes. Jam cogitatis : Salvator noſter fuit amantiſſimus ille Jonathas : ille amavit nos ſuper amorem cœleſtis Jeruſalem; illam deſeruit, & venit ad nos, habitu ſimilis inventus ut homo, ut nobiſcum converſaretur in terris : in ſuprema valedictione, cum ex hoc mundo illi fuit diſcedendum; quàm fuit illa triſtis divulſio! quam amara ſeparatio! amavit homines plus quam animam ſuam, quam pro nobis poſuit; itaque antequam diſcederet, non veſtes tantum, ſed ſe totum nobis voluit donare, videtis, totus nudus pendet in Cruce; omnibus veſtibus exutus & ſpoliatus; in quo æqualis fuit Jonathæ; in hoc illius liberalitatem longè ſuperavit, quod in ultima cœna, cum ſuis valediceret, cum tenerrimis lacrymis, in inſtitutione Euchariſtiæ, ſuam carnem & ipſum ſanguinem nobis dederit, in cibum & potum. Agnoſco regiam & divinam liberalitatem; ſed quæro præterea, aliquod indicium amoris alicujus planè ſingularis.

§. 3. Præter veſtes, Ionathas Davidi dedit arcum, ſagittas & pharetrā: majora dedit Chriſtus D.

Illum Jonathas Davidi exhibuit, dum inſuper illi arcum, ſagittas & pharetram dedit: licet pingatur nudus, plerumque tamen hæc arma præfert manibus. Et talis pendet Amor noſter in Cruce. Arcus ſunt extenſa brachia; pharetra, eſt ardentiſſimum Amoris Crucifixi, Cor; plenum ſagittis ardentibus: & hæc quoque arma cœleſtis Jonathas nobis obtulit, dum ſanctiſſimam Euchariſtiam inſtituit, in ſignũ amoris tenerrimi. Vidiſtiſne aliquando inter emblemata, depictum circulum ſolis, coronatum non radiis, ſed ſagittis, quibus Phœbus amantium vulnerat corda. Talis circulus amoris eſt ſanctiſſima Hoſtia; in parvo circulo Deus immenſus, eſt ſol amoris, Chriſt. Salvator noſter in illo, non lucet tantum radiis infinitæ ſuæ pulchritudinis, ſed armatus eſt ſagittis, ut corda noſtra, licet glacie ſint frigidiora, licet duriora ſilice, liquefaciat, emolliat, accendat, feriat, trajiciat : Munera Jonathæ fuerunt myſteria Amoris, myſterium & ſacramentum amoris infiniti, liberaliſſimi, dulciſſimi, eſt ſanctiſſima Euchariſtia: Amor, cum formoſus ſit Puer, majorem amorem oſtendere non poteſt, quàm ſi præter veſtes, præter arma, cor ſuum & amorem ſuum largiatur, majora dona, amor etiam ditiſſimus non habet : plus ultra progredi non poteſt : hic amoris ſtant columnæ, quibus inſcripſit, *Non plus ultra*! Neque Chriſtus D. cum ex hoc mundo diſcedere voluit, cum ſuis valedixit, cum Jonathas divulſus & ſeparatus fuit à Davide, majorem & teneriorem amorem oſtendere potuit, quàm dum inſtituit Euchariſtiam, quæ nihil aliud eſt, quam ſacramentum amoris, in quo non veſtimenta tantùm, non exteriora tantum arma, ſed Corpus, ſanguinem, Animam, divinitatem, viſcera ſua, diviniſſimum Cor, & omnia ſua, cum hæreditate gloriæ æternæ nobis, qui facit mirabilia magna ſolus, &

Digitized by Google

cujus admirabiles ſunt adinventiones, donare non dubitavit.

§. 4. *Chriſt. D. in inſtitutione Euchariſtiæ, quæſivit familiarē acceſſum in animas noſtras.*

Sic eſt; ingenioſus & humilis eſt Amor, præſertim dum delicias quærit in converſatione, & dum vult eſſe familiaris. Rem miram, quæ nuper contigit, accipite. Filius potentiſſimi Regis captus fuit amore puellæ rusticæ, cum hâc ut loqui poſſet, regia exuit & depoſuit veſtimenta, rusticam aſſumpſit lacernam, purpuram cum ruſtico commutavit ſacco: varios alios excogitavit modos, quibus illius, quam amabat, conditioni ſe conformaret: ſic illi conceſſum fuit loqui cùm ruſticâ puellâ, obſtupuit illa cum vidit juvenem habitu ruſticum ſibi afferre ſaccareos cibos, & alia precioſa dona. Non opus eſt, ut inquiratis quis fuerit ille Princeps: fuit cœleſtis Jonathas, amator Davidis, fuit Chriſtus Salvator noſter, Rex Regum & Dominus dominantiũ, captus amore Æthiopiſſæ, (talis erat natura humana,) poſitis veſtimentis gloriæ, indutus ſaccum noſtræ mortalitatis, *habitu inventus ut homo*; ait Apoſtolus Philipp. 2.7. venit in has terras, ſuaviter nobiſcum converſatus: cùm diſcedendem eſſet, ut tenerrimum demonſtraret amorem de ſuaviſſimo nobis providit cibo; neque ſaccarum, vel poma dedit, ſed panem de cœlis; Joan. 6. v. 51. imò in panem ſe convertit, ut in Sacramento amoris, eſſet panis & dulciſſimus cibus atque potus amoris.

§. 5. *Idem punctum proponitur, aliomodo.*

Alii hoc modo ſimilitudinem hanc proponunt: Elegantem puellam, ſed domi bene cuſtoditam, amat regius aliquis juvenis, optaret illius frui conſpectu, atque alloquio: ſed heu! interclusus eſt aditus, non patet acceſſus; quid agat? videt famulum ſæpius intrantem atque exeuntem, obſervat hanc ſibi commodam occaſionem, ſuggerit amor conceptum, monet, famuli formam mentiatur, illius veſtibus ſe induat, illius officiũ tantiſper ſuſcipiat, ille non multa moratus, quod ſuadet amor peragit, atq; ita caſto Virginis fruitur alloquio. Nunc ad meum propius accedo propoſitum Auditores; eſt anima hominis formoſiſſima creatura; ſed latet corporis incluſa ergaſtulo; ardet interim caſtiſſimo illius amore filius æterni Regis, formoſiſſimus & ipſe Jeſus, & ô! quid non amor excogitat? ut ad dilectam animam ipſi pateat acceſſus, vel ejuſdem perfrui poſſit dulciſſimo aſpectu, & colloquio, famuli veſtes capeſſit atque induit; accidentibus Panis Euchariſtici tegit ſplendorem ſuæ Majeſtatis. O ingenioſum Amorem! hoc eſt; formam ſervi accipiens; in hac forma, in his veſtibus, in hoc niveo Cereris habitu, ſponſus noſter ſuam ſponſam inviſit, dũ cor noſtrũ ingreditur. Quem familiarem acceſſum promiſerat per Oſeam capite 11. verſ. 3. *Ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis & declinavi ad eum ut veſceretur.*

§. 6. *Quomodo Principes ſubinde ſua pragra-*

Hoc faciunt ſubinde Reges: ut majeſtatem ſeponant, & ſoli ad proceris alicujus quem amant, conclave ſe recipiant, ad cœnam. *Plerumq;*

teribus ſint familiares. Idē fecit Chriſtus D. aſſumĕdo varias formas.

grata principibus vices, dulceſque parva ſub lare pauperum, implicitam explicuere mentem, cecinit Poëta. Tantum poteſt Amor etiam in Rege! plus potuit in Chriſto Salvatore noſtro, cujus ea fuit adinventio, ut in ſacramento amoris, ipſe non nobiſcum comederet, & biberet, ſed ipſe cibus & potus noſter exiſteret, & dum carnem ejus manducamus, dum ſanguinem bibimus, ſimul cum illo ſuaviſſime converſamur; & quæ major familiaritas? an etiam major poſſet amoris vis excogitari? fecit hoc, qui facit mirabilia magna ſolus, & admirabiles ad inventiones ejus; Ut Magdalenæ poſt Reſurrectionem loqueretur familiariter, obviavit illi ut hortulanus; ut converſaretur ſuavius cū diſcipulis in Emaus, adjunxit ſe illis, tanquam peregrinus: Lucæ 24.18. paſtor eſt, cum ovicularum periclitatur ſalus, cum infernalium rabies luporum innocentibus agnellis iminet, cū ad Euchariſtica paſcua, ſuas oves adducit; ſponſus eſt, cum eundem ad nuptias, cum ſe animæ noſtræ, veluti ſponſo illi conſecrant: Medicus eſt, cum adverſa nos premit valetudo, cùm nobis malè eſt, cùm lectulo affixi illius opem invocamus. Belli dux eſt, cum claſſicū nobis canitur, ad periculoſum cum hoſtibus noſtris conflictum, præcipuè in illo ultimo vitæ agone, à quo tota pendet æternitas. Magiſter eſt, cum explicanda occurrunt dubia. Pater eſt, cum cibo ac potu, famelicos videt filios indigere. Denique, quod de ſe Paulus 1. Cor. 9. 22. idem de ſe potiori jure affirmare poteſt: *Omnia omnibus factus ſum*, potiſſimum in illo Amoris ſacramento; ut omnes lucrifaciam.

§. 7. *Quantus amor Salomonis erga ſuam ſponſam: ſuperat illū Chriſtus D.*

Familiaris hæc viſitatio fundamētum habet in ſacris literis, & quidem in Cantico amoris, ſive, epithalamio ſponſi & ſponſæ. Sponſus enim, Rex Salomon, hoc ſe feciſſe innuit cap. 5. v. 2. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cicinni mei guttis noctium.* Colligo ex his verbis, Salomonem tota nocte ante fores dilectæ, ſteriſſe vigilem, uſq; ad tempus auroræ, quo ros ſolet decidere. Non putem autem Regem illo tempore ſteriſſe in veſtibus regiis, unde fortaſſis ait, v. 3. *Exſpoliavi me tunicâ mea:* probabile eſt, cū in illo cantico frequēter mentionem faciat paſtoris, quod pallio aliquo paſtoritio, majeſtatē ſuam texerit, & ſic totā noctem vigilando traduxerit. Ad quid iſtæ vigiliæ? cur Salomon Perſonā induit Paſtoris? cur purpuram cum paſtoritio ſago, comutat? Ut dilectæ ſuæ ſponſæ loqui poſſet! Amor & deſideriū converſandi cum ſponſa illum vigilare fecerunt; amor Regē fecit Paſtorem, amanti Regi, amanti Paſtori, amanti ſponſo, guttæ noctis fuerunt dulces. Colloquium verò cùm ſponſa non videtur diu duraſſe, ait enim ipſa, quod dum ſurrexit, & portas reſerare voluit, ſtatim dilectus tranſierit, & declinarit: Vox tamen ſponſi, tam fuit dulcis, ut liquefacta fuerit anima ſponſæ. Et hic ſtitit amor Salomonis; ex amore vigilavit, ex amore oſtendit ſe ſponſæ libenter loqui. Aliter verò cœleſtis Salomon, noſtras animas inviſit, aliter eas recreat, atque delectat, paſtor

Digitized by Google

ſtor fuit, vigilavit dies & noctes, exſpoliavit ſe tunica gloriæ, induit ſaccum mortalitatis noſtræ, triginta tribus annis fuit nobiſcum converſatus, integro triennio locutus eſt familiariſſimè; Et nunquam ſuavius, quàm cum in ſuprema valedictione in Cruce, non guttis noctium, ſed ſanguine plenus, ſupremum ſponſæ valedixit; corde ad cor ejus, dulci gutture locutus. In his Amor Chriſti & Salomonis, æquo paſſu videntur currere: verùm in Sacramento Amoris, & triumpho Euchariſtico triumphat amor Salvatoris, hic cucurrit fortius, & progreſſus ulterius, attigit metam amoris ſummi, apprehenditque bravium dilectionis inauditæ: ut ipſum cor dilectæ ſponſæ ingredi poſſet, ut illi uniretur ſuavius & fortiter, ſuavi metamorphoſi, ſe convertit in cibum & potum, factus animarum noſtrarum nutrimentum, & dulciſſimus Panis amoris. Hic amori erigite columnas, & addite, *Non plus ultra!* Fecit hoc, qui facit mirabilia; cujus admirabiles ſunt adinventiones, ut oſtenderet ſe in finé dilexiſſe.

§. 8. *Filia Rom. ſenem Patrem lactavit in carcere. Major eſt amor Chriſti in Euch.*

Romanorum hiſtoriæ ſatis celebrare non poſſunt illam dilectionem, qua Romana filia Patrem, qui in carcere inedia mori juſſus erat, ſuis ipſa uberibus aliquo tempore illum lactavit, & conſervavit incolumem. Eximii aliqui pictores hoc factum, ſive ſenem parentem, pendentem ab uberibus filiæ, tam eleganti pictura ad vivum expreſſerunt, ut aſpectantium animi non poſſint non ad commiſerationem commoveri: miror nullum pictorem appoſuiſſe hæc varba: *Hæc filia dilexit Patrem:* ubera enim ſua & lac illi dedit; parentem ſuum portavit ad ubera. Sed quid ajo? Vivat, triumphet Amor Jeſu in Euchariſtia! Anima hominis, eſt illa nobiliſſima creatura, quam Deus ad ſui imaginem creavit; ſed captiva & detenta in fœtido carcere mortalis hujus corporis: afflicta fame & ſiti cœleſtis gloriæ, in hac lacrymarum valle: ſed! O amorem! O amoris ſolicitudinem! etiam in hoc carcere, cœleſtis ſponſus, ſuæ ſponſæ de cibo & potu cœleſti providit, & non tantum *ad ubera ſua nos portavit*, ſive, ut alia lectio habet, *ad ſuos amores*, ſed ipſa ubera, non turgentia lacte, ſed pretioſo ſanguine; ipſum corpus, & carnem ſuam in cibum & potum dedit: & dari ne poteſt, vel excogitari, quiſpiam amor, qui cum dulciſſimo Jeſu noſtri amore comparari poſſit? Ite pictores, non jam ſeniculum pendentem ab uberibus filiæ depingite; ſed communicantem, in ſumptione Euchariſtiæ pendulum à latere & pectore Jeſu, ex quo ſanguinem ſugit: hæc pictura me movet, hæc imago ſuaviſſimos amoris affectus mihi ſuppeditat: ſic enim cogito, illum, qui me amavit uſq; ad profuſionem ſanguinis, non tantũ in cruce, me redimendo, & pro lytro meo illum offerendo; ſed in Euchariſtia quoque non ſemel in anno ſed quotidie, in cibum & potum porrigendo, pro nutrimento animæ meæ: illum ego meis quoq; amorib. complectar, & dicam cum ſponſa Cant. 5. v. 17. *Dilectus meus mihi, & ego illi!*

§ 9. *Quomodo in Euchariſtia nobis*

In ſuaviſſimis his cogitationibus, & vos de cœlo ad hodiernam feſtivitatem, quâ SS. Sacramentum Altaris veneramur, advocare mihi liceat

proponatur cibus Angelorum, & Panis Amoris. liceat; vos inquam, O Angelici Spir. Vos teſtes imploro; an non Dilectus noſter nos amaverit uſque in finem, ſive ſingulari & inaudito prorſus amore. An non enim panem cœli nobis quoq; dedit, nunquid panem veſtrum manducat homo? In cœlis Dei ſubſtantia, per amore plenam viſionē, & clarum, & perſpicaciſſimū amorē, cibus veſter eſt; nutrimini Divinitate, quæ humanam naturam aſſumpſit, & videtis ſimul pulcherrimum vultum, in quem deſideratis proſpicere: ſed eſtis in patria! eſtis jam felices & beati, in beatiſſimo termino! Quod Chriſtus Salvator noſter, Filius Dei hunc eundem cibum, hunc Panem Angelorum nobis in deſerto hujus mundi reliquerit; ut illo veſcamur, hic eſt amor in finem, amor immenſus, amor ſingularis. Diſcrimen tamen hoc animadvertere oportet: In menſis Principum & Regum, cibi aliqui inferuntur lancibus apertis, alii pro Principe, pro Rege, in patinis coopertis: ſic Angelis in cœlo, panis ille divinus clarâ viſione proponitur: nobis ſive noſtris ſenſibus idem cibus, quaſi latet clauſus, ut oculi DEUM vel Chriſtum non videant, non tangant, non guſtent, ſed ſola accidentia, ſub quibus tamen ipſe Deus eſt abſconditus. Fecit hoc, qui facit magna ſolus, & cujus admirabiles ſunt adinventiones.

§. 10. *Idem amor fuit & familiaris, & liberalis.* Quibus convivis ſubinde Principes ſub menſa peculiarem volunt oſtendere favorem, illis non tantum propinant pretioſum vinum, ſed ſubinde ſimul aureum vel argenteum ſcyphum dono offerunt. Ingens in aulis Principum favor! talem ſcyphum habuit Joſeph, ut ipſe ait Gen. 44. v. 2. *Scyphum autem meum argenteum pone in os ſacci.* & verſu 5. *ſcyphus: quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus.* Probabile eſt Joſephum deinde in convivio propinaſſe illum Benjamino & reliquis fratribus in ſignum fraternæ dilectionis. Sed amorem Joſeph longè ſuperavit Chriſtus D. in Euchariſtia, in qua non vinum ſed ſuum ſanguinem, & cum ſanguine ſcyphum: totum ſuum ſanctiſſimum corpus & carnem, in cibum & potum dedit, ſic in inſtitutione ſacramenti amoris, uſus fuit cœleſtis Joſeph amoris, fecit, qui facit magna, mirabilia ſolus, ut infinitum ſuum demonſtret amorem.

Judicate, an æquum ſit, ut tanto amori, amorem rependamus: an non dignum ſit, ut pro tanta dilectione illi offeramus cor, amore fervidum; *tunc autem* (ait S. Bern. ep. 256. de amore hominis in Deum) *cor hominis Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyratur & circumflectitur ſuper eum, & nihil vult poſſidere penitus præter eum ſicq; colligato ſibi animo eum diligit, ut ſine ipſo amarus ſit omnis amor.* Hoc nunc agamus Auditores, huic uni curæ, poſthac vivamus intenti, ut tanto amori mutuum rependamus affectum, audiamus obſecro & ſequamur optimum D. Bernardi conſilium; dicamus quotidie, O Jeſu, O amor mi! omnes hujus diei cogitationes in te circū flectentur, etſi evagentur ſubinde in ſæculum, & ſi, quod non ſpero, in vanitatem deflectant, in te tamen denique tanquam in circulum remeabunt, tibi cor meum, §. 11. *affectum amoris noſtri erga Chriſtum D. tam familiarē tam liberalem in Euchariſtia.*

meum, atque omnes cordis mei affe-ctus, motus, deſideria, ſuſpiria, do, dedo, offero, dono: & ſi mille mihi corda ſuppeterent, totidem tibi donare non dubitarẽ, quia te ob Sacramentum amoris tui, ob delicias, quas mihi præparaſti Euchariſticas, his, atque adhuc infinitis aliis amorib', honoribus, affectibus, longe digniſſimũ agnoſco, laudo, amo, extollo.

CONCIO XXXI.

DOMINICA II. POST SS. TRINIT.

Homo quidam fecit cœnam magnam, Luc. 14. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SAnctiſſima Euchariſtia eſt dulciſſimus panis amoris, cujus manducatione Chriſtus D. nobis arctiſſimè & ſuaviſſimè vult uniri.

§. 1. *Inter ſigna paterni amoris, erga prodigum Filium, unum ex præcipuis fuit, Convivium quod Pater inſtituit.*

§. 2. *Amor quærit unionem: idem fecit Chriſtus Dom. tota vita: præſertim in inſtitutione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ.*

§. 3. *Non per fidem tantum & caritatẽ, ſed realiter in ſumptione Euchariſtiæ unimur Chriſto D.*

§. 4. *Quod variis ſimilitudinibus declaratur.*

§ 5. *Aliæ ſimilitudines.*

§. 6. *Tragica Hiſtoria.*

§. 7. *Applicatur ardẽtiſſimo amori Chriſti D.*

§ 8. *Quare ſponſus ſponſam vocaverit ſuam ſororem, nimirum propter arctam unionem, quæ fit in ſumptione Euchariſtiæ.*

§. 9. *Quare Chriſtus D. vocatur à ſponſa*, faſciculus myrrhæ & botrus Cypri.

§. 10. *Faſciculus ille myrrhæ, botrus ille Cypri, ſive Chriſtus D. in Euchariſtia, eſt etiam botrus balſami, & racemus Camphoræ.*

§. 11. *Metamorphoſis ſanctiſſimæ Hoſtiæ in Crucifixum.*

§. 1. Inter ſigna Paterni amoris erga prodigum filiũ unum ex præcipuis fuit cõvi-

NOtiſſima eſt hiſtoria, de reduce filio prodigo ex c. 15. v. 21. S. Lucæ, quibus ſcilicet indiciis & ſignis caritatis atq; amoris lætus Pater filium perditum, cum rediit, in domũ ſuã recepérit: quâ de re, quæſtio eſt apud SS. Patres, quodnam ex illis præcipuum

fere

viſi quod inſtituit. ferè fuerit ſignum, vel quânam maximè ratione ſuum erga hunc filium amorem exhibuerit. An quod ei extra domum, obviam prodire ſit dignatus? an quod ad genua proſtratum amoris amplexibus exceperit? an quod digitos ejus annulo, totum verò corpus ſtolâ candidâ ornatum voluerit? certè univerſa iſthæc produnt affectum Patris non modicum. Verùm ſentio cum Tertulliano, lib. de pœnitent. cap. 8. *Illum etiam mitiſſimum Patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat: & poſt inopiam, pœnitentem lubens ſuſcipit, immolat vitulum, per opimum convivium gaudium ſuum exernat.* Subdit deinde: *tam Pater nemo; tam pius nemo*: quaſi diceret, majorem hic Pater affectum, erga talem filium oſtendere non potuit! Notum eſt elogium Chriſti Domini quo ipſi adverſarii Phariſæi, contra ſuam voluntatem illum honorarunt, cum dixerunt, quia ſic peccatores recipit; imò amplectitur, ac ſuo etiam ſanguine abluit, veſtit & ornat ſtolâ & annulo gratiæ: quæ indicia ſunt ingentis affectus. Sed hodie lubet dicere cum Tertulliano; illum mitiſſimum JESUM non tacebo, qui peccatores recipit, & cum gaudio, in cujus ſignum non tantum immolavit ſe ipſum in ara crucis, ſed inſuper ſanctiſſimum Sacramentum, ex hoc mundo diſcedens inſtituit, in quo reliquit ſuum Corpus & Sanguinem, ut Corpus ſit cibus, Sanguis potus filii prodigi. Tam Pater nemo, tam pius nemo, ut Jeſus, dum convivium hoc apparavit. Cœleſtis hic cibus, & in Scriptura, & à ſanctis Patribus frequenter vocatur Panis; ipſa æterna Veritas ſic appellavit, de quo alias oſtendi, eſſe Panem dulciſſimum. Hac concione dicam, eſſe panem Amoris, inventum ab amore, ab eodem excoctum, præparatum, conditum, ſic ut amorem totus ſapiat, quo veluti dulci bolo, cum Chriſto Capite & Sponſa, modo & ſingulari, & admirabili uniamur. Ante octiduum ſanctiſſimam Euchariſtiam, vobis propoſui velut Sacramentum & myſterium amoris; modò oculos veſtros in illam conjicite, ut Panem amoris. Priori concione dixi, Chriſtum D. per inſtitutionem Euchariſtiæ quæſiviſſe familiarem acceſſum in animas noſtras: plus hodie quærit amor & Sponſus noſter, ut mediante ſcilicet hoc pane planè uniamur.

§. 2. *Amor quærit unionem. Idem tota vita fecit Chriſtus D. præſertim in inſtitutione Euchariſtiæ.*

Non amat, qui cum re amata unire non cupit, unionem, qui quærit, ille amat: & quo ardentior eſt amor, eò & ardentius eſt deſiderium unionis, hinc illi annuli, illi funes vel catenæ, quæ vel pinguntur, vel conflammantur ex argento, auro, gemmis, ſerico, capilli, quibus corda, & in illis animi, voluntateſque conſtringuntur. Præſepio Parvuli de Bethlehem aliquando inſcripſi aureis literis hoc elogium; *Jeſulus Amator hominis*; merito, natus eſt homo homini ſimillimus, ut eſſet unus nobiſcum. Ligno vel arbori ſanctiſſimæ Crucis ſanguine inſcribere poſſumus, *Jeſus Amator hominis*, & bene, quia exaltatus in cruce, amore, veluti magnete omnia ad ſe traxit, per amorem ea ſecum uniens. In glorioſa Aſcen-

Digitized by Google

ſione, in triumphali curru ſuo, ſive aurea nube ſedit inſtar ſuccini, Apoſtolorum oculos & corda ad ſe rapiens, & ſibi uniens. Hodie aliam nubem ſed candidam, & niveam videtis in altari, ſanctiſſimam Euchariſtiam; in qua veluti ſub candido velo latet ſponſus & amator animarum noſtrarum, Sacratiſſimam Hoſtiam, in qua velut candido curru triumphat amor: Sanctiſſimam Hoſtiam! velut thronum & ſedem amoris, ut mediante ſanctiſſimo hoc Sacramento, totum ſe amato uniat. Invenit Amor admirabilem unionem, quâ in myſterio Incarnationis Natura humana unita eſt cum Divina, ſed quia in unico contigit individuo, Amori non ſufficit. Neque contentus fuit unione illâ, quæ fit per caritatem & gratiam; in cujus communicatione, quaſi ſpirituales nuptiæ inter Chriſtum Sponſum, & animam Sponſam, cum magna quadam amoris unione celebrantur: ſed quia hoc modo anima tantùm, non corpus unitur, ingenioſiſſimus amor in ſuprema valedictione, in ultima cœna, iturus ex hoc mundo accepit panem, benedixit, paucisque verbis in corpus ſuum convertit, eamque poteſtatem Sacerdotibus reliquit eundem ita conſecrandi, ut quoties deinde homo Corpore & Carne Chriſti veſcitur; toties caro carni, ſanguis ſanguini miſceatur & uniatur, quem effectum Chriſtus Dominus illis verbis expreſſit, Joannis 6. v. 53. *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.*

De hac unione, quæ fit per Panem Euchariſticum, dulciſſimum illum bolum amoris, eleganter ait D. Chryſoſtomus hom. 61 ad pop. contra illos hæreticos, qui volunt Sacramentalem hanc unionem fieri tantùm per fidem & non realiter. *Ut itaque non tantùm per caritatem hoc fiamus, verùm & ipſa re in illam miſceamur carnem, hoc per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis, volens oſtendere deſiderium, quod erga nos habet. Propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & Corpus ſuum in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur tanquam corpus capiti aptatum: ardenter enim amantium hoc eſt, Chriſtus id fecit, in majorem nos inducens caritatem, & ſuum erga nos oſtendens deſiderium, non tantùm ſe præbens cupientibus videndum, & ſed palpandum & comedendum, & carni dentes infigere* & *omne deſiderium implere.* (vide pulchrũ locum in lectione tertia ſecundi Nocturni hodierna Dominica.) Nolo plures ſanctos Patres adducere, apud quos certum eſt, nos per eſum Panis Angelici, vera & reali unione, uniri Chriſto, quod, *in ſancta Communione* (ſic loquitur S. Cyrillus Hieroſol. catech. 4.) *fiamus non tantùm Chriſtiferi, ſed & concorporei, & conſanguinei Chriſti*; ſed age, per ſimilia admirabilem illam unionem facilius intelligemus.

§ 3. *Non per fidem tantùm & caritatẽ, ſed realiter in ſumptione Euchariſtia unimur Chriſto D.*

Primum eſt Eligii hom. 8. ubi unionem hypoſtaticam componit cum ea, quæ fit mediantibus ſpeciebus ſacramentalibus in iis, qui communicant; nam ſicut Chriſtus D. non adoptione, ſed natura eſt Filius DEI, ita

§. 4. *Quod variis ſimilitudinib. declaratur.*

ita qui manducat Carnem Chriſti, non modò affectu illi unitur, ſed re ipſa: ſic ait: *ſicut enim vere Carnem corporis noſtri aſſumpſit Chriſtus D. & verè homo, qui ex Maria Virgine natus eſt Jeſus, filius Dei eſt, non quemadmodum alii homines, non gratia, ſed natura Filius ex ſubſtantia Patris; ita verè eſt Caro, & verus eſt ſanguis ejus, quem manducandum & potandum in myſterio ſumimus, ſicut ipſe teſtatur: & nos, qui verè ſub myſterio Corpus & Sanguinem ejus ſumimus & per ea naturaliter unum cum illo efficimur.* Simile hoc ex ſacroſanctæ Theologiæ viſceribus deſumptum, clarius ad cujuſvis captum explicat D. Chryſoſtomus hom. 61. ad pop. in hunc modum. *Sicut auro liqueſcente, ſive manum ſive linguam quis immittat, eam ſtatim auream reddit, vel ſicut duo fruſta auri, in fornace, virtute ignis liquefacta confluunt, atque unam rediguntur in maſſam: ita cor Chriſti, v. g. quod aurum eſt optimum, aurum ignitum, cum corde hominis, quod jam ante quoque per caritatem ignitum & liquefactum eſt, miſcetur & unitur. ut Cor Jeſu unum fiat cum corde hominis, & contra:* quam unionem ſponſa illis verbis voluit exprimere Cant. 5. v. 6. *Anima mea liquefacta eſt, & dilectus meus mihi, ego illi.* S. Cyrillus lib. 4. in cap. 17. S. Joannis, utitur ſimilitudine liquefactæ ceræ, & modulo alicui infuſæ: *ſicut enim ſi quis liquefactæ ceræ aliam infuderit, alteram cum altera per totum miſceat, neceſſe eſt, ita ſi quis Carnem & Sanguinem Domini recipit, cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur;* quod expertus fuit S. Paulus cum exclamavit, *Vivo jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, & 1. Cor. 12. v. 27. *Vos autem eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro.*

2. Alio eleganti ſimili utitur Chriſtophorus de Adventano dum ait: *quemadmodum vivus ſurculus ſi cuipiam arbori inſeratur, unum fit cum illa & vita arboris, & vita ſurculi ſimul uniuntur, pari ratione cum Chriſtus D. in Euchariſtia exiſtat arbor vitæ, & nos ſimus ſurculi, viventes vita gratiæ, virides & floridi pulchritudine virtutum, & per communionem inſeramur Chriſto, neceſſario illi unimur, & unum cum illo efficimur.* Et non ſine fructu: quem prævidit Ezechiel cap. 17. v. 22. *Sumam ego de medulla cedri ſublimis.* Cedrus ille eſt Chriſtus Dominus: Medulla eſt ſanctiſſima ejus caro, ſanguis ejus eſt pretioſus ſuccus hujus arboris. Talis cedrus in communione plantatur in cordibus noſtris, quid ſequitur. *De vertice ramorum ejus tenerum diſtringam, & plantabo ſuper montem excelſum & eminentem, in monte ſublimi plantabo illud, & erumpet illud in germen, faciet fructum.* Et nos, veluti ſurculi in ſacra communione plantamur, non in monte, ſed in corde Chriſti, irrigamur non aqua tantùm ſed ſanguine, vivificamur medulla corporis Chriſti, ſic arbori vitæ mirabili modo unimur: mirari non debemus ſi erumpamus in germen, ſi faciamus fructum. O piæ animæ! gratulor veſtram vobis felicitatem, gratulor virtutum fructus cœleſtes, gratulor progreſſum eximium! nam ſurculi eſtis per SS. § 5. *Aliæ ſimilitudines. Chriſtoph. de Advent.*

communionem Euchariſtiæ Chriſto implantati! Hinc ſi excrevit ad ſummam perfectionem Chriſtus cum eodem & vos capietis incrementum. Si divinis patientiæ, manſuetudinis, caritatis fructib. ille fuit inſtructus, eritis & vos beata hujus ſtirpis propago. Si denique illa diviniſſima humanitatis Chriſti arbor in deliciarum cœleſtium paradiſum fuit transplantata, cum eodem & vos, ne dubiteris, eundem in hortum æterna prædeſtinatione tranſcripti eſtis, æternum futuri felices, excelſi, ſublimes, glorioſi, ſuam enim ſtirpem ſui ſurculi, ſuam arborem ſui rami comitantur. 3. S. Gregor. Nyſſ. catech. 37. ait, *ſicut parum fermenti ſibi aſſimilat totam conſperſionem, ita corpus Chriſti, cum nobis commiſcetur, nos totos in ſe tranſmutat & transfert*. 4. Non inelegans ſimile quotidie oculis cernimus in ſacrificio miſſæ, cum vino conſecrando, aliquot aquæ guttas immittit Sacerdos, nam quemadmodum aqua illa unitur vino, & contra, ut loquar verbis Doctoris Angelici opuſc. 58. Secunda ſimilitudo ſumitur de virtute rei majoris, nam ſi gutta aquæ in vas magnū vini infundatur, virtute multitudinis vini, aqua ex toto in illud mutatur: ſed virtus Dominici corporis ineffabilis eſt magnitudinis, & non exigui reſpectu illius, ideo facillime illi in S. communione unimur, & quod inde ſequitur, ut S. Aug. loquitur in Perſona Chriſti l. 9. confeſſ. cap. 10. *Cibus ſum grandium, manducabis me, nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me*. Hanc mutationem, hanc unionem intendit Chriſtus D. dum in ſanctiſſima Euchariſtia in cibum nobis offert, hunc Panem amoris, corpus & carnem ſuam.

Mirabile quid contigiſſe ſcribit Claudius Fauchetus hiſtoricus Gallicus, tempore Regis Philippi. Reginaldus vir nobilis adamarat nobilem matronam, ſed ſuo conjugi fidelem, fuit is Dominus de Faël. ideo Reginaldus ad bellum abiit, ſi fortaſſis abſentia, illam amoris illiciti flammam ſopiret. Mox in prælio lethali afflictus vulnere rogavit armigerum, ut cum expiraſſet, extractum è corpore cor ſuum, cum literis, quas ante ſcripſerat, adamatæ ſuæ transferret in Galliam: fecit id ſervus, extraxit cor, impoſuit ſcrinio, abiit, theſaurum hunc traditurus conjugi Domini Faëlii: O infortunium! in hujus manus incidit ſervus, antequam Dominæ loqui poſſet. Faëlius lectis literis, irâ accenſus, hoc fecit, corde Reginaldi in minuta conciſo, aromatis ſaccaroque inſperſo, pulmentum uxori in cœnam apparari jubet: illa novi edulii ſapore delectata edere, cibumque laudare: poſtquam intellexit ſe comediſſe cor Reginaldi, ſtupore plena ait: *Cibum illum dilexi vehementer, & cordi meo carum habui*. Obiit ille! non decet me mortuo ſupervivere. Sic cubiculum ingreſſa non exiit, donec intra paucos dies, mœrore & fame confecta fuit exportata. Profana eſt hiſtoria, quæ mihi tamen in mentem revocat incredibilem Amatoris noſtri Jeſu amorem. §. 6. *Tragica Hiſtoria.*

Eā

Digitized by Google

§. 7. *Applicatur ardentiſſimo Amori Chriſti D.*

Eò enim proceſſit, ut quieſcere non potuerit, donec ſponſæ, benedictum cor ſuam daret in cibum. Apertum fuit lancea in cruce, effluxit nobiliſſimus ſanguis pro lytro & pretio, ſed acquieſcere vel non potuit vel noluit, quoad & ipſum in panem & cibum dulciſſimi amoris nobis proponeret. O quam ſapit bene ille bolus, illud cor ſuaviſſimũ: & quo pacto nobilis illa Domina Reginaldo magis uniri potuit, quàm dum cor ejus comedit; & nos, quomodo Chriſto uniemur arctius, quam comedendo totum corpus ejus, & bibendo ejus ſanguinem? Veſcamur itaque & fruamur Chriſto noſtro, his nos reficiamus deliciis, hoc Angelorum pane palatum animæ noſtræ recreemus. At verò dum veſcimur, dicamus vel ore, vel corde ſaltem; O ſalve ter millies benedicta cordis mei portio! ſubinde exclamemus; O quàm benè iſte mihi ſapit bolus! has epulas diligo! huic non imorari duntaxat, ſed & imori optarem ferculo. O iterum iterumque ſalve nobiliſſima cordis mei refectio! ita vel dicere oportet, vel cogitare amantes Chriſtum animas. Abſit itaque ut poſt hunc cibum ſupervivamus mundo & voluptatibus: his mori debemus ut Chriſto vivamus, & ipſe in nobis. Nonne bene dico, Chriſtus D. in hac menſa proponit nobis Panem amoris, quo illi perfectiſſimè unimur.

§. 8. *Quare Sponſus Sponſam ſororem vocaverit ſuam ſororem. Nimirum propter arctam unionem, quæ fit in ſumptione Euchariſtiæ.*

Cant. 5. v. 1. ait Sponſus, *Veni in hortum meum ſoror mea, ſponſa, comedi favum cum melle meo, bibi vinum meũ cum lacte meo* (legunt alii *panem cum melle meo*) *comedite amici, & bibite, & inebriamini, cariſſimi*. Quæſtio eſt, cur Sponſus hoc verſu Sponſam vocet *ſororem*, cur non columbam, liliũ, virgulam fumi, &c. cur non amicam, non pulcram, non electam ex millibus? Verùm huic ut ſatisfaciam quæſtioni, duo mihi prænotanda occurrunt. Primum eſt, citatum verſum in ſenſu myſtico agere de Venerabili Euchariſtia: Corpus & Caro Chriſti, cibus & panis hominis eſt illud mel, ille favus, quo in communione fruimur ac veſcimur: Sanguis Chriſti eſt illud vinum, illud lac, quod bibimus. Alterum eſt, nomen ſororis plus ſignificare & dicere, quam dicat, *Amica*, *dilecta*, & ſimiles voces; nam inter Dilectum & Dilectam eſt unio tantùm animorum; inter fratrem & ſororem intercedit prætereà unio ſanguinis. Animæ ergo piæ, dum communicant, non columbæ tantùm ſunt, habitantes in foraminibus petræ, ad fontes & rivulos aquarum, non amicæ tantum ſunt & dilectæ; ſed filiæ, ſed ſponſæ, ſed ſorores; unde & ſponſa ſponſum vocare auſa fuit fratrem: *Quis mihi det te fratrem meum, &c.* Philo Carpathius in Cant. *Se ſe primò patruelem & propinquam, deinde fratrem & ſororem mutuo appellarunt, ut oſtenderent, ſibi invicem antea natura tantum & creationis lege atque beneficio copulatos; poſtea vero tanto, tamque ſingulari munere, hoc eſt, ſacratiſſimo ipſius ſponſi, pro ſponſa ſanguine fuſo, mirum in modum devinctos eſſe atq; cõjunctos.* Agedum itaq; Euchariſticis devinctæ amorib⁹ Animæ! agedum

dum Chriſti patrueles, ad ejus menſam immenſa cum lætitiâ accedite ſæpe numero; nam quæ vobis ibi dapes proponuntur, ſunt panis amoris, ſunt bolus amoris, ſunt potus amoris, ſunt lautitiæ amoris, ſunt convivium amoris: huic convivio ſi accumbitis, hiſce lautitiis ſi fruimini, hunc potū ſi deguſtatis, hunc bolum ſi deglutitis, hunc panem ſi abſumitis! dicere jure longè meritiſſimo poteritis cum Gentium Doctore; Vivo ego, jam non ego, ſed cognatus Chriſti, patruelis, imò frater Salvatoris; ad hanc enim dignitatem, ad hunc divinæ cognationis gradum, illa me ex Euchariſticis epulis percepta unio evexit.

§. 9. Quare Chriſtus D. vocetur à ſponſa, faſciculus myrrhæ, & botrus Cypri. Cant. 1. 12.

Triumphat ſponſa de unione hâc cum ſponſo, & verbis amore plenis illam explicat Cant. 1. v. 12. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, & ego illi, inter ubera mea commorabitur*: q. d. Dilectum meum cordi meo incluſi, ideo quieſcit in corde meo, & ego quieſco in corde ipſius. Sed unde iſta amabo conjunctio? undenam hæc unio? inde, Myrrha, quæ inſtar reſinæ fluit ex arbore, ſive ſponte fluat, ſive incidatur, nobiliſſimus ſuccus, denotat ſanguinem, qui fluxit ex Corpore Chriſti, ſive in ſanguineo ſudore, ſive flagellatione, &c. proinde ſpōſa vult dicere, ideo dilectus meus mihi, ideo meæ dimidium eſt animæ, quia non tantum ſanguinem pro me fudit in pretium, ſed in potum mihi offert; nec faſciculus myrrhæ tantum mihi eſt, ſed *botrus Cypri*, Cant. 1. v. 13. ex quo, torculari Crucis non tantùm ſemel in monte Calvariæ pretioſa myrrha, & nobiliſſimus ſuccus fuit expreſſus, ſed eadem myrrha, idem ſuccus, idem botrus, idem ſanguis quotidie in Euchariſtia mihi offertur, quo mediante unior & unum fio cum ſponſo meo. *Faſciculus myrrhæ; botrus Cypri dilectus meus mihi eſt*, quoties purpurei ſanguinis ſui calicem mihi propinat, quoties ſuo me Vulnere lateris paſcit, quoties participem me reddit illius ambroſiæ, quæ lætificat cor hominis, & Virgines, caſtiſſimis facit amoris fructibus germinare. Fortaſſis aliquibus hic ſenſus videbitur clarior ſuper citata verba. *Dilectus meus, faſciculus myrrhæ* fuit in cruce, cum eſt perforata undiq; corpore in ſurculo crucis ſtillavit myrrham probatiſſimam; botrus verò Cypri mihi eſt in Euchariſtia; ideo ille mihi, ego illi Auditores amantiſſimi! quoties & vos participes facti eſtis iſtius myrrhę ſive ſanguinis Chriſti in ſacramento Pœnitentiæ? quoties cum Magdalena ſediſtis ſub Cruce, quoties dicente ſacerdote, *Abſolvo te*, pretioſus ſupra vos defluxit ſuccus? quoties etiam in Euchariſtia guſtatis dulcedinē iſtius botri? ſi ita: pergo interrogare; An & ideo ſubinde aut frequenter, dixeritis cum ſponſa, vel dicturi ſitis inpoſterum, *Dilectus meus mihi:* & ideo dilectus, quia ſuo ſanguine me redemit, quia eodem me paſcit, quia illo mediante ſe mihi unire deſiderat: Ideo amo Jeſum ex toto corde, & ſi mille mihi forent corda, totidem illum cordibus amando proſequerer. Iterumne rogas cauſam? eæ numero ſunt definitæ: ex potiſſimis hanc accipe: ideo ſic amo, ſic aſpiro, ſic anhelo, ſic feror, ſic rapior ad Jeſum meū,

quia

Digitized by Google

quia faſciculus myrrhæ, quia botrus Cypri eſt, quia in Cruce ſuo ſanguine me redemit, quia in Euchariſtia eodem me paſcit: ſic ſentire oportet, ſic cogitare, ſic dicere, ſic concinnere, ſic exclamare; Dilectus meus mihi, ego illi. Amat me Jeſus, amo ego illum: ipſe unus eſt mecum, ego unum cum illo. Ille eſt in me, ego in illo.

§. 10. *Faſciculus ille myrrhæ, botrus ille Cypri ſive Chriſtus D. in Euchariſtia, eſt etiam botrus balſami & racemus Cãphoræ.*

Pro botro Cypri, alia verſio legit, *Botrus balſami dilectus meus mihi, vineis Engaddi:* Arbuſcula balſami germinat in plurimos ramos, plenos pulcerrimis floſculis, qui inter ſe inſtar alicujus botri vel racemi condenſantur; ſuccus ſive liquor ſtillans de tali arbuſculâ vocatur balſamum, cui ſponſa ob varias cauſas comparat ſanguinem ſui ſponſi, quem effudit vel in Cruce faſcicul⁹ myrrhæ, vel bibendum dedit in Euchariſtiâ botrus Cypri. Fluit balſamum copioſius, cum arbuſcula cultro vel vitro inciditur: & ſanguis ex corpore Chriſti ſtillavit abundantius, cum virgis, flagris, ſpinis, clavis fuit vulneratum: Balſamum ſonat Vulnera; & quæ morbi vis tam tenax in animabus noſtris, quæ tam periculoſa infirmitas, cui divinum balſamũ ſanguinis Chriſti mederi non queat? Botrus balſami in Euchariſtia eſt ſponſus noſter. Balſamum exhalat ſuaviſſimos odores! longe ſuaviores ſpirat ſanguis Chriſti, odores vitæ cœleſtis, odores divinitatis, odores omnium voluptatum: Pretioſum balſamum eſt roſeus ſanguis Chriſti. Succus balſami cauſat incorruptionem, Sanguis Chriſti in Euchariſtia, nobis pignus eſt & arrha immortalitatis æternæ. Sed hoc præcipue facit ad rem meam: balſami ea eſt vis & virtus, ut vulnera non tantùm ſanet, ſed nervos, & membra uniat, atque conſolidet: & hæc eſt proprietas Sanguinis Euchariſtici, ut per ipſius potum Chriſto ſponſo noſtro arctiſſimè uniamur; ideoque ſponſa, cum ſenſit in ſe ſuaviſſimam illam unionem, cum tenuit quem diligebat anima ſua, exclamavit: *Dilectus meus, faſciculus myrrhæ eſt, & botrus Cypri, & botrus balſami*; vel ut alii denique legunt, *Racemus Camphoræ, dilectus meus mihi.* Camphora, eſt planta producens grana ad modum botri vel uvæ, quæ accenſa in aquis etiam ardent: proinde, ait Philippus Diaz, *racemus camphoræ fuit Jeſus, ſiquidem aquæ ingratitudinis inimicorum, aquæ tormentorum, &c.* non ſolùm non extinxerunt ejus amorem, ſed auxerunt, & magis coruſcare fecerunt, dum ipſe illum magis oſtendit, præcipuè cùm eâ nocte, quâ tradebatur, inſtituit SS. Sacramentum Euchariſtiæ. O igneam, vigoroſã, & maximè actuoſam Chriſti caritatem! tota vita, in Cruce fuit, in Euchariſtia eſt, & erit uſque ad conſumationem ſæculi, faſciculus myrrhæ, botrus Cypri, botrus balſami, racemus camphoræ! Sed finio.

§. 11. *Metamorphoſis SS. Hoſtiæ in Crucifixum.*

Cronenburgi anno 1280. Opilio, tempore paſchali, quia Sacram Hoſtiam ob remorſum malæ conſcientiæ deglutire auſus non fuit, in quercu inter duos ramos depoſuit: facti tamen mox pœnitens, rem aperuit Parocho, è cujus manibus, dum S. Hoſtiam tollere voluit, illa decidit in cavitatẽ denſiſſimæ arboris, ut nulla

ratione

ratione tum reperiri potuerit. Poſt annos viginti octo, exciſa & fiſſa arbore inventa fuit devotisſima imago Crucifixi, in quam ſacra Hoſtia converſa fuit: pulcram certe metamorphoſim! claruit ille locus deinde multis miraculis; Utinam, dum cōedimus Panem amoris & dulcisſimæ Unionis, in nobis fiat hæc mutatio, ut faſciculus myrrhæ, ſit ſimul botrus Cypri; ut illo mediante, nos mutemur in Crucifixum, ipſe in nos; ut nos ſimus in ipſo, ille in nobis, ut Crucifixus vivat in nobis, nos in illo, cum certâ ſpe æternæ gloriæ: *Non enim* (Algerus de Sacr. c. 13.) *eſſet miſericordia Dei ſi eos repelleret a regni ſui cōſortio quibus tam familiariter uniri dignatur, in exilio mundi.*

Utinam cordibus noſtris divini illius myſterii dignitas quam fieri poteſt altisſime infigatur! Hoc eſt Audit. hoc inquam eſt cum fructu, cum guſtu ac conſolatione, cum gaudio ac lætitia, ſacram Euchariſtiæ ſynaxin accedere, ſi effuſi pro nobis divini ſanguinis memoriam ſimul & amorem excitemus, ſi ideo exclamemus cum ſponſa; *dilectus meus mihi*; ſi & novam cum Chriſto cognationem imo & fraternitatis vinculum inire geſtimus; vera veri amoris radix, hæc vera Corporis ac ſanguinis Chriſti communio; denique hæc ipſisſima, ad quam aſpiramus, æterna vita exiſtit.

CONCIO XXXII.

DOMINICA III. POST SS. TRINIT.

Erant appoprinquantes ad Jeſum, publicani, & peccatores, Lucæ 14. verſ. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHriſtus D. Paſtor bonus, in inſtitutione SS. Sacramenti Euchariſtiæ, fuit munificus, & liberalisſimus.

§. 1. *Amor Chriſti in Euchariſtia non tantùm eſt fortis & ingenioſus, ſed etiam liberalis.*

§. 2. *Amor Chriſti in Euchariſtia*

riſtia eſt circulus & ſphara bonitatis, atque liberalitatis.

§. 3. *Quæ benefaciendo continuo, & ſemper movetur.*

§. 4. *Chriſtus in Euchariſtiâ eſt ſol omnibus benefaciens. Liberalitatem Alexandri & Jonathæ*

§. 5. *Longè ſuperavit.*

§. 6. *Quo ſenſu Euchariſtia vocetur* Teſtamentum Chriſti Domini.

§. 7. *Euchariſtia, eſt terminus, ſive, Non plus ultra liberalitatis Chriſti.*

§. 8. *Quomodo Chriſtus Dominus in Euchariſtia ſe exinaniverit, ſecundum alias verſiones, vacuaverit, exhauſerit.*

§. 9. *Ut plus facere non potuerit.*

§. 10. *Fuit noſtri in Euchariſtia amans & liberalis, uſque in finem, ſive, in victoriam.*

§. 11. *Amorem triumphantem decuit eſſe liberalem.*

§. 12. *Creſcit donum à majeſtate Perſonæ dantis.*

§. 13. *Liberalitas Chriſti in Euchariſtia ſufficienter explicari non poteſt.*

§. 1. *Amor Chriſti in Euchariſtia non tantum eſt fortis & ingenioſus, ſed etiam liberalis.*

IN aliâ concione de Venerabli Euchariſtia, refero veteres depinxiſſe Amorem in formâ venuſti juvenis, Herculem inter & Mercurium: quo quidem voluerunt ſignificare, hunc puerum ſive Amorem ſimul eſſe Herculem, id eſt fortem & conſtantem, juxta illud ſponſi, Cant. 8. v. 6 *fortis ut mors dilectio*; eſſe etiam Mercurium, ſive ſubtilem & ingenioſum, in adinventionibus amoris. Talis fuit amor JESU, & fortis uſque in mortem, & ingenioſus in multis, ſed præcipue in adinventione & inſtitutione Euchariſtiæ, quod hactenus aliquot concionibus à me declaratum percepiſtis: Verùm Amori non eſt ſatis, eſſe fortem & ingenioſum, niſi etiam ſit munificus & liberalis; ideo alii ſymbolici eundem Puerum depinxerunt cum aperta crumenâ vel ciſtula, vel cornu copiæ, ex quibus aurei decidunt nummi, gemmæ, uniones & amœni flores. Talis eſt amor JESU in Euchariſtia; aureas atque tornatiles habet manus; dexteram habet, in qua ſunt, *delectationes uſque in finem.* Divinum divini Amoris cor in Euchariſtia, aurea eſt ciſtula, ſed aperta, ex qua de divinis theſauris haurire & accipere poſſumus, quantum lubet: Sic probavit ſuum amorem: juxta illud D. Gregorii hom. 30. in Euchar. *Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis; amor operatur magna, ſi eſt: ſi autem operari* (ſi liberalis eſſe) *renuit, amor non eſt.* Tam rara, tam magna, tam miranda, nunquam Chriſtus D. fuiſſet operatus in inſtitutione Euchariſtiæ, nunquam tam bonus ſive tam liberalis fuiſſet Paſtor erga ſuas oviculas, niſi rarus, magnus & admirandus fuiſſet ejus amor. Ex mente Clementis Alexandrini 2. Pædag. cap. 1. de Euchariſtia, *ſocialis benevolentia, & quæ ſua libenter impendit, eſt indicium.* Liberalis hæc benevolentia, munificus amor boni Paſtoris in Euchariſtia, erit materia hujus Concionis, hoc fine, ut liberalem Paſtorem ferventer redamemus: nam ut ſapiens ait Prover. *Compedes invenit, qui beneficia invenit.* & Richardus Victorinus; *adverte, ſi non cuncta beneficia,* qua-

quadam ſint caritatis calcaria, urgentia quodammodo ad curſum amoris. Vos eâ, quâ hactenus conſueviſtis, attentione, atque amore, de amore Euchariſtico differentem porro attendite.

§. 2. Amor Chriſti in Euchariſtia eſt circulus & ſphæra bonitatis atque liberalitatis.

De amore divino ſubtiliter dixit S. Dionyſius Areopagita, *Amor eſt circulus bonitatis, à bono in bonum perpetuò revolutus.* Alii dicunt, *Amor eſt ſphæra.* Quemadmodum enim ſphæræ & circuli cœleſtes in continuo ſunt motu, quo, ob ſalutares influentias mortalibus innumera & continuata præſtant beneficia, ut terra v. g. arbores progerminet, ut educat ſtirpes, ut nutriat plantas, ut floſculos gignat, ut fructus producat, ut aurum concipiat, & varias metalli ſpecies generet, &c. pari ratione Amor eſt ſphæra quædam liberalitatis, quæ continuò movetur, de beneficio in beneficium; verbo, Amor naturâ ſuâ eſt liberalis. Ægyptii ob circuli hujus beneficia in ſuis templis nil aliud depinxerunt quàm circulos; in illâ figura adorantes verum Numen; cum templum aliquod ingrediebantur, ante circulum aliquem proſtrati dicebāt, *Adoro te DEUM meum, Creatorem meum, omne bonum meum.* Ægyptios æmulati ſunt Perſæ & Turcæ, qui oriente ſole, altâ conſcenſâ ſpeculâ, acclamant Deo, *Circule cœli, Circule cœli!* Proinde non ſine cauſâ Euchariſtia, ſive ſanctiſſima Hoſtia, in altari plerumque in figurâ rotundâ, vel circulo oculis noſtris proponitur; Amor enim, quo Chriſtus D. venerabile hoc ſacramentum inſtituit, Circulus eſt bonitatis, à bono in bonum revolutus. Amor Chriſti in Euchariſtia, ſphæra eſt, quæ de beneficio in beneficium continuò movetur, ideoque merito ante altare proſtrati exclamamus, *Adoramus te Deum noſtrum, Creatorem noſtrum, bonum noſtrum*: meritò dicimus, ſalve circule cœli, circule Amoris, circule Divinitatis, ſalve circule bonitatis, liberalitatiſque immenſæ.

§. 3. Qui benefaciendo ſemper & continuò movetur.

De hoc circulo, ſive de liberali amore boni Paſtoris in Euchariſtia dixit Philo L. de plant. Noë, *Non qui aliquando, aliquando non, ſed ſemper & continue, qui ſine intermiſſione benefacit; qui dona donis cumulando continuat, cujus gratiæ inter ſe conjuncta & unita ſemper in orbem redeunt*: Talis eſt Auditores, talis eſt Amor Euchariſticus; continuò ſine interruptione, ſine faſtidio aut tædio, ſine defatigatione, dona donis cumulando continuat: experiuntur hunc beatiſſimum gratiarum circulum, quæcunque oviculæ ad ſacram boni Paſtoris menſam ſæpe numero accedunt: ſed ſi & nos ejuſmodi circulos formaremus! ſine intermiſſione, continuè, ſine defatigatione diligendo JESUM, quando ab amore Euchariſtico incipit excurrere anima, & in eundem amorem, veluti terminum revertitur; quando piiſſimus fit circulus per frequentem uſum ſacræ ſynaxeos, quando unum opus devotionis erga Venerabile Sacramentum, unus caritatis affectus alteri connectitur; Hoc eſt in circulum ludere, hoc eſt currere in circu-

circulum amoris, qui nos tandem in beatiſſimum æternæ felicitatis circulum devolvet.

§. 4. *Chriſtus in Euchariſtia eſt ſol, omnib. benefaciens. Liberalitatem Alexandri M. & Ionat.* Ex mente S. Laurentii Juſtiniani, S. Cypriani, Patris Ludovici de Ponte, Chriſtus D. in Euchariſtia, ſive in circulo bonitatis; *eſt divinus Sol, per hunc mundum curſum peragens, & quamvis ſit in nubilo, trahit ad ſe homines:* nimirum radiis tot beneficiorum, quæ liberaliſſimus Amor, & Paſtor noſter in animas noſtras confert, in hoc Sanctiſſimo Sacramento. De Alexandro M. referunt hiſtoriæ, fuiſſe liberaliſſimum, & fundamentum habemus l. 1. Machab. c. 10. v. 20. ubi dicitur talia ſcripſiſſe Jonathæ: *Ad amicitiam noſtram te invitamus, & hanc purpuream veſtem & auream coronam, tibi in ſignum & pignus amicitiæ mittimus, ut amicus voceris Regis, & quæ noſtra ſunt ſentias nobiſcum.* Laudat quoque Sacra Scriptura liberalitatem Jonathæ erga Davidem, l. 1. Reg. c. 18. ubi deſcribitur, ut nuper dixi, ſuprema valedictio, inter arctiſſimos amplexus, & violenta duorum integerrimorum amicorum, ardentiſſimè ſe invicem amantium, divulſio, Jonathæ & Davidis. Jonathas coactus fuit redire in aulam Parentis, David abire in exilium. Quid faciant? Jonathas Davidem comitatur uſque in campos, ibi in mutuos ruunt amplexus, & amoris renovant vincula; ut Jonathas probet ſuam dilectionem, inter dulces lacrymas, inter ſuaviſſima ſuſpiria, ſe expoliat tunica, quam, ſicut & reliqua veſtimenta ſua, arma quoque & gladium, ſagittas & pharetram, & cum illis quaſi totum regnum Iſraëlis donavit Davidi: ſic amor Jonathæ fuit liberaliſſimus. An majora deſideratis Auditores?

§. 5. *Longe ſuperavit.* Nihil tamen hæc ſunt, ſi incomparabilem Jeſu amorem & liberalitatem in Euchariſtia intueamur; cui cum ſatis non fuiſſet, propter nos homines reliquiſſe cœlos, aſſumpſiſſe humanam naturam, triginta tribus annis fuiſſe nobiſcum converſatum, benefeciſſe omnibus, ſanaſſe ægros, &c. cum jam jam à cariſſimis diſcipulis avellendus eſſet, ut iret in mortem; in finem, in ſuprema valedictione, maximo & liberali quodam amore eos dilexit, in ultima cœna fuit illos amplexatus, lavit & oſculatus eſt pedes illorum, ſuaviſſimis illos conſolatus verbis, tandem non veſtes, non togam (in cruce deinde hoc fecit) ſed carnem & ſanguinem, ſe totum in ſanctiſſima Euchariſtia nobis donavit: nec affectu tantùm, ſed realiter & reipſa id præſtitit: totus in hoc cibo noſter eſt, anima noſtra conglutinatur animæ Chriſti, corda noſtra ipſius cordi: caro noſtra miſcetur cum carne Chriſti, ut dixi ante octiduum, ſanguis cum ſanguine, homo unitur Divinitati, totus Chriſtus, per eandem unionem, peculiari modo noſter eſt; liberaliſſimus ſponſus ſe totum & omnia ſua nobis donat in circulo parvæ hoſtiæ. Eadem eſt lorica juſtitiæ, & clypeus fortium, eſt ſcutum veritatis, eſt gladius contra omnes hoſtes: eſt pharetra, ſagittis ardentibus & jaculis referta, ad corda noſtra ſaucianda & inflammanda

Matth. 21. 14. Marc. 8. 10. Luc. 9. v. 11. Ioan. 12. v. 40.

Sumtio corporis Chriſti eſt firma defenſio contra omnia adverſa.

 manda

Digitized by Google

manda. Arcus extenſus ſunt expanſa brachia Chriſti in cruce; & hunc quoque arcum in Euchariſtia nobis liberaliſſimè donat. Non purpuram, non coronam, ſed corpus & ſanguinem ſuum nobis dedit, eoque deinde liberalitas ejus proceſſit, ut omnia quæ ſua ſunt, noſtra ſentiremus. Noſter ejus ſanguis, noſtra ejus vulnera, noſtrum ejus cor, noſtra ejus anima, noſtra ejus humanitas, imò noſtra eſt ejus Divinitas. Et quid obſecro, vel pulchrius, vel honeſtius, vel ſuavius, vel ditius & pretioſius deſiderare poſſemus avari mortales! O quiſquis theſauris inhias homo, vide ſis, amorem hunc Euchariſticũ in cordis tui rete attrahas, & jam Crœſo ditior, jam ipſâ aureâ eris fortunâ fortunatior.

§. 6. *Quo ſenſu Euchariſtia vocetur teſtamentum Chriſti.*

1. Corinth. 11. v. 23. Apoſtolus in perſona Chriſti de Euchariſtia ait, *Hic Calix Novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Cauſam, ob quam ita vocatur, exponit S. Ambroſius lib. de Noë & Arca, cap. 11. *Nempe teſtamentum hoc loco ſumitur pro re ipſa, quæ teſtamento mandatur*; ſic enim loqui ſolemus, dives ille fecit vel reliquit teſtamentum, id eſt, legavit ſuis pinguem hæreditatem, magnas divitias, &c. hoc itaque ſenſu ſanctiſſima Euchariſtia eſt teſtamentum Chriſti Domini, cum omni ſubſtantia ejus, quia nihil aliud habet quod Chriſtus Dominus relinquat Eccleſiæ, quàm id quod in Euchariſtia continetur: in hoc Sacramento & Teſtamento ſunt omnes ejus divitiæ, quas liberaliſſimè largitur: & quidem *teſtamentum ſuum* (inquit S. Ambroſius) *ſuo confirmavit ſanguine, ut nos vitæ ſuæ cohæredes, & vita haberemus conſortium, & mortis beneficium.* Quid liberalius excogitari vel dici poteſt? S. Anſelmus in citat. locum S. Pauli voculâ *teſtamenti* ſic utitur; *Euchariſtia teſtamentum dicitur, quia ſicut per teſtamentum in bona defuncti ſuccedimus, neque quiſquam datam hæreditatem nobis auferre poteſt; eſt enim teſtamentum quaſi ſcripta epiſtola, quâ ſcribimur hæredes, & ſic jus alicui confertur, ut illi tradantur relicta bona, non aliter nos per ſumptionem Euchariſtiæ, in bona Chriſti, hæreditario quodam jure ſuccedimus*; addit citatus Sanctus: *Dicitur teſtamentum in ſanguine ejus, quia defendit & munit nos, adverſus calumniam hoſtis antiqui, ne cœleſtem nobis hæreditatem poſſit auferre, ſicut litera illa, quæ vocantur teſtamentum, hæredem muniunt adverſus calumniatorem, ne tollat hæreditatem.*

§. 7. *Euchariſtia eſt terminus, ſive non plus ultra liberalitatis Chriſti D.*

De divitiis & theſauris hujus liberaliſſimi teſtamenti, ſive hæreditatis ait D. Chryſoſtomus; *Dicendo enim Euchariſtiam, omnem benignitatis Dei theſaurum aperio*, quem cum inſpexit Gerhardus Zutphaniẽſis exclamavit l. de ref. c. 27. *O inaudita largitas! O caritas ſuperexcellens! qui ſeipſum dedit, quid poterit negare? quid potuit ultra facere? Dedit regnum ſuum, dedit ſeipſum.* & S. Thomas opuſc. 58. c. 5. *Euchariſtia eſt terminus, & non plus ultra amoris Dei erga homines.* Addo ego, Non plus ultra effuſiſſimæ & infinitæ liberalitatis, in Chriſto Domino Salvatore noſtro.

§. 8. *Quomodo Chriſtus*

Puto propterea de illo dixiſſe S. Paulum ad Philipp. 2. v. 7. *Qui cum in*

D. in SS. Euchariſtia ſe exinaniverit, ſecundum alias lectiones, ſe vacuarit, exhauſerit.

in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit. Scio Apoſtolum ad literam loqui de myſterio Incarnationis, in quo Verbum Patris ita ſe exinanivit, ut caro factum ſit; nihilominus vocula *exinanivit*, pulcra mihi ſuggerit pro præſenti diſcurſu, in quo ſimiliter dicere poſſum cum Apoſtolo, quod amor Chriſti in inſtitutione Euchariſtiæ, dando ſe in cibum & potum ſuis oviculis, amantiſſimus & liberaliſſimus Paſtor, ſe prorſus exinaniverit. Alii legunt, *Vacuavit ſe.* Tertullianus, *exhauſit ſe.* quorum verborum ſenſum ut clarius intelligamus, cogitemus Amorem Chriſti in Euchariſtia eſſe velut aureum & gemmeum quoddam vas, aut cryſtallinum vitrum, plenum pretioſiſſimo liquore, plenum gratia, plenum meritis, plenum amore; ſed quod Chriſtus D. præ nimia liberalitate, quaſi totum effundit, evacuat & exhaurit, dum ſe totum nobis dat in potum & cibum. Concilium Tridentinũ ſeſſione 13. c. 2. *omnes divitias divini ſui erga homines amoris effudit*, ita tamen ut eædem ſemper in eodem maneant, quia infinitæ ſũt, *in ipſo enim*, ad Col. 2. v. 9. *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*

§. 9. Vt plus facere non potuerit.

Pro voculis *exinanivit*, *vacuavit*, *exhauſit*, legunt alii Interpretes, *fecit, quod potuit; plus facere non potuit*: quæ lectio fundamentum habet in capite 27. v. 37. Geneſis, ubi Iſaac, filio Eſau urgenti aliam benedictionem, dixit, *heu! fili mi! frumento & vino ſtabilivi illum, & tibi, poſt hac, fili mi, quid faciam*? quaſi diceret, fili mi, illâ benedictione, quâ benedixi fratri tuo Jacob, non poteſt eſſe major. Dico ego idem de liberalitate Chriſti, poſtquã frumento & vino nos ſtabilivit, id eſt, poſtquam inſtituit ſanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, in quo pro pane & frumento ſuam carnem nobis dedit manducandum, & pro vino, ſuum ſanguinem in potum, ultra nil facere poteſt; dedit nobis, quod dare potuit: quod innuere voluiſſe videtur Iſaias cap. 25. v. 7. 9. *faciet Dominus in monte hoc convivium*, bonus Paſtor paſcit oves ſuas ſua carne & ſanguine, *& requieſcet manus Domini in monte iſto.* A momento conceptionis uſque in finem, in mortem, amor Salvatoris noſtri fuit planè inquietus, nova ſemper beneficia excogitans, novos identidem favores meditatus: verùm poſtquam Euchariſtiam inſtituit, aurea & liberaliſſima ejus manus quievit, mox deinde in lectulo crucis obdormivit. Euchariſtia eſt centrũ, circulus, thronus ſedes, in qua ejus liberalitas quieſcit.

§. 10. Fuit noſtri in Euchariſtia amans, & liberalis, uſque in finem, ſive in victoriam.

Ob eandem cauſam S. Joannes Evangeliſtia ait cap. 13. v. 1 *Cum dilexiſſet ſuos in finem dilexit eos.* In finem, præter alia in Scriptura ſignificat, ultimum poſſe, in aliqua re, Pſalm. 37. v. 7. *miſer factus ſum & curvatus uſque in finem.* id eſt, ad imũ devolutus ſum miſeriarum, quibus ita premor, ut tantum non opprimar: miſeria mea major eſſe non poteſt, Pſalm. 15. v. 7. minatur David peccatori his verbis, *Deus deſtruet te in finem*, id eſt, graviſſimè. & Pſal. 73. v. 3. *leva manus tuas in ſuperbias eorum in finem.* q. d. leva & aggrava ſuper eos manus tuas, quantum potes.

Digitized by Google

& D. Chryſoſtomus ait, *peccatum in finem, ſive, quo majus eſſe non poteſt.* In finem itaque diligit, vel liberalis, eſt, qui ita diligit, ut ultra vel plus diligere non poſſit: quod S. Joannes ait feciſſe Chriſtum D. in inſtitutione SS. Sacramenti Euchariſtiæ. Pro illis verbis S. Joannis, *usque in finem*, alii etiam legunt, *Victori vel in victoriam.* quo ſenſu S. Joannes de Chriſto D. vult dicere, quod in inſtitutione Euchariſtiæ ejus liberalitas tandẽ vicerit, triumpharit, & omnium Regum munificentiam longiſſimè ſuperarit. Exod. 25. v. 25. figura Euchariſtiæ, Menſa aurea panum propoſitionis, coronata, interraſili coronâ; textus ait, *& pones ſuper eam alteram coronam aureolam*: fortaſſis & hodie Hierothecas Diviniſſimi corporis ornamus ſertis ex floribus, gẽmis, ſerico, &c. ut illis coronetur vincens amor, & triumphans liberalitas Chriſti in Euchariſtiâ.

§. 11. *Amorem triumphantem decuit eſſe liberalẽ.*

Et verò amorem triumphantem decet eſſe liberalem. S. Ambroſius? *Poſt triumphum enim Victor ſemper dona largitur.* Idem fecit Chriſtus D. in triumpho crucis latroni dedit paradiſum, peccatoribus veniam, centurioni fidèm, Joanni Matrem, gentilitati Eccleſiam, Eccleſiæ Sacramentum, mundo pretium ſui ſanguinis & mortis. In triumpho Reſurrectionis, captivis Patribus dedit libertatem & beatitudinem, diſcipulis ſolatium, Thomæ glorioſa Vulnera, Matri lætitiam. In triumpho Aſcenſionis ad cœlos dedit dona Spiritus S. Omnem hanc liberalitatem ſuperat in ſuo triumpho Amoris in Euchariſtia, in qua carnem, ſanguinem, corpus, Animam, omnia membra, & ipſam Divinitatem nobis donavit: *Hic victor eſt, & quantò minorem ſe fecit in Humanitate*, ait S. Bernardus, dico ego in parvo circulo ſanctiſſimæ Hoſtiæ, *tantò majorem ſe exhibuit in bonitate & liberalitate.* Richardus Victorinus tract. de gradibus caritatis capite tertio. *Inter cætera Dei beneficia, nullum eſt, quod adeo hominis mentem, ad amorem provocat & urget, quàm tanto amore* (addo ego, tantâ liberalitate, tantâ munificentia) *exhibitus Euchariſticus cibus*, in illo corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

§. 12. *Creſcit donum à Majeſtate Perſonæ dantis.*

Hildebertus quidam acceperat donum à Regina, quod ut extolleret, ajebat: *Munus tuum plurimum commendationis ex ſe ipſo meretur, utpote ambitioſum materia, præclarum cælatura, ejus tamen pretium majeſtate cumulatur, minusq́; eſt, quod ars ei contulit aut natura, quàm quod habet ex Regina.* Veriſſima quoque hæc ſunt de dono Euchariſtico; materia eſt caro, ſanguis, anima, Divinitas Salvatoris, cælatura eſt amor, pretium tamen adhuc majeſtate cumulatur, quod Rex Regum, quod Sponſus, verbo quod Jeſus illud dederit.

§. 13. *Liberalitas Chriſti in Euchariſtia ſufficienter explicari non poteſt.*

Sed vela contraho, quomodo enim alias, concionis meæ navicula intra horam, immenſum triumphã tis in Euchariſtia amoris & liberalitatis oceanum emetiri poterit? fateor iterum, tanta Chriſti Domini in Euchariſtia eſt munificentia, ut explicari ſatis non poſſit. Inter alia Egyptii Deum ſuum honorabant, ter repetendo

Digitized by Google

petendo hanc voculam, *Tenebræ, Tenebræ, Tenebræ!* q. d. Dei Majeſtas ex una parte eſt infinita, ex altera intellectus noſter in denſis ambulat tenebris, & quomodo illam comprehendemus? dixi aliquot concionibus multa de Euchariſtia, & magna de infinito ejus amore, de immenſa liberalitate, ſed tenebræ, tenebræ, tenebræ! quanta tamen ſit, ſufficienter in hac vita intelligere non poſſumus. Faciamus ergo, quod Chryſippum feciſſe legimus, qui cum profunditatem putei deprehendere non poſſet, dejecit ſe in profundum, dicens; *O abyſſe, cùm te capere non valeam; tu me cape.* Idem dico; O mi JESU! abyſſus eſt circulus tuæ liberalitatis in Euchariſtia? ad hujus ego fundum pertingere non poſſum; amo tamen & toto corde illam complector. Quid amplius eloquar? Cor tuum benedictum, mi Jeſu abyſſus eſt, O ſi in illo abſorberi, O ſi in illo poſſem perire! ſi tamen hoc perire dicendum eſt, & non potius vivere, florere, triumphare. O dulce in hoc amoris oceano naufragium! dum illo mergar, dum vivo, nil aliud ſpirabo, nil aliud loquar, nil cogitabo aliud, quàm amorem in me tuum, & vciſſim amorem in te meum mi JESU, JESU!

CONCIO XXXIII.

DOMINICA IV. POST SS. TRINIT.

Menſuram bonam & confertam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum, Lucæ cap. 6. v. 38.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Liberalitas Chriſti D. in Euchariſtia, de qua præcedens egit Concio, ulterius declaratur.

§. 1. *Exordium ex illis verbis Proverbiorum* 8. De rebus magnis locutura ſum.

§. 2. *Chriſtus in Euchariſtia tanto, & tam liberali amore nos diligit, ut ille major & liberalior eſſe non poſſit. Talis amor operatur & audet magna.*

§. 3. *Euchariſtia eſt opus manuum divinæ Omnipotentiæ & liberalitatis.*

§. 4. *Euchariſtia comparatur pluviæ ex Pſalm.* 53.

§. 5. *Eſt opus immenſæ liberalitatis, in qua Chriſtus Dominus in inſtitutione Euchariſtiæ longe ſuperavit Joſephũ, libera-*

Digitized by Google

liberaliſſimum erga ſuos fratres.
§. 6. *In Euchariſtia illa liberalitas præcipuè cernitur in liberali effuſione ſanguinis.*
§. 7. *Petra percuſſa à Moyſe, & largas præbens aquas, fuit figura liberalitatis Chriſti in Euchariſtia.*
§. 8. *Proſecutio.*
§. 9. *Nilus eſt elegans ſymbolum Euchariſtiæ.*
§. 10. *Pictura Virginis, calice excipientis ſanguinem ex latere CHRISTI. Pium deſiderium Auctoris.*
§. 11. *Suaviſſima Chriſti Domini invitatio ad menſam Euchariſticam.*

§. 1. *Exordiũ ex illis verbis Prov. 8.* De rebus magnis locutura ſum. &c.

DE amore & liberalitate Chriſti in Euchariſtia, hactenus aliquot concionibus ſermo mihi fuit; Auditores; bibimus vel hauſimus quaſi aliquid ex fonte & mari Euchariſtico, ſed ego ſitim meã plus accendi; plura mihi occurrunt de illa Salvatoris noſtri munificentia, quæ ut vobis, in honorem Sanctiſſimi Sacramenti proponam, iis ordiar verbis ex c. 8. v. 4. Prov. *O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominũ; Audite quoniam de rebus magnis locutura ſum.* Loquar de cœna, quam ante paucas ſeptimanas audiviſtis vocari *magnã*; magnam, quia magnus eſt, qui invitat; magnam, quia magnæ ſunt gratiæ & dona, quæ in illa conferuntur. Rurſum clamabo, rurſum mea vox erit ad vos, Auditores, audite me, de re ſuaviſſima locuturus ſum; loquar enim iterum de Euchariſtia, quæ mel eſt Divinitatis. S. Ambroſius l. 5. de Sacr. cap. 5. *Ibi bona libamina, ibi boni odores, ibi mellea ſuavia, ibi fructus diverſi, ibi epulæ variæ, quibus cœna hæc conditur.* Audite me, quoniam locuturus ſum de rebus mirabilibus: loquar enim de ſanctiſſimo Sacramento, in quo fecit Deus miſericors & miſerator, memoriam mirabilium ſuorum. Caro Filii Dei eſt cibus hominis! Divinus ſanguis ejus potus! annon hoc eſt admirabile: imò Deus ipſe eſt cibus & potus noſter! an non iterum admirabile? O vere cœnam magnam, cœnam dulcem, cœnam admirabilem! *O res mirabilis*, ait S. Thomas, *manducat Dominum pauper, ſervus & humilis*; cum l. 2. Reg. c. 9. v. 7. David diceret Mephiboſeth filio Saulis, *Tu comedes panem in menſa mea ſemper*: ille ait, *Quis ego ſum ſervus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei.* Et nos qui ſumus reſpectu Dei, nos vermiculi, pulvis, umbra, imò nihilum, & tamen comedimus, bibimus toties, quoties volumus, in menſa liberaliſſimi Regis? de hac liberalitate egi ante octiduum: quia plura ſuperſunt, rogo Auditores ut hâc horâ de eadem materia iterum me audiatis: quanta ſcilicet Chriſti D. in Euchariſtia ſit munificentia, quàm eximia liberalitas, ut quæ etiam vota noſtra cogitationesq; tranſcenderit: Vos ſi me attentè tantiſper audieritis, ingenti Euchariſtiæ amore ac deſiderio, toti, quanti eſtis, poſt hac flagrabitis.

Qui ſubinde conſiderarunt, quantus fuerit amor Chriſti Domini, triginta §. 2. *Chriſtus in Eucha-*

Digitized by Google

triſtia tanto & tam liberali amore nos diligit, ut ille major & liberalior eſſe non poſſit. Talis amor operatur & audet magna.

ginta tribus annis, quibus apud mortales vixit in hoc mundo, ſine dubio ſcient, toto illo tempore benedictũ ipſius cor, in ſanctiſſimo corpore, fuiſſe veluti ſuccenſam fornacem, continuis ignibus effervescentem: ſed arſit vel maximè, cum pervenit ad finẽ vitæ, cum in ultima cœna congregatos diſcipulos ultimùm eſt allocutus; tum ardens, ingens, tum ferventiſſima fuit ejus dilectio. S. Joannes Evangeliſta de illo ait; cap. 15. v. 1. *In finem dilexit eos.* Varias horum verborum verſiones expoſui ante octiduum. Burgenſis ait, hanc fuiſſe mentem S. Joannis, ſive voluiſſe dicere: tanto amore Chriſtus D. dilexit ſuos in fine vitæ, in ultima cœna, quanto major & ardentior, & ferventior, & ſuavior, & liberalior, & munificentior eſſe non potuit; Amorem ſummum, liberalitatem maximam exhibuit, dum inſtituit ſacramentum Euchariſtiæ. S. Bernardinus t. 1. ſer. 54. art. 1. c. 1. pulchrè dixit; *Solet homo, cum eſt in magno ſervore amoris, ac vehementia dilectionis, facere magna, quia caritas operatur magna; magna, ſi magna eſt: quantò major eſt, tantò majora ſatagit operari:* Patet hoc profectò, & quotidiana patere loquitur experientia: amori nullum eſt arduum periculum, nullus difficilis labor, nulla defatigatio moleſta, nulli ſumptus acerbi, nullum probrum, probroſum, nullum ingratum damnum. Quid non amor improbus audet? Irruendum eſt in hoſtes? irruit committendum cum corrivali adverſario duellum? committit: Exponenda periculo vita? exponit. Vigilandum in multam noctem? vigilat: Devorandæ verborum injuriæ, vexationes, acerbitates? devorat. Excurrendum per multa miliaria? excurrit. Irruendum in ignes? irruit! colluctandũ cum beſtiis? colluctatur: occurrendũ leonibus? occurrit: verbo, quidlibet audet Amor; quidlibet ſperat, quidlibet ſuſtinet, nec illum remorantur pericula, nec frangũt labores, nec vexant injuriæ, nec avertunt verbera, nec ipſa mortis imago abſterret: Omnipotentem ſe credit, etiam montes tollere ſe poſſe arbitratur. Jam verò ſi tanta ineſt, etiam profano amori, vis atque conſtantia, quãtam fuiſſe putatis in *Philo-capto Jeſu*, cum nocte quâ tradebatur, quâ ab hoſtibus ſuis ſciebat ſe capiendum, conſpuendum, flagellandum, crucifigendum, nihilominus accepit panem, benedixit, fregit, & dixit, Marci 14. v. 22. *Hoc eſt corpus meum*; ſupra calicẽ verò, *Hic eſt calix ſanguinis mei*; & idem corpus, eundem ſanguinem deinceps in Euchariſtiâ effuſiſſimâ liberalitate donavit mundo. Fuit hoc ultimum & maximum opus liberalis amoris, opus immenſæ molis, infinitæ perfectionis, ingentis pretii, cui nihil pulcri, nihil pretioſi ſuperaddi poteſt.

§. 3. Euchariſtia eſt opus manuum Divinæ Omnipotentia & liberalitatis.

Non ſine myſterio, dum Euchariſtiam inſtituit, panem accepit in benedictas manus ſuas, ut innueret fore illam opus manuum & brachii divinæ omnipotentiæ. Legiſtis ſine dubio in pſalm. 8. v. 4. quomodo Pſaltes loquatur de creatione cœli; *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorũ tuorũ, lunã & ſtellas, quæ tu fũdaſti.*

Advertit D. Chryſoſtomus cauſam, ob quam David creaturas tam pulcras vocet ſtructuram tantùm digitorum; *Non quod habeat DEVS digitos; ſed minima eſſe operationis oſtendit*; Id eſt, tanta eſt Dei omnipotentia, ut noſtro modo loquendi, ad formandos cœlos, quibus noſtris oculis, nihil majus, nihil admirabilius repræſentari poteſt, non dexteram, vel ſiniſtram, non utramque, ſed digitos tantùm adhibuiſſe dicatur: *videbo cœlos, opera digitorum tuorum*; creavit ſolem, digito, imò verbo tantùm fuit opus, (ſic de aliis creaturis) omnia hæc fuerunt opera minimæ operationis: Aliter verò ſpiritus Sanctus, ſive, ſacer textus loquitur de inſtitutione Euchariſtiæ, qui cœlos formavit digito, Panem à ſe conſecrandum, in corpus ſuum, accepit in manus, benedixit, fregit, quia oſtendere voluit, hoc eſſe opus operationis magnæ, opus manuum, opus magnæ ſapientiæ, & magnæ liberalitatis: opus quo majus eſſe non poteſt. S. Iſidorus, *Quid melius enim Corpore & Sanguine Chriſti?*

§. 4. *Euchariſtia comparatur pluviæ.*

Euchariſtiam eſſe opus plane peculiare, & magnæ liberalitatis in Pſalmo 67. v. 10. regius Pſaltes inſinuavit his verbis: *Pluviam voluntariam ſegregabis DEVS hæreditatis tuæ.* Septuaginta legunt, *Cribraſti.* Pagninus, *feciſti elevare*: locutum fuiſſe Davidem ſub hâc methaphorâ pluviæ de Euchariſtia, patet ex figura mannæ, quod in deſerto pro cibo populi inſtar pluviæ, quotidie decidit, Exod. 16. v. 4. & *Euchariſtia, eſt pluvia voluntaria* (ait P. Lorinus) *ſummâ utique voluntate inſtituta, ſummoque amore, cum abundantia & copia omnium gratiarum*; exquiſita pluvia, inter omnes voluntates, v. g. ſummoperè item à nobis expetenda, ac magnâ voluntate percipienda. Sed cur hæc pluvia cribrata quoque dicitur? ideo: Opus Euchariſtiæ ab aliis DEI operibus eſt quaſi ſecretum, ſeparatum, diverſum tanquam aliorum operum omnium, præcipuum, optimum, pretioſiſſimum, excellentiſſimum. Velut ſi Deus, omnia opera ſua, quæ in æternitatis circulo, velut in quodam cribro continebat, producturus ad extra, ſolicitus fuerit, ut præcipuum eſſet Euchariſtia, fecit quoque eam elevari, ſuper omnia alia opera.

§. 5. *Eſt opus immenſæ liberalitatis, in qua Chriſtus D. in Eucha. longè ſuperavit Ioſephum.*

Præcipuè verò, quod hac concione aſſero, voluit Euchariſtiam eſſe opus magnæ & immenſæ liberalitatis. Figuram habemus cap. 44. v. 1. Geneſis, poſtquam Joſeph fratres excepiſſet lauto convivio, cum diſcedere, & in patriam reverti vellent, *præcipit diſpenſatori domus ſuæ dicens, imple ſaccos eorum frumento, quantum poſſunt capere.* Ingens ſanè liberalitas! Amor cum magnus eſt, qualis erat in Joſeph, plerumque liberaliſſimus eſt: Olealter ibi. *Hæc eſt menſura, quam facere ſolet amor.* Imple, quantum poſſunt capere. Gilibertus in Cantica. *Amori nil ſatis eſt.* Putabat Joſephus ſe non poſſe magis ſuam munificentiam erga infidos fratres oſtendere, quàm liberali diſtributione panis, tempore graviſſimæ famis, de quo Petrus Cellenſis hic: *Vbique gratioſus Ioſephus*

Petrus Cellenſis in hunc

Digitized by Google

locum Geneſ.

phus, ſed in convivio magis, multoque jucundior. In convivio etiam venditoribus ſuis non negat, negatam ſibi germanitatem: in convivio non retinet injuriam, extendit munificentiam: in finem, Joſephus liberalior eſſe non potuit. Figura fuit Joſephus liberaliſſimi noſtri Salvatoris. Dedit ſe nobis ſocium, dedit ſe nobis pretium, dedit gratias innumeras, promiſit inſuper nobis vitam æternam, & ſe ipſum in præmium. Ubique Jeſus fuit gratioſus, ubique liberalis, ubique munificus; ſed in convivio, in cœna magna, in menſa Euchariſtica, in qua ipſe quoque cibus & potus noſter eſt, multò magis fuit gratioſus, munificus & liberalis: enim verò, hic regia Regis Regum benevolentia triumphat! hic vexillum divina erigit liberalitas! hic canit victoriam Amor Euchariſticus. O mi Divine Joſeph! O mi liberaliſſime Jeſu! quas tibi pro tanto hoc opere, pro tanta hac caritate, quas inquam, & quantas perſolvam grates? quibus te laudibus afficiã? quid tanto dignum amore rependam?

§. 9. In Euchariſtia illa liberalitas Chriſti D. præcipuè cernitur in liberali effuſione ſanguinis.

Iſmaël Perſarum Rex natus fuit manibus clauſis, quæ cùm apertæ fuerunt, inventæ ſunt plenæ ſanguine, collegerunt aruſpices fore illum avidum fundendi ſanguinis, quod & contigit. Cum ſponſa deſcribit manus ſui ſponſi, Cant. 5. v. 14. ait fuiſſe illas tornalites, plenas hyacinthis, alii legunt perforatas, vulneratas, ideoque plenas guttis ſanguinis, veluti gemmis. Vertunt alii Interpretes; Manus ejus ſphæricæ, velut cœleſtes globi, ex quibus decidũt guttæ, imò, ut ante dixi, pluviæ gratiarum & beneficiorum. Parvus Iſmaël ſuo modo fuit Chriſtus Salvator noſter, cum natus fuit in Bethleem, niveis & candidulis manibus; octavo die in circũciſione fuerunt purpuratæ ſanguine; puer adhuc, oſtendit ſuam ſitim effundendi proprii ſanguinis. Effudit deinde longè copioſius in Paſſione, in monte Oliveti, in flagellatione, in coronatione, in Crucifixione, in morte. Non fuit ſic ſitis ejus extincta. Poſt mortem liberaliſſimus Rex dedit ſanguinem delicatiſſimum cordis. O liberalitatem! ſed reſtat opus liberalitatis maximæ, quod ſuaviſſimis verbis deſcripſit S. Bernardinus. *Quaſi non ſufficeret amantiſſimo Jeſu, ad inebriati ſui amoris oſtenſionẽ, quod ſemel ſanguinem ſacrum realiter pro nobis effudit in ligno, niſi nobis quotidie effunderet in ſacramento*; & hoc quotidie, per totum mundum, in innumeris locis, à ſolis ortu uſque ad occaſum. Quid liberalius? quid majus? quid nobilius excogitari poteſt? &, in quo ſuam liberalitatem Amor longiſſime extendit, uſque ad conſummationem ſæculi.

§. 7. Petra percuſſa à Moyſe, & largiter præbens aquas, fuit figura liberalitatis Chriſti in Euchariſtia.

Magna myſteria continet petra, ex quâ Moyſes in deſerto elicuit aquas. Pſal. 77. v. 16. de illa ait, *Et eduxit aquam de petra: & deduxit tanquam flumina aquas.* Latet vis in *fluvio*, quã Iſidorus advertit: Fluvius eſt perennis aquarum decurſus, à fluendo perpetim dictus: torrens autem, quia pluviâ creſcit, ſiccitate terreſcit, cui græcè ab hyeme nomen dederunt; illi à tempore quo ſuccreſcit, nos à tempore quo ſiccatur. Utrumque dici

dici poteſt de ſanguine Chriſti; torrens eſt, fluvius eſt. Cum effuſus fuit in paſſione, fuit torrens, ob copiam, ob impetum, ob ardorem quo fluxit: talis torrens fuit in ſudore ſanguineo, in flagellatione, &c. ſed defecit tandem, cum poſt mortem in cruce, ex aperto corde ultima defluxit gutta. Et quid ultra vel plus ſanguinis dare potuiſſet vel debuiſſet? O adinventiones liberalis amoris? non torrentem tantùm, ſed fluvium jugiter fluentem voluit eſſe ſuum ſanguinem: ut ita flueret, ut ſanguinem ſuum millies & millies, ut illum quotidie & ſemper nobis daret, inſtituit ſanctiſſimum ſacramentum Euchariſtiæ, & *ſic*, (ait Hugo Card. in pſ. 77) *eduxit aquā de petrâ, quia de latere aperto exivit aqua cum ſanguine teſtamenti æterni; & hæc aqua non deficit, quia deduxit tanquam flumina aquas; flumen enim deſcendens de monte non ſiccatur.*

§. 8. *Proſecutio.*

Non poſſum tam citò avelli à myſteriis ſa hac petra. 1. Corinth. 10. v. 4. ait Apoſtolus, *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra.* Putant aliqui ſe hanc voculam, *conſequentem* poſſe explicare ex ſomnio quodam Rabbinorum, qui narrant, hanc petram percuſſam virgâ Moyſis, poſtquam ſemel ex illa defluxit aqua, deinde fuiſſe ſecutum motum populi, *Ubicunque*, ajunt, *figebant Iſraëlitæ tentoria, volvebatur illa petra*, (inſtar globi) *in medio caſtrorum, nullo hominum impellente, emittens largiſſimos rivulos, ad ſatietatem populi, & jumentorum.* Sed ſanior ſenſus hic eſt: Petra illa non modò dedit aquas una vice, cum percuſſa fuit à virga Moyſis, ſed etiam deinde, fons quaſi perpetuus ex illa emanavit: De qua circūſtantia ait Theodoretus; *Imitata eſt petra latus Chriſti, qui ſanguinem non tantum dedit, quam diu pependit in Cruce, cujus figura fuit Virga Moyſis; neque tantùm poſt mortem, ex aperto corde, ſed Chriſtus petra manet jugiter nobiſcum in ſacramento Euchariſtiæ, mirabili modo, quotidie, ubique, effundens ſuum ſanguinem, & manebit hoc modo nobiſcum uſque in finem mundi, in quo mirabiliter ſuam extendit & ampliavit magnificentiam.* Inſinuatur alibi ex eadem petra, quam Moyſes percuſſit, præter aquam fluxiſſe mel, & oleum, de ſaxo duriſſimo, & quomodo idem liquor dici poteſt *aqua, mel, oleum*? reſpondet Paſchaſius: *Notandum quod frumentum, Corpus Chriſti, omnes delicias habeat; ita & potus ſanguinis. Unde quod de petra myſticè manavit, nunc mel, nunc oleum, nunc aqua, nunc quoque potus dicitur, quia quidquid ſpiritualiter præguſtare poteris, hoc totum ibi invenies.* B. Laurentius Juſtinianus: *In ipſo theſauri reperiuntur plurimi, munera copioſa, ſpirituales deliciæ, mirabilia maxima, ſacra myſteria, DEI hominiſque Perſona.* S. Chryſoſtimus. *Audiſti Dei convivium? ſolicitus non ſis de qualitate convivii; qui pervenire Regis meretur ad menſam, manducabit, quidquid regni dominatio poſſidet & poteſtas: qui ad convivium venerit Creatoris, habebit in deliciis ſuis, quidquid continetur in creatura.* S. Bernardus, *Fercula celeſtis hujus convivii, ſunt tam magna, quod non poſſūt menſu-*

menſurari: tam longa, quod non poſſūt terminari, tam multa, quod non poſſūt numerari, tam pretioſa, quod non poſſunt æſtimari: Quidni dicamus petram ſive menſam Euchariſticam circumdatam eſſe rivulis, imò fluviis divinæ liberalitatis jugiter manantibus.

§. 9. *Nilus eſt elegans ſymbolum Euchariſtiæ. Diodorus Siculus.*

Elegans ſymbolum Euchariſtiæ eſt Nilus, qui aquas volvit largiſſimas, calidiſſimas, dulciſſimas, largiſſimas, quia ingens & magnus eſt fluvius: de illarum calore & dulcedine ait Diodorus Siculus: *Nili præcipua dulcedo, quia per loca ſole adusta & accenſas arenas decurrit; quod cauſam præbet, ut dulcedine cætera exſuperet flumina, tanquam caloris natura eum ſaporem flumini præſtante.* Tales aquæ fluunt ex fonte SS. Euchariſtiæ; largiſſimæ ob immenſam Chriſti Domini liberalitatem; calidiſſimæ, quia origo eſt locus calidiſſimus, ipſum benedictum Cor Chriſti, accenſum flammis amoris infiniti: vel, ut ille ait, *Ex amoris vena, ebullit ſanguis Chriſti:* hinc tanta aquæ Euchariſticæ dulcedo, ut benè dixerit Genebrard⁹ ſuper illa verba Pſalm. 22. v. 5. *Paraſti in conſpectu meo menſam: Tu me aliis liberaliter, & ſuaviter, imò ſumptuoſe, lautè & magnificè, & ad voluptatem.*

§. 10. *Pictura Virginis, calice excipientis ſanguinē ex latere Chriſti. Pium Deſiderium Auctoris.*

Ut paulatim finiam, non poſſum hic diſſimulare intimum aliquod deſiderium cordis mei, quod devota pictura mihi ſuggerit. In primitiva Eccleſia mos viguit, ut cum pingeretur Crucifixus, à dexteris quoque pingeretur decora Virgo, hilari vultu, aureo redimita ſerto, dextera calicem prætendens, eoque excipiens cruorem, ex Vulneribus, & præſertim latere Chriſti promanantem: fortaſſis ideò dixit S. Chryſoſtomus: *Reputate ſalutarem ſanguinem quaſi è divino & impolluto latere effluere, & ita approximantes, labiis puris excipite.* Doctor Angelicus opuſc. 58. cap. 3. mentionem faciens illius Virginis, addit, *inde lumen, inde cordis gaudium, & æterna gloria coronam acquirit;* Ah! ubi hodie (hoc eſt votum & ſuſpirium cordis mei) tales Virgines, ubi animæ devotæ, quæ in DEO JESU ſuo, quæ in amore Euchariſtico ſuas captent voluptates, ſua quærant gaudia, ſuas impleant delicias? O mortales! O utinam non alium recreationis veſtræ ſortirentur terminum! utinam corda veſtra gaudio exultarent, ſed gaudio Euchariſtico, gaudio ex amore latentis in Venerabili ſacramento Dei veſtri, promanante: gaudio ex ſanguine Chriſti, quem in ſacra Comunione, cordis veſtri calice excipitis.

§. 11. *Suaviſſima Chriſti D. invitatio ad menſam Euchariſticam.*

Suaviſſima Chriſti vocantis invitatio non deeſt, Math. 11. v. 28. *Venite ad me omnes.* Omnes, etiam puſilli & inopes; Omnes, etiam quos mundus deſpicit: Omnes, etiā quos adverſa premit fortuna; Omnes, divites juxta ac pauperes, parvi & magni, ſenes & juvenes, pueri atque puellæ; *Venite ad me,* in Euchariſtia, ubi, ſi pauperes eſtis, ſum ditiſſimus: ſi afflicti eſtis, ſum ego feliciſſimus, ſi deſpecti eſtis, ſum honoratiſſimus; ad me venite, edite & bibite mecum, ſi mœſti eſtis, ſum ſuaviſſimus, &c. Expertus fuit B. Laurētius Juſtinian⁹,

quando dixit; *Cur nos non delectet Chriſtus, cum in ipſo univerſa delectabilia ſint, ſi te pulchritudo delectat, eſt ſpecioſus præ filiis hominum: Si poteſtas placet, poteſtas ejus æterna: Si tuum divitia mulcent affectum, gloria & divitiæ in domo ejus. Et ut cuncta paucis explicem; Omnium plenitudo donorum quæ in eo diffuſa eſt, delectabilem & valdè carũ illum reddunt hominibus.*

CONCIO XXXIV.

DOMINICA V. POST SS. TRINIT.

Laxate retia veſtra, Lucæ 5. v. 4.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit novas adinventiones, quibus Chriſtus Dn. in Euchariſtia demonſtravit, & ardentiſſimum amorem, & immenſam liberalitatem.

§. 1. *Octavianum Puerum Aquila pavit candido pane: cœleſtis Aquila Chriſtus D. nos paſcit Pane Angelorum.*

§. 2. *Amor depingitur inter Herculem & Mercurium, quia eſt fortis & ingenioſus, Chriſtus in Euchariſtiâ eſt Phœnix Amoris.*

§. 3. *Inſtitutione Euchariſtiæ Chriſtus D. manifeſtavit ſuam liberalitatem.*

§. 4. *Quare ipſe primus communicaverit.*

§. 5. *Alia ad inventiones ingenioſi Amoris, mittit & largitur munera; ſed ut gratiora, abſcondit illa.*

§. 6. *Abſcondit ſe Chriſtus D. in Euchariſtia, quia eſt cœleſt s Venator.*

§. 7. *Liberalis Amor offert ſaccarum.*

§. 8. *Teſtimonia aliqua SS. Patrum.*

§. 9. *Proſecutio.*

§. 10. *Auctor cupit, fructum hujus Concionis eſſe, ut ardeamus amore JESU, qui in Euchariſtia eſt carbo ignitus, accendens corda noſtra.*

§. 1. Octavianum Puerum Aquila pavit candido pane: Cœleſtis Aquila Chriſtus D nos paſcit Pane Angelorum.

AUreum rete regiæ liberalitatis laxavit Chriſtus Dn. quando in ultima cœna inſtituit SS. Sacramentum Euchariſtiæ. Refert Valerius Maximus l. 19. quod cùm Octavianus Auguſtus Puer ſederet in campo, Aquila grandis ſupervolitans candidum panem, quem unguibus tenebat, demiſerit in manus pueruli, quẽ Octavianus cum magno guſtu comedit. Multis hoc fuit fortunatum auguriũ, hunc puerum fore aliquando Monarcham, eò quod ab aquila pane

candido

candido nutritus eſſet; quod etiam contigit. Octavianus fuit deinde feliciſſimus Imperator. Non cupio ego modo adducere varias cauſas, ob quas Chriſt. D. etiam à ſpiritu S. in ſacris literis Aquila nuncupatur. Satis eſt, quod in ultima cœna panem acceperit in manus ſuas, quem paucis ſed admirandis verbis convertit in ſuum corpus, carnem & ſanguinem; ipſe primus novum & cœleſtem panem manducavit, deinde Apoſtolis & diſcipulis manducandum præbuit, iiſque & ſucceſſoribus ſacerdotibus facultatem dedit, quotidie conficiendi hoc SS. Sacramentum; pro feliciſſimo præſagio, fore nos aliquādo magnos in cœleſti gloria, cujus pignus eſt SS. Euchariſtia. Quam liberalis in hoc fuerit cœleſtis Aquila divinus Amor Chriſti D. hactenus duabus concionibus oſtendi, verum quia fundum iſtius maris necdum attigi, & hodiernum Evangelium nos ducit in mare, iterum huic me dulciſſimo pelago committam; iterum de liberalitate Amoris Euchariſtici dicturus, pandam dictionis meæ vela: vos tantùm Auditores, me interim navigantem, benevolentiæ veſtræ, modeſtæque attentionis favoniis, & blandis interdum ad Divinū Amorem, ſive Jeſum in Euchariſtia ſuſpiriis, veluti ſuaviſſimis aſpirantibus zephyris proſequimini.

§. 2. *Amor depingitur inter Herculem & Mercuriū, quia eſt*

Non ita pridem oculis veſtris propoſui imaginem depicti vel ſculpti amoris inter Herculem & Mercuriū. Ille fuit Deus fortitudinis; hic, ingenii: ut ſciamus Amorem & fortem eſſe & ingenioſum. Primum confirmat Sponſus Cant. 8. v. 6. *Fortis ut mors dilectio; dura ut infernus æmulatio:* De altero eleganter ait Claudianus Mamercus l. 2. de ſtatu animæ cap. 5. *Amor anima in id quod diligit, & memoriam & conſilium ſecum cogit, quia nihil aliud meminiſſe, vel cogitare poteſt, niſi illud cujus amore ferveſcit.* Veriſſimè hæc omnia affirmare poſſumus de Amore Chriſti erga nos homines. Fortis fuit ille uſque ad mortem, & mortem crucis, in qua pro nobis ex amore expiravit. Fuit etiam ingenioſus ob varios modos, quos excogitavit, & quibus declaravit, ſe amare. De quibus loquitur Iſaias cap. 12. v. 4. *Notas facite in populis adinventiones ejus.* & David Pſalm. 76. v. 13. *Meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor.* Per has inventiones multi Interpretes intelligunt admirabilem DEI ſapientiam, quâ mundum condidit; nec malè; vernat v. g. in hortis venuſtum roſæ decus, parvus eſt ille floſculus, ſed gratus & amabilis, en adinventionem ſapientiæ; volat per prata, per campos, per hortos, & leni ſuſurro ſtridet apicula, tum floribus inſidet, tum ex iisdem ſugit ambroſiam, exilis illa eſt volucris: ſed melliflua, en adinventionem ſapientiæ. Repit humi ſollicita formica, & laborioſo conatu huc illuc diſcurrit, & grana colligit, & ſibi de annona ſolertiſſimè proſpicit: vile quidem animalculum, in quo tamen meditari poſſumus adinventiones ſapientiæ. Spargitur in terram agricolæ manu granum frumenti, parvum illud & contemptibile viſu; ſed tamen fœcundiſſimum, in quo

fortis & ingenioſus Chriſtus in Euchariſtia eſt Phœnix amens.

animarum noſtrarum medicus cibũ coxit igne ſuæ caritatis, ipſe nobis potum miſcuit, ipſe prælibavit prior, & prægustavit, & præbibit, & famem ſitimque revocavit, & vires reddidit, & valetudinem reſtituit. O amor! ô liberalitas! ô pulchra, miraq; divinæ adinventio caritatis.

§. 5. *Aliæ adinventiones ingenioſi amoris: mittit & largitur munera, ſed abſcõdit, ut ſint gratiora.*

Variæ aliæ ſunt adinventiones Amantium, præſertim dum volunt eſſe liberales; volunt ſubinde amatis mittere munuſcula, ſed quia propter cauſas non volunt illa cuivis patere, & ut abſcondita ſint gratiora, planè ſunt ingenioſi ut illa tegant. Loquimini, ſi poteſtis, ô odorati floſculi, & ex roſmarino faſciculi, quoties texiſtis pulcras gemmas, pretioſos annulos, aurea corcula, gemmeas ſagittas? Loquimini, ſi poteſtis, mutæ literæ, loquimini citrea poma, loquimini phrygia acu picta ſtrophila, quoties in vobis & per vos abſcondita ſunt transmiſſa dona? quoties famuli, quoties ancillæ, aliique internuntii deferunt ſcrinia, in illis annulos, ſed abſconditos: & illi uniones, illæ gemmæ, illi annuli, illa dona, quid ſunt niſi ſigna liberalis amoris? tales adinventiones in Euchariſtia adinvenit Christus Dominus Salvator noſter: non quidem dat gemmas, ſed ſuam carnem; ſed tectam & ſub ſpeciebus panis abſconditam. Dat ſanguinem, ſed occultatum, dat Animam & Divinitatem, quam tamen non videmus, *dat manna*, Apoc. 2. v. 7. *quod nemo novit, niſi qui accipit.* Famuli & famulæ, internuntii, per quos mittit tã pretioſa munera, ſunt quinque ſenſus, qui omnes præter auditum decipiuntur. Et eæ ſunt adinventiones amantis, ut ſubinde amatum ſuaviter decipiat. Hoc ſe facturum promiſit per Oſeam cap. 2. v. 14. *Ecce ego lactabo eam, & loquar ad cor ejus.* Alia lectio habet, *ego decipiam eam.* Fundamentum habet diſcurſus in Sacra Scriptura. Conſilio Rebeccæ, Jacob affert Patri Iſaaco præparatos cibos, & quàm variè Iſaac fuit deceptus. Putabat ſe tangere Eſau, deceptus fuit. Putabat ſe olfacere odores veſtimentorum, ſub quibus lateret Eſau, deceptus fuit. Putavit ſe benedicere Eſau; deceptus fuit. Solus ejus auditus non erravit, dum ait, Gen. 27. 22. *Manus quidem ſunt Eſau, ſed vox eſt Jacob.* Conjicite quæſo Auditores, oculos veſtros in ſanctiſſimã Euchariſtiam: putant oculi ſe videre panem, ſed decipiuntur: putat tactus, ſe tangere hoſtiam, guſtus ſe guſtare vinum, decipiuntur; accidentia tantum adſunt hoſtiæ; vinum non amplius eſt vinum, ſed eſt ſanguis Chriſti. *Viſus, guſtus,* ut verè belleque dixit Angelicus Doctor, *tactus in te fallitur, auditu ſolo tutò creditur:* ſolus ex ſenſibus auditus triumphat! ſoli illi retecta cortina ipſum licet myſterium, ſine fallacia, ſine umbra contemplari. *Noſtri ſenſus,* pergit S. Thomas, *piè ſunt decepti, præter auditum, ut ſit fides ex auditu tantùm, & non ex viſu vel aliis ſenſibus: auditus autem per fidem Chriſti.* Sic dulcis & liberalis amator Jeſus, decipit, dum dona ſua pretioſiſſima, carnem, ſanguinem, &c. tegit ſub velo accidentium in Hoſtia. Sed quid te abſcondis, mi

mi Jeſu ? credimus te præſentem, & tamen videre non poſſumus! O ſi illud velum, ſub quo lates, rumpere liceret! O filiæ Sion, tum videretis faciem illam, in quam deſiderant Angeli proſpicere; tum videretis, quàm dulci lumine micent illi amabiles oculi; tum videretis genarum purpuram, quæ ornat Sponſum veſtrum candidum & rubicundum; tum videretis ardens illud atque æſtuans amore pectus, tum erumpentes ex ejus incenſo corde ſcintillas perſpiceretis; ſed vana ſunt hæc ſuſpiria; etiam jam non videntes, videmus, hoc eſt, credimus illum eundem adeſſe dilectũ, & huic noſtræ ſentẽtiæ, ſi neceſſum eſt, noſtro etiam ſanguine ſubſcribere quã paratiſſimi ſumus.

§ 8. *Abſcondit ſe Chriſtus D. in Euchariſtia, quia eſt cœleſtis Venator.*

Sed, necdum ſatisfactum eſt, propoſitæ meæ quæſtioni, cur liberalis ſponſus noſter in Euchariſtia ita ſe abſcondat? fortaſſis hæc eſt cauſa. Venator aliquis, ut tranſeuntem feram certius feriat, non palã illi occurrit, ſed retro arbores in dumeto ſe abſondit. O amabilẽ Venatorẽ, Dilectum animarum noſtrarum! O peritum ſagittarium! quàm expeditum habet arcum, quot aureas & ignitas ſagittas, quàm perſpicaces oculos! ut tamen certis ictibus amoris, feriat corda noſtra, ecce abſcondit ſe inter lilia, ecce latet poſt cancellos, latet ſub velo accidentium, ut anhelantes cervos, & currentes ad fontes aquarum ſauciet, vulneret. Mutemus clypeos animæ piæ, ipſe quoque cervus eſt matutinus, ſimus nos venatores, expediamus arcum, acuamus, accendamus ſagittas, fidei, ſpei, amoris, contritionis; amat, vult, deſiderat à nobis, his jaculis ſauciari. Amat nos Chriſtus D. in Euchariſtia, amemus & nos: eſt erga nos liberalis donando ſe totum, ſimus liberales & nos, nos totos illi offerendo.

§. 7. *Liberalis amor offert ſaccarum.*

Non rarò, ardens amor in hoc eſt ingenioſus & liberalis, ut amato offerat ſaccarum, & melleos bolos. Unde ille ait, ſextum amoris indicium, Morſelli ab ore dilecti rapti. Incentiva amoris, ſunt dulces & ſuaves cibi, quos variis modis & formis adnvenit & excogitat, & præparat liberalis amor. Nihil hic cogitate de profanis amoribus; Amor Jeſu eſt puriſſimus & caſtiſſimus, ut tamẽ oſtenderet, quantũ, quàm ſuaviter nos amaret & diligeret, in finẽ, ut magis amare non poſſet, amoris ſui teſtẽ, voluit eſſe Euchariſtiam, ſive dulciſſimum cibum, ſuaviſſimum panem, in quo carnem ejus manducamus, & ſanguinem bibimus, & hoc modo Amor amanti fit cibus, ſe comedit, ſe guſtat, & guſtandum ſe amanti, amatæque animæ offert, in vehementiſſimi amoris, & immenſæ liberalitatis, non ſolùm indicium, ſed ſuave & dulce exercitium.

§. 8. *Teſtimonia aliqua SS. Patrum.*

De quo ſuaviter Sanctus Bernardinus t. 2. ſerm. 54. dixit in perſona Chriſti Domini, *Immenſus animarum zelus & zelans amor* (addo ego in præſenti diſcurſu, effuſa mea liberalitas) *me comeſtibilem fecit.* Sanctus Bernardinus ſerm. 53. de paſſ. dum quærit, quid Chriſto Domino expreſſerit ſanguineum ſudorem, mellifluè reſpondet; *Immenſus ac ferventiſſimus amor in hoc mani-*

Digitized by Google

manifeſtatur, ſæpè enim fervens ebullitio mittit ad extra: proinde quantum animus Chriſti, caritatis igne in intimis bulliendo ferveret, ſcaturitio ſanguinis clarius manifeſtat. Si quis hodie ex me quærat, quare Chriſtus Dominus in Euchariſtia, non aliquas particulas ſuaviſſimæ ſuæ carnis, non aliquot guttulas dulciſſimi ſanguinis, ſed totum corpus & omnem ſanguinem, in potum & cibum nobis dederit; ſi quis percontetur, cur tam ſæpe, tam benignè, tam paternè ad epulas Euchariſticas nos invitet, non aliud reſpondebo, quàm hoc: Immenſus & ferventiſſimus ejus amor, & effuſiſſima liberalitas in hoc manifeſtatur. Si quis tertiò ſciſcitabitur, cur tanta ejus ſit liberalitas, ut in ſanctiſſimo Sacramento, nihil ſibi reſervet, ſed totum ſe ex aſſe tranſcribat? iterum ac tertiò, ac centies, ac millies reſpondebo, quia immenſus & ferventiſſimus ejus amor, quia regia & effuſa ejus liberalitas in hoc manifeſtatur: cum carne ſua & ſanguine effundit, & in calice nobis offert omnes theſauros & plenitudinem, & abundantiam cœleſtium divitiarum.

§. 9. *Proſecutio. Innocentius Papa III. de incarnatione Christi.*

De beneficio incarnationis dixit Innocentius III. *Hæc eſt caritas, quæ tantum in DEUM prævaluit, quod eum de ſede majeſtatis, ad infirmitatis noſtræ humilitatem adduxit.* Idem planè de ſacroſancta Euchariſtia affirmare poſſumus: hæc eſt caritas tam effuſa, tam munifica, tam divina! hæc eſt caritas, cui ſol ſimilem non vidit! hæc eſt caritas quam obſtupeſcunt Angeli, & demiſſis alis humillimè reverentur: hæc eſt caritas, quæ tantùm in Filium Dei prævaluit, quod ſe nobis manducandum præbuerit: hæc denique eſt caritas, cui ut viciſſim reſpondeat homo, mille corda, mille vitas, mille ſi haberet animas, iterum profundere deberet. De Paſſione Chriſti iterum mellifluè dixit S. Bernardus: *Mirabilis Paſſio tua Domine Jeſu! in hac, tria ſpecialiter convenit intueri; Opus, Modum, Cauſam. In opere Patientia, in modo humilitas, in cauſa Caritas commendatur.* Quid ſi ego Dive Bernarde, quid ſi inquam ego, hæc eadem tria in amore Euchariſtico, in Venerabili Euchariſtia meditarer? non eris opinor contrarius. Meditabor profectò, & quæſo te, an non in hoc opere elucet patientia? an non in modo emicat Humilitas? an non in cauſa Caritas & Liberalitas reſplendent? Cum ad finem ſæculi nobiſcum miſeris converſari vult, Patientia eſt! cùm ad peccatores divertere, Humilitas! cum afflictis opem ferre, Caritas; cum omnia tua largiri, Liberalitas! O humilis amor! O amica Humilitas! O humilis Patientia! O immenſa Liberalitas!

§. 10. *Cupit Auctor, fructum hujus Concionis eſſe, ut ardeamus amore Ieſu, qui in Euchariſtia eſt carbo ignitus, accendens corda.*

Fructum, quem in hac Concione intendo, invenio apud S. Damaſcenū l. 4. de fide orthod. c. 14. *Apponentes oculos, & labia, & frontem, Divinum carbonem concipiamus, ut ignis in nobis deſiderii, aſſumens ex eo carbone ignem, comburat peccata noſtra, & illuminet corda noſtra, & participatione divini ignis; igniamur & deficiemur.* Non, ut ait S. Bonaventura, *Si poſt Communionem, non ſentis aliquam dulcedinem,*

nem, ſignum eſt, aut ſpiritualis mortis, infirmitatis: mel in ore, & non ſentis dulcedinem? Ignis in ſinu, & non ſentis calorem? O frigidum & ingratum cor! *Divinus Panis,* ait Nicetas, *velut cœleſtis carbo, gratiæ & amoris radios ſpargit*; his debemus calefieri: *Carbo iſte ſimul calculus & carbunculus eſt, ſic dictus, quia ignitus eſt, ut carbo, & ſignificat Corpus Domini, de altari ſumptum* (ſunt verba Thomæ Aquinatis) *& caritate inflammatum*: hoc carbunculo & nos debemus inflamari. S. Epiphanius de laud. Virg. ait, *Clibanus ſpiritualis, qui ignem & panem vitæ calidum mundo in eſcam attulit.* In hoc clibano, à calido hoc cibo debemus accendi. Herba Aproxis vel Apronia tantam cum igne habet ſympathiam, ut licet à longo apponatur igni, tamen inſtar magnetis hunc ad ſe trahat, cui ſe paulatim conſumendum tradit. O ſi deinceps ſuavi metamorphoſi corda noſtra mutentur in aproxin, ut ignem amoris Chriſti in Euchariſtia ad ſe trahant, & ab illo conſumantur. Felix ardor! beatum incendium! utinam hæc flamma intimos cordis mei ſinus penetret; utinam quidquid in me reſidet terreni, quidquid immundi, comburat atque conſumat! Eandem & vobis apprecor felicitatẽ, iiſdẽ vos ignibus comburi deſidero, Audit. mei: beatius nil in vita accidere poteſt, quàm Euchariſticis flãmis ab amore Jeſu ſuccenſis, corripi, ardere, conſumi. O mi Jeſu! ecce corda noſtra accende! ecce fibras cordis, accende! ecce deductos pectoris ſinus, accende! Ecce animi latebras, accende! Ecce omnis ſanguinis guttas, accende! ecce memoriam, ecce intellectum, ecce voluntatẽ, ecce oculos, linguam, labia, ecce nos totos, accende obſecro:

O DEUS! ô qui perpetuus Amor igneus ardes!
Fac caleant flãmis, pectora noſtra tuis.

CONCIO XXXV.

DOMINICA VI. POST SS. TRINIT.

Si offers munus tuum ad altare, Matth. 5. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXcellentia & dignitas ſacrificii miſſæ in hoc conſiſtit, quod ſit idem illud, quod à Chriſto Redemptore noſtro, ſemel oblatum fuit in ara crucis, cujus repetitio & viva repræſentatio & commemoratio eſt miſſa.

§. 1. *Inter diverſa munera, quæ Deo offerre debemus, eſt etiam Sacrificium Miſſæ.*

§. 2. *Abominantur quidẽ illud Hæretici.*

§. 3. *Nos Romano-Catholici illud cum S. Andrea Apoſtolo veneramur.*

§. 4. *Quia*

§. 4. *Quia eſt oblatio ejusdem ſacrificii, quod oblatum fuit in Cruce: quod declaratur ex S. Chryſoſtomo.*
§. 5. *Et ex S. Gregorio, S. Cæſario Archiepiſcopo Arelatenſi.*
§. 6. *Expenduntur verba S. Cæſarii.*
§. 7. *Proſecutio.*
§. 8. *Per auditionem miſſæ peculiari modo nobis applicantur merita Paſſionis.*
§. 9. *Et præſertim pretioſi ſanguinis Chriſti D.*
§. 10. *Ritus & Cæremoniæ Miſſæ, viva ſunt Repræſentatio Paſſionis.*
§. 11. *Elogia & exclamationes Sanctorum Patrum de excellentia miſſæ.*

§ 1. *Inter diverſa munera, quæ Deo offerre debemus, eſt etiam ſacrificium miſſæ.*

IN aliis concionibus ſuper hodiernum Evangelium, agere ſoleo, vel de perfectione Juſtitiæ Chriſtianæ, vel de ira & odio, vel de neceſſaria reconciliatione cum inimicis: aut de duabus celeberrimis controverſiis, quarum deciſio ex doctrina Chriſti in hodierno Evangelio clariſſimè patet: an ſcilicet ad Chriſtianam juſtitiam præter fidem requirantur opera, & an poſſibile ſit, ſervare mandata DEI? Pro concione præſenti elegi finem ſancti Evangelii, *Si offers munus tuum ad altare.* Liberalis erga nos eſt Dominus Deus noſter, & præſertim Chriſtus D. ut hactenus variis concionibus audiviſtis, in inſtitutione Venerabilis Euchariſtiæ, ſed viciſſim vult, ut nos quoque ſimus liberales, per diverſa munera, quæ DEUS juſtiſſimis titulis à nobis exigit. Eſt inprimis munus cordis, quod à nobis petit Proverbiorum 23. v. 26 *Præbe fili mi, mihi cor tuum*: gratius munus illi offerre non poſſumus. Nobile & pretioſum munus eſt dilectio, eſt quoque munus linguæ, ſive orationis, & gratiarum actionis, Deo acceptiſſimum. Pſalm. 140. v. 2. *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Muneribus cordis & linguæ, adjungi debent munera manuum, id eſt: Orationi, & dilectioni, addi debent alia opera Juſtitiæ, virtutum, pœnitentiæ & mortificationis; Symbola horum munerum fuerunt dona Magorum, aurum, thus & myrrha. Aurum eſt cor, quod DEUM amat: thus eſt, Oratio, manus debent ſtillare myrrham probatiſſimam. Sed de his muneribus, ad literam non agit lectum Evangelium; ſed potius de munere, quod conſiſtit in ſacrificio miſſæ, in quo cœleſti Patri offerimus munus omnium pretioſiſſimum, Corpus & ſanguinem Filii ſui, Agnum immaculatum in arâ Crucis olim in monte Calvariæ immolatum, cujus muneris, ſive ſacrificii excellentiam & dignitatem hac concione vobis proponam. Finis, quem ſpero, atque intendo, hic erit, ut animis veſtris ſanctum illud deſiderium injiciam, quo ſingulis diebus, quantum fieri poteſt, ſacrum miſſæ officium, cum eâ quâ par eſt reverentiâ atque devotione audire ſtudeatis.

§. 2. *Abominantur quidem illud Hæretici.*

Non terrent me in præſenti concione & materia noſtri Adverſarii, qui contra tremendum miſſæ ſacrificium, venenatis & blaſphemis linguis furunt & inſaniunt. Nunquam tigris, immanis bellua, ferocit ma-

magis , quàm ſi humanum ſanguinem conſpiciat. Fides noſtra Catholica aſſerit, in ſacrificio miſſæ Deo offerri per manus ſacerdotum , ſanguinem , non hircorum vel vitulorum , ſed humanum, immò divinum Sanguinem Chriſti Salvatoris, eundē, quem effudit vel in ſanguineo ſudore in monte Oliveti, vel in prætorio Pilati in flagellatione & ſpinea coronatione, vel in monte Calvariæ in ara crucis; hic inquam , eſt articulus fidei noſtræ; hac differentia, in Cruce Filius Dei; ſummus ſacerdos illum obtulit Patri, pro lytro & pretio ad redimendum genus humanum, realiter & cruento modo , in ſacrificio verò miſſæ idem quidem prorſus ſanguis offertur, & immolatur idem Agnus, à ſacerdote, ſed modo incruento; ob hanc doctrinam de oblatione ſanguinis Chriſti, quā furit, quā inſanit, quā ferocit, imānis tigris, ferox bellua, crudelis hæreſis, dum clamat; Papiſtæ ſunt idololatræ, eorum Papæ & ſacerdotes ſunt homicidæ, ſacrilegi, anthropophagi, ſacrificium miſſæ, aliis videtur abuſus; aliis abominatio, aliis blaſphemiæ opus, aliis ſacrilegium & incantatio. Doctori Luthero enorme ſcelus; ſic ait contra Regem Angliæ. *Monachi quoties celebrant, gravius peccant quam ſi cædem faciant , eſt enim blaſphemiæ opus.* Et adverſus Oecolampadium & Zwinglium ſic canit avicula, *Maxima ſunt peccata mea, quod tam ſanctus fui Monachus* (lepidum caput!) *ac tot miſſis per annos quindecim, Dominum meum graviter offendi.* quaſi verò non majus peccatum fuerit, & enormius ſcelus, fugere è monaſterio, ſeducere ſacram Deo Virginem, violare jurata vota, ſacrilegas atque inceſtas nuptias inire, ſcortari, &c. & à vera fide planè apoſtatare.

Dicant Adverſarii, quod volent, nos Romano-Catholici, cum Abrahamo facilimè abigimus has muſcas ab immaculato ſacrificio : dum Geneſis 15. c. v. 11. vir pius Deo ſacrificaret: *Deſcenderunt volucres ſuper cadavera, & abigebat eas Abraham.* Non cadavera hircorum, vitulorum, taurorum, aliorumque animalium nos offerimus Deo , ſed immaculatum Agnum, ut S. Andreas Apoſtolus loquitur. Auditis Acatholici, quem nomino ? Sanctum Andream nomino : Equidem exiſtimo credere vos, nec revocare in dubium, quod fuerit Apoſtolus, ſaltem feſtum ejus etiam hic Wormatiæ colitis: hic verò cum juberetur Diis immolare, reſpondit tyranno ; *Ego omnipotenti DEO, qui unus & verus eſt , immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem , ſed immaculatum Agnum in altari.* Advertitis hæc verba? ergo jam tempore Apoſtolorum fuerunt altaria, fuit immolatio, in qua eſſentia ſacrificii conſiſtit; verbo fuit in Eccleſia primitiva ſacrificium miſſæ, & oblatio Agni immaculati: ſuper hanc Agnum, ſuper mundiſſimas carnes , ſuper divinum ſanguinem in Euchariſtia, quàm turpes deſcendunt volucres , quam impudentes muſcæ, quàm immundæ aves? ſed fides Catholica abigit hæc monſtra , facillimè abiguntur clariſſimis verbis S. Scripturæ de ſacrificio Deo im-

§ 3. Nos Romano-Catholici, cū S. Adrea Apoſtolo illud veneramur.

immolando uſque in conſummationem ſæculi: Abiguntur pulcherrimis elogiis primorum ſanctorum Patrum: Abiguntur fortiſſimis rationibus, quæ convincunt in Eccleſia Chriſti, debere eſſe verum aliquod ſacrificium, quod Deo in cognitionem ſupremi dominii, & alios oblationum fines offerimus. Non lex naturæ, non lex Moyſis, nulla unquam religio fuit ſine ſacrificio, & cur obſecro lex ſanctiſſima & vera CHRISTI Eccleſia ſine illo conſiſteret. Sed apage cum iſtis muſcis, aggredior meam materiam, quid ſit auguſtiſſimum miſſæ myſterium, de quo fides noſtra aſſerit, eſſe verum ac reale ſacrificium, in quo Chriſti D. Corpus & ſanguis conſecrantur, & Deo incruento modo immolantur. Hoc ſacrificium ab ipſo Chriſto in ultima cœna, quo ad ſubſtantiam fuit inſtitutum, & poſtridie in ara Crucis cruento modo pro noſtra redemptione oblatum; quod deinde Apoſtoli, præſertim S. Petrus & S. Jacobus, aliique viri Apoſtolici, Sanctiſſimi Epiſcopi, atque Eccleſiæ Doctores, illis cæremoniis, quibus hodie utimur, exornarunt.

§. 4. *Quia eſt oblatio ejuſdem ſacrificii quod oblatum fuit in Cruce. Quod declaratur ex S. Chryſoſtomo.*

Eſt vero idem ſacrificium miſſæ, Dominicæ Paſſionis, & peracti cruenti ſacrificii in Cruce, ſancta quædam & viva repræſentatio, atque ſimul ejuſdem incruenta & ſæpe iterata, oblatio. De quo breviter ſed ſubtiliter dixit D. Chryſoſtomus ſerm. de Euchariſtia. *Agnus Dei pro te immolatur, ſanguis ſpiritualis ex menſa refluit, ſanguis in cratere* (ſive in calice) *in tuam purificationem, ex immaculato latere hauſtus eſt.* Talis tamque accurata eſt ſympathia, talis tantaq; propinquitas ſacrificii miſſæ cum Paſſione Dominica: hoc ſolùm, ut ante inſinuavi; diſcrimine, ut quod olim cruento modo contigit, hic incruento paragatur. Utrobique offertur immaculatus Deo Agnellus, utrobique pretioſa Chriſti caro immolatur, utrobiq; diviniſſimus ſanguis ad ſalutẽ ad vitã, ad ſanitatem noſtrã effunditur. Quiſquis igitur amator es Cruc. Chriſti, quiſquis myſteria Dominicæ Paſſionis pio affectu recolere gaudes, quiſquis ex aſpectu Crucifixi Jeſu bene afficeris, erga hoc pariter miſſæ ſacrificium, optimè ſis affectus, neceſſe eſt: Quidquid enim in monte Calvariæ, viſibiliter & cum actuali reali effuſione ſanguinis ex tot Vulneribus peractum fuit, id quotidie inviſibiliter & ſacramentaliter peragitur in miſſa. Chriſtus velut Agnus fuit immolatus, cum Cruci fuit affixus clavis, cùm in cruce ſanguinem fudit, qui à Corpore & Carne Chriſti realiter fuit ſeparatus & ſejunctus. Quod clavi fecerunt viſibiliter & cruentè, hoc faciunt incruentè verba conſecrationis, & hoc ſenſu ex mente Sancti Chryſoſtomi, *Sanguis Chriſti ex altari refluit*, id eſt, ſanguis in Cruce fluxit ex manibus & pedibus; iterum fluit in calice, in miſſa.

§. 5. *Et ex S. Gregorio, & S. Caſario Archiepiſcopo Arelatenſi.*

Eodem ferè modo de hoc myſterio locutus fuit S. Gregorius homilia 33. in Evang. *Is qui in ſe reſurgens à mortuis jam non moritur: adhuc per hanc Hoſtiam in ſuo myſterio pro nobis iterum patitur; nam quoties ei Hoſtiam ſuæ Paſſionis offerimus, toties*

nobis ad abſolutionem noſtram, *Paſſionem illius reparamus*. Pulchrè dictum, Sacrificium miſſæ eſt reparatio, vel repetitio Paſſionis: non ad tormentum Chriſti, ſed gaudium; non in contemptum, ſed honorem; non ad ignominiam, ſed gloriam, non ad crudelitatem, ſed conſolationem. Eadem eloquentia diſcurrit S. Cæſarius Arelatæ Archepiſcopus; *Quia Corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis noſtris, & ſideribus illaturus, neceſſarium erat, ut nobis in hac die, Sacramentum Corporis & ſanguinis conſecraret: ut celebretur jugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium. Ut quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio; perpetua etiam eſſet Redemptionis oblatio, & perennis victima viveret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia. Verè unica & perfecta hoſtia, fide æſtimanda, non ſpecie, non exteriori cenſenda viſu, ſed interiori aſpectu.*

§. 6. *Expenduntur verba S. Cæſarii.* Antequam ad alia accedam, aliquibus verbis hujus ſanctiſſimi Doctoris tenacius inſiſto. 1. Semel realiter in pretium pro nobis cœleſti Patri oblatum eſt ſacrificium Crucis, ſacrificium Agni, ſacrificium Corporis & ſanguinis Chriſti: ſed jugiter celebratur per myſterium, & nunquid par eſt, ut qui ſcit, pro ſe illud ſacrificium fuiſſe oblatum in redemptionem, ut dum quotidie repetitur, illi interſit. Non dubito, ſi hactenus non fuiſſemus redempti, ſi ſanguis Filii DEI necdum pro nobis eſſet effuſus, & diceretur, Craſtina die illud fiet, cras Salvator mundi crucifigetur: non dubito, omnes accurremus ad illud ſpectaculum; undique & undique ad feralem locum accurrerent populi. Si nobis diceretur. Jam pronuntiata eſt in Jeſum mortis ſententia, jam trabe crucis oneratus incedit, quid ageres obſecro? an non cum aliis illicò advolares? an non velles hujus eſſe ſpectator myſterii? an non ſuffixum in Cruce Redemptorem tuum piis oculis ſuſpicere deſiderares? an non optares Luc. 7. 46. cum Magdalena arctiſſimo complexu conſtringere ſacratiſſimos ejus pedes? ita ſanè mihi de tuo in Chriſtum amore, planiſſimè perſuaſum habeo. Nunc itaque age hoc; quotidie datur cernendi hujus myſterii occaſio, age, ſacro miſſæ officio interſis quotidie; cernes hic ſacrificium amoris, cernes hic Dominicæ Paſſionis mnemoſynem, intueberis fidei oculis ſub Hoſtiâ latentem Victimam Deum. In miſſa quotidie Domini Paſſio, tua redemptio repetitur.

2. Placent mihi quoque illa verba Cæſarii, *Quotidiana & indefeſſa pro nobis currit Redemptio*: id eſt, ſanguis Chriſti v. g. in Cruce aliquando oblatus profuit illis, qui tum vivebant; nobis in miſſa prodeſt quotidie; ſine illo ſalvi eſſe non poſſumus: omnes gratiæ, quæ quotidie nobis conferuntur, conferuntur ex merito effuſi & oblati aliquando ſanguinis Chriſti; nunquid par eſt, ut hæc ſalutaris victima jugiter in noſtra vivat memoria? Omnino, at ut viveret, Chriſtus Dominus hoc juge in ſua Eccleſia ſacrificium inſtituit. 3. adverto ex verbis Sancti Cæſarii, gratiſſimum eſſe Deo & Chriſto Salvatori noſtro, ut no- §. 7. *Proſecutio.*

noſtra redemptio & tantum beneficium nobis ſemper ſit præſens; itaque ne illud ex mente excidat, quotidie celebratur miſſa, quæ eſt Redemptionis repetitio, & piiſſima comemoratio. En cauſam, ob quam præcipuè à vobis hodie petam, ut quotidie Miſſæ ſacrificio intereſſe ſtudeatis: cupio, ut ſitis pręſẽtes repetitioni paſſionis, ſive ut dimidiatæ horæ ſpatio memores ſitis illius beneficii, illius caritatis, qua Filius Dei in Cruce pro nobis mori nõ dubitavit. Obſervate denique 4. Fide hæc eſſe æſtimanda, non ſpecie, nõ exteriore cenſenda viſu, ſed interiori aſpectu; quaſi coram cerneremus CHRISTUM Dominum ſpoliari veſtibus, renovari Vulnera, affigi cruci, defluere ſanguinẽ, &c. & quomodo per exiguũ tempus de die, noſtras animæ potentias pretioſius & utilius impendere poſſumus?

§. 8. *Per auditionem miſſæ peculiari modo nobis applicantur merita Paſſionis.*

Inhæreo diutius piiſſimo diſcurſui S. Cæſarii, ſed ejus elegantia, guſtuſque, quem inde percepi, fuit in cauſa. Hanc unicã maximam ego hac concione Auditorum meorum animis altiſſimè cupio imprimere, ut viva fide comprehendant, illud ſacrificium, quod in cruce peractum eſt, fuſo ſanguine, viſibiliter, realiter, ſed ſemel tantum, quia ſemel plus ſatis erat; idem ipſum in altari, peragi quotidie, ſine ſanguinis effuſione & inviſibiliter. In cruce fuit ſacrificium Oblationis, redemptionis, ſatisfactionis, ac debitæ exſolutionis, in miſſa quotidie eſt ſacrificium applicationis & commemorationis, quo pretium & efficacia iſtius, cuique hominum peculiariter applicatur. Poteſt idẽ fieri, per actus fidei, ſpei, caritatis, aliarũque virtutum: poteſt fieri per ferventes preces & orationes, per piam Paſſionis meditationem, ſed modo peculiari & efficaci id fit per auditionem Miſſæ, in qua Paſſio Chriſti repetitur.

§. 9. *Et præſertim pretioſi ſanguinis Chriſti D.*

Ardenter amãtium Chriſtum Dominum ardens ſolet eſſe deſiderium, ut ſibi applicent meritum pretioſiſſimi ſanguinis à Chriſto Domino effuſi; præſertim illius qui ex Sanctiſſimis Vulneribus pedum & Manuum, atque lateris effluxit. Viſibiliter, cruentè ſemel Chriſtus Dominus ſuum cruorem effudit; cui ſpectaculo nos intereſſe non potuimus, ſed inviſibiliter in miſſa quotidie hæc effuſio repetitur; inviſibiliter iterum vulnerantur manus, fodiuntur pedes, aperitur latus & cor Chriſti, inviſibiliter refluit ſanguis: infinitum ejus meritum nobis applicare poſſumus per ardentia ſuſpiria, per intenſos contritionis actus, per preces jaculatorias, per flagrans Sanctiſſimæ Euchariſtiæ percipiendæ deſiderium, ſive, ſpiritualem Communionem, ſed præcipuè, & efficaciter per auditionem Miſſæ, per verba conſecrationis, ſacerdos quaſi haurit Divinum ſanguinem ex benedicto corde Chriſti, ut refluat, in tuam purificationem, emundationem ab omnibus peccatis, & ſanctificationem: Si volumus, quotidie modo ſingulari, cum magna devotione ex his fontibus Salvatoris haurire poſſumus aquas ſalutis & vitæ æternæ.

Digitized by Google

§. 10. *Ritus & Caremonia miſſa, ſunt viva repræſentatio Paſſ.*

Cum hoc ſacrificium ſit ſpiritualis quædam repetitio aut repræſentatio Paſſionis, illis peragitur ritibus & cæremoniis, quæ vivam ejuſdem memoriam in nobis excitant, præſertim in ſacerdote, ut ex ſuo veſtitu, & variis actionibus in ſe Chriſtũ patientẽ exprimat. Nonnulla breviter oculis veſtris propono. Amictus ſive linteum, quod ſacerdos ad altare acceſſurus capiti imponit, ſignificat velum, quo in nocturno carcere in domo Caiphæ tecta fuit ſanctiſſima ejus facies, ut liberius & audacius poſſent illam cædere & conſpuere. Veſtis alba & longa è lino, eam refert, qua indutũ Herodes tanquam ſtultum remiſit ad Pilatum. Cingulum quo veſtis illa aſtringitur, amictus in ſiniſtro brachio, ſtola circumducta collo, & in modũ crucis ante pectus decuſſata, varia denotant vincula, quibus in paſſione variè ligatus fuit Salvator. Corona in capite ſacerdotis ſpineam coronam, Caſula, veſtem coccineam. Altare, montem Calvariæ, Mappæ & corporalia, ut vocant, ſudaria & lintea, quibus Chriſti corpus, poſt mortem de cruce depoſitũ, involutum fuit. Quot cruces ſuper Hoſtiam & Calicem formantur, tot dolorum & tormentorũ Chriſti indicia exprimuntur. Quando ſacra Hoſtia in altum tollitur, Chriſtum D. memineris tua cauſa in cruce elevatum: in elevatione Calicis, eſto memor ſanguinis, qui de cruce defluxit, ſed ſimilia potius pertinent ad Catechesim, quã Cathedram; hoc puto me hac Concione ſufficienter demõſtraſſe, ſacrificiũ miſſæ eſt illud idem, quod Filius Dei obtulit in Cruce, & vivam quandam repræſentationem & commemorationem noſtræ Redemptionis, peractæ per ſacrificium Crucis. Unde fit, ut memoria, fides, & gratitudo noſtra erga redemptorem quotidie excitetur, confirmeturque juxta præceptum Chriſti Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem:* faciunt id ſacerdotes, per realem conſecrationem; laici per miſſæ auditionem.

§. 11. *Elogia & exclamationes SS. Patrum de excellentia miſſæ.*

Si hæc credimus, haud dubiè exclamabimus cum S. Chryſoſtomo: *O ſacrificium terribile & plenum horroris!* Cum S. Auguſt. *O ſupremum & veriſſimum ſacrificium!* Cum S. Dion. Areop. *O myſterium cæleſte, auguſtum & ſacratiſſimum!* cum Malachia: *O oblationem mundam*, cum aliis SS. PP. *O ſtupendum & DEO acceptabile ſacrificium, in quo non Agnus Abelis, non fructus Caini, non aries Abrahami, non animalia Noë, nõ incenſum Moyſis, non victima Aaronis, non aqua Davidis, non hoſtia Salomonis, non panis & vinum Melchiſedech, non argentum Judæ Machabæi, non theſauri Regum, ſed Corpus & Sanguis Chriſti offertur.* O Jeſu! per eam, quâ nos in ſancta cruce complexus es caritatem, mihi obſecro, meiſque auditoribus eam concede gratiam, ut nullo unquam die, hoc ſacrificium amoris, hoc myſteriũ caritatis, hoc memoriale pacis noſtræ, uſque in vitæ noſtræ ultimum finem negligamus. Reſtant longè plura de auguſtiſſimo hoc myſterio, quæ Deo volente, hodie poſt octiduum meis Auditoribus proponam; modò clepſydra effluxit.

CON-

Digitized by Google

CONCIO XXXVI.

DOMINICA VII. POST SS. TRINIT.

Miſereor ſuper turbam, Marci 8. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MIſſa, prætерquam quod ſit repræſentatio & commemoratio Paſſionis & ſacrificii crucis, eſt etiam Holocauſtum, ſacrificium Euchariſticum, Imperatorium, ſatisfactorium. Conglobantur variæ cauſæ, quæ movere nos debent ad quotidianam auditionem Miſſæ.

§. 1. *Symbola regiarum Virtutum.*
§. 2. *Brevis repetitio Concionis prioris.*
§. 3. *Agni Paſchalis immolatio fuit figura ſacrificii Miſſæ.*
§. 4 *Sacrificium miſſæ eſt Oblatio pura, ſancta, Deo accepta.*
§. 5. *Sacrificium miſſæ eſt perfectiſſimum Holocauſtum & Oblatio Euchariſtica.*
§. 6. *Miſſa eſt ſacrificium ſatisfactorium & imperatorium.*
§. 7. *Figura fuit ſacrificium Noe, poſt diluvium.*
§. 8. *Et arcus poſitus in nubibus.*
§. 9. *Varia elogia Sacrificii Miſſæ.*
§. 10. *Proſecutio.*
§. 11. *Laudantur illi, qui quotidie audiunt ſacrum.*
§. 12. *Conglobatæ rationes, ob quas quotidie debemus intereſſe ſacrificio Miſſæ.*
§ 13. *Aliæ rationes.*

§. 1. *Symbola regiarum virtutū.*

MOris eſt ut Reges & Principes eligant picturas & inſcriptiones, quibus regias virtutes, præcipuè amorem erga ſuos ſubditos, declarare, & omnium oculis, veluti in ſpeculis proponere gaudent. Sic Alphonſus X. Rex Caſtellæ, elegit Pelicanum, ſuo ſanguine paſcentem pullos, cum hoc lemmate, *Pro grege.* Talis Pelicanns debet eſſe Rex in regno, ut paratus ſit pro ſubditorū incolumitate & defenſione, fundere ſanguinem, ſi neceſſitas id exigat. Ita Petrus II. Rex Aragoniæ pingi juſſit aquilam expanſis alis, protegentem pullos, cum inſcriptione, *Sub umbra alarum tuarum.* Tales aquilæ deberent eſſe Principes, ut explicent alas, alteram potentiæ, clementiæ alteram, ut ſubdi-

ut ſubditi ſub umbra harum virtutum foveantur & protegantur. Carolus IX. Rex Galliarum pingi juſſit duas dexteras, tenentes cornu copiæ, adjectis his voculis, *Pax eſt felicitas temporum.* Debent nimirum Principes eſſe amantes pacis in bonum ſubditorum. Symbolum Ferdinandi III. auguſtiſſimi Imperatoris fuit ara cum igne & libra, cum hoc lemmate, *Pietate & Juſtitia*, cum his duabus virtutibus regna & imperia feliciter adminiſtrentur. Multa hujuſmodi hieroglyphica videri poſſunt apud Symbolicos. *Vivat Rex Regum, vivat bonus Jeſus!* Agite pictores, ejus honori & amori pingite Agnum, ex cujus gutture & pectore in aureum calicem roſeus fluit ſanguis; qualem vidit Sanctus Joannes in Apocalypſi. Epigraphen ego addam ex hodierno Evangelio, *Miſereor ſuper turbam.* Ante me vocula miſericordiæ, dum DEUM laudare voluit, uſus fuit regius Pſaltes Pſal. 118. verſ. 64. *Miſericordia Domini plena eſt omnis terra.* Pſalm. 58. v. 11. *Magnificata eſt uſque ad cœlos miſericordia tua.* Proinde ac ſi diceret: magna quidem alia Dei ſunt attributa, imò ex rigore Theologico, maxima ſunt omnia, quia divina, & nullum altero majus, reſpectu tamen noſtræ imbecillitatis & miſeriæ, magnificata eſt uſque ad cœlos miſericordia ejus: magna ejus Juſtitia, magna potentia, magna fortitudo, ſed magnificata uſque ad cœlos miſericordia. Adverto vos diſpoſitos, ut affectuoſa de ſuaviſſima hac virtute cum guſtu audiatis; ſed ſanguineus Agnellus, cujus mentionem feci, me memorem reddit, tremendi & auguſtiſſimi ſacrificii, in quo quotidie in altari à Sacerdotibus rurſum offertur & immolatur: in cujus inſtitutione Chriſtus D. liberaliſſimam ſuam miſericordiã clariſſimè manifeſtavit. Itaque ut promiſi, ſacrificii miſſæ dignitatem & excellentiam pluribus demonſtrabo. Veſtrum erit, pro ea qua erga tam tremendum myſterium affecti eſtis, reverentia, proque eo quo flagratis in Deum Jeſum veſtrum amore mihi tantiſper attentas aures, mentesque benevolas accommodare. §. 2.

Brevis repetitio Concionis prioris.

Ante octiduum dixi, articulum fidei noſtri eſſe, Miſſam, quoad ſuam eſſentiam, nil aliud eſſe, quàm ſacrificium, quod Filius DEI cœleſti Patri ſemel cruento modo obtulit in ara crucis, & offert adhuc quotidie, modo incruento, veluti primarius & ſummus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, per manus Sacerdotis conſecrantis Corpus & Sanguinem Domini: O tremenda myſteria! momento, quo in miſſa Sacerdos pronuntiat verba conſecrationis; *Hoc eſt corpus meum.* Chriſtus D. deſcendit de cœlis & loco ſubſtantiæ Panis, quæ deſtruitur, ſiſtit ſe præſentem, cum Corpore, Sanguine, Anima, Divinitate, & adeſt realiter ſub accidentibus panis, ut hoc modo tanquam vera hoſtia ac victima cœleſti Patri offeratur: idem dicendum de ſacro calice, nimirum eo ipſo, quo conſecrationis formulam Sacerdos edicit, momento, dum pronuntiat, hic eſt calix Sanguinis mei; ecce tibi ſub ſpeciebus vini,

Digitized by Google

ſacratiſſimus Chriſti cruor ſiſtitur. O ineffabile myſterium! O ſacrificium verè divinum! quod in Eccleſia uſque ad conſummationem ſæculi permanebit.

§. 3. *Agni Paſchalis immolatio fuit figura ſacrificii Miſſæ.* Cui rei figura fuit Agnus Paſchalis Exodi 12. Nocte illa qua Hebræi exierunt ex Ægypto, obtulerunt Deo Agnum, in memoriam iſtius exitus, manſitque lex perpetua offerendi ſingulis annis ſimilem agnum, in gratam memoriam tanti beneficii. Ita nocte Paſſionis Chriſti D. in qua à ſervitute dæmonis, peccati & mortis fuimus liberati, obtulit idem Chriſtus D. Summus Pontifex & Sacerdos, in ſacrificium pro Agno immaculato, ſe ipſum, corpus & ſanguinem ſuum, in memoriam tam glorioſæ liberationis. Altera die, cruentè idem Sacrificium repetiit in cruce, ſed in prima inſtitutione, ſimul ſtatuit illud deinceps perpetuò offerendum, quàm diu durabit lex gratiæ. Imò hoc præcepit Apoſtolis ſuis, cum illos fecit Sacerdotes, *Hoc facite in meam commemorationem*, quaſi diceret: Mei Apoſtoli, non tantùm ego modo conſecravi, non ego tantùm me obtuli, ſed facultatem & poteſtatem do vobis, ad idem faciendum, quod me feciſſe videtis: accipite in manus veſtras triticeum panem, & calicem cum vino, dicite: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei*, Matth. 26. v. 28. Corpus & Sanguinem meum offerte Deo, in memoriam mei, quà ſum Deus, ut illum honorem mihi exhibeatis, qui Majeſtati meæ debetur; In memoriam mei, quà ſum homo, ut ſitis memores tormentorum, quæ pertuli, ut vos redimerem, effundendo ſanguinem meum in remiſſionem peccatorum.

§. 4. *Sacrificiũ Miſſæ eſt oblatio pura, ſancta, Deo accepta.* Ex his certiſſimis fundamentis, Catholicorum opinio & doctrina de hoc ſacrificio eſt, offerri in illo Deo oblationem quandam, & victimam, tam puram & ſanctam, & Deo gratam ob odorem ſuavitatis, ut purior, ſanctior, gratior offerri non poſſit: eſt enim oblatio hæc ipſemet Chriſtus, verus Deus & Homo; in cruce oblatus in corpore mortali & patibili, quale tunc habebat, hodie in corpore glorioſo, impaſſibili & immortali, quale habet in cœlis, ſedens ad dexteram Patris. Utroque verò modo oblatio hæc eſt excellentiæ & dignitatis infinitæ. In cruce Chriſtus D. fuit ſacrificium, ſive victima Agni immaculati, quia per clavos & vulnera, ſanguis fuit ſeparatus à carne & corpore, idem fit in miſſa ſpiritualiter per verba conſecrationis. In cruce ſe ſacrificavit, quatenus ſponte ad mortem ſubeundam ſe obtulit, & eam ſuſtinuit, executores fuerunt carnifices & lictores, in miſſa verò, quando ſe offert repræſentando ſuam mortem, id facit affectu quodam adeo incenſo, ut ſi opus eſſet, iterum obiret eandem mortem, pro gloria & honore Patris noſtraque ſalute, & hoc quotidie, omni loco, ut quemadmodum in Apoc. c. 13. v. 8. appellatur *Agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi*, nam ut ait S. Thomas, in antiquis ſacrificiis quæ futuræ ejus mortis erant figura, ſacrificabatur; ita licet eum vocare Agnum occiſum uſq; ad conſumationem ſæculi; nam in ſacrificio

miſſæ omni tempore dies & noctes iterum imolatur & ſacrificatur. Agnus hic Apoc. ita depingi ſolet, ut ex gutture & pectore in calicē emittat ſanguinem, ut memores ſimus Chriſtum D. ſummum Sacerdotem ita in miſſa repræſentari ſanguinem, quem effudit, ut paratus ſit eundem offerre iterum. Repræſentat, Agnus hic Chriſtum in Oliveti horto, ſanguineo cruore madidum. O myſterium admirandum! idem omninò Agnus, idem qui inter arbores frondesq; Oliveti ſuo ſemet Patri obtulit, hodie per manus Sacerdotis Patri ſuo cœleſti offertur. Repræſentat v.g. ſanguinem, qui ante crucifixionem ex violenta veſtium detractione copioſè profuſus terram irrigavit. O myſterium amore dignum! hodie in miſſæ ſacrificio idem ſanguis incruento tamen modo in ſalutem animarum noſtrarum Deo Patri tanquam lytrum exhibetur. Quid dicam de ipſa ſancta cruce? quid de apertione ſanctiſſimi lateris? quid de omni illo cruore, qui ex Chriſti vulneribus ſeu fontibus promanavit? idem, idem, hodie dum in miſſæ ſacrificio contingit, ſed citra omne peccatum, imò cum virtutis laude, cum honore Dei ampliſſimo, cum gratia noſtra, gloriaq; æterna.

§. 5. *Sacrificiū Miſſæ eſt perfectiſſimum Holocauſtū, & oblatio Euchariſt.*

Ulterius itaque ex hoc fundamento & titulo infinitæ dignitatis, ſequitur ſacrificium Miſſæ eſſe quotidianum holocauſtum perfectiſſimum, quo Deo tanquam ſupremo Domino deferimus ſummum honorem, & cultum poſſibilem, cum hoc ſacrificium infinitæ Dei excellentiæ & dignitati perfectiſſimo modo æquiparatur: nam ſummus Sacerdos, qui illud offert, & per illud Deum laudat, & ipſe Deus eſt, Deus in humanitate laudat ſanctiſſimam Trinitatem. Et quemadmodum æterno Patri, nihil poteſt eſſe gratius; quàm Perſona Unigeniti Filii ſui, de quo ait Matth. 3. v. 17. *In ipſo mihi complacui.* Ita non poteſt eſſe ſacrificium laudis & honoris, excellentius, dignius, & ei gratius, quàm illud ſacrificium, in quo ille Filius per manus Sacerdotis, ſe ipſum Patri ſuo offert in holocauſtum: Deinde ob eaſdem cauſas, miſſa eſt ſacrificium Euchariſticum, ſive gratiarum actionis, cùm infinita quadam efficacitate ex parte objecti, ad agendas Deo gratias pro omnibus beneficiis: cum David in Spiritu prævideret, hoc noſtrum ſacrificium, quæſivit Pſal. 115. v. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* & reſpondit, *Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini invocabo*, per quam oblationem tantum Deo reddimus, quantum ipſe nobis dedit. *Hoc* (inquit S. Auguſtinus) *eſt ſacrificium laudis, quo Deum honorificamus & gratias agimus, & quibus rebus majores reddere poſſumus, quàm Chriſtum Dominum noſtrum in miſſæ ſacrificio offerentes. Propterea*, ait Irænæus, *inſtituit Salvator noſter hoc ſacrificium, ut non eſſemus parci in agendis gratiis, & ingrati cenſeremur ei, qui tot nobis contulit beneficia.* Et S. Chryſoſt. *Pro ipſomet ſummo beneficio miſſæ & Euchariſtiæ agendæ ſunt gratiæ ejuſdem oblatione.*

Ulterius progreditur efficacia ſacrificii Miſſæ, nam obtinet à DEO no- §. 6. *Miſſa eſt ſacrificiū*

Impetratorium & ſatisfactorium.

nova dona & beneficia, quibus indigemus, & corporalia & ſpiritualia, temporalia & æterna. In miſſa enim non ſolùm illa petimus titulo miſericordiæ, & ſolius bonitatis, ſed offerimus etiam pretium, quod ipſe Chriſtus D. in paſſione fuit promeritus, qui reſpectu etiam noſtri eſt titulus quidam juſtitiæ. Munera & dona rapiunt corda; quomodo cor Patris miſericordiarum non rapiet donum adeò pretioſum, oblatio Corporis & ſanguinis filii ſui: neque nos ſoli in miſſæ celebratione, vel auditione petimus gratias neceſſarias, ſed Chriſtus ipſe nobiſcum, & pro nobis interpellat apud Patrem, tanquam Advocatus & ſummus Pontifex; licet enim modo ad dexteram Patris, in gloria ſua, non ſit in illo ſtatu, ut poſſit mereri; orare tamen poteſt pro nobis. Integro trihorio, quo pependit in cruce, ardentiſſimas ad Patrem pro genere humano fudit preces, offerendo ſimul cruentum ſacrificium ſui Corporis & Sanguinis, in miſſa, poſt verba conſecrationis incruento, ſed peculiari modo, pro nobis Patri offert ſua vulnera, & ſic oranti Filio, quid negabit Pater miſericordiarum? Omni tempore petite, quærite, pulſate ad portas divinæ liberalitatis, ſed præſertim ſub ſacrificio miſſæ; tum cum offertur Deo pretioſa illa victima, *petite, & accipietis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis*. Sanguis Chriſti in Euchariſtia Deo offerri non poteſt, quin clamet & impetret miſericordiam. Ob eandem cauſam, ob excellentiam & dignitatem ſacrificii miſſæ, eſt quoq; ſacrificium propitiatorium pro peccatis, utpote in quo infinitæ Chriſti ſatisfactiones, & paſſionis merita peculiari modo nobis applicantur. Sanguis Chriſti in miſſa oblatus eſt infiniti pretii, quo pro culpis noſtris ſatisfacere poſſumus.

§. 7. Figura fuit ſacrificium Noë poſt diluvium

Figuram habemus Geneſis cap. 8. v. 20. Ceſſante diluvio *Noë ædificavit altare Domino, & obtulit holocuſta*, ut Deo liberatori ageret gratias, debitumque illi cultum exhiberet, & odor ſuavitatis illius ſacrificii adeò placuit Deo, ut poſita irâ juraverit, ſe nunquam ultra percuſſurum diluvio omnem carnem viventem, in cujus fœderis ſignum poſuit arcum in nubibus cœli. Ita poſtquam Chriſtus D. ſua paſſione & morte, impoſuit finem peccatis, quæ mundum ſubmergebant, voluit deinde in Eccleſia ſua eſſe quoddã altare perpetuum, in quo miſſæ ſacrificium Deo offertur, quod ſuaviſſimis cœlum odoribus implet, eſt ſiquidem immaculatum, eſt omnis expers nævi, eſt thymiamate piiſſimarum precum conditum, eſt ipſe Agnus ſine macula, qui præter Humanitatis ſuæ ſuavitatem, divinitatis etiam odorem diffundit: eſt divina Caro, quæ non poteſt non præ omnibus victimis Deo eſſe gratiſſima? adeoque Divinæ Juſtitiæ fulmina plurimùm avertit, pœnas impedit, iram lenit, tollit ſupplicia.

§. 8. Et arcus poſitus in nubibus.

In teſtimonium Arcus cœli ſpecioſiſſimus, Unigenitus Dei Filii ſe ſemper & æternùm repræſentat æterno Patri ſuo in cœlo empyreo, cum infinita pulchritudine coloris roſei ſui ſanguinis, arcus quoque cœli pul-

Digitized by Google

pulcherrimi ſunt ſanctiſſima Vulnera in manibus, pedibus & benedicto corde, ex quibus ſuper nos fluunt aquæ gratiarum. Animæ piæ, cum in ſacro videtis elevari hoſtiam; hæc vos ſubeat cogitatio, hic vos affectus ſuaviſſimè detineat, nimirum multicolorem & ſpecioſiſſimam vos ſpectare Iridem; iridem inquam, pacis ſymbolum, iridem miſericordiæ; iridem, certiſſimum ſignum amoris.

§. 9. *Varia elogia ſacrificii Miſſæ. Pater Ludovicus à Ponte.*

O ſacrificium altiſſimum, & myſterium diviniſſimum! exclamat piiſſimus Pater Ludovicus à Ponte, *quomodo potero infinitas ejus excellentias ſufficienter referre?* Sane nullo alio ſacrificio honorificentius laudatur Deus, quam per altaris immaculatam Hoſtiam; quàm præcipuè ob Divinæ laudis exhibitionem complendam, Eccleſiæ ſuæ offerendam inſtituit Chriſtus Dom. qua nulla major, nulla utilior, nulla amabilior, nullaque oculis divinæ Majeſtatis eſt gratior. Offertur Patri, Nati aſſumpta Humanitas, ut interventione ipſius placetur: clamat idem Redemptor ad Patrem, Corporis ſui cicatrices oſtendens, quatenus ab æternis ſuppliciis ſua homines interpellatione cuſtodiat. Vides perſpicue, nullum acceptabilius Deo poſſe offerri ſacrificium, ad exſolvendum laudes, imò ad exhibendum gratias, ſeu ad impetrandam indulgentiam, vel ad gloriam promerendam, quàm Corporis & ſanguinis Chriſti Sacroſanctum myſterium. *In cujus oblationis hora* (S. Laur. Juſtin.) *aperiuntur cœli, mirantur Angeli, Sancti laudant, exultant juſti, captivi viſitantur, compediti ſolvuntur, infernus luget, ſancta in ſpiritu Mater lætatur Eccleſia.*

§. 10. *Proſecutio.*

Concilium Tridentinum aſſerit, per ſacrificium Miſſæ peculiariter nobis applicari virtutem Paſſionis, cum ejus meritis, ſatisfactionibus & orationibus; S. Greg. *Providens Dominus dedit nobis hoc ſacramentum ſalutis, ut quia nos quotidie peccamus, & ille jam mori non poteſt, per iſtud Sacramentum, peccatorum remiſſionem conſequamur.* Unde bene adverterunt aliqui interpretes, verba illa Chriſti D. Matth. 26. v. 28. *hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*, non tantum intelligenda eſſe; de effuſione ſanguinis, qui vel in circũciſione, vel in flagellatione, vel de Cruce in terram fuit effuſus, ſed etiam de illo, qui quotidie in ſacrificio miſſæ refluit & rurſum effunditur, dum per verba conſecrationis à Corpore Chriſti ſeparatur, in remiſſionem peccatorum. S. Auguſt. *Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Chriſtus ſemel paſſus ſit, quia quotidie peccamus peccatis, ſine quibus humana infirmitas vivere non poteſt.*

§. 11. *Laudantur illi, qui quotidie audiunt Sacrum.*

Vocula hæc S. Auguſtini, *Quotidie*, monet me, ut laudem illos, qui quotidie interſunt ſacrificio miſſæ: hoc enim dum faciunt, quotidie ſacram Chriſti Paſſionem, ejuſq; Crucem ac mortem devoto affectu proſequuntur: quotidie majorem faciant, ad eam, qua præditi ſunt, Dei gratiam, acceſſionem: quotidie ſuam erga patientem Jeſũ compaſſionem: mutuamque caritatem oſtendunt. Econtra verò non poſſum non eorum ſe-

Digitized by Google

ſegnitiem accuſare, qui quotidiè hujus ſe theſauri participes reddere negligunt; qui huic tanto, tamq; divino ſacrificio alia præponūt negotia, perinde acſi non eſſet hoc negotiorum omnium ſummum & potiſſimum.

§. 12. *Congloba-ta ratio-nes, ob quas quo-tidie de-beamus interesse ſacrificio Miſſæ.*

Quotidie, æquisſimum eſt, ut Deum adoremus, colamus, invocemus; ſed non eſt ſanctior modus illum adorandi, quàm auditio & oblatio Miſſæ. Exodi 29. v. 39. præcepit Deus offerri ſibi jugiter per ſingulos dies, duos agniculos, alterum veſpere, cum pane & vino; figura fuit Agni imaculati, ſive Corporis & ſanguinis Chriſti in ſacrificio miſſæ, quod jugiter per ſingulos dies, Deo deberemus offerre. *Quotidie*: quia beneficiorum, quæ in nos ſingulis quaſi momentis conferuntur, multa & magna eſt multitudo, quid rationi conformius, quid æquius, quàm ut debitas pro iiſdem grates quotidie ſummo Numini perſolvamus? Age verò quæ melior gratitudinis forma, normaq;, quam ſi immenſum illud Paſſionis Dominicæ beneficium grato animo recolas? atqui hoc nec ferventius, nec commodius fieri poterit, quàm cum ſacro miſſæ officio, quod eſt Paſſionis memoriale, reverenter asſiſtas. Quotidiè peccamus! Una miſſa Deo oblata plus ſolvit, quàm multa alia opera bona, propter ſatisfactionem Salvatoris, quæ in miſſa peculiariter nobis applicatur. Quotidie circumdamur innumeris periculis, tentationibus, &c. per auditionem miſſæ neceſſaria auxilia infallibiliter obtinemus: qui quotidie audiunt miſſam, ſunt ſub ſingulari cuſtodia Angelorū. A quotidiana auditione miſſæ pendet profect. in perfectione & ſanctitate, ob exercitium heroicarum virtutum, ſub miſſæ auditione. Exercetur fides circa myſterium difficillimum: ſpes, cum pignore certisſimo, Oratio cum fulcro ſacrificii, caritas accenſa, humilitas cum oblatione rei pretioſisſimæ. *Quotidie!* quis Filius non libenter ſemel de die videt ſuum Patrem? vel Aulicus ſuum Principem? vel æger Medicum? Quis diſcipulus ſui amans Magiſtri, non gaudet ejuſdem frui alloquio, vel ſemel de die ſuſpirat? quis mœſtus, nō quotidie ſi poteſt conſolatorē accedit? quis ſitibundus non quotidie anhelat ad fontem? quid igitur, mi homo, quid renuis, vel quid negligis quotidie unam ſaltē miſſam audire, in qua, tibi Filio patet acceſſus ad Patrem; in hac, tibi aulico ſupremi Regis, cum Domino tuo colloqui licet; in hac te infirmum cœleſtis Medicus inviſit; in hac te amātem diſcipulum ſuo conſpectu recreat benignus Magiſter, in hac te triſtem verus delectat Conſolator; in hac te ſitientem, fons aquæ ſalientis in vitā æternam, imò fons dulcisſimi ſanguinis Jeſu aſpergit, ac refocillat.

Quotidiè! quid facilius? non tauros, non vitulos &c. à nobis exigit Deus; non pretioſa thura & thymiamata; ſed ut SS. Hoſtiam, quam in Altari ſacerdos imolat, nos tenera devotione, & piis affectibus eandem DEO noſtro offeramus. Quotidie! Diabolus per ſe & ſuos aſſeclas, vellet funditus evertere & tollere hoc ſacrificium; an non igitur noſter in Chriſtum amor requirit, ut adverſus Chri- §. 13. *Aliæ rationes.*

Chriſti & Euchariſtiæ hoſtes nos opponamus conſtantes in fide, in amore ferventes, in audiendâ quotidie miſſa gnavi atque ſoliciti. Poſtquam Chriſtus D. Lucæ 19. ingreſſus fuit ædes Zachæi, dixit; Luc. 19. v. 9. *Hodie huic domui ſalus à Deo facta eſt:* ſuper quæ verba ait Pater Ludovicus à Ponte, hæc verba dici poſſe de illorum ædibus, qui quotidie interſunt ſacrificio miſſæ. Itane? Adeſte ergo miſeri conjuges, adeſte afflicti Patres, Matresque familias! quod vobis domi veſtræ unum ex alio infortunium ſubnaſcatur, quod una calamitas alteram excipiat, quod nulla benedictio, nulla pax, nulla voluptas, nullum verum ſolatium limina veſtra ſalutet, ſæpe neglectui, contemptuique, quotidie audiendi ſacri, adſcribendũ eſt: Quid mirum, quod ſalus veſtris domibus non fiat? auctorem ſalutis fugitis. Quid mirum, mœſtam vos, triſtemque vitam identidem agere? ad fontem conſolationum accedere negligitis. Ex quibus omnibus illud liquidiſſimè patet, quàm ſibi præclarè conſulant, & quantis non hominum duntaxat, ſed & Angelorum laudibus digni ſint ii, quibus quotidie, dum è ſomno vigiles ſurrexerunt, nil ita curæ, cordique eſt, quàm ut ante omnia ante quaſcunque occupationes, ad proximum ſe templum aut ſacellum conferant, in eoq; reverenter ſacrificio miſſæ interſint: cum devotione, cum reverentiâ, cum ferventibus precibus, cum crebris ad Crucifixum JESUM maximè circa elevationis tempus, ſuſpiriis; Pax Domini noſtri JESU Chriſti ſuper hos omnes!

CONCIO XXXVII.

DOMINICA VIII. POST SS. TRINIT.

Attendite à falſis Prophetis, Mat. 7. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PEr falſos Prophetas cum quibusdam Concionatoribus intelligo Politicos hujus ſæculi; quorum falſiſſimas aliquot maximas, exagitat hæc Concio.

§. 1. Via ad cœlum eſt arcta, periculoſa! monet nos Chriſtus D. ut ſimus ſoliciti, de bonis ductoribus.

§. 2. Falſiſſima doctrina eſt, Virtutem debere ſervire vitio.

§. 3. *Po-*

§. 3. Politici ſua vitia palliant veſte Virtutis: ut patet in Saul.

§. 4. Proſecutio.

§. 5. Idem fecit Achab.

§. 6. Fraudes, mendacia, doli, apud Politicos ſunt Prudentia, ſapientia. Primus artis hujus magiſter fuit diabolus in ſpecie ſerpentis.

§. 7. Politici ſunt inimici Veritatis.

§. 8. Tales Politici, decipiunt homines, ſed non DEUM.

§. 9. Politici ſunt ſimiles Actoribus in aliqua Comœdia.

§. 10. Deus permittit illos labi in graviſſima ſcelera. Exemplum habemus in Juda.

§. 11. A morte olim tollentur illis veſtes, & larvæ, ſub quibus ſua ſcelera occultarunt.

§. 1. Via ad cælum eſt arcta, periculoſa: monet nos Chriſtus D. ut ſimus ſoliciti de bonis ductoribus.

VErſu 13. Matth. 17. dixerat Chriſtus D. Salvator noſter: *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam: quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam:* his verbis mox ſubdit: *Attendite à falſis Prophetis.* Quærunt Interpretes, quænam inter hæc ſit cōnexio, vel quinam ſint illi falſi Prophetæ, quos Chriſtus D. vult caveri, in viâ ad cœlum. Placet mihi reſponſio S. Auguſtini, qui ait; *cùm ſcimus, periculoſam, dubiam, obſecram, lubricam & difficilem viam nobis eſſe ineundam; ſumus ſoliciti ut quæramus peritum ducem, qui nos ſine periculo & cautè deducat; nec fidere ſolemus cuivis comiti, ſed qualis ſit, & cujus ſit fidei, inquirimus:* itaque poſtquam Chriſtus D. mentionem fecit, tam arctæ & difficilis viæ, quam pauci inveniunt, inſinuat eſſe varios, qui ſe offerunt duces & comites, & hos vult examinari, quales ſint: vult ut attendamus à Prophetis, ſive doctoribus falſis; vocat Prophetas, quia horum officium, non tantum fuit, futura prædicere, ſed etiam ex lege Dei populum docere, inſtruere, & viam ſalutis illi oſtendere. Propter eandem cauſam ipſe Chriſtus, magnus Propheta, venit in hunc mundum, ad prædicandum Evangelium, ad ſeminandam novam doctrinam, ad publicandum novas leges, ad oſtendendam novam viam, & quidem arctam. Et quia bene ſcivit, diſplicituram multis ſuam doctrinam, tanquam nimis difficilem; quia ſcivit venturos Doctores, & ductores alios, cum aliâ doctrinâ ſuaviori, & ſenſualitati magis conformi, nos admonet, *Attendite, &c.* Scio Interpretes & SS. Patres ſuper hodiernum Evangelium per falſos prophetas plerumque intelligere hæreticos, prout ipſe ego in aliis Concionibus oſtendo; modò ſequar recentiores aliquos Concionatores, qui alios ductores & doctores exagitant, veſtitos lanâ molliſſimâ, ſed homines periculoſos, & vocantur *Politici.* De aliquot falſiſſimis Maximis horum Doctorum agam hac concione. A multis ſiquidem ſæculis exiſtimo diabolum non habuiſſe famulos, qui à viâ cœli plures Catholicos deduxerint ad perditionem; Proinde in illorum opor-

Digitized by Google

oportet venire cognitionem, ut eos caue pejus & angue fugiendos videamus. Quod ut facilius aſſequamini, mihi per horæ ſpatium de iis, ex ſacræ ſcripturæ ſanctorumque Patrum placitis diſcurrenti, tantiſper animis, auribusque attentis adeſte.

§. 2. *Falſiſſima doct. ina eſt Virtutē debere ſervire vitio.*

Falſiſſima Maxima Politicorum eſt Virtutes poſſe, imò debere frequenter ſervire Vitio: ſive, Intentionem malam, poſſe tegi & palliari veſte alicujus virtutis: expedire ſubinde v.g. externè & ſimulate eſſe pium, Catholicum, vel Acatholicum, Papiſtā vel Lutheranum, exteriori ſpecie, prout utilitas illud exigit. Proinde aureo Dicto, & Catholicæ Regulæ S. Auguſtini, lib. 5. de civit. DEI cap. 20. *Turpe eſſe, voluptati virtutis deſervire, ac humana gloria*, Politici Prophetæ ſive doctores & Magiſtri, addunt hanc gloſſam; Niſi ſit utile, niſi per hoc augeātur divitiæ, niſi hæc ſervitus viam ſternat ad majores dignitates, niſi hæc ſubmisſio ad hoc ſerviat, quis ſe vindicet de ſuo inimico, niſi talis ſimulatio, proſit Statui. Falſam hanc doctrinam, puto jam dudum à Majoribus noſtris fuiſſe adumbratam in picturâ vel imagine, in qua depinxerunt Voluptatem, in ſpecie formoſæ & comptæ fœminæ, veluti Reginæ, ſedentem in regio throno; quem tanquam famulæ cingunt, pulchro ordine variæ virtutes, Humilitas, Clementia, Liberalitas, Patientia, Affabilitas, &c. Belle! an non hodie in aulis Principum, in Curiis, in Judiciis, imò in privatis ædibus, videmus aulicos, conſiliarios, judices, patresfamilias, exteriori ſpecie plane demiſſos & humiles; intus verò in corde, veluti in ſolio ſedet Regina Arrogantia, ſuperbia, faſtus; quibus vitiis ficta & falſa humilitas cogitur inſervire. Putabis aliquem ex his Politicis eſſe clementem & liberalem; in ſolio cordis ſedet Avaritia, cupiditas habendi; turpiſſimo huic ſceleri ſervire cogitur falſa quædam & ementita liberalitas. In oculis, fronte, labiis, totoq; vultu horum Politicorum videtur ſedem fixiſſe quædam modeſtia, caritas & ſuavis affabilitas erga proximum, erga triſtes, miſeros & afflictos; ſed cor plenum eſt rancore, odio, deſiderio vindictæ: ut hæc ſit occultior, ſed eò acrior, exterior ſuavitas, in geſtu, & oculis, & verbis iræ ſervire cogitur. Lingua ſæpe ſtillat melle, pectus plenum eſt felle. Multi exterius videntur Catholici, interſunt divinis, templa Catholicorum frequentant, eorum conciones excipiunt, aſſiſtunt ſacrificio Miſſæ, quin etiam ſacra exomologeſi (utinam non ſacrilegè) & ſanctiſſ. ſynaxi ſe muniunt, jurares eos eſſe de medulla fidei Orthodoxæ: verum hæc omnia, eo ſolùm fine ab illis ſuſcipiuntur, ut ad dignitates promoveantur, quas ſine larva fidei Catholicæ non obtinerent, ut Principib. ſint gratioſi, ut ſibi proſint, aliis plus noceant. Ipſa Religio, qua nihil ſanctius atque ſacratius, vel ſimulata ſaltem ſanctitas vitiis ſervire cogitur, & certa his Politicis, his falſis Doctoribus & Prophetis eſt maxima: Hæc licere. Et, O pudor! hæc eſt illa doctrina, quæ hodie tam avidis auribus excipitur, laudatur,

Digitized by Google

datur, ad cujus normam & regulam, in aulis, in curiis, utinam non ſacris Collegiis, utinam non inter gentem ſacratam; plurimorum vita tam ſolicite conformatur: hæc, O dolor! eſt illa doctrina, quæ Principum & Nobilium teneris animis, tam ſuaviter inſtillatur. Quis cum Chriſto D. non exclamet: *Attendite à falſis prophetis*; cavete, ne veſtræ virtutes, ne opera veſtra bona ſerviant vitiis, ne intentiones veſtras malas, ne deſideria inordinata & illicita & quibus DEUS offenditur, pallio virtutum tegere & involvere conemini.

§. 3. *Politici ſua vitia palliant veſte virtutis, ut patet in Saul* Impius Saul in hac Politicorum ſchola jam olim fuit doctiſſimus diſcipulus. Valde illi placebant, poſſeſiones, agri, & bona Gabaonitarum, quæ habebant in tribu Benjamin, lib. 2. Reg. c. 21. v. 2. Sed cùm videret ſe illa occupare non poſſe ſine manifeſta tyrannide, & abſque concitatione magni odii erga regiam Perſonam; quid fecit? quid Politica ejus excogitavit? Induit Zelum Dei, & ex illo zelo divini honoris omnes occidit; quia cùm non eſſent de ſemine Iſraël, dicebat eſſe contra honorem & cultum Dei, ut ipſi viverent & habitarent inter electum populum: malè feciſſe Joſuë cap. 9. promittendo illis immunitatem; ſe eſſe modò Regem & Principem, cujus ſit illud inconveniens tollere, etiam medio crudeli, occidendo tot innocentes, ſed ut textus ait, *Zelo quaſi pro filiis Iſraël & Juda.* Sic vitium avaritiæ, quo intus erat infectus, ſimulata pietate, & ſub larva Zeli religionis, putavit poſſe deaurari & excuſari, & hac larva ſuam explevit cupiditatem.

Libro 1. Reg. c. 15. v. 5. eidem impiiſſimo & avariſſimo Regi ait Dominus: *Percute Amalec, & demolire univerſa ejus non parces ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid.* Diſplicuit avaro Regi, ut dixi, hoc præceptum Domini, præſertim cum avidi ejus oculi conſpexerunt tã pinguia ſpolia, ab hoſte reportata; & *pepercit optimis gregibus: inſuper accepit veſtes pretioſas, & univerſa quæ pulchra erant.* Ne autem videretur inobediens, ne pateret ejus avaritia, prætendit cultum divinum, *ut immolarentur Domino Deo*: ſic ſanctiſſimorum ſacrificiorum ſpecie, avaritiam voluit tegere, *quæ tamen, in corde imperabat*, ait Theodoretus, & *plura habendi, atque pecuniæ amor inſatiabilis, cui ſerviens tranſgreſſus eſt mandatum Dom. externa tamen ſacrificii appellatione, opum aviditatem coloravit*: *Religionem ſuæ inſervire avaritiæ*, Saul, ille Politicus! non putavit eſſe turpe vel illicitum: quia ipſemet ſervivit vitiis, voluit iiſdem inſervire virtutes: Nolo ego dicere, vos Auditores cariſſimi, id cogitate, & taciti vobiſcum perpendite, quænam hodie faciant Politici, ut augeant honores, ut opes accumulent, ut voluptatibus potiantur, quibus virtutum larvis ſuam malitiam tegant. Cogitate quæ fiant à magnis Status Miniſtris, ex illo Zelo ut ſerviant ſuis Dominis. §. 4. *Proſecutio.*

§. 5. *Idem fecit Achab.* Doctiſſimus quoque diſcipulus in Politicorum ſchola, fuit Achab Rex. Juſſerat occidi Naboth, ut poſſideret ejus vineam, l. 3. Reg. c. 21. v. 15. *Et factum eſt, ut audivit Achab, quod mortuus eſt Naboth conſcidit veſtimenta ſua, & cooperuit ſe cilicio.* Sic ſimulavit dolorem, ut tegeret, quam intulerat mortem? intus plenus rapacitate & dolo; foris apparere voluit innocens; intus leo, foris Agnus: dolore externo diſſimulavit interiorem lætitiam ex deprædatione, & cæde Naboth; *morem ſequens divitum,* ut inquit S. Ambroſius l. 1. de Naboth cap. 11. *qui iraſcuntur & calumniantur ut noceant, ſi non obtinent, quod deſideraverint, cum autem calumniati nocuerint, dolere ſe ſimulant, triſtes & tanquam mæſti, non corde, ſed vultu.* Fictè videntur mites & miſericordes; intus ſunt lupi rapaces. Et, ſecundum regulas & doctrinam Politicorum, in ſchola hujus mundi, ſive alicujus Machiavelli, hæc licita non tantùm ſunt, ſed diſſimulationes tales ſunt neceſſariæ. Palam multi fatentur, ſe aliter in aulis Principum, in obſequiis magnatum, inter tot falſos prophetas, vivere non poſſe; ululandum eſſe cum lupis, in vulpina pelle agendum eſſe cum Chriſto D. *Attendite*, à falſa & peſtilenti doctrina, cavete tales doctores, qui *ſedent in cathedra peſtilentiæ*, Pſalm. 1. v. 1.

§. 6. *Fraudes, mendacia doli, apud Politicos palliantur.* Quin eò uſque procedit falſitas hujus doctrinæ, ut diſſimulare malum, atque illud tegere larvis virtutum; foris eſſe pium & mitem, licet aliud in corde clauſum, alium ore promptum, ut tales diſſimulationes, hypocriſes, deceptiones, fraudes, duplicitates, doli; vocentur Ars, imò Prudentia, Sapientia, Induſtria; appellentur. Sic eſt, ſed ſecundum carnem, non ſpiritum, ſecundum ſapientiam hujus mundi, non Dei. Ars eſt hic modus agendi & loquendi, ſed cujus Auctor & inventor eſt diabolus: ut bene dixerit S. Bern. in ſer. de quadruplici debito. *Non timeo, vobis fratres à viribus Sathanæ, cum noverim fortitudinem ejus per Redemptoris noſtri vulnera traductam & deductam ad nihilum. A verſutiis & aſtutiis illius formido mihi eſt pro vobis, in quibus partim ſubtilitate naturæ, partim experientia temporum, ſub tot annorum millibus eruditus, fragilitatem naturæ, quaquà verſum ſe verterit, non ignorat: ſic ille infernalis homicida, primis parentibus noſtris, non urſos, non leones, non fortia terræ animalia delegavit, ſed tortuoſum & callidum ſerpentem, qui per ſinuoſa volumnia, nunc caput cauda, nunc caudã capite cõtegere conſuevit* Scimus quàm callidè & miſere deceperit Evam, ſermone, qualem hodie Politici laudent ſuis diſcipulis, ne unquam verum ſincerumque proferant ſermonem, ſed verſipellem, ad utramque partem flexibilem, qualem ſerpentis ad Evam pulcherrimè deſcribit Rupertus: *Sub eadem pollicitatione, cum dicitur*, Gen. 3. v. 5. aperientur oculi veſtri, *Eva ſapientiæ altitudinem, ſerpens cogitat conſcientiæ confuſionem: ſub eadem dictione, dum dicitur*, Et eritis ſicut Dii, *Eva rapere Dei celſitudinem, ſerpens, ſuimet ſimilem cogitat invenire damnationem: Sub eadem pollicitatione* *titulo Prudentia, ſapientia. Primus hujus artis Magiſter fuit diabolus in ſpecie ſerpentis.*

ſcien-

ſcientiæ boni & mali, Eva plenitudinem ſcientiæ, Sathanas cogitat experientiam miſeriæ moleſtiſſimam. Hoc fallaciæ genus eſt, in quo is qui decipit, & palmam obtinet mendacii, & gloriatur, quod verus ſit, verumque dixerit: qui autem decipitur, non habet unde inſultantem ſibi falſitatis arguere poſſit, quantumlibet ille ſit fallaciſſimus. Diſcurrite ſi placet, per aulas Principum, accedite curias, &c. & conſiderate, quot ſint genera, quot ſpecies, quot fallaciæ in loquela, quot in conſiliis fraudes, quæ vafrities, quæ doloſitas: perpendite quæ agantur duplici corde, unum demonſtrando externè, aliud internè; & invenietis Concionatores habere juſtiſſimas cauſas clamandi, *Attendite vobis* ab his hominibus, *à gente falſa*, Iſaiæ 10. v. 5. hoc eſt, ut inquit S. Hieronymus, *ſimulata, hypocrita.*

§. 7. *Politici ſunt inimici veritatis.*

Apud Græcos in more poſitum fuit, ſolenne juramentum ab Imperatoribus exquirere, quo aſſererent ſe remota fallacia ſemper veritatem dicturos. Reges Ægyptii de collo geſtabant Saphyrum, cui inſculpta hæc vocula, *Veritas.* Alia hodie eſt doctrina Politicorum, ſcilicet veritatem non facile nudis & claris verbis eſſe proponendam, ſed ita, ut pro neceſſitate verba flecti poſſint. Alii Saphyri in collo circum feruntur, alii in corde: ille præfert veritatem, hic falſitatem; ille candorem, hic duplicitatem & aſtutiam. Ariſtoteles olim dixit: *Servorum vitium eſſe mendacium, indignum prorſus Viro Principe:* exolevit hæc viri doctiſſimi doctrina, alius hodie eſt ſtatus: ſervorum, ruſticorum, ſimplicium eſt, nudè dicere veritatem, agere candidè, ſervare fidem; Politicorum eſt, diſſimulare, agere tectè, fallere, decipere, mentiri. S. Chryſoſtomi, S. Baſilii, S. Auguſtini, D. Gregorii Chriſtiana gnome eſt, *At eſto quod appares, aut appareas quod es.* Aliter loquuntur Politici, aliter vivunt. Non ſunt quod apparent, non apparent quod ſunt. Sunt impii, ſunt veritatis hoſtes, ſunt ventris Veneriſque mancipia, ſunt honorum avidi, ſunt opum divitiarumque helluones, ſunt impuri, turpes, adulteri: & apparent caſti, puri, æqui, temperantes, &c. Non ſunt, quod apparent: dixerim hic ego cum Poëta, *Nimium ne crede colori*, fallax iſta eſt amicitia, falſa virtus, ſimulata innocentia, ficta caſtitas, larvata veracitas.

§. 8. *Tales Politici decipiunt homines, ſed non Deum.*

Acutè de his dixit S. Gregorius in c. 40. v. 7. Job. *Ante humanos oculos, aliud oſtendit vita, & ante divina judicia, aliud oſtendit Conſcientia.* In oculis hominum ſancti ſunt, plurimarum virtutum genere conſpicui: ſic homines judicant. Sed ô Deus! quàm diverſæ ſunt viæ tuæ, à viis hominum, quàm diverſa ſunt tua à noſtris judiciis! nos ab eo quod extra lucidum, in noſtros incurrit oculos, ſententiam pronuntiamus; tu interiora cognoſcis, tu corda perſpicis, intueris abſcondita, tu vides odio dignos, quos omni nos honore, amoreque complectendos dicimus; quorum nos conatus atque opera laudamus, eoſdem tu agnoſcis *abominabiles in ſtudiis ſuis.* Pſalm. 13, verſ. 2. *quæ ſtudia*, ait Sym-

Symmachus, *Artes, machinæ aſtu adinventæ, excogitatæ fraudes & deceptiones.* Neſcio, an non præcipuè de illis ſit ſermo, quos vita exterior oſtendit Catholicos, ſed ſcit Deus illos eoſdem putare, quemvis poſſe ſalvari, in ſua fide. Vita, ſermones talium, oſtendunt ſe eſſe obſervantes ſedis Apoſtolicæ, venerari illos Romanum Pontificem, ante judicium Dei conſcientia illis oſtendit multa, in quibus de ſummo capite minus bene ſentiunt: ſciunt tales vitia omnia colorare (loquor cum S. Bernardo) virtutis quodam minio: foris apparent ſepulchra dealbata, intus plena ſunt abominatione. Attendite ab his prophetis, converſatio illorum eſt periculoſa, in via ſalutis.

§. 9. *Politici ſunt ſimiles Actoribus in aliqua Comœdia*

Vocula, *Hypocriſis*, tales Politicos eleganter deſcribit: quærit S. Thomas, quid ſit, & reſpondet voculam hanc deſumptam eſſe ab iis, qui in ſpectaculis tecta & larvata facie incedunt: aſſentitur S. Auguſtinus dum ait, *Sicut qui agit partes Agamemnonis, verè ipſe non eſt, ſed ſimulat eum: ſic quiſquis vult ſe videri, quod non eſt, hypocrita eſt*: quomodo Politici noſtri temporis elegantius deſcribi poſſunt? incedunt facie tecta, in larva, v. g. fictæ humilitatis; tales volunt videri humiles, ſed non ſunt, ſimulant: intus latet, fœtetque ſuperbia, tolle larvam, faſtuoſum videbis Amanum. Sunt alii, qui larvam Jobi circumferunt, tacent ad contumelias, blandis omnes verbis compellant, &c. tolle larvam, intus ferox Neronis animus habitat, ubi coquuntur rixæ, fulmina, cædes. Mentita eſt iniquitas ſibi: non eſt quod videri vult, & quod non vult videri, eſt. Mendaces filii hominum, tegunt, ut plus noceant, innocentesque ſe ſimulant, ut eſſe poſſint nocentiores. Sunt puellæ, quas caſtiſſimas puriſſimasq; imò puritatis ſpecula diceres: ita incedunt demiſſis oculis, ita modeſtæ deambulant, ita orant ferventer in templis, ſed tolle larvam, heu! fœda latet ſub venuſto ſipario Venus. Pluribus ſuperſedeo, ne etiam in Politicas fœminas invehi ſit neceſſe.

§. 10. *Deus permittit illos labi in graviſſima ſcelera. Exemp. habemus in Juda proditore.*

Juſtus Deus ut plurimum permittit tales Politicos & hypocritas labi, & in occulta quidem, ſed graviſſima ſcelera, quod S. Leo ſer. 7. de paſſ. advertit in Juda, de quo ait, *Corpore tantùm cum cœnantibus Judas recumbebat*, (erat homo tectus, vafer ver ſipellis) *mente autem Sacerdotum invidiam; teſtium falſitatem, & furorem plebis armabat: & ideo ſecutum eſt, cum traditori ſuo Dominus panem porrexiſſet intinctum, totum Judam diabolus occuparet, & quem malignis cogitationibus obligarat, jam ipſo impietatis opere poſſideret.* Foris Judas voluit apparere diſcipulus Jeſu, & ut tecta eſſet ejus nequitia, auſus etiam fuit ad ſacram ſynaxin accedere! ex eadem nequitia, verus Politicus, in horto ſuum Magiſtrum ſuaviſſimè compellavit, imò oſculatus eſt illum, & tamen in animo nihil fovebat, quam traditionem. Exterius nihil præter amorem, ſed cogitatione plebem furibundam in Chriſtum concitare moliebatur: probum ſe oſtendebat, & ex

& ex aſſe erat nequam: ſic paulatim totum Judam occupavit diabolus. Agite Auditores, inſpicite hoc ſpeculum à S. Leone propoſitum, conſiderare Judam, & invenietis facile illi ſimiles, ſæculi hujus Politicos: quid non ſub pallio virtutum audeant; præſtat ut vos veſtris cogitationibus illos agnoſcatis, quàm ut ego pluribus deſcribam. Tecti eſſe volunt, detractâ larvâ facilè noſcuntur. Origenes in Levit. illos comparat cygnis. *Cygnus foris albis gaudet plumis, intus autem nigerrimam habet carnem: ſic ſolent hypocritæ, exterius prædicant caſtitatem, intus autem teterrimâ labe luxuriæ maculantur:* quid dicam de iis, quorum verba etiam apud inimicos, mellea ſunt, ſed mens fellea; quorum vultus aureus, ſed animus ferreus, quorum oculi blandi & amabiles, ſed deſideria, dira & crudelia. Cygni ſunt! nigram ſub albis pennis cutem occultant. Quid de iis, qui apud Catholicos Catholicam, apud Lutheranos Lutheranam profitentur religionem, &c. Cygni ſunt, albi quidem, ſed in plumis tantùm, nigri in cute, nigri in corde.

§. II. *A morte olim tollentur illis veſtes & larvæ, quibus ſua ſcelera occultarunt.*

Et ſic quidem humani oculi decipiuntur, ſed non divini; ad tempus durat hæc comœdia; epilogum tandem ludit ira divina juxta minas Sophoniæ c. 1. v. 8. *Viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina, & erit in die illa ululatus.* Per veſtem peregrinam aliqui Interpretes intelligunt 1. Veſtem, quâ utebantur idololatræ in cultu Deorum, quam induentes Judæi, profeſſi ſunt ſe idololatras, & hos arguit Sophinias. 2. Alii intelligunt veſtes furto ſublatas, quo ſenſu caſtigantur furta Judæorum, qui ſpoliabant peregrinos. 3. Propriè veſtis peregrina fuit, quæ non fuit Judaica, ſed gentilitia, v.g. Ægypria, Tyria, &c. Sic reprehenditur Judæorum ſuperbia, luxus, curioſitas, mollities, levitas, inconſtantia in veſtitu, & quod in veſtibus ſequerentur & imbiberent mores gentilium; Tropologice, veſtis peregrina eſt hæreſis, quam aſſumunt Novantes, qui receſſerunt à vera doctrina & ſuo errore veluti veſte cooperti ſunt myſticè, inquit S. Hieronymus. *Veſtis filiorum Regis, & Principum indumentum Chriſtus eſt*, quod aſſumimus in baptiſmo, juxta illud ad Eph. 4. v. 24. *Induite vos, &c.* ad Rom. 13. v. 14. *Induimini Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* ad Coll. 3. v. 12. *Induite viſcera miſericordiæ.* Econtra peregrina veſte diaboli induimur, cum pro miſericordia induimus crudelitatem, &c. Propriè, ait Rupertus, *veſtis peregrina eſt hypocriſis; quid enim magis eſt peregrinum, quàm ſunt lupis rapacibus veſtimenta ovium? quid magis peregrinum, quam eum, qui intus plenus eſt iniquitate, foris hominibus juſtum apparere?* Attendite itaq; mortales, nolite hic peregrinis vos veſtibus exornare, aut defædare potius; abjicite fallaces iſtas pietatis larvas, exuite veſtes illas ſcenicas, antequam iis vos exuat mors improviſa: peregrina in veſte ſi compareatis coram tremendo Judice, quam accipietis aliam ſententiam, quam Mat. 25. 13. *Neſcio vos.* Ite Hypocritæ, ite peregrini, ite Politici,

Adhortatione alienis plumis nos ornemus.

tici, non eſtis ex ovili meo oves, neſcio vos. Lupi eſtis ſub ovinis pellibus; Ite, neſcio vos. Ite in ignem æternum. A qua tam terribili ſententia nos omnes cuſtodire dignetur Benedicta & Sanctiſſima Trinitas, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, Amen.

CONCIO XXXVIII.

DOMINICA IX. POST SS. TRINIT.

Redde rationem villicationis tuæ, Lucæ cap. 16. verſ. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ADducit hæc concio plures & graves rationes, ob quas homini coram tremendo Judice etiam de cogitationibus reddenda erit ratio: miſcentur varii diſcurſus de cogitationibus bonis & malis.

§. 1. *Examen præmittendum judicio, vocatur in ſacris literis?* Manifeſtatio, Sectio.

§. 2. Scrutatio cordis, Apertio libri conſcientiarum.

§. 3. *Salus animæ ſæpe pendet ab unica ſancta cogitatione: Si itaque rejiciatur, reddenda erit ratio.*

§. 4. *Quam Providentia Dei agat ſuaviter cum homine.*

§. 5. *Præſertim cum impius aliquis convertitur: patet id in Magdalena.*

§. 6. *Contemptus piarum cogitationum eſt via & diſpoſitio ad æternam damnationem.*

§. 7. *Proſecutio. Confirmatur prior Maxima ex ſacris litteris.*

§. 8. *Ex dictis, duplex in homine oritur obligatio.* 1. *Ut malis cogitationibus initio ſtatim reſiſtat.* 2. *Ut ſciat illas diſplicere Deo; proinde reddendam de illis rationem.*

§. 9. *Cogitationes malæ, mutandæ ſunt in bonas, præſertim de Deo & Chriſto Domino.*

§. 10. *Pium propoſitum Auctoris & Pater Barri.*

Para-

Digitized by Google

§. 1. Examen præmittendum judicio, vocatur in ſacris literis Manifeſtatio, Sectio.

PArabola hodierni Evangelii agit præcipuè de una circumſtantia, tum particularis, tum univerſalis judicii, de tremendo examine ſcilicet, quod ab æquiſſimo ſimul ac ſeveriſſimo Judice fatali ſententiæ præmittetur; de examine inquam, quod futurum erit tam ſeverum & exactum, ut ratio reddenda, futura ſit prope intolerabilis. Variis itaque modis Sacra Scriptura hoc examen explicat. 1. Nominat illud *manifeſtationem, & patefactionem*, æquè claram dilucidamque, ac ſol in meridie reſplendet. 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti.* Illa autem manifeſtatio fiet à ſole Juſtitiæ, qui tenebras noſtras illuminabit, abſcondita revelabit, & manifeſtabit conſilia cordium. 2. Similitudine planè peculiari exprimitur illud examen, per ſectionem anatomicam, quando loquens de verbo Dei, ait Apoſtolus ad Hebræos c. 4. v. 12. *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac Spiritus; compagum quoq; ac medullarum: & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Hæc metaphora deſumpta eſt à ſacrificiis, in quibus fiebat diſſectio ſubtilis partium animalis; & ſermo eſt de judicio, in quo Filius Dei, uti eſt in Apocalypſi, gladium habet acutum in ore ſuo; ut oris ſui interrogationibus omnem peccatoris ſtatum manifeſtet, & quæ ſunt occultisſima in lucē producat; ſicut enim anatomici minutiſſimas fibras, nervos & venas, ſecant, ſeparant, oſtendūt; ita ille ſermo Dei vivus & efficax, omnes nō tantū actiones, ſed cogitationes etiam, affectiones, ac ſecretas intentiones, quaſi ad ſolem exponet, cordis fiet ſectio, manifeſtabuntur omnes cogitationes: fiet ſectio jecoris, revelabuntur omnia deſideria & intentiones: fiet ſectio renum, omnes enim turpitudines & obſcœni motus patebunt. Gladius, culter, novacula erunt hæc verba Domini, *Redde rationem.*

§. 2. Scrutatio cordis, Apertio libri conſcientiarum.

3. Sophonias capite 1. v. 16. illud examen vocat *ſcrutationem cordis in lucernis.* 4. Daniel cap. 7. v. 17. *Apertionem libri conſcientiarum.* Omitto ſimilia, ne longior ſim in exordio. Illud verò non paucos admirari animadverto, quod aliquoties inſinuarim in ſtrictiſſimo illo examine, reddendam etiam rationem, de intimis & abſconditis cogitationibus, id, quod, ut dixi, nonnullis paradoxon videtur. His itaque hac concione proponam juſtiſſimas cauſas, ob quas etiam de illis dandam nobis rationem velit Judex ille ſupremus. Adeſte æquis non auribus ſolùm, ſed animis benevolis Auditores, ſalutarem hodie vobis injicere paro timorem, in ſacris literis, ipſo Dei verbo, in certiſſimis fidei noſtræ regulis, quæ fallere neſciunt, fundatum.

§. 3. Salus animæ ſæpe pendet ab unica ſācta cogitatione.

Altius paulò repetam cauſas, ob quas æquiſſimus Judex à nobis, de cogitationibus exiget rationem. Et inter illas una eſt facilè graviſſima, quod ſalus animæ, quod converſio alicujus peccatoris, ut cū Magda-

tationi. ſi itaque rejiciatur. reddenda erit ratio.

lena ſurgat & evolet ad pedes Chriſti; quod inquam univerſa hæc pendeant à piis cogitationibus, ut dum Spiritus Sanctus illas ſuggerit, non rejiciantur, nedum habeantur contemptui. Si itaque rejiciantur, reddemus rationem: iiſdem, quibus Chriſtus Dominus movit cor Magdalenæ, cogitationibus te quoque frequenter imbuit, v. g. quoties de morte? quoties de judicio? quoties de inferno? rejicis ſceleſte? *reddes rationem.* Rejiciendo has cogitationes, projeciſti ſalutem animæ tuæ, *reddes*, ne dubita, propterea, *rationem.* Et hæc eſt profundiſſima abyſſus judiciorum Dei, quod frequẽter impii, rejiciendo vel unam ſanctam cogitationem, totius faciant jacturam ſalutis; neque enim ſuccedet alia, quæ ſit efficax: prior cogitatio fuit quaſi illud momentum, à quo pependit æternitas. In particulari rem clarius intelligite; in feſto v. g. Pentecoſtes, Spiritus Sanctus tibi ſuggeſſit cogitationem bonam; ſuccurrit tum tibi, vivere te in ſtatu miſero, in peccato mortali, hærere in via lubrica, imò ſtare in præcipitio, eſſe proinde tempus confitendi & hanc cogitationem neglexiſti? rejeciſti? contempſiſti? O te miſerum! nunquam forte talis dabitur tibi iterum cogitatio! & quid ſi interim in ſtatu peccati mortalis rapiaris à morte ad judicium? reddes ne dubita, reddes rationem.

§. 4. Quàm providentia Dei

Præterire non poſſum doctrinam quandam Theologicam, quod ſcilicet Divina Sapientia in omnibus finem ſuum attingat fortiter & ſuaviter. Ita omnia diſponit, ut fortitudo juncta ſit ſuavitati, & contra: præſertim in directione liberæ voluntatis humanæ; quam libertatem ita relinquit intactam, ut longiſſimè abſit omnis coactio & violentia. Dionyſius Areopagita de divinis nom. cap. 4. *Non eſt Providentia divina violare naturam, ſed eſt cujusque naturæ conſervatrix eis, qui per ſe moventur, & libero aguntur arbitrio, convenienter providens, omnibuſque & ſingulis propria, ut omnium ſingularumq; nomina capit, pro modo cujuſque providentiſſimas bonitates impertiens.* Emphaſis latet in ultimis verbis: quod Providentia Dei erga hominem & de homine, nõ ſit ſimpliciter tantũ providentia, ſed bona, ſed ſuavis, & illa quæ ponit media providentiſſimæ liberalitatis. Superiùs facta eſt Divæ Magdalenæ mentio, amo illam & veneror illam, hinc rurſum in veſtrum adduco conſpectum. Et quis non miretur, quod in una & prima, quam audivit, concione, fuerit converſa, atque ita converſa, ut abjecta mox pompâ mundoque muliebri univerſo, in veſte lugubri quæſiverit Salvatorem & Magiſtrum ſuum: nunquid hoc fuit providentiſſimæ medium bonitatis? quod non aliis illam lacrymis ad ſe traxerit, quod non ad ſuum violentè compulerit obſequium, quod non Majeſtatis ſuæ divinæ potentiam aliis modis, quàm illis tacitis piarum cogitationum ſagittis, expreſſerit, nunquid inquam, providentiſſimas fuit impartiens bonitates? ſic eſt! Fuit

agat ſuaviter cũ hominibus.

in

in converſione D. Magdalenæ fortis ſimul & ſuavis Promœa Divina; expedivit ſuos laqueos Divinus Amor, ſed occultos, nimirum cogitatiunculam injecit unam, ſed ſeriam, ſed ardentem, ſed cœleſtem; Ita, quantum vel in una cogitatione poſitum ſit ad animæ noſtræ ſalutem, momentis perſpicitis.

§. 5. Præſertim cum impius convertitur ad pœnitentiam. Patet in Magdalena.

Sed age progrediamur porro: elevare oportet inchoatum diſcurſum. Et quo medio utitur providentiſſima DEI bonitas circa hominem, ut attingat, quod intendit, v.g. converſionem alicujus peccatoris? Initium in homine adulto fit à bonâ cogitatione, quæ à Theologis *prima* vocari ſolet, ſi conſideretur ex parte intellectus, ut pulchrè advertit S. Auguſtinus: Motus verò ille voluntatis ſubitus, ſine noſtra libertate ex pia illa cogitatione ortus, ſi ex parte voluntatis, quo deterremur à malo; & ad bonum provocamur, & hanc Deus operatur in nobis, ſine nobis, quia Chriſti gratia illam promeruit. Hanc primam peccatori adulto tolle gratiam, tolles & prædeſtinationem ejus: tollis has ſanctas cogitationes, piasq; inſpirationes; tolles medium, quo Deus humanam regit naturam: tolles ſuaviſſimam Dei providentiam. Et hæc eſt ratio paradoxi, quod initio poſui, cogitationem nempe unicam poſſe eſſe momentum, à quo pendet æternitas, felix ſi illa cogitatio admittatur; miſera æternitas, ſi rejiciatur & contemptui habeatur. Cum verò ex una parte infinita Dei bonitas & miſericordia, impiis ordinariè offerat, innumeras tales cogitationes, & ſuaviſſimas, quibus dura corda conatur ad ſe pertrahere, ſalvo tamen libertatis arbitrio; ex altera verò parte obſtinata peccatoris mens, illas rejiciat, reſpuat, contemnat, mirari certè non debemus, juſtum Judicem aliquando dicturum; Redde rationem de illis, & præſertim de illa, à quâ tua pependit ſalus & ob cujus neglectum æternæ damnationis incurriſti diſcrimen.

§. 6. Contemptus piarũ cogitationum eſt via & diſpoſitio ad æternam damnationem.

Cum contemptu piarum cogitationum nemo impius convertetur. Deplorat hoc Deus per Prophetam Oſeam c. 5. v. 3. *Fornicatus eſt Ephraim, contaminatus eſt Iſraël*, addit deinde cauſam: *Non dabunt Deo cogitationes ſuas, ut revertantur ad DEUM ſuum*, q.d. plaga Ephraim, curam medicorum ſimul, & pharmacorum eludit, ſublatum eſt enim medium, quo reduci poſſet: quandoquidem enim de DEO, de divina Miſericordia, de noviſſimis, &c. nihil vult cogitare, & quomodo putas convertetur? Dic, reſponde avare, provoco te ad tribunal Chriſti, dic, quot in ſeptimana, quot in die unico, Mammonæ, idolo tuo offers cogitationes? quoties cogitas de tuis lucris: quoties de tuo auro, de tuis nummis? aſſiduè ſcilicet: Et quoties de DEO tuo, quot JESU Salvatori & Redemptori tuo offers cogitationes? quoties cogitas de gratitudine, quam illi debes pro tot beneficiis? Nunquam, vel rariſſimè. Ne dubita, reddes propterea rationem. Dic tu Veneris

Digitized by Google

non eſt; quid enim ab eo ſperare boni poſſem populo, cujus omnis in malum fertur cogitatio, qui Dei ſui oblitus, nil ſitit niſi terrenum, nihil æſtuat niſi immundum, nihil cogitat, niſi ſceleratum. *Cogitat unuſquiſq; in corde ſuo diligenter ſuper maligna.* Cogitat hic libidines, hic inceſtus, hic ſodomiam, hic, quæ nominare nefas, quæ audire horror eſt, flagitia. *Unuſquiſq;* & viri & mulieres, magni & parvi, & locupletes & egeni, & ſacri & profani, & ſenes & infantes, *In corde ſuo.* O cor, malorum omnium fons! O corda, cur non ad DEUM auctorem veſtrum potius, quàm ad tantam perniciem aſpiratis? *Diligenter*, hoc eſt, quod queritur Numen, non caſu, non ſubitò, non incogitanter, non coactè, ſed diligenter offenditur DEUS! O mortales! Itane in re omnium ſceleſtiſſima diligentiam veſtram Cacodæmoni probatis? *Diligenter cogitatis ſuper maligna!* O ſi mediam illius partem, diligentiæ, in meditandis quatuor noviſſimis, aliiſque ſalutis veſtræ myſteriis collocaretis! ſed de his omnibus reddenda eſt olim ratio.

§. 8.

Ex dictis in homine duplex oritur obligatio, 1. Ut malis cogitationibus initio ſtatim reſiſtat. 2. Ut ſciat illis diſplicere Deo, proinde reddendã de illis rationem.

Ex hactenus dictis oritur in homine duplex graviſſima obligatio. Prima eſt, ut cogitationibus malis initio ſtatim obviet & reſiſtat. *Nam quomodo ſi aliquis carbones apprehenderit* (verba ſunt S. Aug. de hon. mul. c. 5.) *ſi citò eos projecerit, nihil ei nocebunt: ſi diutius eos retinere doluerit, ſine vulnere abire non potuerit ita & qui ad concupiſcendum, oculorum defixerit intuitum, & libidinis malum in corde ſuſcipiens, morari in corde ſuo permiſerit, excutere ſe ſine animæ plaga non poterit.* Itaque retentio malarum cogitationum origo eſt omnis peccati: *Impoſſibile quoque iſt* (ait S. Auguſt. de hon. mul. cap. 5.) *ut habeat bona facta, qui habet malas cogitationes, & econtra mala facta, qui habet cogitationes bonas, facta enim de cogitatione prodeunt*, & S. Gregorius lib. 21. mor. c. 2. *Per cogitationem ad explenda opera pervenitur.* Altera obligatio eſt, ut homo apprehendat, & intelligat, cogitationes malas, præcipuè impuras in cordibus noſtris ſupra modum Divinæ Majeſtati diſplicere. Aptiſſimis ſimilibus id probat Cæſarius Arelatenſis hom. 3. de fug. turp. dum ait *ſi quis phlegmata in noſtram veſtem ac ſputa projiciat, qualem nobis horrorem incutit: quod ſi hac ſine peccato incuſſa, talem horrorem nobis cauſant; qualem cauſabunt cogitationes impuræ Deo in animabus noſtris? Item ſi in templis quis manu factis, porcos vel canes, aut lutum immittat, contra eum valde indignamur; quid faciet Deus, cum in animabus noſtris, quæ templa Deo ſunt viva, dum pejores res immittimus, nempe cogitationes immundas?* Prov. 15. v. 26. *Abominatio Domini cogitationes malæ:* itaque hoc faciet & ſeverus Judex, exiget de omnibus rationem: juxta illud Sap. cap. 1. verſ. 9. *Interrogatio erit in cogitationibus impii*, & quid eſt interrogatio Domini, niſi ultimum Judicium? & non quodlibet, ſed judicium DEI, formidabile utique ac tremendum; facta enim, exteriora

ab

ab humano judice poſſunt examinari & puniri, non verò cogitationes, quæ ſub hominis judicium cadere non poſſunt, ſed ſoli Deo reſervantur, & propterea ſtrictius, tantoque judicabuntur ſeverius quantò ſeverius eſt Dei, quàm hominum judicium: Hoc cum conſideraret S. Baſilius, *Omnia*, inquit, *tanquam in oculis ejus agere debemus, & cogitare: & hæc firmiſſime in animis noſtris hæreat perſuaſio, quæ rectè cogitantur, ea Judici ac Remuneratori placere, & quæ contra flagitioſe, ab eodem condemnari.*

§. 9. **Cogitationes malæ mutandæ ſunt in bonas: Præſertim de Deo, de Chriſto Dom. &c.**

Sed forte dicet aliquis (inquit S. Cæſarius t. 2. bibl. PP.) *ita radicatæ ſunt malæ conſuetudines, & turpes cogitationes in corde meo, ut eas à me nulla ratione poſſim expellere*, huic reſpondeo, Amorem amore vinci. Incipiamus diligere bonas & ſanctas cogitationes, & ſtatim nos ab illis, quæ malæ ſunt, Dominus dignabitur liberare: locum quem in corde libidinoſa & ſordida cogitatio tenebat, caſtitas occupet: quem avaritia vaſtabat, miſericordia reparet: quem ſuperbia deſtruebat, humilitas reædificet, quem malitia vel invidia tanquam venereo veneno infecerat, caritatis vel benignitatis antidotum vivificet: qui ſanctè vult vivere, ſumma conari debet diligentia ut impollutum atque immaculatum cor à malis ſervet cogitationibus, unam ſemper fixam atque impreſſam de Deo retinens cogitationem, hinc S. Baſilius in regulis fuſioribus. *Omni*, inquit, *cuſtodia cuſtodiendum eſt cor noſtrum, neque patiendum, ut aſſidua de Deo cogitatio, ex animis noſtris elabatur, neve eorum, quæ mirabiliter ab eo facta ſunt, memoria contaminetur, per futiles & vanas cogitationes: contraq; illud agendum aſſiduè, ut ex perpetua atque puriſſima recordatione, impreſſam in animis noſtris, piam de Deo cogitationem, velut indelebile aliquod ſignum circumferamus*: Applicemus hæc præcipuè Chriſto Salvatori noſtro; hoc nobis agendum eſt, ut modo ex perpetuis ac puriſſimis cogitationibus de Chriſti Domini v.g. flagellatione, coronatione, &c. de effuſionibus ſanguinis, impreſſa ejus imago & ſignum cordibus noſtris inhæreat, quod fiet, ſi cogitationes noſtræ jam evolent in Crucem, jam ad vulnera manuum, jam ad pedum cicatrices, poſtea ad ſanctiſſimum lateris Vulnus contendant, quod hodierna Dominica potiſſimum exigo à ſodalibus Chriſti in Cruce Agonizantis. O iterum iterumque felix ſic ludentium pietas cogitationum! Beatum me, ſi poſt hac in unum hunc ſcopum, mei omnes, tam interni quam externi ſenſus colliment! Beatum me, ſi illud hac mea dictione à vobis conſequar Auditores, ut poſthac quotidie decies, imò centies cogitationibus veſtris hunc ſanctiſſimum excurrendi ad amorem Jeſu, campum aperiatis. Beatus, qui cum reddenda erit ratio, de cogitationibus ſuis millenas ejuſmodi, veluti gemmas ſupremo Judici, poterit repræſentare. 1. Reg. cap. 2. v. 3. ait Anna mater Samuëlis, *Quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes.* Præparemus nos innumeras quæ nobis

in

in agone ſint ſolatio: fugiamus omnes, de quibus difficile erit, rationem exponere.

§. 10. *Piũ Propoſitum Auctoris ex Patre Barri.* Placent mihi, quoties illa lego, vel in memoriam revoco verba Patris Barri, in Hagiophila dicentis; *O quantus ille eſt, cui ſervio! & quã tremendus! quandoquidem etiam cogitationum mearũ ſibi dari velit rationem.* Verum id ita eſſe, vehementer gaudeo; millies millenas concipiam, quæ illi ſint acceptæ, quæq; millies mihi amorem benevolentiamque concilient: nullam unquam admittam quæ illi diſpliceat. Ite Auditores, idem facite, ut ſubſiſtemus coram Judice in noſtris rationibus, dicet nobis: *Venite benedicti.*

CONCIO XXXIX.

DOMINICA X. POST SS. TRINIT.

Flevit ſuper illam, Lucæ 19. v. 41.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit aliquas cauſas, ob quas benigniſſimus JESUS flevit ſuper Jeroſolymam. Miſcentur varia encomia lacrymarum.

§. 1. *Optat auctor, ut præſens concio, ſit aureus calix, plenus lacrymis.*

§. 2. *Lacrymæ ſunt violentæ & efficaces, ad movendam DEI miſericordiam.*

§. 3. *Per lacrymas Moyſes, populo placavit Dominum.*

§. 4. *Eodem fine Chriſtus Dn. ſuis precibus addit lacrymas.*

§. 5. *Lacrymæ avertunt ictum divini fulminis.*

§. 8. *David ſuis peccatis oppoſuit lacrymas: idem pro populo ſuo fecit Chriſtus Dominus.*

§. 7. *Vt diſcamus idem facere.*

§. 8. *Lacrymæ ligant & placant Chriſtum Judicem: ſpeculum ſit S. Maria Magdalena.*

§. 9. *Lacrymæ extinguunt ignem iræ Divinæ.*

§. 10. *Roſa languida vivificatur rore: Oratio lacrymis. Digreſſio ad ſodales Agoniæ.*

§. 11. *Camphora, aliique lapides ardent in aqua: oratio fervet inter lacrymas.*

§. 12. *Lacrymæ ſecum vehunt cœleſtes delicias.*

§. 13. *David & Jonathas lacrymis firmârunt amicitiam.*

§. 14. *Per lacrymas nos firmemus amicitiam cum JESU.*

§. 1. Optat auctor, ut hac Concio ſit aureus Calix, plenus lacrymis.

NArrat Speculum magnum Exemplorum, Monacho cuidam amarè ſua deploranti peccata, oſtendiſſe Chriſtum D. aureum calicem, & quærenti, quid illo contineretur, reſpondiſſe; *quando Magdalena peccata ſua deflens lacrymis rigavit pedes meos, ſolicite à me collecta ſunt, & in hoc calice uſque huc, veluti pretioſæ gemmæ cuſtodiuntur; ut ſciant & cognoſcant omnes quantum mihi placeant cordis contriti lacrymæ, & pœnitentiæ luctus.* Quæſo vos Auditores, cogitate præſentem meam concionem eſſe aureum & pretioſum vaſculum: Sanctus Lucas refert, Chriſtum Dn. dum appropinquavit Jeroſolymæ, amarè fleviſſe, & copioſas effudiſſe lacrymas; conatus fui hiſce diebus, piis cogitationibus, quàm potui proximè, Chriſto ſalvatori meo appropinquare; conatus fui meis oculis quaſi coram intueri lacrymantem Chriſti faciem; imò deſideravi cor meum, eſſe vaſculum, in quo delapſas ex oculis Chriſti lacrymas, veluti pretioſiſſimas gemmas collegi; conatus ſum illas *ponere in conſpectu meo*, ut loquitur regius Pſaltes Pſalm. 5. verſ. 5. vel ut alii legunt, *in theſauris meis*, ſive *in corde meo*. Itaque præſenti hâc concione, cupio eaſdem gemmas & lacrymas proponere oculis Auditorum meorum, ut & vos illas videatis: & quia veriſſimum eſt illud Bedæ, *quod amamus, libenter intuemur*, neque de amore veſtro erga Chriſtum Dn. ego dubitem, ejus lacrymas quoque intuebimur cum gaudio, cum ſolatio, cum fructu ſpirituali. Cant. 6. verſ. 4. ait ſponſus ad ſponſam: *Averte oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt:* id eſt, ait Coſmus Damianus: *Et ſponſa mea, ſupra quàm dici poſſit, formoſa, & aſpectu adeo admiranda, præſertim micantibus iſtis tuis oculis, ut ignitas caritatis tuæ ſagittas in cor uſque meum, cùm me intenta contemplaris acie, ejaculeris; averte itaque oculos, ne præ amoris vi, me mihi auferant, meque extra me quodammodo rapiant.* Alius longè mihi eſt ſenſus, ſponſe pulcherrime, amabiliſſime Jeſu! ita eſt, totus es pulcher, pulcri quoque ſunt oculi tui, ſed ne, precor, avertas illos à me; ſed converte potius: ecce corda, aſpice nos, perge ejaculari ſagittas amoris: ut tuus amor, tua pulcritudo, me totum ad te rapiant, & accendant. Sic fiet, ut de tuis lacrymis ad meos Auditores ferventius dicam. Dicam autem, quænam illæ fuerint cauſæ, quæ teneras lacrymas amantiſſimo Jeſu expreſſerunt. Et dulces ſunt hæ lacrymæ, & amaræ. Dulces futuræ iis, qui cum plorante Jeſu, & ipſi plorant; qui tum ſua, tum aliena vitia piis lacrymis proſequuntur. Amaræ autem illis, quibus in hac vita gratior eſt mundi riſus, quàm Chriſti fletus. Vos interim Auditores, de tam pia materia dicêtem, piis

Digitized by Google

piis quoque auribus atque animis attendite.

§. 2. *Lacrymæ ſunt violentæ & efficaces ad movendam Dei miſericordiam.*

Si ex Caſſiodoro bene dixit Magiſter Sententiarum, *Violenta ſunt lacrymæ in precibus ad movendam miſericordiam:* non miror Chriſtum D. in hodierno Evangelio amarè fleviſſe ſupra Jeroſolymam; etenim quotidie magis & magis, impiæ urbis enormia ſcelera clamabant ad cœlum; clamabat innocentium effuſus ſanguis, clamabat ſanguis aliorum criminum, ad Divinam Juſtitiam, Vindica! vindica Domine! & dum illa vindictam parat contra ſceleratam urbem, non miror flere miſericordiſſimum Jeſum: lacrymas nimirum effundit, ut illis duo obtineat. 1. Ut manus & brachia Juſtitiæ quaſi liget, ne ſtatim ad pœnas & ultionem deſcendere poſſit. 2. Ut Patrem ſuum cœleſtem ad miſericordiam commoveat: ad utrumque obtinendum ſcit violentas & potentes eſſe lacrymas.

§. 3. *Per lacrymas Moyſes populo placavit Deum.*

Figuram habemus Exodi 32. v. 15. Parabat iratus Deus inter flammas montis Sinai, crudele ſupplicium contra populum, ob admiſſum in adorato vitulo ſcelus idololatriæ; ſed ut Moyſe Deum moveat ad miſericordiam, ut furori Divino ſe veluti murum opponat, exclamat: *Recordare Domine Abraham.* q.d. O Domine, memento hunc populum deſcendere ab Abrahamo, viro juſto & ſancto: itaque licet populus palmare mereatur ſupplicium & atrocem vindictam, ſaltem propter tam ſancti Patris merita, illi parcere digneris. Non exaudivit Dominus Moyſen: ſed inſtat ille: *Recordare Domine Iſaac,* tam cari, tam dilecti ſervi, qui ut noſti, tuo honori paratus fuit à Patre immolari: parce, ne perdas populum ab Iſaaco deſcendentem. Non exaudivit Dominus. Quid ageret Moyſes? ut itaque tandem Deum quaſi cogat ad miſericordiam, ſubdit, v. 14. *Recordare Domine Iſrael, & placatus eſt Dominus.* Hoc nomen inflexit Dominum ad pietatem: puto vos memores eſſe, Iſraëlem fuiſſe illum, qui alias tam frequenter vocatur Jacob; ut Exodi 2. v. 24. *Recordatus eſt fœderis, quod pepegit cum Abraham, Iſaac, & Jacob.* Sed quæ efficacia ineſt voculæ vel nomini Iſraelis, quod hæc cor Domini emollierit? Duo advertite: qui vocatus fuit Jacob, filius Iſaaci, fuit appellatus Iſrael, quando Geneſeos cap. 32. tota nocte fuit luctatus cum Deo in perſona Angeli; cui, illuceſcente aurorâ extorſit benedictionem, tum enim illi dictum fuit verſu 28. *Vocaberis Iſrael, quoniam contra DEUM fuiſti.* Et ideò 2. advertendum eſt, *Iſrael idem eſſe, quod Deum vincens.* Sed quibus armis Jacob vicit DEUM, reſpondet Oſeas cap. 12. v. 4. *Flevit & invaluit.* Itaque Moyſes irato Deo, pro populo rebelli, flentis Iſraelis lacrymas propoſuit, atque ita adeò ligavit ejus Juſtitiam, ut ſententiam ultionis, placatus mutaverit. Lacrymæ Iſraelis dudum profuſæ commoverunt viſcera DEI; ad miſericordiam violentæ in precibus ſunt lacrymæ: fortaſſis Moyſes, dum hæc oravit,

Digitized by Google

vir, ſimul in amaras lacrymas fuit effuſus, ut fortius iratum Numen ad veniam inflecteret; Iſrael & Moyſes contra DEUM fortes fuerunt armis lacrymarum. *O invincibilis planctus, potentia!* ſic exclamo cum moderno quodam Concionatore) *quæ Deum vincit, & juſtum offenſæ Deitatis furorem cohibet!*

§. 4. *Eadem fine, Chriſtus D. ſuis precibus addidit lacrymas.*

Itaque exiſtimo, Chriſtum Dominum in hodierno Evangelio fleviſſe ſuper Jeroſolymā; puto effudiſſe illū lacrymas, ut iiſdem velut armis vinceret cœleſtem Patrem, ut ejus furorem cohiberet, ne ſtatim in reos animadverteret, ut parceret, ut eſſet miſericors. Ferventiſſimis ſuis precibus, gemitibus inenarrabilibus, ſuſpiriis & validiſſimis clamoribus amantis cordis, publicas lacrymas voluit accendere: cauſam advertit S. Ambroſius de pœnitentia: *Utiliores lacrymarum preces ſunt, quàm ſermonum: Sermo enim interdum non totum profert negotium, lacryma ſemper totum affectum.* Per ſermonem cum Sanct. Ambroſio intelligo 1. ferventiſſimas Chriſti Domini conciones, quibus impiam urbem adhortatus fuit ad pœnitentiam, & agnitionem ſuæ miſeriæ: affectum, amorem, quo illis prædicavit, demonſtrant illa verba, Jeruſalem! Jeruſalem! quoties volui tuos incolas congregare, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis. O ſi cognoviſſes & tu! Ne fortè his verbis, ſuum affectum non ſatis exponat, addit lacrymas; hæ enim ſigna & effectus ſunt amoris & affectus interioris, Verbum Dei, irrigatum lacrymis Concionatoris, eſt efficaciſſimum, penetrat corda ut gladius acutus. 2. Per ſermonem intelligo internas preces, & orationes Chriſti D. quas dies & noctes fundebat pro impia urbe: ut oſtenderet ſe orare affectuoſiſſimè toto affectu, ſummo amore, ut indicaret ſe ſerio & ex corde deſiderare bonum civitatis, hinc lacrymæ: lacrymæ reddunt preces planè affectuoſas: accendunt orationem, ut ſit ferventiſſima: Inflammant ignem amoris, extinguunt flammas divini furoris.

§. 5. *Lacrymæ avertunt ictum divini fulminis.*

Meminiſſe vos arbitror illius de cœlo vocis, quæ aliquando contra tres impios adoleſcentes in campis inter immurmurantes nubes, inter tonitrua, fulguraque inſonuit, *feri, feri:* & mox igneum fulmen duos exanimavit. Superſtite tertio, cujus preces feralem ictum averterunt. Similes de cœlo voces ruebant ſuper Jeroſolymam, talia clamabant enormia Judæorum ſcelera, Juſte Judex feri! feri tandem hæc ſcelerata capita! Sed dum tela ignea; dum fulmina parat Divina Nemeſis, medium ſe ponit Chriſtus D. ſiſtit ſe conſpectui urbis, amarè plorans; calidas effundit lacrymas, ut paratos ignes extinguat, ut ferales ictus & pœnas avertat, ut ſaltem obtineat, ut illa ad quadraginta annos protrahatur, quod etiam contigit, ut ne deeſſet tempus pœnitentiæ.

§. 5.

Lu

§. 6. *David ſuis peccatis oppoſuit lacrymas. Idem pro populo ſuo fecit Chriſtus D.mr*

In ſuo luctu ait pœnitens David inter alia, Pſalm. 89. v. 8. *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo.* q.d. in libro divinæ Juſtitiæ deſcriptum eſt adulterium meum, &c. ideo ita timuit David, ideo clamavit, Pſ. 50. v. 3. *Miſerere mei Deus, &c.* ſed mox, quaſi plenus ſolatio & fiducia ait: *Poſuiſti etiã lacrymas meas in conſpectu tuo.* Sic Rex ſapientiſſimus, crudeli homicidio, infami adulterio ſuo, oppoſuit lacrymas, quibus maculæ delictorum eluuntur & emundantur: quibus anima pœnitens obtinet miſericordiam. O Jeroſolyma! Jeroſolyma! adverte quare ſuper te fleat Salvator tuus. In conſpectu DEI poſita eſt tua ſuperbia, poſita eſt tua avaritia, &c. oculis divinis patent tuæ rapinæ; videt Numen iniquitatum tuarum cumulum, &c. Sed O Jeroſolyma! iterum cerne, quàm tibi veniat manſuetè Rex tuus! admirare, quàm bonum ſis nactus Dominum, qui ſuis lacrymis imminentem capiti tuo vindictam conatur avertere. Quid enim plorat Meſſias tuus, ne tu plorare cogaris, ſi vis! effundit lacrymas, ut tibi ſit gaudium, ſi vis! triſtatur ipſe, ut iram Patris ſui cœleſtem, quaſi exardeſcentem flammam ſuis fletibus temperet, ſi vis! O Jeroſolyma! vide, & ad DEUM tuum, per ſeriam ſcelerum pœnitentiam revertere: interim Juſtitiæ Dominus ipſe ſuas lacrymas opponit.

§. 7. *Ut diſcamus idem facere.*

Diſcamus Auditores, à Chriſto Salvatore noſtro, quomodo irati Numinis iram placare poſſimus: timeo ne gravia & varia ſcelera noſtra clament vindictam: timeo ne tres vel plures, intra paucos menſes viſi Cometæ, clament, *feri! feri!* ad avertendum triſulcum Juſtitiæ fulmen, quod Germaniæ minatur, violentæ ſunt lacrymæ contriti cordis. Dicamus, *Recordare Domine*, non jam Iſraëlis, ſed Unigeniti Filii tui flentis ſuper Jeroſolymã. Recordare lacrymarum, quas triginta tribus annis in hoc mundo copioſiſſimè effudit, recordare præcipuè illarum lacrymarum, illorum gemituum & ſuſpiriorum, quibus trihorio pendens in cruce, iram tuam placare fuit conatus: ut illæ preces & lacrymæ eſſent violentiores, addidit ſanguinem. Recordare Domine! Huic pretioſo ſanguini, his lacrymis nos quoque addamus noſtras, ex fonte cordis contriti & humiliati, & placabitur Dominus. Prô dolor! in conſpectu Dei poſitæ ſunt noſtræ iniquitates, nota ſunt enormia & ſcandaloſa ſcelera! Væ nobis! niſi in conſpectu Dei, & Chriſti Judicis, peccatis tanis tamq; enormibus ſalutares quoq; lacrymas nos opponamus.

§. 8. *Lacrymæ ligant & placant Chriſtum Judicem. Speculum eſt Maria Magdalena.*

Chriſti Judicis facio mentionem, quia poſt ejus mortem, *Pater Filio tradidit omne judicium*, Joan. 5. v. 22. ipſe Judex eſt & Vindex. O fortem! O ſeverum! O iratum Judicem erga peccatores! ſed ejus fortitudinem, imò armatas fulmine manus ligat Pœnitentia, ejus ignes extinguunt lacrymæ. Verſu 5. cap. 7. Cant. ait, *Comæ capitis tui, ſicut purpura Regis, vincta canalibus.* His quoque verbis Cardinalis Hailgrinus alloquitur Magdalenã jacentem ad pedes Chriſti; rigantem illos lacrymis, & ter-

 gen-

gentem capillis. Antequam in hoc pergam, advertendum eſt, verſionem Hebræam citata verba ſic legere; *Rex ligatus in canalibus.* Verbum *ligare* occaſionem præbuit, ut Hailgrinus locutus fuerit de capillis & cincinnis Magdalenæ, veluti funiculis, ſed madidis & irriguis, in canalibus lacrymarum, quæ ex oculis ejus ſuper pedes Chriſti defluxerunt: his funiculis, his cincinnis, his lacrymis Magdalena benedictos pedes non tantùm colligavit; ſed manus quoque ligavit, ne extenderentur ad pœnas. Fuit Chriſtus D. Rex & Judex ligatus; quælibet gutta nodus fuit, qui Juſtitiæ quoque manus ligavit. Cincinni Magdalenæ madidi lacrymis fuerunt catenæ amoris, quas injecit Judici, ut deinde audiverit optatas illas voces Luc. 7. v. 24. *Remittuntur tibi peccata multa, quia dilexiſti multum.* Sub cruce deinde, iidem funiculi & capilli facti ſunt purpurei, cum illis terſit vulneratos & ſanguineos ſponſi pedes. Sive, Comæ capitis ejus fuerunt veluti purpura, ſive, vita coccinea, qua ligatus fuit Rex amoris. His utamur vinculis, peccatores! cincinnos ſive cogitationes noſtras, deſideria noſtra, actus contritionis, affectus amoris irrigemus noſtris lacrymis: intingamus deinde ſanguini Crucifixi, in vulneribus ſanctiſſimorum pedū, vel manuum, vel hiantis lateris: his funiculis permittet ſe cœleſtis Samſon, licet ſit fortiſſimus, ligari, ne feriat, ne puniat. Violentæ ad hoc ſunt lacrymæ!

§. 9. *Lacrymæ extinguunt ignē iræ divinæ*

Sic eſt! Deus noſter, dum iratus eſt, dum judicat impium, *ignis conſumens eſt.* Satellites ejus ignis ſunt. Deuter. 4. 24. *qui facit Angelos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem.* Pſal. 103. v. 4. Solium & portæ palatii ejus ignis ſunt; Thronus ejus ignis. Dan. 7. v. 9. Ignis ante ipſum præcedet. Iſa. 10. v. 7. Totus igneus eſt, *Sanctus ejus inflamma.* Hinc fulgura, fulmina, tonitrua. Hinc bella, peſtis, fames, hinc illa flagella, quibus tot clades nobis minatur. Ne Jeroſolyma his ignibus ſtatim flagraret, Chriſtus D. ſuis lacrymis impedivit: ſuis lacrymis extinxit cœleſtes iras. Ploremus & nos his calamitoſis temporib. cum Chriſto, ſiquidem aliter accenſos cometas, & paratos nobis ignes extinguere non poterimus. Ploremus, fundamus lacrymas; & igneus thronus Juſtitiæ mutabitur in thronum gratiæ, accedemusque cum fiducia. Inſtituuntur ad placandam Numinis iram, Proceſſiones, promulgantur Indulgentiæ, Jubelæi, indicuntur preces, recitantur litaniæ, diſtribuuntur eleemoſynæ, adduntur jejunia; factum benè: ſed quæſo, ut oratio noſtra ſit fortis & eafficax, ut affectuoſa, ut ſeria, lacrymis contriti cordis illam aſpergamus. Utiliores lacrymarum preces ſunt, quàm ſermonum: Sermo enim interdum non totum profert negotium, lacrymæ ſemper totum affectum.

§. 10. *Roſa vivificatur rore: Oratio lacrymis: Digreſſio ad Sodales Agoniæ*

Orationes noſtras nihil ita ornat, ita animat atque vivificat, ac lacrymæ. Roſa, ob ſolis ardores, quaſi languida & emortua, ſurgente aurora, à rore cœleſti vivificatur & ornatur. Unde quidam tali roſæ in emblemate hanc epigraphen adjecit, Irri-

Irrigata vivacior. Talis roſa eſt noſtra oratio, irrigata lacrymis eſt vivaciſſima. Dum orationem & roſas nomino, non dubito vos cogitare de Roſario quinque ſanctiſſimorum vulnerum, quod in hodierna Congregatione Agoniæ Chriſto Crucifixo offeremus pro obtinenda ſancta morte. Obtinebimus infallibiliter ſi in unione lacrymarum, quas Chriſtus D. profudit, & noſtris, illas roſas irrigemus. Præclarè D. Chryſoſtomus in ep. ad Cor. *Non ſic ſemina, delatus imber, germinare & creſcere facit; ut pietatis ſemen excitat, & vernare facit ex lacrymis ruens imber.* Franciſcus Mendoza t. 1. in l. Reg. c. 1. *Ut irrigatio terram fœcundat ad fruges; ita lacrymarum profuſio excitat Chriſtum D. ad miſericordiam.*

§. 11. *Camphora aliiq; lapides ardent in aquis: Oratio fervet inter lacrymas.*

Camphora ardet in aquis: igneæ camphoræ grana ſunt deſideria & preces noſtræ, ideo ardent magis inter lacrymas. Ariſtotelas refert reperiri lapidem, qui aquam & ignem continet inter ſuas venas. Et quid prohibet chariſſimi mei ſodales CHRISTI Agonizantis, quid prohibet inquam, quò minus & corda noſtra, ſpiritualibus igniculis ſcintillent, & amaris ſimul guttis diffluant? Non ſunt hæc ſibi contraria elementa; benè convenit amori cum dolore, non excludit tales lacrymas, talis ignis, non eſt alienus ab hoc liquore hic ardor. O Jeſu! O quis mihi det, ut & his æſtuent flammulis, viſcera mea! & his fluant liquoribus oculi. Triſtiſſimæ Magdalenæ cor, dum proſtrata jaceret ad pedes Chriſti, fuit talis lapis, potius gemma tam pretioſa: *ardebat flagrantiſſimo amoris in Chriſtum igne ſuccenſa*, ait S. Chryſoſtomus, de ardente amore Magd. in Chriſtum, dum pedes lacrymis rigat, *& tamen lacrymis rigabat pedes*: tales hodie eſſe cupio meos Auditores; provoluti jaceamus ad quinque ſacratiſſima Chriſti vulnera, ſcrutemur in illis habitantem Amorem, facem præferat ardens cordis caritas, ignita interim æſtuent ſuſpiria, inardeſcant pii gemitus, ſed nec lacrymæ deſint; his deſiderat reſpergi & refrigerari, qui mutuo nos amore complectitur Amor Crucifixus. Ad Magdalenam ſub cruce jacentem convertite oculos: illa nobis ſit, & lacrymarum ſpeculum, facularum: plorare diſcite à Magdalena, ſed ita plorate, ut non ceſſetis amare ſimul. Sic bene jungitur dolori amor: amori dolor.

§. 12. *Lacrymæ ſecum vehunt cœleſtes delicias.*

Nec ſine ingenti animi voluptate, non ſine cœleſtibus deliciis ex epiſtola 2. S. Pauli ad Cor. c. 12. v. 2. Scimus S. Paulum raptum fuiſſe in paradiſum, in tertium cœlum. D. Anſelmus ait, ſupremis illum Angelorum choris interfuiſſe, inter Cherubinos & Seraphinos. *Paradiſum*, ait S. Chryſoſtomus hom. 12. in epiſt. ad Coloſſenſes, *iſti oculi viderunt, tertium cœlum viderunt.* O felices oculos: O oculos verè beatos: & tamen mox ſubdit: *Sed eos non tam cenſeo beatos propter hoc ſpectaculum, quàm propter lacrymas, per quas viderunt Chriſtum. Beatior fuit S. Paulus, quia flevit.* Feliciſſimos & jucundiſſimos oculos hodie opto meis Auditoribus & præſertim ſodalibus Agoniæ: nimirum, ut ſub oratione Roſarii ſanctiſſimorum vulnerum, partim per divi-

divinas lacrymas, quas Chriſtus Dominus fudit in terris, partim per illas, quæ ex contrito corde fluere ſolent, videant Chriſtum Crucifixum: ſic fiet, ut ſimul videant Paradiſum, ut videant cœlum, ut videant Chriſtum in gloria, ſi ploremus, ſi lacrymas fundamus, etiam in terris cum S. Paulo erimus beatiſſimi.

§. 13. *David & Ionathas lacrymis firmarunt amicitiā.* Sed ut ad finem propius accedam: addo adhuc cauſam aliquam ob quā Chriſtus D. flevit ſuper Jeroſolymam. Philo ait l. Ant. *Jonathas & David pacem inter ſe mutuam, ſtabilientes & amorem atque amicitiam ſuam corroborantes, lacrymas plurimas emiſerunt, in ſignum firmæ & perpetuæ amicitiæ*, in ſignum tenerrimi amoris; præcipuè dum invicem ſibi valedicerent, mutuis ſeſe lacrymis ſunt proſecuti ut l. 1. Reg. c. 18. v. 4. videre licet. O infelix Jeroſolyma! O urbs dilecta & electa! quantum te dilexit Filius Dei! Adeſt, ut paucis diebus ante mortem ſuam tibi valedicat, quid mirum, quod amarè fleat? hactenus illum contemptui habuiſti. O ingrata Synagoga! noluiſti agnoſcere diem viſitationis tuæ; adeſt adhuc ſemel, ut firmam offerat amicitiam, ut ſuum tibi demonſtret amorem, ne quis dubio ſit locus, copioſas emittit lacrymas. Sed recedo ab impia urbe.

§. 14. *Per lacrymas firmemus nos amicitiam cū Iesu.* Alia nobis eſt mens. Congregatio noſtra nihil eſt aliud, quam mutua amicitia inter nos & Chriſtum Crucifixum, Ipſe in ſignum amicitiæ firmæ & amoris tenerrimi, calidas offert lacrymas: & nos certius ſignum amoris mutui reponere non poſſumus, quàm lacrymas contriti cordis: ſed quid faciam, ſi fortaſſis cor alicujus induruerit ſaxi inſtar? Plinius refert in Friſia reperiri quendam lapidem, qui quamprimum radiis ſolis exponitur, aquam emittit. O ſol amoris, O JESU Crucifixe! tales lapides ſunt corda noſtra! O ſol lucidiſſime, ardentiſſime! illis tuis radiis ex vulneribus SS. pedum erumpentibus! illa luce, quæ radiat in cicatricibus manuum! illis ſcintillis calidiſſimi Cordis tui, continge, irradia, illumina, accende corda noſtra, inflamma! ut inter flammas, dulces ex oculis noſtri fluant lacrymæ, in ſignum amoris firmi, quo te amare cupimus, hic & in omnem æternitatem!

***

CON-

CONCIO XL.

DOMINICA XI. POST SS. TRINIT.

Deus propitius eſto mihi peccatori, Luc. 18. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COncio hæc commendat neceſſitatem & utilitatem Humilitatis, præſertim in Juſtificatione.

§. 1. *Primus gradus veræ Pœnitentiæ eſt Humilitas.*

§. 2. *Humilitas eſt Virtus omnibus neceſſaria.*

§. 3. *Ipſe Filius Dei illam nos docuit exemplo & verbis.*

§. 4. *Humilitas in homine, eſt menſura ſanctitatis.*

§. 5. *Chriſtus Dn. quare ſpeculũ vocetur Divinitatis.*

§. 6. *Quomodo Publicanus ſpeculũ dici poſſit pœnitentis.*

§. 7. *Quomodo Chriſtus Dn. ſit Cedrus, & ejus exemplo B. Virgo, aliique humiles.*

§. 8. *Lilium eſt ſymbolum Humilitatis.*

§. 9. *Davidis eximia humilitas.*

§. 10. *Humilitas eſt ſignum adeptæ Juſtificationis.*

§. 11. *Humilitas trahit ad ſe ſpiritum Sanctum.*

§. 12. *Alia elogia Humilitatis ex SS. Patribus.*

§. 13. *Quomodo Humilitas Chriſti, dici poſſit conſũmatio humanæ Redemptionis.*

§. 14. *Et noſtræ Juſtificationis.*

§. 15. *Elogium Humilitatis ex Sanct. Bernardo.*

§. 1. Primus gradus veræ Pœnitentiæ eſt Humilitas.

NOn miror Publicanum, dum in hodierno Evangelio, ſuorum veniam peccatorũ petere voluit, tot dediſſe ſigna humilitatis, hæſiſſe in angulo, non aſpexiſſe cœlum, percuſſiſſe pectus, & quod probabile eſt, amaris quoque lacrymis terram rigaſſe. De pleriſque pœnitentibus in Veteri Teſtamento dicitur, quod ſederint in cinere, vel cinere operuerint caput: Eſther Regina c. 14. v. 2. *pro unguentis cinere & ſtercore implevit caput*, Job ait c. 42. v. 26. *Agam pœnitentiã in favilla & cinere*, Jer. c. 6. v. 26. ſuadens pœnitentiã, conſulit indui cilicio, cinere aſpergere caput, in cinere deplorare peccata, clamare ad Deũ

corde humiliato; & hoc veri Pœnitentes fecerunt, quia non ignorabant ſe ſine propriæ vilitatis cognitione, ſine profunda ſui humilitate, nunquam Deum placaturos, nunquam miſericordiam conſecuturos. Adeò ut primus gradus, ſeu primum limen, ut ſic dicam, ſeriæ pœnitentiæ, ſit cinis, ſive humilitas & ſui cognitio. Unde ſeptuaginta Interpretes, pro verbis illis Jobi, *in favilla & cinere*, eleganter legunt, *Putavi me terram & cinerem* Hoc primum in ſe ſentire debet pœnitens, hanc ſubmiſſionem, hanc animi ſui abjectionem, hanc, ut ſic dicam, inanitatem, ut pœnitentiam operetur veram, & ut conſolationem de ſuorum remiſſione peccatorum conſequatur. Ideo Aquila citata Jobi verba ſic legit: *Conſolatus ſum in favilla & cinere:* neque enim talis eſt conſolatio, ut illa, quam in corde ſuo tenet verè humilis, verus ſui cognitor atque æſtimator. Alii legunt: *reprehendo me ipſum*; alii, *deſpexi me ipſum:* hoc eſt, nauſeo, reprobo, cum faſtidio abjicio me ipſum, & ſic conſolatus ſum: Egregiè Sanctus Chryſoſtomus de Sanct. Magd. *Mulier, quæ meretricio quæſtu omnē vitæ curſum peregerat, ſimul atque ad pedes Chriſti ſe abjecit, ſalutem conſecuta eſt*, & quod inde ſequitur, veram conſolationem. Facilè advertitis, quod propter hæc, quæ dicta ſunt, laudare cogitem humilitatem Publicani in hodierno Evangelio, ut ab eo ſimilem animi demiſſionem condiſcamus. Ex quo uberem hodie dicendi campum nactus, ea vobis proponam Auditores, ex quibus excellentiſſimæ virtutis, quam explicare aggredior, tum neceſſitatem, tum utilitatem, cognoſcatis.

§. 2. Humilitas eſt Virtus omnibus neceſſaria.

Nemo ex meis Auditoribus cogitet (ut hoc initio meæ concionis omnes moneam) Publicanos tantùm & peccatores debere ſe humiliare, non niſi Magdalenas debere ſe abjicere ad pedes Chriſti; non niſi filios prodigos debere exclamare, *Pater peccavi!* peccatores tantummodo regios, id eſt, magnos & grandes, debere corde contrito & humiliato dicere, *Miſerere mei Deus! tibi ſoli peccavi!* contrarium ſiquidem ſuadet Eccleſiaſticus c. 3. v. 10. *Quantò magnus* (vel ſanctus) *es, humilia te in omnibus*; id quod & gentilis Cicero agnovit, l. 1. offic. *Rectè præcipere videntur, qui monent, ut quantò ſuperiores ſumus, eò nos ſubmiſſius geramus.*

§. 3. Filius Dei illam nos docuit ſuo exemplo, & verbis.

Prælucet nobis in hoc exemplum Chriſti Salvat. noſtri: *ſciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*, ſciens ſe Filium Dei Unigenitum, ſciens nomen ſuum, genus cum Divinitate conjunctum, ſciens, quantis ipſe eſſet intervallis, omnibus Angelis atq; Archangelis ſuperior, ſe ſumum cœli terræque Principem, ſciens ſe dominatorem, ventorum, imbrium, tempeſtatum; hominum, imò rerum, quæ ſub ſole ſunt omnium: hæc inquam univerſa probè ſciens & perſpiciens; ſurgit nihilominus à cœnâ, & ponit veſtimenta ſua, lavit Apoſtolorum pedes. *Hic conſiderā*, ait Theophilactus, *quod humiliari, opus eſt ejus, qui à Deo egreſſus eſt* (eſt opus Filii Dei) *& ad Deum vadit*; ad infinitam gloriam; *ſuperbire, &*

re, & faſtuoſum eſſe, opus eſt ejus, qui à dæmonibus exivit, & ad dæmones vadit. Quàm differentiam, textus hodierni Evangelii clarè nobis proponit. Phariſæus ſuperbit, faſtuoſus eſt, & facit opus Diaboli; Oratio ejus rejicitur: Publicanus eſt humilis, facit opus Chriſti, & deſcendit in domum ſuam juſtificatus.

§. 4. Humilitas in homine eſt menſura ſanctitatis.

Piè de Chriſto Domino dixit Photius: *Maximè oſtenditur quid Deus ſit, ex hoc, quod ſeſe demiſerit, ac humanitatem geſtaverit.* Quod ſi velimus advertere, quàm magni ſimus in oculis Dei, quàm ſancti, quam perfecti, advertamus quam ſimus humiles: humilitas nos exaltat, humilitas eſt menſura & regula ſanctitatis, humilitas facit, ut in nobis reluceat imago Dei, & Chriſti Salvatoris: in animâ, in quâ eſt, humilitas, radiat quidam radius Divinitatis. Geneſis 1. cap. v. 27. dicunt tres Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; & *fecit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ:* admiror opera DEI! effigiem ſui nobiliſſimam & perfectiſſimam, depinxit & efformavit in luto! animam hominis eſſe imaginem excellentiſſimã, certum eſt, DEUS eſt ſpiritualis; talis eſt anima. DEUS eſt imortalis, talis eſt anima: DEUS eſt unus & trinus; anima eſt una, & tres potentias includit: in DEO eſt Pater, Verbum & Spiritus S. in anima, Memoria, Intellectus & Voluntas: verbo, Anima eſt imago DEI. Hinc augetur & creſcit mea admiratio, cur anima tam excellens unita ſit corpori, formato ex luto. Puto, S. Leonem ſer. 4. de Nativ. advertiſſe cauſam & inventionem divinæ Providentiæ; ait enim: *Homo carnis ſubſtantiam accepit à terra, & rationali Spiritu; per inſufflationem Creantis animatus eſt, ut ad imaginem ſui Creatoris vivens, formam DEI, bonitatis ac Juſtitiæ, in ſplendore imitationis, tanquam in ſpeculi nitore ſervaret. Limus terræ additur, operi humano, ut de humilitatis humanæ pulvere tanquam de ſtanno adjuncto in ſpeculo, evidentius Dei imago conſpiciatur.*

§. 5. Chriſtus D. quaſi ſpeculum Divinitatis.

Verum, antequam hæc verba penetremus, neceſſe eſt ut alia duo elogia Chriſti Salvatoris intelligamus. S. Joannes Apoc. 21. v. 11. de illo dixit; *Et lumen ejus ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi Jaſpidis, ſicut cryſtallum.* C. 7. v. 26. Sapientia de illo ait, *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula:* licet & cryſtallus, & ſpeculũ ſint luciſsima, magna tamen inter utrumq; eſt differentia. Cryſtallus nihil repræſentat; contra ſpeculum pulcerrimas reddit imagines; ex cryſtallo tamen fit ſpeculum, hoc modo: ſi pulvis plumbi alteri parti aſpergatur, & ſic ex alterâ parte obſcuretur, hinc repræſentationes imaginum in ſpeculo. Luciſsima cryſtallus eſt Divinitas in Chriſto; lux illius eſt Inacceſſibilis, incomprehenſibilis, ineffabilis, ob nimiam lucem à nemine cognoſci poteſt, ſed mox, ut Verbum ſe depreſſit Divinum, quamprimum ſibi univit pulverem Humanitatis: factum eſt Caro & Homo, & ſimul ſpeculum, quod Divinitatem pulcherrime repræſentat. Franconius Abbas: *Divinitas in luto, tanquam in ſpeculo reſul-*

Sapientiæ 7. v. 26.

reſulget, & lutum in Deum ſolidatum eſt: Pari ratione, luciḋiſſima cryſtallus eſt anima hominis; ſed ut ſit ſpeculum, in quo appareat ejus pulchritudo, affixa eſt luto, moratur in mortali corpore; neceſſe eſt, ut ſe humiliet, ut ſe abjiciat, ut ſe agnoſcat, & ſic magis ſimilis ſit Creatori ſuo.

§. 6. *Quomodo Publicanus dici poſſit ſpeculũ Pœnitentis.* Non male dixero, ſi ex hoc diſcurſu dicam, Publicanum in hodierno Evangelio, fuiſſe ſpeculum veri pœnitentis; præcipuè contritum & humiliatum ejus cor; ſpeculum cryſtallinum! lotum in fonte lacrymarum; ut lucet in eo perfectus amor Dei? ſed vim repræſentandi illi tribuit humilitas: Ut radiat in illo ſpeculo perfecta contritio? relucere illam facit, obductum plumbum humilitatis. Ut eminet in illo donum orationis perfectæ? illam perfecit humilitas. Ut apertos habet oculos in propriæ agnitionem conſcientiæ? lucem illis oculis, antea obtenebratis, affudit humilitas. Quàm forti dexterâ tundit reum pectus? ut hoc faceret, manum direxit humilitas. In eodem hoc ſpeculo intueri debemus, quomodo Publicanum imitemur. S. Bernardus Ser. 1. de Nativitate: *Obſecro proinde, & plurimum rogo, fratres, non patiamini, ſine cauſa, tam pretioſum exemplar, vobis exhibitum eſſe, ſed conformamini illi, & renovamini ſpiritu mentis veſtræ. Studete humilitati, quæ fundamentum eſt, cuſtosq; virtutum. Sectamini illam, quæ ſola poteſt ſalvare animas veſtras: quid enim magis indignum, quid deteſtandum amplius, quid gravius puniendum, quàm ut videns Deum cœli Parvulum factum, ultra apponat homo ſe magnificare ſuper terram? intolerabilis impudentia eſt, ut ubi ſeſe exinanivit Majeſtas, vermiculus inſletur, & intumeſcat.*

§. 7. *Quomodo Chriſtus D. Cedrus & ejus exemplo B. Virgo, aliique humiles.* Mirabile quid de cedris narrat Sanctus Hieronymus in cap. 14. v. 6. Oleæ: *quantum in auras conſurgunt vertice, tantum radicem in ima demittunt.* Talis Cerdrus fuit Christus Dominus arbor altiſſima, pulcherrima, ob celſitudinem Divinitatis; ſed Humanitas profundiſſimas poſuit radices Humilitatis. Utrumq; affirmavit Iſaias cap. 53. v. 2. *Aſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix in terra:* quomodo radix, & ſimul arbor? Arbor fuit dignitate, ſanctitate, excellentiâ, ſed radix ob profundiſſimam demiſſionem. Eccleſiaſtici 24. cap. v. 17. ait de ſe B. Virgo: *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano*; ſed eadē ait in ſuo cantico Lucæ 1. v. 48. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Ecce ancilla Domini, &c* Sanctus Ambroſius lib. 2. de Virgin. *Nam & humilior facta eſt, ubi ſe à DEO agnovit electam.*

§. 8. *Lilium eſt ſymbolum Humilitatis.* Vocatur ideo à ſponſo Cant, 2. v 2. *lilium. Licet enim* (Plinius l. 21. c. 5.) *nulli flori ſit excelſitas major, interdum ſit trium cubitorum, tamen languido eſt collo, & non ſufficiens capitis oneri, unde illud declinat.* Nulli prorſus creaturæ eſt major excelſitas, in donis naturæ gratiæ & gloriæ, quam ſit illa qua Dei Mater exalta eſt ſuper omnes Angelos; lilium eſt aureum! candidiſſimum! altiſſimum! ideo tamen in tantũ ſe inclinavit, ut ſe ancillã nominarit: O lilium verè magnũ atq; excelſum! ſed inde maximũ, quia in ſua ſe pulchritudine demittit.

Idem

Digitized by Google

§. 9. *David. magnus, in humilitate.*

Idem fecit & dixit David l. 2. Reg. cap. 6. v. 20. Irriſus à conjuge dicente: *quàm glorioſus hodie fuit Rex Iſraël! diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi nudetur unus è ſcurris*: reſpondit: *Ante Dominum, qui elegit me potius, quam Patrem tuum, vilior fiam plus, quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis.* q.d. Dominus fecit me Regem: eò ero vilior: Dedit mihi victorias, eò ero humilior, &c. Idem in hodierno Evangelio fecit Publicanus. Irradiavit illum lux de cœlo, ut agnoſcens miſerum ſuum ſtatum confugerit ad Dominum: gratia divina emollivit cor illius: ideò factus eſt vilior & humilior: ſenſit in corde ſuo ingentem fiduciam in divina miſericordia; ideo factus eſt vilior in oculis ſuis: elegit illum Deus, remiſſa ſunt illi peccata, & ideo Publicanus eò fuit humilior, eò occultiorem quærit angulum, eò profundius demittit oculos, eò fortius pulſat pectus, eò altius clamat *Deus propitius eſto mihi peccatori: & deſcendit juſtificatus*: ſed, quod de B. Virgine dixit S. Bern. hom. 1. ſuper *Miſſus*: *ſi Maria humilis non eſſet, ſuper eam Spiritus S. non requieviſſet*, idem de Publicano dicere debemus; ſi humilis non fuiſſet, non deſcendiſſet juſtificatus: ut hodie diſcamus profundam humilitatem: ſui cognitionem, & abjectionem, diſpoſitionem eſſe ad remiſſionem peccatorum omninò neceſſariam.

§. 10. *Humilitas eſt ſignum adepta juſtificationis.*

S. Gregorius l. 1. Dialog. c. 1. interrog. 296. quærit, Quâ ratione perſuadi poſſit animæ cuipiam, quod à peccatis ſit libera, & juſtificata. Reſpondent SS. Patres, ponendo quædam ſigna, v.g. Amorem Dei; continuam ejuſdem gubernationem, quâ quis ad bona opera dirigitur, & ut à gravioribus peccatis ſe cuſtodiat, &c. plerique addunt humilitatem, neceſſario aliis virtutibus conjunctam. S. Ber. Ser. de 4. modis orandi. *Fortaſſis quæras, unde aut quomodo eſſe poteris, utrum hanc conſecutus ſis indulgentiam* (utrum cum Evangelico Publicano ſis juſtificatus) & reſpondet: *Sic conſervandæ humilitatis gratia, divina ſolet pietas ordinare, ut quanto quis plus proficit, eò minus ſe reputet profeciſſe.* Itaque quò quis eſt humilior, & abjectior in oculis ſuis, eò eſt certior de peccatorũ indulgentia, eò eſt certior de præſentia Spiritus Sancti, cui hominis juſtificatio attribuitur.

§. 11. *Humilitas trahit ad ſe Spiritum S.*

Matthæi 3. cap. Chriſtus Salvator noſter exercuit actum profundiſſimæ humilitatis, dum deſcendit in Jordanem & inclinato capite, ut depingi ſolet, à S. Joanne fuit baptizatus: & quamprimum aſcendit ex aqua, aperti ſunt cœli, Spiritus S. deſcendit in ſpecie columbæ, ſuper ipſum, & de nubibus audita fuit vox dicens v. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Intelligo per Jordanem, aquas contriti cordis, vel fontem ſanctiſſimi ſacramenti Pœnitentiæ: in his fontibus lavantur, & veluti baptizantur veri pœnitentes, dum cum magna humilitate ſe ſiſtunt ſacerdoti, quod opus eſt magnæ humilitatis: ſed & ideo ſtatim aperiuntur cœli, dum à ſacerdote dicitur, *Abſolvo te*, deſcendit Spiritus S. à quo homo juſtificatur; in quo ſibi gratulantur Angeli, & Sanctiſſima

Digitized by Google

Trinitas ſibi complacet: ubi eſt humilitas, ibi eſt Spiritus Sanctus cum ſuis donis & gratiis. Unde ſi quos videamus Publicanos & graves peccatores, vitam deinceps agere ſanctam, cum magna pace atque animi tranquillitate, cum ingenti fiduciâ ſalutis; qualis in hodierno Evangelio ex templo deſcendit Publicanus: non exiſtimemus illos per aliam viam, ad tantam perveniſſe felicitatem, quam per humilitatem, abjectionem, & veram animi demiſſionem. Quod ſi nos ſimilem deſideramus pacem; ſi certum deſideremus teſtimonium à ſpiritu Sancto, (ut loquitur S. Paulus) quod ſimus Filii Dei, quod à peccatis ſimus liberi, ut ajunt SS. Patres, attendamus, quanta noſtræ humilitatis ſit menſura. Clarè Chriſtus Dn. Matthæi 11. v. 29. cap. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde; & invenietis requiem animabus veſtris.*

§. 12. *Alia elogia Humilitatis ex SS. Patribus.*

Hinc tam eximia hujus virtutis elogia. S. Leo ad Dioſc. *Tota Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina, in vera & voluntaria humilitate conſiſtit, quam Dominus IESVS ab utero Matris, uſque ad ſupplicium crucis, omni fortitudine elegit & docuit.* Sanctus Auguſtinus ep. 65. *ſi quæris, quæ via ſit ad obtinendam veritatem, quidque primum ſit in religione & diſciplinâ Chriſti, reſpondeo; Primum eſt, humilitas. Quid ſecundum? Humilitas. Quid tertium? humilitas.* Vult dicere S. Auguſt. nullam prorſus virtutem, nullum opus bonum, placere Deo ſine humilitate. Ait Phariſæus, ſe dare decimas; non placuit Deo, quia non fuit humilis. Ait ſe jejunare in Sabbatho; ſed ea non probantur jejunia, quæ humilitatis ornamento ſunt deſtituta: quin ſi quotidianis corpus ſuum maceraſſet mortificationibus, nullum ſine humilitate fructum, nullum inde animæ ſuæ emolumentum retuliſſet. Quid præterea? à munificis in egenos eleemoſynis ſemet commendat: ſed apage cum illa liberalitate, quæ ut ſit in alios effuſiſſima, ſi tamē cor contritum & humiliatum non prius obtulerit, offendit potius quàm delectat oculos divinos, quibus humilitate nil pulchrius, nihil acceptius. Lacrymæ Davidis, ſingultus Magd. ſuſpiria Petri, oratio Publicani; non placuiſſent Deo, niſi fuiſſent hæc decora humilitatis gemma illuſtria. S. Bern. ſerm. 34. in Cant. & ſer. 2. de aſc. *Sola eſt humilitas, quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam. Hæc via! non eſt alia præter ipſam: qui aliter vadit, cadit potius, quàm aſcendit. Sola humilitas eſt, quæ nos facit gratos Deo, ſola humilitas, quæ promovet, perficit, & quaſi conſummat juſtificationem.*

§. 13. *Quomodo Humilitas Chriſti dici poſſit conſummatio Redemptionis.*

Affectuoſiſſima myſteria latent in illis verbis Apoſtoli, ad Philip. cap. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* hoc unicum modò adverto, cum P. Cornelio à Lapide, quod ſanctiſſimum & glorioſiſſimum illud nomen Jeſus! ſive regium titulum Redemptoris hujus mundi, per humilitatem uſque ad mortem crucis, meruerit & obtinuerit; & quod per humilitatem factus ſit Salvator mundi? licet enim vene-

Digitized by Google

nerandum hoc nomen in circumciſione illi fuerit impoſitum, in aqua effuſo ſanguine illud ſibi comparavit, non tamen tunc in actu proprio & perfecto fuit Salvator, ſed tantùm deſtinatione, intentione, & inchoatione; tunc enim deſtinatum & declaratum tantùm fuit, illum fore mundi Redemptorem, adeò ut à futuro nomen Jeſu illi fuerit impoſitum. In cruce verò conſummavit Chriſtus D. ſalutem & redemptionem noſtram, & conſequenter in cruce actu factus eſt Salvatòr, & inde titulum ac nomen Jeſu obtinuit, cum conſummavit actum perfectiſſimæ humilitatis per mortem crucis, conſummavit quoque opus noſtræ Redemptionis.

§. 14. *Et juſtificationis noſtra.*

Simile quid contingit in noſtra juſtificatione, per quam actu reddimur participes effuſi ſanguinis Chriſti, vel, per quam nobis actu applicatur fructus redempt. nam juſtificatio varias requirit virtutes: fidem, ſed hæc ſine humilitate ſubſiſtere non poteſt, ſpem firmam; ſed hæc ſine humilitate, veluti ſine anchora navis, inter decumanos oceani fluctus ſubſiſtere diu non poteſt. Dolorem de peccatis: atqui ſine humilitate fictus is eſt, etſi lacrymis abundet, eas non niſi crocodili lacrymas dixerim, ſincerum emendationis propoſitum; ſed quanam obſecro ratione illud elicies, ſi adhuc ſuperbit animus, ſi elata mens fugit humilem Jeſum, quo pacto ad eum accedes? Tanta eſt humilitatis neceſſitas: ut benè dicatur, perfectionem ac conſumationem noſtræ juſtificationis, eſſe humilitatem: ut enim ſine illa ipſe Filius Dei actu nos non ſalvaſſet, ſic nec nos actu ſalvabimur vel juſtificabimur, ſine humilitate. Ite nunc Acatholici, & gloriamini veſtrâ fide & ſpe, in merita Chriſti, quantum lubet, ſi una vos deficiat humilitatis virtus, rideo veſtram juſtificationem. De Publicano dicitur, quod deſcenderit juſtificatus, ſed ſimul ejus humilitas nobis deſcribitur. Sine humilitate crucis Filius Dei non fuiſſet actu proprio Jeſus, neque nos ſine illa erimus filii Dei: ſine illa Jeſus nobis non erit Jeſus.

§. 15. *Elogium humilitatis ex S. Bernard. ſer. in nat. virg.*

Finio verbis S. Bernardi ſerm. in virg. Nat. *Pretioſiores panni Salvatoris omni purpura, & glorioſius præſepe, auratis Regum ſoliis. Ditior denique paupertas & humilitas Chriſti, cunctis opibus, cunctiſque theſauris ſaculi. Quid enim humilitate ditius, quid pretioſius invenitur? qua nimirum regnum cælorum emitur, & divina gratia acquiritur, ſicut ſcriptum eſt, Beati pauperes Spiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

CON-

Digitized by Google

CONCIO XLI.

DOMINICA XII. POST SS. TRINIT.

Apprehendens eum de turba ſeorſum, Marci 7. verſ. 33.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVàm res ſit periculoſa, prava peccandi conſuetudo, frequens in ſcelera Recidiva, ut loquuntur ſancti Patres, & Perſeverantia in malo.

§. 1. *Quid ſignificet hæc ceremonia, quod Chriſtus D. ſurdum & mutum ſeparaverit à turba*

§. 2. *Recidiva & perſeverantia in peccato eſt periculoſa.*

§. 3. *Una ex præcipuis cauſis, ob quas iratus Deus punivit Sodomam.*

§. 4. *Ex conſuetudine peccandi naſcitur in pœnam obſtinatio cordis, in impio, & tunc perquam difficilis eſt ejus curatio.*

§. 5. *Bonus Deus diu expectat ad pœnitentiam, tandem iraſcitur.*

§. 6. *Per peccatorum multiplicationem ex mente S. Bernardi evacuatur Dei miſericordia: quo modo id fiat.*

§. 7. *Per malam conſuetudinem, impius tandem fit inſenſibilis.*

§. 8. *Recidiva Deum movet ad indigtionem.*

§. 9. *Proſecutio.*

§. 10. *Difficilis malæ conſuetudinis curatio, oſtenditur per ſimilia: & ex hiſtoria ſuſcitati Lazari.*

§. 11. *Converſio latronis in cruce ingens fuit miraculum.*

§. 12. *Nobis, pro illis, qui in tam miſero vivunt ſtatu quid ſit faciendum.*

§. 1. *Quid ſignificet hæc ceremon. quod Chriſtus D. ſurdū & mutū*

INter cæremonias, quas Chriſtus Dominus adhibuit in ſanatione ſurdi & muti, quem hodiernum Evangelium nobis proponit, una ex præcipuis fuit, manu eum apprehenderit, & ſeparatum à turba, ſeorſim, quaſi in locum ſolitarium deduxerit. Nimirum ut oſtenderet, peccatores graves, ſurdos & mutos, qui plerumque multis annis jacent immerſi in fœtore & putredine ſuorū ſcelerum, ſanari non poſſe, neque conſequi remedium ſalutis, niſi prius abſtrahantur à ſtatu peccati, à ſcele-

ſeparaverit à turba.

rum

rum occaſionibus, à noxia converſatione, à malorum illecebris & irritamentis, & præcipuè à prava conſuetudine. Quamdiu impius inter hos laqueos tenetur, & perſeverat, non ſanabitur à Chriſto Domino. Turba, ſocietas pravorum, occaſiones, conſuetudo, quaſi catenæ ligant peccatorem, & detinent in peccatis: itaque ut convertatur, ut ſanetur ante omnia à Chriſto Domino, hæc vincula diſrumpi neceſſe eſt. Hoc primum divinæ gratiæ beneficium eſt in juſtificatione, & primus effectus; apprehendere manum ejus, & è via lutoſa eum deducere, ad ſemitam rectam & dirigere in viam ſalutis. Cum Loth Gen. 19.13. nonnihil hæreret adhuc in Sodoma, Angeli ductores apprehenderunt eum manibus, & quaſi vi compulerunt exire: ſic evaſit incendium & ignes; ſi manſiſſet, iiſdem utique flammis cum reliqua impiorum turba involutus fuiſſet: pari ratione & hodie, qui flammas & ignes inferni volunt evadere, eos prius à Chriſto D. & ejus miniſtris Angelis, à Sodoma ſeparari oportet. Intelligetis hæc clarius, poſtquam oſtendero, quàm periculoſum ſit perſeverare diu in peccato, peccando frequenter; quam inquam periculoſum ſit, ſi per peccatorum multiplicationem inducatur peccandi cõſuetudo; denique, quam difficulter tales convertantur. Quod dum ad animarum noſtrarum ſpirituale emolumentum explicare aggredior, vos dicentem, benevolâ quâ ſoletis attentione, proſequimini.

§. 2. Recidiva & perſeverantia in peccato eſt periculoſa.

Interpretes & Oratores ſacri, qui per turbam, ſive habitationem in hoc mundo, intelligunt miſerum ſtatum peccatoris, ſive illud tempus, quo homo manet in peccato, tribus, quatuor, vel pluribus annis, verbo, Perſeverantiam in peccato: illi inquam ſacri Oratores ſimul monent eos peccatores, qui ſanari volunt à Chriſto, debere abſtrahi à turba, id eſt, oportere tales peccatis ſuis nuntium remittere, oportere recedere à malo, oportere deſerere vias iniquitatis. Perſeverantia in quocunq; peccato mortali, ſcelerum repetitio, vel ut ſancti Patres loquuntur, Recidiva, eſt periculoſæ plenum aleæ opus. Breviter S. Auguſtinus: *Non tantùm Deo diſplicet peccatum, quantum perſeverantia in illo.* Hinc cura & ſolicitudo Chriſti Salvatoris noſtri, in hoc potiſſimùm intenta, ut nos per ſuam gratiam, per ſanctas inſpirationes, quovis die, imò quavis hora & momento, à peccato ad pœnitentiam nos abſtrahat.

§. 3. Una ex præcipuis cauſis, ob quas iratus Deus punivit Sodom. & Gomorrham.

Geneſis 18. cap. minatur Deus deſcenſurum ſe & viſitaturum Sodomam, non tam propter enormia ſcelera, quàm propter hanc circumſtantiam, quam Deus ipſe proponit, verſ. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis.* q. d. Si Sodomitæ aliquoties peccaſſent, ſi nõ continuò & perſeveranter, ſi modò adhuc cogitarent de pœnitentia, grave quidem eſſet, non tamen nimis grave: at quia perſeverãter multiplicant peccata gravia, malitia eorũ aggravata

gravata eſt nimis, atque ita aggravata, ut ad cœlum uſque perveniens clamor, Deum coëgerit deſcendere, videre, punire, diſperdere, quia, ut ait Origenes, *deſperata erat cura.* Peccator, qui manet in turba, qui Chriſtum abſtrahentem audire, avocantem ſequi non feſtinat, aliud ſibi perſuaſum non habeat: peccare & peccata multiplicare, eſt illa aggravare, & deſperatam animæ reddere ſanitatem.

§. 4. *Ex conſuetudine peccandi naſcitur in pœnam obſtinatio cordis in impio, & tum perquam difficilis eſt curatio, ut declarat S. Auguſtin.*

Atque illud damnum prudenter ſanè advertit S. Auguſtinus ſerm. 88. de temp. *Cùm ſemel & ſecundo, & tertio unuſquiſq́ gravia peccata commiſerit, expectat tamen illum Deus, ut convertatur & vivat; cùm verò in peccatis ſuis cœperit permanere, de multitudine peccatorum naſcitur obduratio*; quâ poſitâ, per quã difficilis redditur curandi methodus: tum tales in hac turba, in hac perſeverantia, in peccato, in his occaſionibus, cùm depravatâ tali cõſuetudine, vix ac nec vix quidem poſſunt ſalvari: cùm enim ex peccatorũ multiplicatione naſcatur & radicetur habit⁹ in anima, & hic apud Philoſophos, ſit qualitas difficile mobilis, fit, ut illa difficulter divinis inſpirationibus aſſentiatur, licet eorum tactus commiſeratione tranſeat viam, in qua decumbunt. Salvator CHRISTUS, licet blanda illos voce alloquatur, licet oculis ſuis thaumaturgis intueatur, licet manum illis porrigat divinam, licet certiſſima vitæ medicamenta ſuppeditet, fruſtra ſunt omnia, nequicquam proficit divini etiam Medici labor, atque induſtria, cùm ad infirmum accedit, contemnitur: cùm manum porrigit, repellitur: cum fugienda indicat, cùm pharmaca offert, cùm vitæ media præſcribit, fugitur, non auditur, rejicitur. Obſurduerunt miſeri ad vocem clamantis Medici, deſperata eſt propemodum omnis ſpes ſalutis, quia ut ait S. Auguſtin. citatus: *Obduratio non Dei potentia compellente perficitur; ſed Dei remiſſione & indulgentia generatur; & ſic Pharaonem non divina Omnipotentia, ſed divina Patientia, credenda eſt, obduraſſe.* Jer. c. 30. v. 14. *Propter multitudinẽ iniquitatis tuæ, dura facta ſunt peccata tua.* (Vide hunc verſum apud P. Corn. à Lapide eleganter ad rem meam explicatum.)

§. 5. *Bonus Deus, diu expectat ad pœnitentiam: tandem iraſcitur.*

Elegans quoque & ſubtilis circa hoc punctum eſt diſcurſus S. Pauli in epiſt. ad Romanos cap. 2. v. 4. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis, cõtemnis? ignorans quod bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Hæ ſunt divitiæ bonitatis Chriſti; licet inſolentiores aliqui ſeſe in malo jactitent, & DEO quaſi inſultent, licet aliqui longo tempore jaceant in miſero ſtatu peccatorum mortalium; patiens tamen & longanimis eſt benigniſſimus Dominus; non quamprimum ſupplicia expromit; imò venit, tranſit, vocat, omni modo conatur illos adducere ad pœnitentiam. Felices & beati ſunt, qui ſe ſinunt abſtrahi à malo, qui Chriſtum ſequuntur, & ab illo ſanantur: alii ſunt, qui oblatam miſericordiam reſpuũt, qui nolunt reſipiſcere, ſecundum impœnitens cor ſuũ, de ſua gaudent iniquita-

quita-

Digitized by Google

quitate, non dolent, non ingemiſcunt: ſed de tali quodã pergit dicere S. Paulus: ***Secundum autem duritiem tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii DEI:*** id eſt, multis Chriſtus Dominus offert theſauros ſuæ miſericordiæ, theſauros gratiæ, theſauros pretioſiſſimi ſui ſanguinis, ſed qui reſpuunt, juſto Dei judicio, incidunt in theſauros iræ divinæ, dum graviſſimè illum exacerbant, & ſic graviſſima merentur ſupplicia.

§. 6. *Per peccatorum multiplicationem ex mente S. Bern. evacuatur Dei misericordia quomodo id fiat.*

S. Bernardus hæc ultima verba S. Pauli ſerm. de tripl. miſer. ſic expoſuit: *Theſaurizas tibi iram, pro prorogatis theſauris miſericordiæ, quos contemnis, & evacuas in te miſericordiam Dei.* Optimè vocat theſauros Chriſti prorogatos, ob illud tempus, ob menſes, & annos integros, quibus Chriſtus Dominus patiens & longanimis, offert ſuam gratiam; illos contemnere, eſt differre pœnitentiam, eſt prorogare tempus ſuis ſceleribus, eſt perſeverare in malo, abutendo Dei miſericordiâ, & tempus miſerationis ejus reſpuendo: per hæc verò & talia paulatim evacuatur Dei miſericordia: quod ut melius explicem, cupio vos convertere oculos ad roſea vulnera Jeſu Crucifixi: inter alia vocantur *pretioſa vaſa divinarum miſerationum*, ſed innuit Sanct. Bernardus, illa ab impiis evacuari in iram & condemnationem. Sed quâ ratione? Sic ego rem intelligo. Vulnus v. g. ſiniſtri pedis eſt vas pretioſum, plenum divino ſanguine; cogitemus vel numeremus in eo mille guttas pretioſi cruoris; ex his ab æterno Deus centum v. g. deſtinavit, pro theſauro miſericordiæ alicui peccatori; quã diu illæ in illo vaſe remanent, eſt locus pœnitentiæ; ſed per primum peccatum mortale, per quod conculcatur divinus ſanguis, ſimul evacuatur quaſi una gutta, quæ in æternum iſti peccatori non proderit. Per alterum peccatum evacuatur altera gutta, per tertium, alia, & ſic deinceps: toto hoc tempore, quo ita evacuatur ſanguis CHRISTI, & cum illo divina miſericordia, benignus, patiens, longanimis eſt JESUS; reſtat aliquid de infinita ipſius bonitate; tam diu, quàm diu reſtat guttula, expectat miſericordia, expectat Chriſtus Dominus, num impius converti velit, poſt peccatum mortale centeſimum, vel milleſimum, poſt tot ſcelerum multiplicationem & aggravationem; eheu! evacuatus eſt ſanguis Chriſti; nulla ejus gutta in æternum ei proderit. Eheu! evacuata eſt divina miſericordia, æternùm ejus portæ erunt clauſæ: nunquam in æternum talis impius aget pœnitentiam. Iniquitas ejus multiplicata, nimis eſt aggravata, impletus eſt numerus & menſura ab æterno illi conſtituta: ex impleta hac menſura fluit obduratio, fluit impœnitentia, cor fit durum & impœnitens, evacuatum theſaurum miſericordiæ ſubſequitur theſaurus iræ divinæ, & æternæ indignationis. Sic impius omnia momenta temporis, quæ præterlabi ſinit, & non pœnitet, reponit in ira DEI, & pro prorogatis momentis miſericordiæ, the-

Digitized by Google

theſaurizat ſibi iram: nam etſi peccare malum eſt; in eo tamen perſeverare, atque peccata multiplicare, pejus & peſſimum eſt. S. Chryſoſtomus homilia 1. de pœnit. *Quod enim in peccato eſt magis impium, eſt in peccato ſtare; & quod pejus in caſu, eſt in eo jacere.*

§. 7. *Per malam conſuetudinẽ impius tandem fit inſenſibilis.*

Nam dum peccata in anima exiſtunt, & diu in ea veterata permanent, inſenſibilem quaſi illam reddunt, ut vivat, ac ſi non peccaſſet, ac ſi peccatum res eſſet nullius momenti; acſi nihil eſſet Deum offendere; & ita dies ſuos in bonis ducunt impii, acſi ſummum Judicem non irritaſſent, ſine ullo timore Numinis, toti inſenſibiles, imò inſenſati: ex quo quotidie Dei ira magis acuitur & accenditur, quia ut inquit D. Chryſoſtomus ſerm. 5. de pœnit. *Non tam grave facinus eſt, peccatum; quàm ipſum peccantem non pudere.* Malitia hodie provecta eſt multorum, & inveterata nequitia; peccant graviſſimè, loquuntur ſpurca, impudica, nefanda; ſine ullo pudore, non erubeſcunt, palam perpetrare ſcelera, quæ ſol erubeſcit intueri, ruunt in ſcelera, ſingulis quaſi momentis præcipites, non caſu aut improviſo ſed gaudentes advertenter, deditâ operâ, ultrò quæſitis male faciendi occaſionibus, nulla illos coërcent fræna, nulla honeſtatis cura ab obſcœniſſimis factis, dictiſque avocat, nulla innocentis ſcandala juventutis deterrent, nullæ intentatæ, piæ ſulphuræque ſtagnantium pœnæ, metum incutiunt; eludunt, reſpuunt, rident, imò execrantur omnes cœleſtium Medicorum conatus pios, gaudent eſſe miſeri, infelices, damnati. Luberet hic mihi cum piiſſimo quondam Vate exclamare:

O quid agis gens eventus ignara futuri!
Tempora quæ venient poſthuma, nulla times:

Ita Hermannus Hugo è Soc. Jeſu in piis ſuis deſideriis piiſſimè cecinit. Verùm hoc ego cantu abſtineo. Siquidem non eſt gens, eventus ignara futuri, probè ſciunt impii, ſatis ſuperq; audierunt, decantata eſt illis ad nauſeã fabula iſta, heu luctuoſum quondam epilogum ſortitum!

§. 8. *Recidiva Deum movet ad indignationem.*

Sed iterum modo audiamus os illud aureũ hom. 46. ad pop. Antioch. *Peccatum non dolere, magis Deum indignari facit & iraſci, quàm peccare,* cujus rationem aſſignans ait: *Tu verò hominem exacerbans, & amicos & vicinos, & janitores rogas, & pecuniam impendis, & multos inſumis dies, accedens & ſupplicans, & ſive ſemel, ſive bis, ſive millies te repulerit iratus, non recedis, ſed magis contendens majorẽ afferes ſupplicationẽ. Deo autem exacerbato oſcitamus & recedimus, & deliciis & ebrietati vacamus, & omnia pro conſuetudine facimus; quomodo verò non ex hoc ipſo magis eum irritamus?* Exagitat S. Chryſoſtomus his verbis illos, qui conſuetudine peccandi Deum irritãt; & ſimul nos inſtruit primò, quo nobis conatu ſit laborandum, ut conciliemus nobis Chriſtũ Judicem, quẽ peccando offendimus, ſecundò, quâ multiplicatione precũ, quâ perſeveran-

verantia, qua importunitate petendum nobis ſit in quod intendimus, nimirum per ſanctam mortem, felicem æternitatem.

§. 9. *Proſecutio.* Sed ad Sanctum Chryſoſtomum revertor, neque enim ſatis etiamnum expoſui illa verba, *Pro conſuetudine omnia facimus.* Miſerabiliſſimus ſtatus peccatoris eſt, cum peccat ex conſuetudine: cum jam non amplius ſentit, peccatum eſſe pondus, non ſentit eſſe aculeum, non ſentit eſſe fœtidum & putridum vulnus, &c. ſive ut Sanctus David loquitur pſalmo 37. v. 5. *cum iniquitates ſupergrediuntur caput ejus.* Origenes ſic explicat: *Qui non gravantur peccatis ſuis: qui non ſentiunt, non curant, non triſtantur, quod iniquitates excreſcant, & ultra capitis proceritatem aſcendant; ſive: quibus peccatum non efficitur onus, ſed voluptas: quibus libido non ſordet, ſed eſt delectationi, qui vitia non horrent, ſed amant:* Ab his omnibus peculiariter exacerbatur ira divina: hæc eſt, palmaris impietas! hi ſunt in ſtatu, in quo actum eſt de æterna eorum ſalute, quam diu in illo perſeverant; niſi Chriſtus tandem adſit, & potenti ſua dextera miſericors abſtrahat à turba, & multiplicata multitudine tot ſcelerum: Gregorius in Moralibus: *Quot vicibus*, inquit, *prava frequentationis, homo aſtringitur, tot quaſi vinculis ligatur.* nec liberabitur, niſi Chriſtus D. illa diſrumpat: *& ſic*, pergit S. Bernardus, *dum totas impius concupiſcentiæ laxat habenas, toto impetu fertur in præceps, tandem venit in profundum peccatorum, & contemnit: Sic paulatim* (S. Auguſt. in Enchir. c. 80.) *peccata quamvis magna & horrenda, cum in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur, uſque adeo, ut non ſolum non occultanda, verùm etiam jam prædicanda ac diffamanda videantur.* Et cui non eſt pars in bonis, in virtutibus, &c. jam lætetur in malis, lætetur cùm malè fecerit, & exultet in rebus peſſimis.

§. 10. *Difficilis malæ conſuetudinis curatio explicatur per ſimilia. 1. & eſt. adducitur ex hiſtoria ſuſcitati Lazari.* De graviſſimo hoc morbo ſive mala conſuetudine peccandi, bene dixit S. Baſilius in reg. fuſ. diſp. dum ait: *Sicut morbi corporis inveterati, non niſi longa acri curatione ſanantur: ſic peccata inveterata, aſſidua oratione, & acerrimi animi contentione, curari oportet: Quod repetitis vicibus ac multo cum labore, tinctum eſt, elui vix poteſt; ſic anima, ſanie peccatorum ſuppurata, & in hoc habitu conſtituta malitiæ, vix ac multo negotio elui poteſt:* In hiſtoriam de ſuſcitato Lazaro eleganter ait Sanctus Auguſtinus. *Moles illa impoſita ſepulchro, ipſa eſt vis dura Conſuetudinis* (& perſeverantia in malo) *qua premitur anima, nec reſurgere, nec reſpirare permittitur. Dictum eſt autem, quatriduanus eſt, ad iſtam enim conſuetudinem, quarto quodam progreſſu venit anima. Prima enim quaſi titillatio delectationis in corde eſt. Secunda, conſenſio, tertia, factum, quarta, Conſuetudo. Factum enim, per reiterationem, in conſuetudinem vertitur, & fit quadã deſperatio, ut dicatur, quatriduanus jã fœtet: Venit ergo Dom. & cui utiq; facilia erant omnia, difficultatẽ*

quandam oſtendit: ibi infremuit ſpiritu, oſtendit, multo clamore opus eſſe ad eos, qui prava conſuetudine induruerunt, reſuſcitandos, tamen ad vocem clamantis Domini, rupta ſunt vincula neceſſitatis: Divus Chryſoſtomus, *Liberare à putredine peccatorum, Chriſti virtus eſt:* Bene ille Interpres; ſi animæ ſint jam putridæ, ac corruptæ peccatis inveteratis, ac perantiquis, has curare eiſque medelam adhibere, excedit ordinariam manum hominis, & ad unam poteſtatem Dei ſpectat: Unus Chriſtus Dom. hoc poteſt, ſi ex infinita ſua miſericordia, hora commoda dignetur tranſire, dextera ſua talem abſtrahat à turba: non ex debito, ſed extraordinario miſericordiæ affectu & effectu.

§. 11. *Converſio latronis in cruce ingens fuit miraculum.* Scitis miracula, quæ contigerunt dum Salvator mundi in cruce ſuffixus penderet, terra tremuit, petræ ruptæ ſunt, velum templi ſciſſum eſt, &c. Sed longè his majus advertit S. Chryſoſt. hom. 1. de cruce & latr. dum ait: *Terruit quidem Filius Dei univerſam creaturam; petras, ſaxaque diſrupit, inſuper omnium lapidum inſenſibilitate animā duriorē ad ſe traxit, & ad meliora convertit*: hoc fuit opus divinæ omnipotentiæ, ac dexteræ excelſi; licet hæc affixa eſſet cruci, tamen oſtendere voluit, quid poſſet, convertendo inveteratum peccatorem: Verum cùm Chriſtus D. miracula, vel naturæ, vel gratiæ operari & facere non teneatur, nos miſericordia moti, ex Chriſtiana caritate talibus ſuccurrere, ſummo quo poſſumus ſtudio conari oportet.

§. 12. *Nobis pro illis, qui in tam miſero vivunt ſtatu, quid ſit faciendũ.* Duo media nos docet cœleſtis Magiſter, ſanando ſurdum & mutum in hodierno Evangelio. Dicitur ſiquidem 1. ſuſpexiſſe in cœlum & ingemuiſſe: ſuſpexit in cœlum, ut oſtenderet, inde petendum eſſe auxilium pro ſanatione talis ægri; ibi enim fons eſt, ex quo omnia bona, ex quo omnia promanant vitæ medicamenta æternæ. Illuc ſuſpexit cum gemitu Patrem orans, ut miſeri hominis miſereatur. 2. Ut oratio ſit fortior, addit gemitus & lacrymas: lacrymatus eſt Jeſus. Eadem nos hodie veſperi faciemus in Congregatione Agoniæ; magna eſt quam poſtulabimus gratiam, ſanctam mortem: Ah ſodales Cariſſimi! ſcio quemvis ex vobis non de ſe tantum laborare, ſed & de aliis, ut omnes moriantur ſancte! Quid ſi fortaſſis ex hoc numero ſint aliqui ſurdi & muti, quid ſi aliqui quatriduani Lazari? quæſo vos, reddamus illos participes noſtrorum gemituum & ſuſpiciamus in cœlum, elevemus oculos noſtros ad Crucifixum, rogemus ut promat vires & potentiam ſanguineæ dexteræ: urgeamus illud egregiæ negotium caritatis, ejaculemur in cor Crucifixi ardentis cordis noſtri ſcintillas? exclamemus, *Jeſu Crucifixe per quinos hoſce ſacratiſſimorum tuorum Vulnerum fontes, per diadema hoc tuum ſpineum, &c. ah! Miſerere Animarum, quas prava pec-*

peccandi conſuetudo, æternæ proximos damnationi reddit: Tu ſolus huic mederi potes malo: eja prome potentes ſanguineæ dexteræ vires, tange obdurata corda, ut ſacris pœnitentiæ lacrymis colliqueſcant.

CONCIO XLII.

DOMINICA XIII. POST SS. TRINIT.

Diliges Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, Luc. 10. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Deus à nobis vult diligi ex toto corde: & quid hæc verba ſignificent, Deum diligere ex toto corde.

§. 1. *In ſenſu myſtico, qui incidit in latrones, figura fuit Adami labentis in peccatum.*

§. 2. *Deus à nobis vult diligi ex toto corde, quia eſt ſponſus*

§. 3. *Amor Divinus in corde hominis non admittit creaturarum amorem, ſed deſtruit.*

§. 4. *Deus ſolus à nobis vult diligi, quia eſt ſponſus animarum noſtrarum.*

§. 5. *Diabolus verò hoſtis noſter, gaudet amorem & cor noſtrum dividi.*

§. 6. *In judicio Salomonis, vera Mater noluit dividi ſuum filium: falſa Mater voluit id permittere.*

§. 7. *Multo minus Deus, Parens noſter, cor noſtrum vult dividi, diabolus id permittit.*

§. 8. *Sponſus vel maritus vindicat in Sponſa & conjunge violatam fidem, multò magis Deus.*

§. 9. *Arca & Dagon ſimul ſtare non potuerunt: multò minus Chriſtus Dominus, & Diabolus in uno corde morantur.*

§. 10. *Matthæi 9. Chriſtus Dn. non fuit ingreſſus ædes Principis, antequã ejiceretur turba.*

§. 11. *Nec Deus elegit primogenita Iſraëlitarum, antequam occiſa eſſent primogenita Ægypti: Applicatio.* §. 12.

Digitized by Google

§. 12. *Quamprimum Diabolus intravit cor Judæ, juſſus eſt exire à Chriſto Domino.*

§. 13. *Quale cor Deus à nobis deſideret.*

§. 14. *Quid ſit, cor ſuum Deo offerre.*

§. 1. *In ſenſu myſtico, qui incidit in latrones, figura fuit Adami labentis in peccatū.*

CAlamitoſum hominis iſtius, qui incidit inter latrones, ſtatum ad vivum exprimit litera Evangelii: In ſenſu myſtico, quæ in Evangelio dicuntur de miſero iſto homine, de Adamo, & toto genere humano; quæ de Samaritano, intelligenda ſunt de Chriſto Salvatore. Id in Palæſtina S. Hieronymus, in Græcia Sancti Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus & S. Chryſoſtomus, id in Aſia S. Auguſtin. in Italia SS. Ambroſius & Greg. M. id in Gallia S. Bernardus, id alibi alii SS. Patres & Doctores docuerunt: *Homo aliquis*; non quivis, ſed omnium radix, ſtirps & protoplaſtes, nomine Adam: is à Deo Opt. Max. creatus fuit in Jeruſalem, non illa cœleſti, ſed terreſtri, in loco voluptatis, in paradiſo, in viſione pacis pacatiſſimæ, excellentiſſimæ, dulciſſimæ, in qua cum Eva vitam agebat felicem. Hic homo locuples, rectus, ſanctus, perfectus, *deſcendit*, cum condeſcendit mulieri, guſtanti pomum prohibitæ arboris, violando mandatum Dei. Peccavit Adam, ſic deſcendit, ſic exivit ex Jeruſalem, ſic perdidit pacem, ſic ejectus fuit ex paradiſo. *In Jericho* qui fulſit quaſi ſol, factus eſt Luna, mutabilis, circumſtans, & enormi ſceleris macula contaminatus. *In Jericho*, in hoc mundo, extra paradiſum, *incidit inter latrones*. quorum dux fuit Lucifer, *qui deſpoliaverunt eum*, id eſt, Adamum, Evam, & totam illorum poſteritatem, omnibus opibus, gratiis & donis ſtatus innocentiæ, ita primos parentes noſtros exuerunt, ut puderet eos ſui ipſorum, & ideo Adam abſcondit ſe à facie Domini. Geneſis. 3. 11. *Et plagis impoſitis*.. plaga terribilis fuit ignorantia in intellectu; plaga graviſſima, malitia in voluntate; plaga crudelis, infirmitas in parte iraſcibili, & concupiſcentia, in potentia concupiſcibili. *Abierunt* exultantes, *ſemivivo relicto*: & periiſſet miſer, niſi veniſſet cœleſtis Samaritanus Chriſtus Jeſus, & hunc hominem, quo jam ſcitis modo, redemiſſet: Non permittit Exordium, ut excurram prolixius. Hoc moneo, quod fecit peccatum Originale in Adamo, idem in peccatore peccatum efficit mortale, actuale: cujus lethali vulneri nemo medicinam adhibere poteſt, niſi Chriſtus D. Pro immenſo præſtitæ redemptionis beneficio, hæc duo exigit. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto, &c. & proximum tuum ſicut te ipſum*: Cor tuum exigit mi homo; ſed cor non dimidium, non diviſum, non diſſectum in partes; ſed cor totum, cor integrum, cor perfectum. Quod ut tibi perſuadeam, age aures ſimul, atque animos arrige, pio corde, de cordis tui, quod ipſe Deus procatur, præſtantia differentem, attende.

§. 2. *Deus à nobis vult diligi, ex toto corde, quia eſt ſponſus noſter.*

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis, dicit Dominus Deuter. cap. 6. verſ. 5. & eadem verba

ba repetit Chriſtus Dom. in hodierno Evangelio Lucæ 10. Totum cor à nobis exigit divinus Amor, quia ex Juſtitia totum illi debemus. Socium, etiam æqualem, qui tamen eſſe non poteſt; multò minus inferiorem DEUS ferre non poteſt in amore. Et amori illius erga nos, ſatisfacere non poſſumus, (ne quidem modo imperfectiſſimo, cum inter Deum & creaturam, nulla poſſit eſſe æqualitas) niſi toto amore. Amat ſe amore infinito; amat nos amore ineffabili; & vult à nobis amari: cum verè amore infinito nos illum amare non poſſimus, ſaltem exigit amorem, quantum fieri poteſt, perfectum; perfectio verò amoris requirit, ut non ſit diviſus, ſed totus & integer; *Diliges ex toto corde:* totum hominem ex titulo Juſtitiæ exigit Deus; quiſquis non dat totum amorem, peccat contas Juſtitiam.

§. 3. Amor divinus in corde hominis, non admittit amorem creaturarum ſed deſtruit S. Gregorius.

Proprietatem & perfectionem hanc amoris, obvio ſimili nobis proponit Sanct. Gregorius M. dum ait, *Spiritus Sanctus*, (qui & amor eſt in Sanctiſſimæ Triados myſterio) *monet, movet, docet: Monet memoriam, movet voluntatem, docet rationem: nec minimam paleam intra cor, quod poſſidet, reſidere patitur, quam non igni circumſpectionis exurat:* Hæc eſt proprietas ignis, omnia combuſtibilia comburit: Et amor divinus in corde, quod poſſidet, comburit atque conſumit omnem amorem creaturarum, etſi palea tantum ſit: Videtur hoc ſimile alludere ad factum Moyſis contra erectum vitulum, Exodi 32. v. 20. *Arripiensque vitulum, quem fecerant*, (ut eſſet rivalis Dei, ut illum adorarent) *& contrivit uſque ad pulverem*: fecerunt quippe illum Deum, & non tantum ut ſocium Dei adorare, ac æqualem ſupremæ illi Majeſtati reddere attentarunt, ſed ſuperiorem: quid mirum igitur, ſi zelo ardens divina illa Majeſtas, vitulum illum, non ſolum dejecit & truncavit, ſed combuſſit, contrivit, ac in pulverem redegit objectum æmulationis, utique impatiens æmuli & ſocietatis, etiamſi vitulus ſocietatem admitteret. Quod jubente Domino cum vitulo fecit Moyſes, facit Spiritus S. & divinus Amor in corde, quod vult poſſidere, cum inordinato amore creaturarum: ſi cor conſentiat, ſi liberum arbitrium hominis ſe DEO ſuo, Creatori ſuo, Redemptori ſuo totum velit tribuere, concupiſcentia verò temerario auſu reluctetur, ſi carnalis homo debito & obligationi ſuæ, prout par eſt, nolit reſpondere, ſed DEO relicto ad adorandum vitulum contendat; ſedet hic quidem aliquamdiu in corde humano, dominatur in illo ad tempus: ſed tandem in agone, in fine vitæ, iratus Dominus, & armatus zelo furoris ſui, comburit illas paleas: primo à morte momento, rediguntur omnia in cineres. Hoc fieri neceſſum eſt, vel dum vivimus per amorē divinum, cum eximia noſtra laude & gloria, vel dum in morte mundus, & omnia

Digitized by Google

omnia mundi bona, id eſt, caduca & fallacia, vel invitis, & ad perditionem ſunt deſerenda. Totum cor, totam animam, totum amorem, totum hominem exigit DEUS.

§. 4. *Deus vult ſolus à nobis diligi, quia eſt ſponſus animarum noſtrarū.*

Verum clarius id perſpiciemus, ſi ad intrinſecam, ut vocant, hujus amoris divini rationem & proprietatem, imò eſſentiam, animum advertamus. Nam cum DEUS noſter, vero nos atque ſincero amore complectatur, imò ſit verè ſponſus parensque noſter, nulla prorſus ratione ferre poteſt, ut ſimul cum illo alium vitulum, quaſi Deum, vel alium ſponſum atque parentem, habeamus: cum verus amor, unitaté integritatemq; diligat in amato. Duos advertite titulos in antecedente: DEUS, ſponſus & parens noſter eſt: conſequentia eſt infallibilis, ergo ſolus à totâ ſponſâ, à toto filio vult amari. Priorem titulum declarat Sanctus Auguſtinus ad Adamantium cap. 13. definiens, quid ſit zelus in DEO. *Quod eſt voluntas cuſtodiens caſtitatem & corruptionem vindicans conjugalem*; *hoc enim zelo vocantur ad conjugium Dei, & non vult nos amore turpi corrumpi, & punit impudicitiam noſtram, & diligit caſtitatem* Itane? quævis anima ſancta, eſt ſponſa Dei, & Chriſto ſponſo, Spiritualis & cœleſtis matrimonii vinculo arctiſſimè conjuncta? itaque, cum in matrimonio deſideretur ſingularitas amoris, & ejus totalitas, & integritas; hinc fit, ut nec DEUS velit à ſua ſponſa dividi amorem, ſed requirit, velut zelotypus ſponſus, totum cor ſponſæ: ardentiſſimus DEI & Chriſti Domini veluti ſponſi amor, ſocium non admittit, imò nec ſi vellet, pati poteſt, quia ipſe contra ſe injuſtitiā admitteret, cui iñumeris titulis ex juſtitia noſtri debetur amoris totalitas. Unde nō tam præceptū amoris nobis impoſuit DEUS, cùm ex natura & juſtitia teneamur diligere; ſed modum præcepti, quando inquit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

§. 5. *Diabolus verò, hoſtis noſter, gaudet amorem & cor noſtrū dividi.*

Ideo humani generis hoſtis, diabolus, cum nec ſit ſponſus noſter, nec parens, neque nos amore, ſed odio potius proſequatur, parum penſi habet, an dividamus amorem, modo mundum amemus: non ille flagrat zelotypiæ facibus, non repellit complures alios procos, non odit rivales ſuos, gaudet plures adorari vitulos, deſiderat corda noſtra dividi, exoptat amores noſtros, in varios rivulos, modò nullus ſit purus, nullus limpidus, nullus cœleſtis; ſed impuri omnes, omnes ſordidi, omnes fœtentes, diffundi: hoc eſt nimirum, quod doctiſſimus Laurentius à Ponte acutè notavit in illis verbis Iſraëlitarum Exodi 32. v. 4. quod non dixerint de vitulo; Hic eſt DEUS tuus Iſrael; ſed, *hi ſunt dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti:* cum tamen unus eſſet vitulus: ſed quia falſum erat numen, ideo noluit nomen unitatis, quod eſt nomen veri amoris. Unus

nusDeus,in uno corde plures amores & DEOS non admittit, ut diabolus, qui ſponſus non eſt.

§. 6. *In judicio Salomonis vera Mater noluit dividi ſuum filiũ. Falſa Mater voluit id permittere.*

Typum ſanè pulcerrimum utriuſque amoris, Divini & terreni habemus in illo admirabili judicio Salomonis, lib.3. Reg cap. 3. v. 26. nam Rex ſapientiſſimus veram matrem agnovit, ex eo, quod noluit diviſum conſpicere filium, quia noluit infantem dipartitum. *Obſecro, Domine*, ait, *date illi infantem vivum, & nolite interficere illum*, reclamante interim alterâ, non verâ, ſed fictâ matre, *nec mihi, nec tibi dividatur*, Parte fuit contenta nequam mulier, licet ſciret inde ſecuturam mortem, Oleæ 10. verſ. 2. *Diviſum eſt cor eorum*, quid inde? *nunc interibunt*. Et quia vera mater non fuit, verè non amavit: ideoque ſociam admittere non dubitavit. At non ſic, quæ vera eſt mater; nam exclamavit: *Date illi infantem vivum*. Decretum mihi eſt potius, filio orbatam manere, quàm in poſſeſſione rei amatæ ſociam admittere. Maluit totum infantem vivum non poſſidere, quàm partem amplecti. Sententia Salomonis fuit: *Date huic infantem vivum, & non occidatur*, q. d. hæc eſt genuina mater, hæc verè diligit ſuum filiolum, quæ illum non dimidium, ſed totum atque integrum deſiderat.

§. 7. *Multò minus, Deus parens noſter, cor noſtrum vult dividi. Diabolus id permittit.*

Hoc inter Deum, diabolumque quotidie intercedit diſſidium: dividatur inquit diabolus, cor hominis, partem habeat ſuperbia, partem luxuria, partem ego; totum exigit Deus; mihi pars ſufficit; novit nempe malignus & aſtutus ſerpens ex hac diviſione cordis, ſubſecuturã mortem æternam: ſed quanti hoc æſtimet, qui nos non fecit, non creavit, non peperit, non redemit, qui gaudet hominem æternùm interire. At Deus qui verè parens eſt, qui nos in ſuo utero, ut ſcriptura loquitur; portavit ac peperit; qui ſponſus noſter ſãguinis eſt, id eſt, qui nos ſuo ſanguine redemit; non vult partem, ſed totum, diliges Deum Patrem tuum, Matrem tuam, ex toto corde tuo: Deus vult infantem vivum, non mortuum. Et ideò, ſi totum cor Deo non damus, ſi ad diviſionem accedimus, ne partem tantummodò accipiat, totam cordis ſubſtantiam dæmoni, aliiſque tyrannis relinquit: quid inde? interitus & mors æterna. Ex hoc Deus Pater & parens noſter eſt, quia integros, quia totos, quia unos, quia vivos nos deſiderat; ex hoc ſpõſus eſt, quia non partem amoris, ſed totam ejus eſſentiam ambit. Si pars offeratur, furit ejus zelus; amor non quieſcit.

§. 8. *Sponſus vel maritus vindicat in ſponſa & conjuge violatam fidem, multò magis Deus.*

Admirabile hoc eſt, etſi aliquis ſponſus vel maritus tenerrimè ſimul atque ardentiſſimè diligat ſponſam vel conjugem, ſi tamen rivalem deprehendat, ſi corruptam conjugalem caſtitatem, ſi violatam fidem animadvertat, ſic excandeſcit amor, talem induit zelum, ut illicò commutato amore non ſolùm ſocium, ſed & ſponſam, ſed & conjugem, internecione deleat, ut juſtum furorem oſtendat, de quo multa Prophetæ.

Digitized by Google

Et cum hic zelus juſtus atque rationabilis videatur, quid miramur, quod tandem Deus in animam adulteram, & rivales diabolos, æternis ignibus animadvertat? Per fidem, caritatem, aliaque chariſmatum dona, in baptiſmo & juſtificatione Chriſtus Dom. *fit unus Spiritus cum anima*, ut inquit Apoſtolus, vereque per unionem gratiæ matrimonium cum illa contrahit ſpirituale, non ſecus ac vir & uxor, carnale; ex quo, ſicut iſti, per illud unum fiunt corpus, & caro una, juxta Doctorē gentium, ſic Deus cum anima per gratiam unus fit ſpiritus, quod erat illud, quod Chriſtus D. tam ardenter petiit, Joan. 17. verſ. 21. *Pater, ut ſint unum in nobis*, hoc eſt, unitate ſpirituali, per fidem & caritatem, *ſicut & nos unum ſumus.* Cùm itaque homo, per quodvis peccatum mortale, in gratiam rivalis diaboli, vel mundi & carnis commiſſum, hanc unitatem ſolvat, fidem frangat, & cor ſuum dividat, mirari non debemus, quod Deus & Chriſtus D. & Spiritus S. hoc ſentiant. Uti viro ab adultera ſumma infertur injuria, turpitudo, infamia, macula, fœditas, ita anima peccatrix, quantum eſt in ſe, dum adhæret diabolo, fit adultera, & divinam fœdat atque contaminat pulcritudinem. Hinc ardens zelus & deſiderium vindictæ, & ſuo tempore, ipſa vindicta, qua tandem conteritur, & redigitur in cineres, inſani amoris monumentum, vitulus. Ex quibus clarè poteſtis intelligere, quid à nobis Deus exigat his verbis; diliges Dominum Deum tuum, & Sponſum tuum, & Patrem tuum ex toto corde tuo. In cordibus noſtris non vult tolerare ſecum diabolum, neque inordinatum amorem cujuscunque creaturæ. Quodvis peccatum mortale eſt ſpirituale adulterium, per quod diſſolvitur unio gratiæ, & conſequenter amor, quem Deo debemus, expellitur.

§. 10. *Arca & Dagon ſimul ſtare non potuerunt: multò minus Chriſtus D. & diabolus in uno corde morantur.*

Libro 1. Reg. cap. 5. v. 2. *Tulerunt Philiſtini arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon.* Nimirum voluerunt adorare & honorare Deum Iſraëlis, & ſuum Dagon, & quemadmodum utrumque ſuis complexi ſunt affectibus, ita putarunt illos ſub uno tecto, atque uno in templo, quietos invicem ac pacificos permāſuros. Placuit quidem Deo arcam ad tempus in illo loco permanere, ſtetitque arca, ſed Dagon ſupernâ vi in terrâ corruit, truncus, ſine capite, ſine manibus, colliſus à facie arcæ, ut ne breviſſimo quidem tempore ſtare potuerit cum illa. Multò minus in uno templo cordis humani, ſimul ſubſiſtere poſſunt arca gratiæ, ſive Chriſtus D. & diabolus ſive peccatum mortale. Advertite hoc mortales cæci! advertite, quicunque Deo ſimul ſervire vultis, & Mamonæ, quicunque ſimul Veneri placere vultis, & Mariæ: quicunque ſimul ſectari mundi caſtra, ſimul Chriſti partes deſideratis. Hoc eſt, contrariis ſemetipſum ſtudiis incaſſum fatigare. Sed fallor! non in caſsū, in pœnam hoc propriam, in propriā damnationem, æternùm miſerandos labores atque amores impendere. Quiſquis Chriſtum ſuo in corde

hoſpi-

Digitized by Google

hoſpitem cupit, turpe Dagonis idolum ejiciat, neceſſe eſt. non bene conveniunt, nec in una ſede morantur.

§. 10. Chriſtus D. non fuit ingreſſus ædes Principis, antequã ejiceretur turba.

Matthæi 9. v. 23. *Cum veniſſet Ieſus in domum Principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat; ſecedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit.* Et cur miraculum operaturus, ſuique nominis claritatem ex illo oſtenſurus turbam ejicit è domo? nunquid fuiſſet ad gloriam majorem, ſi miraculo plebs interfuiſſet? Paucis reſpondet S. Chryſoſtomus hom. 32. *Fuit turba tumultuans, irridens Chriſtum D. ipſi inimica, ergo prius fuit ejicienda, antequam ipſe intraret, poſtquam ejecta fuit, ingreſſus eſſet.*

§. 11. Nec Deus elegit primogenita Iſraelis, antequã occiſa eſſent primogenita Aegypti.

Pulcrè obſervavit S. Ambroſius de Cain & Abel l. 2. c. 4. non ante Deum in populo Iſraelis vendicaſſe ſibi primogenita, quàm occiſa eſſent primog. Ægypti, *meum enim eſt omne primogenitum, ex quo percuſſi primogenita Ægypti.* Num. 3. 13. *Ergo non ante,* ait S. Ambr. *quia cum interficitur impius, Chriſtus infunditur. & ubi abominatio aboletur, ſanctificatio cumulatur: cum enim renuntiatur improbitati, ſtatim aſciſcitur Virtus. Egreſſus malitiæ, virtutis operatur ingreſſum, eodemque ſtudio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* Digna ſunt hæc auro, cedroque verba. Egreſſus malitiæ, operatur ingreſſum virtutis: egreſſus ſuperbiæ, humilitatis introitum: egreſſus luxuriæ, caſtitatis adventum, &c. Jurati ſunt hoſtes Virtus & Vitium, Mundus & Cœlum, Caro & ſpiritus: Satanas & Chriſtus. Unius generatio, corruptio eſt alterius, ut inquiunt Philoſophi, & corruptio unius viciſſim generatio alterius. Vidimus modo, quem in cordibus noſtris hoſpitem fovere oportèat; videamus, quemnam è duobus, tam præclaro digniorem hoſpitio judicemus.

§. 12. Quamprimum diabolus intravit cor Iudæ, juſſus eſt exire à Chriſto Dom.

Judas proditor mihi veritatis hujus clariſſimum eſt ſpeculum: cum Diabolus poſt buccellam intravit cor ejus, ſtatim illum Chriſtus à ſuâ expulit præſentiâ, tanquam impatiens talis conſortii, unaque conſiſtere non valens: unde ait, *quod facies, fac citius.* Joan. 13. v. 28. q. d. vade, perge, diſcede à meo latere. S. Ambroſius: *Ejicitur itaque, atque excluditur, eò quod jam cum Domino Ieſu eſſe non poſſit, quia cœperit eſſe cum diabolo; unde ſtatim imperio compulſus exivit & exceſſit, ſicut legimus in Evangelio, qui cum accepiſſet buccellam, exivit continuò, erat enim nox. Non ſolùm exivit, ſed continuò & nocte exivit:* In uno corde, Chriſtus & diabolus ſimul eſſe non poſſunt: Alibi hanc veritatem ipſe claris verbis propoſuit: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire:* in hodierno Evangelio ait; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

§. 13. Quale cor Deus à nobis deſideret.

Cum Deus vel Chriſtus Dominus Spirituale ſuum regnum in aliquo corde vult ſtabilire, ut ſit ipſe Rex & Dominus cordis humani: Unitatem requirit: hoc adverto ex illis verbis ad Salomonem lib. 3. Reg. c. 9. v. 4. dum ad firmitatem regno Davidico promiſſam, obtinendam, ſic ait Dominus: *Tu quoque ſi ambulaveris coram me ſicut ambulavit Pater tuus in ſimplicitate cordis, ponam thronum regni tui ſempiternum.* Quid ſit ſimpli-

 ci-

Digitized by Google

plicitas cordis explicat Job c. 1. v. 1. *Et erat ille vir ſimplex & rectus.* Ob Hebraicam voculam, *Thamam*, li ſimplex variè uſurpatur, Jobi c. 9. v. 20. ponitur. *Innocens.* Gen. 6. v. 9. *Perfectus*: Levitici 23 v. 26. *Plenus.* Iſaiæ 1. v. 11. *Sanus.* Ezech. 5. v. 8. *Integer vel totus.* Pſalm. 118. v. 80. *Immaculatus.* Vos unà mecum hic Auditores, ſi lubet, ſanctam hanc ex cœleſti Rhetorica, figuram, gradationem conſiderate. Eſt ſimplex cor noſtrum, cum eſt innocens: cum innocens eſt, perfectum eſt: cum perfectum eſt, plenum eſt: cùm plenum eſt, integrum eſt: cum integrum eſt, totum eſt: denique cùm totum eſt, immaculatum eſt. Ita non niſi totum cor eſſe oportet, ſi illud mundum, omnisque maculæ expers, Deo tuo cogitas exhibere, cave ſis, vel minimam partem ab eo avellas. Aut totum, aut nullum amat cor, qui nos diligit Sponſus Jeſus. Advertite præterea: quinam diligant Deum ex toto corde, ſancti, innocentes, perfecti, pleni virtutibus, immaculati, integri, qui ſe totos Deo conſecrant & dedicant.

Verùm, tunc cor hominis Deo datur, inquit S. Bernard. epiſt. 356. *quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyrat, & circumflectitur ſuper eum, & nihil vult poſſidere, penitus, præter ipſum: ſic colligato ſibi animo eum diligit, ut ſine ipſo amarus ſit omnis amor.* Amor hic, facit nos delectabiliter tendere in Deum in omnibus, in cogitationibus, verbis & operibus, toto conatu, tota virtute: & eſſe in ipſo, & per conſequens, quantum eſt de ſe, facit nos perſiſtere in Deo, & conſervat nos in ipſo, quia quilibet libenter perſiſtit in actu delectabili. Nihil autem in hoc mundo eſt delectabilius & præſtantius, quàm amare Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Experientia vos docebit, eſſe hæc veriſſima. Ite ergo, & diligite Deum veſtrum, ite & veſtra illi corda pro piiſſimo munere repræſentate; ſed amabo vos, tota corda, corda integra, corda perfecta. Hoc ſolo munere, quod nulla ex parte diviſum, quod nulli alteri aut quovis modo transſcriptum, divinos vobis, id eſt, æternos favores, atque amores comparabitis.

§. 14. *Quid ſit cor ſuum Deo offerre demonſtrat.*

CON-

CONCIO XLIII.

DOMINICA XIV. POST SS. TRINIT.

Occurrerunt ei viri decem leproſi, Luc. 17. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

LUxuria eſt lepra animæ turpiſſima, à qua non niſi ſanguine Chriſti mundari poteſt.

§. 1. *Omnes quos Scriptura ait, occurriſſe Chriſto D. vel fuiſſe ab illo conſpectos, fuerunt felices*

§. 2. *Turpitudinem luxuriæ S. Scriptura non poteſt ſatis explicare.*

§. 3. *Quare toga polymita Joſephi tincta fuerit ſanguine hædi.*

§. 4. *Puritati Salvatoris nihil ſic adverſatur ſicut lepra luxuriæ.*

§. 5. *Puriſſimus Jeſus ferre non poteſt luxuriam, quia eſt turpis macula.*

§. 6. *Oppoſita inter gratiam & lepram luxuriæ.*

§. 7. *Miſerabilis ſtatus leproſi, ſive luxurioſi ex Ezechiele.*

§. 8. *Apoſtrophe ad animam leproſam.*

§. 9. *Deſcriptio ſive elegantia Animæ ſanctæ, ex eodem Ezechiele.*

§. 10. *Strages luxuriæ in Anima ſancta ex Ezechiele.*

§. 11. *Quædam analogia inter lepram corporis & animæ.*

§. 12. *Sanguis Jeſu Chriſti mundat tam turpem lepram: figura ex Vet. Teſt.*

§. 13. *In Novo Teſt. figura fuit Probatica Piſcina.*

§. 14. *Dictum Hannibalis.*

§. 15. *Hanc efficaciam Sanguinis Chriſti diabolus fuit confeſſus.*

§. 16. *Heroicum facinus Pantheonæ.*

§. 17. *Pro immenſo beneficio Chriſto D. ſimus grati.*

§. 18. *Eundem ſanguinem, quo mundati ſumus, illi offerendo.*

§. 1. *Omnes, quos ſcriptura. ait occurriſſe Chriſto,*

OMnes, de quibus Evangeliſtæ referunt, quod occurrerint Chriſto D., vel ab eo fuerint conſpecti, ter felices appello, neque enim ille occurſus; vel aſpectus contigit ſine peculiari beneficio. Summa felicitas fuit, CHRISTO, dum in *vel fuiſſe ab illo conſpectos fuerunt felices.*

Digitized by Google

in terris viveret, occurrere: ſumma beatitudo, illius frui conſpectu. Cùm aliquando veniret in terram Geneſareth, occurrerunt ei duo dæmoniaci, Matthæi cap 8. v.32. habitantes in monumentis, tam ſævi, ut nullus illac tranſire auderet: Occurſus ille illis tam fuit fauſtus, ut liberati fuerint à legione dæmonum. Aliquoties occurrerunt illi cæci, & reſtituit illis viſum. Occurrit illi ad portas Naim funus defuncti adoleſcentis, & ſuſcitatũ à mortuis, reſtituit matri afflictiſſimæ viduæ. Mortuo Lazaro Joan.11.v 21.in Bethania, occurrerunt Chriſto Domino binæ ſorores, Martha & Magdalena, à quibus deductus ad ſepulchrum, fratrem vitæ & ſororibus reddidit. Nihil dicam de Cananæa & multis aliis. De Zachæo & S. Matthæo ſcimus, quid illis profuerit videri à Chriſto D. Matth.19.v.5. Alterum vidit in telonio, alterum reſpexit in Sycomoro, aliquos Apoſtolos ſub ficu, & radiis oculorum ſuorum veluti aureis funiculis, omnes poſt ſe attraxit. In hodierno Evangelio occurrerunt illi decem viri leproſi, & mundati, & ſanati ſunt à lepra. Turpiſſimus hic morbus in corpore humano, ſolet eſſe materia Concionum hodierna Dominica, ut per illius turpitudinem, ſigna, affectus & proprietates, alia lepra ſpiritualis in anima, quàm turpis, quàm fœda, quàm abominabilis illa ſit, nobis demonſtretur. In communi talis lepra eſt quodlibet peccatũ mortale, prout alias oſtendo. In particulari, turpis lepra eſt ſuperbia, lepra voluptatum illicitarum ſitis, lepra hypocriſis, &c. ſed omnium longè fœdiſſima lepra eſt luxuria: hoc demonſtrare, hac concione, mens eſt. Scopus autem & finis eſt; ex gravitate & ſpurcitia periculoſi atque contagioſi morbi, quem omnes abominantur, malitiam & turpitudinem luxuriæ ita depingere, ut ea ratione ad ſummopere execrandum, cavendum, profligandumque illud malum, mens noſtra impellatur, & ut, ſi quis fortaſſis hac lepra infectus ſit, de ſerio & efficaci cogitet remedio, in quam metam, altera concionis meæ pars, collimabit.

Turpitudinem hujus lepræ in anima hominis, quæ libido vel luxuria dicitur, ipſa ſacra Scriptura vix ſufficienter poteſt explicare. Per Ezechiel cap.22. v.15. hæc minatur Dominus. *Diſpergam te in nationibus, & ventilabo te in terras, & deficere faciam immunditiam tuam à te.* cap.23.v.7. *Et dedit fornicationes ſuas ſuper eos electos filios Aſſyriorum univerſos, & in omnibus, in quos inſanivit, in immunditiis eorum polluta eſt.* cap.24. v.13. *Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non mundata à ſermonibus tuis.* cap.23. v.30. *Qui in ſanguine comeditis; & oculos levatis ad immunditias veſtras.* Michæ cap.2. v.10. *Propter immunditiam ejus, corrumpetur putredine peſſima.* Præter ſimiles loquendi modos, & verborum varietatem. Immunditia, fornicatio, inſania, pollutio, ſordes, fœtidus ſanguis, corruptio, putredo peſſima, vermi- *§. 1. Turpitudinem luxuriæ S. Scriptura non poteſt ſatis explicare.*

no-

Digitized by Google

noſum vùlnus, verbo, lepra eſt luxuria & inſana libido.

§. 3.
Quare toga polymita Ioſephi tincta fuerit ſanguine hædi.

Non ſine myſterio exprimit ſacer textus, cujus animalis ſanguine intincta fuerit pulcra illa toga polymita Joſephi, à fratribus, poſtquam illum vendidiſſent, nimirum hædi, vel hirci, animalis fœtidi & libidinoſi: turpiſſimus eſt hic ſanguis, graveolens, ſtatim putreſcens: hic cruor valdè defœdavit togam Joſephi. Sic pulcherrimam veſtem innocentiæ, gratiæ, caritatis, aliarumque virtutum, nullius peccati macula, vel lepra, ita fœdat, deturpat & commaculat, ſicut abominabile peccatum luxuriæ. Inter gemmas virtutum, inter uniones donorum Spiritus Sancti, inter margaritas & lapides pretioſos aliorum chariſmatum ornamentum ingens pulcerrimæ veſtis, ſunt carbunculi, ſive, guttæ pretioſi Sanguinis CHRISTI Salvatoris; ſed ſanguis hirci, macula & lepra luxuriæ, tam eſt abominabilis, tam pernicioſa, tam peſtilens ac virulenta, ut momento roſeum illum divini ſanguinis liquorem abſtergat: quo fit ut ſua veſti pulcritudo decedat, & in vicè purpuræ ſuccedat is, quem Iſaias cap. 64. verſ. 6. deſcribit, deformis habitus, pannus menſtruatæ; O Anima! tantum eſt malum lepra ſpiritualis! tanto privat pretio, tanto te ornamento exuit luxuria! vide modo, ut eam cane pejus & angue fugias, horreas, execreris.

§. 4.
Puritati Salvatoris, nihil ſic adverſatur, ut lepra luxuria.

D. Algerus l. de Sacram. hoc advertit: *Unde ſciendū quia Agnum Dei ſine maculâ, qui Virginis eſt Filius, luxurioſi & inceſtuoſi ſumunt periculoſius, quia in Sacramento Chriſti, ei uniri debemus, conformitati autem paſſionis & munditiæ, & paſſioni Crucis nihil ſic adverſatur, ut voluptas; nihil ſic munditiei, ut fœditas, nihil ſic ejus unioni, ut fornicaria ſocietatis unitas.* Addo ego, Puritati Salvatoris, ſicut lepra luxuriæ. *Corpora ſubjecta peccatis carnalibus* (id eſt, infecta hâc turpi leprâ ait Sanct. Ambroſius,) *non viva habentur, ſed mortua:* conſequenter corrupta, putrida, verminoſa, & quomodo poterunt eſſe templum & habitatio Filii puriſſimæ Virginis?

§. 5.
Puriſſimus Ieſus ferre non poteſt luxuriam quia eſt turpis macula.

Cap. 59. v. 2. his leproſis ait Iſaias, *peccata veſtra abſconderunt faciē ejus à vobis.* Sanctus Hieronymus hic. *Hoc oſtendit, quod fœtorem peccatorum & iniquitates eorum non ferre potuerit, ne eorum putredinem cerneret.* Ezechiel tali leproſo ait, cap. 16. v. 25. *Abominabilem feciſti decorem tuum.* Eccleſiaſt. cap. 47. v. 22. *Dediſti maculam in gloria tua:* Syrus, *in honore tuo, & profanaſti ſemen tuum*, Syrus: *& opprobrio affeciſti ſtatum tuum.* q. d. Maculaſti, deturpaſti tuam gloriam, tuam innocentiam & puritatem, fœda & indelebili macula ignominioſæ libidinis; ſicut ſtola alba, candida byſſus deturpatur injecto atramento, vel ſtercore; & roſea purpura injectis excrementis; quæ puriſſimus JESUS execratur.

§. 6.
Oppoſita inter gra-

Duo advertite. Vitæ innocentia, gratia, caritas, ſanctitas, amicitia

tiam, & lepram luxuriæ.

micitia cum Deo, ejus filiatio, deſponſatio cum eo, & ſimilia, ſunt ingens gloria, ſummus honor, decor, pulcritudo, venuſtas, aureus quaſi lectus vel thronus pro inhabitatione Spiritus Sancti, & quiete totius Sanctiſſimæ Trinitatis; talis anima, conſtituta in ſtatu tantæ gloriæ & felicitatis, eſt ornata & induta veſte pretioſiſſima, quam vivis coloribus alibi depingo. Sed advertite & alterum; lepra peccati mortalis cujuſcunque, & potiſſimùm luxuriæ, eſt abominatio, macula, opprobrium, turpitudo, infamia, ignominia, & quidem indelebilis, incurabilis, abominabilis: Eſt quaſi atramentum, ſtercus, lues, peſtis, pix, quæ maculat, deturpat, infamat, abominabilem reddit omnem priorem gloriam & pulchritudinem.

§. 7. *Miſerabilis ſtatus leproſi ſive luxurioſi ex Ezechiele*

Gloriam & pulcritudinem animæ ſanctæ variis ſimilibus proponit & deſcribit Ezechiel cap. 16. v. 4. Poſtquam deſcripſit miſerabilem ſtatum, in quo jacet anima hominis dum naſcitur in hunc mundum: *quando nata es, non eſt præciſus umbilicus tuus, nec involuta pannis, non pepercit ſuper te oculus*, id eſt, nemo fuit tui miſertus; *ſed projecta es ſuper faciem terræ, in abominatione animæ tuæ, ſordibus matris cooperta, abominabilis, illota, nuda, conculcata in ſanguine tuo*, tota ſordida, inculta, miſerabilis, immerſa luto, confuſione plena, ſerva, captiva, ligata vinculis, deſerta à Deo. Sic hominem ante baptiſmum tractat peccatum originale, per hujus maculam ad tam miſerabilem redigitur ſtatum: Poſt baptiſmum vero, poſt collatam gratiam juſtificantem, idem facit peccatum mortale, & præſertim lepra luxuriæ.

§. 5. *Apoſtrophe ad animam leproſam.*

Agnoſce tuas calamitates Anima leproſa, vide nuditatem tuam, & confundere; aſpice ſordes, quibus jaces involuta, & ingemiſce. Tu Veneris mancipium, tu Amaſia Aſmodæi, quid gloriaris? projecta es ſuper faciem terræ. Quid rides in deliciis? non pepercit ſuper te divinus oculus, nec parcet æternùm. Quid tripudias immerſa voluptati? cœnum tua eſt voluptas, non cœlum; ſordes ſunt, non ſortes, I miſera; I gratiæ veſtimento ſpoliata, defraudata nobiliſſimo divini ſanguinis pretio Anima, I miſerabilis, inculta, ſordida, nuda Anima! eò majus eſt malum hocce tuum, quò tu illud minus arbitraris; eò eſt peſtilentior hæc lepra, quò minus tu illam pertimeſcis, eò exitialior luxuria, quò minus ejus venenum ab incautis advertitur.

§. 6. *Deſcriptio ſive elegantia Animæ Sanctæ ex eodem Ezechiele.*

Miſertus verò Dominus in cit. cap. Ezech. ait: *Lavi te aqua*, id eſt, abſterſi ſordes paupertatis & ignominiæ tuæ, teque honeſtam, divitem, & formoſam effeci: *Lavi te*: id eſt, maculas tuas elui in ſanguine meo: Deinde *unxi te*: hoc erat moris, ut novæ nuptæ lavarentur, dein pretioſo balſamo ungerentur; myſtice, ait Orig. *Unctio eſt inhabitatio Spiritus S. in gratia.* Tertio, *Indui te* veſtibus pretioſis, togâ interiori & exteriori; exterior, eſt modeſtia, affabilitas, reverentia, comitas. Interior, eſt Juſtitia; quæ omnium dicitur virtutum complexio. 4. *calceavi te* calceis ex Santhino

ſive

Digitized by Google

ſive hyacintho, violacei coloris, quo anima Sancta omnia terrena quaſi pedibus conculcat. *Hyacinthus enim*, ait S. Hieron. *aerii coloris eſt, ut rapiatur in occurſum Domini, & ad cœleſtia feſtinet*: Idem color, eadem gemma ſignificat animum regium & excelſum, qui in cœlis fixus omnia terrena peſſundat & proterit. Cingitur 5. talis ſponſa byſſo, ſive faſciâ, ex candidiſſimo lino: hoc cingulum ſignificat caſtitatem, cor purum, conjugalem fidem & amorem 6. Ornata eſt auro, & argento, ut nihil dicam de armillis, de añulis, de circulis aureis, &c. 7. Corona capitis eſt elegantiſſima & ingentis pretii. His omnibus ſimilibus conatur Ezechiel declarare gloriam, decorem & honorem Animæ ſanctæ.

§. 10. *Strages luxuriæ in Anima Sancta ex Ezechiele.*

Sed quænam eſt illa macula, illa ſpurcities, quæ illam momento his omnibus ornamentis privat? nec privat tantum, ſed & abominabilem facit, qualem paulò ante deſcripſi? Verbis ipſiuſmet Ezechielis reſpondebo. O miſera: fornicata es; incidiſti in luxuriam, facta es leproſa. Fornicata es, & tuliſti vaſa decoris tui, de auro meo atque argento meo, quæ dedi tibi, imò te ipſam, quæ fuiſti Vas excelſi admirabile, dediſti inquam Diabolo; veſtem tuam candidam, cingulum byſſinum, tuam purpuram, tuas gemmas, dediſti amatoribus tuis; abiiſti poſt veſtigia hircorum; illorum maculata ſanguine, & facta es iterum abominabilis. Et ſumpſiſti veſtimenta tua multicoloria, & operuiſti illa ſordibus. Oleum meum & thymiama meum evanuit, in te, & repleta es fœtore; panem meum, quem dedi tibi, ſimilam, & oleum, & mel, quibus enutrivi te, rejeciſti & reſpuiſti, ut comedas ſiliquas porcorum. Poſt omnes abominationes tuas, facta es iterū nuda, & confuſione plena, conculcata in ſanguine tuo. Et accidit poſt omnem malitiam tuam, *Væ, væ* tibi, ait Dominus, abominabilem feciſti decorem tuum: hic ſcilicet eſt effectus lepræ cujuſcunque peccati mortalis, ſed præcipuè, ut litera verborum ſonat, luxuriæ. Ita lepræ hujus turpitudinem deteſtantur ſacræ literæ.

§. 11. *Quædam analogia, inter lepram corporis & Animæ.*

Sed nondum ſatis; audite mei Moguntini, quid Levit. cap. 1. v. 8. per Moyſen dicat Dominus: lepra eſt diverſus color, puſtula in cute, mutans colorem & ſpeciem, in corpore hominis, in cute, carne & membris: Turpis, fœda, abominabilis eſt hæc mutatio hominis formoſi in deformem. Turpior longè, fœdior & deformior eſt in anima illa mutatio, ille color, quem luxuria cauſat. Lepra in corpore humano, vel in leproſo exterius, oculos ex contractione palpebrarum facit rotundos, & ut appareant ſcintillantes; membra reliqua reddit languida & arida: totum corpus replet puſtulis, & nigris maculis, ex quibus oritur intolerabilis prurigo. Numer. 12. v. 12. Moyſes haud aliter loquitur de leprâ, quàm de fœdo verme, dum ait de ſuâ ſorore: *Ecce jam medium ejus devoratū eſt à lepra*, tam turpis illa eſt lues, ut leproſus ſuo anhelitu alios inficiat:

Sed abominabiliores longè ſunt affe-ctus luxurioſæ lepræ in anima: Libidinoſi, quàm perverſos, quàm ad omnem nequitiam ſcintillantes rotant oculos? plenos adulteriis, jam rubicundos ab intemperantia, jam atroces ab ira, jam pallidos ab invidia. Conſtat, quàm ſint aridi & languidi in cultu divino; quanta iis inſit prurigo & inclinatio ad omnia ſcelera. Vermis eſt libido, quæ omnia devorat: contagio eſt, quæ ſerpit. Sed, adverto, veſtram puritatem ab his ſordibus abhorrere, proinde acquieſco, modò apprehenderitis, luxuriam eſſe turpiſſimam lepram.

§. 12. Sanguis Ieſu Chriſti, mundat tam turpem lepram. Figura ex Vet. T. ſt.

Venio nunc ad alteram concionis partem: Contra lepram corporalem varia præſcribuntur remedia, lepra ſpiritualis non habet, niſi unicum, ſanguinem ſcilicet Agni im̃aculati, Chriſti Salvatoris noſtri. Figura fuit prodigioſus fluvius Jordanis, cujus aquæ ſanarunt lepram Namani: figura fuit mare rubrum, in quo ſubmerſus fuit Pharao: figura fuit ſanguis Agni Paſchalis, & aliarum victimarum, quas obtulit Moyſes in peccatorum emundationem: hæc ex veteri Teſtamento: in Novo, Jordanis, mare rubrũ, Sanguis Agni, eſt divinus ille Sanguis, quem Salvator mundi pro nobis in Cruce effudit. S. Cyprianus l. de paſſ. *Vulneri tam putrido* (dicam ego, lepræ tam *putrida*,) *& antiquarum cicatricum fœtori, non inveniebatur medicamentum aptum, niſi unguento Sanguinis Chriſti, plaga vetus liniretur.*

§. 13. In Novo Teſt. figura fuit, Probatica piſcina.

Figura fuit piſcina probatica Jeroſolymis Joan. 4. v. 9. de quâ Sanctus Ambroſius ait: *Erat hæc piſcina miraculum figura adventus DEI noſtri JESU Chriſti, qui in hunc mundum paſſurus venit, ut per paſſionem ſuam & mortem*; & Sanguinem crucis, *humanum genus infirmum* (& leproſum) *ſanaretur.* Quinque porticus illius piſcinæ, ſignificant Chriſti Crucifixi, quinque Vulnera principalia, ut ait Sanctus Vincentius Ferrerius, ſerm. 2. fer. 6. poſt 1. Dom. quadr. & in mirabili illâ aquâ, prodigioſæ piſcinæ ſignificatur ſanguis à Chriſto in Cruce copioſè profuſus. *Et ſicut illa aqua ſanavit, ita Chriſtus emundavit nos per mortem, juxta illud: Sanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit, immaculatum DEO, emundavit conſcientiam noſtram:* nimirum infectam lepra peccati mortalis. Hic divinus cruor, eſt Divina piſcina, in qua leproſi ſanantur.

§ 14. Dictum Hannibalis.

De Hannibale Carthaginenſi refertur, quod dum in prælio videret foſſam hoſtium effuſo cruore plenam, exclamarit: *O pulcrum Spectaculum!* Jucundius longè ſpectaculum nobis præbet mons Calvariæ; in una v. g. porticu divinæ piſcinæ, in Vulnere ſiniſtri Pedis momento lavantur & ſanantur infecti malâ lue ſuperbiæ. *O pulcrum Spectaculum!* In altera porticu, in Vulnere dexteri pedis conſpicimus ſanari hydropem avaritiæ: *O pulcrum ſpectaculum!* In Vulnere lævæ manus ſpectamus frigidos pigritiæ catarrhos, velut ſpongia diſcuti & diſ-

Digitized by Google

& diſſipari: Spectaculum jucundum! In manu dextera, ferventes iracundiæ motus, ceu malignantes febrium paroxiſmos depelli, atq; curari animadvertimus. Spectaculum jucundum! In ter benedicto Vulnere divini Lateris, turpiſſima luxuriæ lepra curatur. O Sanctum, O felix, O iterum, iterumque jucundum ſpectaculum! ſed Sanguine opus eſt ad delendas hujus lepræ maculas, ſanguine è divini lateris fonte expreſſo; Sanguine puriſſimo, Sanguine Agni immaculati.

§. 15. *Hanc efficaciam Sanguinis Christi Diabolus fuit confeſſus.*

S. Edmondus hiſce dæmonem verbis aliquando affatus dicitur, *Adjuro te per aſperſionem Sanguinis Jeſu, ut dicas, in quo facilius te vincere poſſim.* Cui dæmon ſuperiori vi coactus reſpondit: *in eo, quod nominaſti*, id eſt. in Sanguine, in cujus virtute me adjuraſti. Lepra peccati mortalis, & præſertim, de qua egi, luxuriæ, tam eſt turpis, fœda & abominabilis, ut ſi illa infectus, turpitudinem probè perſpiceret: ſine dubio ſtatim accurret ad medicum aliquem ſpiritualem, diceretque: Adjuro te per aſperſionem ſanguinis Chriſti, ut mihi dicas, in quo lavari & mundari poſſim ab hâc leprâ. Audite leproſi! audite libidinoſi, in hoc, quod nominavi, in Sanguine Chriſti: Vulneri tam putrido, lepræ tam abominabili, non invenietur medium conveniens, niſi unguento pretioſi hujus ſanguinis plaga liniatur.

§. 16. *Heroicum facinus Pantheonæ & ni- mii amoris in maritum.*

Cùm Abradax ſtrenuus belli dux in prælio cecidiſſet, ejus Conjux, quæ tenerrimè maritum amabat, (nomen illi fuit, Pantheona,) pectus ſuum, mortali vulnere aperuit, cadens ſupra corpus mariti, proprium Sanguinem ſupra ejuſdem vulnera copioſè effudit, perſuadens ſibi fore, ut ſuo ſanguine Marito vitam reſtitueret; forſan amore perſuaſa; ait Vega, *quod calore ſui ſanguinis illum eſſet vivificatura.* Sed erravit, & ipſa defecit, & ipſa cecidit exanimis, mortem oppetiit: neque enim humano Sanguini, licet amore ferveat, ineſſe poteſt virtus, ut vitam reſtituat. Chriſtus verò Filius Dei, animarum noſtrarum ſponſus in Cruce, ex apertis quinque hiantibus Vulneribus, & diviniſſimo potiſſimum corde, pro nobis ſanguinem dedit, ut etiam mortuus fuerit in Cruce, ſed mox reſuſcitatus, illo ſanguine vivificavit nos omnes, vulnera ſanavit, & lepram turpiſſimam mundavit: Niſi filius Dei Sanguinem pro nobis fudiſſet, niſi ipſe hos fontes aperuiſſet, genus humanum, fœdiſſima etiamnum lepra obſitum jaceret; neque enim alia medicina, præter hunc ſanguinem eſſe potuit.

§. 17. *Pro immenſo beneficio Chriſto ſimus grati.*

Ex decem viris leproſis in hodierno Evangelio ſanatis non niſi unicus, qui Chriſto gratias ageret, reverſus eſt: & oſtendit Salvator ſibi diſplicere hanc ingratitudinem; ne & nos diſpliceamus, poſtquam per ſanguinem Chriſti ſanati, loti, uncti & ornati ſumus, agamus illi intimas gratias. Hoc modo: Apud Judæos incenſio, & oblatio thymiamatis erat ſacrificium perfectiſſimum, & odor ejus in conſpectu Dei ſuaviſſimus, &

Digitized by Google

ut eſſet ſuavior, & Deo magis placeret, victimarum immolatarum ſanguis inferebatur in Sancta Sanctorum vel in tabernaculum, de quo vide Caput 4. Levitic. verſu 16. *Immolatoque vitulo, &c.*

§. 18. *Eundem ſanguinem, quo mundati ſumus, illi offerendo.* Eja hic quoque noſter ſit amor ſit ingenioſus, ut Chriſto D. pro immenſo beneficio, quo nos in ſanguine ſuo mundavit, in gratiarum actionem munus pretioſum illi offeramus, & quidem eundem ſanguinem in ſeptem quaſi phialas aureas effuſum. Primam implebit phialam effuſus in circumciſione roſeus Cruor. Alteram, in horto Gethſemani, &c. (ſic perge per ſeptem ſanguinis effuſiones) Has ſeptem phialas, tam nobili Amoris Crucifixi muſto plenas Deo propinemus: atque ille noſtro reſpondebit affectui, ille hujus divini ſanguinis intuitu, omnem animæ lepram, omnem, quam unquam in vita contraximus, maculam, momento abſterget, Amen.

CONCIO XLIV.

DOMINICA XV. POST SS. TRINIT.

Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, Matth. 6. verſ. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVi in adverſitate Divinæ fidit Providentiæ, non habet quod timeat. 2. Potens, bona & ſuaviſſima illa Providentia. 3. Miſcentur variæ digreſſiones ad ſodales Chriſti in Cruce Agonizantis, erga quos ejus Bonitas eſt providentiſſima.

§. 1. *In uno regno non poſſunt eſſe duo Reges, multò minus in uno corde ſimul eſſe poſſunt Deus vel Chriſtus D. & diabolus. Soli Deo debemus ſervire.*

§. 2. *Qui Deo fidit, in graviſſimis periculis non timet: Act. 27. Sanct. Paulus jactatur gravi tempeſtate.*

§. 3. *Totus tamen animoſus animat ſocios.*

§. 4. *Sic in aliis quoque adverſitatibus confidit, & ſperavit in Domino.*

§. 5. *Generoſum dictum Sancti Pauli.*

§. 6. *Non timet, qui per ſpem ſe fixit in Deo.*

§. 7.

Digitized by Google

§. 7. *Digreſſio ad orationem Congregationis Chriſti in Cruce Agonizantis. Spei radices debent figi in Vulneribus ejus.*

§. 8. *Spes in rebus arduis fundatur in Dei omnipotentia, quæ omnia poteſt.*

§. 9. *Tales Deus non deſerit; experta illud fuit Ruth*

§. *Digreſſio ad ſodales Agoniæ.*

§. 11. *Alia radix ſpei noſtræ ex S. Dionyſio Areop. Providentiſſima Dei Bonitas.*

§. 12. *Suaviter Bonitatem hanc deſcribit S. Auguſt.*

§. 13. *Noe fuit tutus in arca; nos tuti ſumus ſub alis divinæ Providentiæ, & in Vulneribus Jeſu.*

§. 14. *D. Providentia vigiles habet oculos erga nos: ſi noſtros ad illam convertamus.*

§. 15. *Aliqua elogia divinæ Providentiæ, & fiducia in illa, ex S. Auguſtino.*

§ 1. *In uno regno non poſſunt eſſe duo Reges, & multò minus in corde humano Deus & Diabolus. Soli Deo debemus ſervire.*

QVemadmodum regnum unum, duos Reges, una domus duos Patresfamilias, una civitas duos Magiſtratus, ferre non poteſt; propterea quod ſervis, ſubditis, civibus, perquam difficile futurum eſſet, utriſque ſatisfacere, ita fieri non poteſt, ut unum cor hominis, duorum ſit dominorum ſervitiis addictum. Duo quidem domini illud ſibi vendicant, DEUS & diabolus. DEUS jure, ac variis titulis; diabolus autem ex invidia, atque ut perdat illud, ut affligat, ut peſſundet. Et hic quidem Dominus, qui tyrannus eſt, parte contentus eſt, admittit ſectionem & diviſionem, prout ante dies quatuordecim à me audiviſtis: ſed non ſic Deus, qui ait Deut. 6. v. 5. *Diliges Deum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota fortitudine tua.* Marc. 2. v. 30. *Ex tota mente tua, ex tote virtute tua.* Totum hominem, petit amor divinus. S. Bernardus de dignitate & natura divini amoris. *Quatuor in Deum à nobis, & toti exiguntur affectus, totam ſibi vendicat voluntatem, totum amorem, totam virtutem, hujus caritatis totam fruitionem.* Qui affectus, ut Deo placeant, dividi & ſecari non poſſunt. Totus Deus nos amat, toti illum amare debemus. Excluditur à ſacrificiis in Levitico gallus, quia ut S. Geminianus ait, *unum oculum inferius deprimit, & alterum in aëra dirigit.* cor hominis cum ſimilibus oculis, id eſt, duplicibus, non poteſt eſſe Deo gratum ſacrificium. Quod alio ſimili declarat Caſſiodorus l. 5. cap. 3. *Si duo ſarmenta in uno ſcrobe ſerantur, radices coarctantur, & ſufficiens alimentum non inveniunt: ita radices valde diverſæ ſunt amor Dei, & amor mundi. Prior, nobilis, cœleſtis, divina; altera vilis, terreſtris, tartarea, quæ ſimul in ſcrobe cordis humani plantari non poſſunt.* Eò itaque collimat Chriſtus D. in hodierno Evangelio, ut nobis perſuadeat, ut toti ſoli Deo ſerviamus: quod ut obtineat, proponit nobis ſuaviſſimam ejus providentiam erga ſuos ſervos, præſertim in tribulatione

tione & adverſitatibus: hæc erit objectum hujus concionis, & quantam nobis afferat ſecuritatem, pia in illam fiducia. Et quia hodie Dominicam quoque Congregationis Agoniæ agimus, non ero immemor, tum Crucifixi Jeſu, tum meorum, ſub hoc agonizantis Chriſti titulo, ſodalium.

§. 2. *Qui Deo fidit, in graviſſimis periculis non timet.*

Quam ſuavis & dulcis eſt quies ſub umbra divinæ protectionis: quàm eadem quies eſt certa & ſecura ſub ſcuto adjutorii Altiſſimi: quiſquis à Deo in omnibus regi ſe ſinit, nihil adverſi formidat. Conſiderate hoc in illa tempeſtate, quam ſuſtinuit D. Paulus, dum Jeroſolyma ſolveret Romam: quàm ſecurus ipſe in illa, quàm cæteri turbati omnes: quàm animo conſtans Paulus, quàm fluctuantes reliqui, quàm ipſe lætus, quàm timidi & triſtes ejus ſocii: Et, unde illa quies, unde tanta ſecuritas, tanta alacritas, niſi quia Deo fidebat, quia ſub ejus protectione manebat, quia ſub ſcuto divinæ Providentiæ ſe abdiderat. Quod, ut magis eluceſcat, tempeſtatem ut dixi, conſiderate. *Ne dum magna non putatur*, ut dixit S. Chryſoſt. *miraculum ipſa ſecuritas non æſtimetur*. S. Lucas illam deſcribit Act. 27. v. 15. *Data nave flatibus ferebamur, ſubmiſſo vaſe*, id eſt, antenna, *ſic ferebamur*. Parum hoc: *ſequenti die jactum fecerunt*, & hoc parum: *& tertia die, ſuis manibus armamenta navis projecerunt, & hac neque ſole neque ſideribus apparentibus*, imò tandem, *jam ablata erat omnis ſpes ſalutis noſtra*. Et quamdiu tempeſtas duravit? quatuordecim integris diebus. En quanta, quàm diuturna calamitas? quantum periculum? quanta tempeſtas, quantus timor, quanta deſperatio & comploratio: omnes timebant, plorabant omnes, omnes ingemiſcebant, omnes commune involvebat periculum, omnes eadem in navi, & in eodem deſcrimine verſabantur.

§. 3. *Solus tamen animoſus animat ſocios, quod S. Chryſ. demonſtrat.*

Solus S. Paulus fuit lætus, alacer, ſecurus, & quod teſte S. Chryſoſtomo fuit præcipuum, etiam alios animavit, dicens: *& nunc ſuadeo vobis, bono eſſe animo: Rogo vos accipere cibum, pro ſalute veſtra, quia nullus veſtrum capillus de capite peribit*. adeò erat ſecurus. *Et ſumens panem, gratias egit Deo in conſpectu omnium, & cum fregit, cœpit manducare*. Mira ſecuritas: admirabilis in medio tantorum fluctuum, quies: & unde, niſi quia divinam Providentiam habebat præ oculis: quod admirans S. Chryſoſtomus hom. 53. in Acta tom. 3. ex facto hoc & dictis S. Pauli, deducit juſtos in tribulatione, in anguſtiis, nil mali pati, vitamque ſemper degere tranquillam. *Atque ita juſti, licet in tempeſtate ſint, licet in mari, licet in pelago, nil grave patiuntur, quin & alios ſecum ſervant*. Mirum! Paulus ducitur vinctus, eſt in catenis, ipſi ſunt liberi, ille vinctus eſt ſecurus, nihil timet, imperat liberis, & illos animat. *Licet vinctus eſſet*, (ſunt verba S. Chryſoſtomi) *majora ſolutis operabatur. ſolutus Centurio, vincto illo habebat opus, gubernator peritus, non gubernante egebat*. Ut omnes erigat magis, ait: *Aſtitit mihi hac nocte Angelus Dei, cujus ſum ego, quem & colo, dicens. Ne timeas Paule! Cæſari te oportet ſiſti,*

Digitized by Google

ſiſti, & ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. Qualis captivus? qualis vinctus? quis ille Paulus, propter quem talia fecit Dominus? Ne mireris! Dei erat, illi adhærens & conjunctus, per admirabilem, fortè & conſtantem fiduciam in auxilio Altiſſimi. Itaque turbetur cœlum, obſcuretur ſol, involvantur nubibus aſtra, obnubiletur luna, deſæviant venti, conflictentur Aquilones, & Euri, intonet & fulgeret cœlū, murmurent nubes, inſurgant fluctus, eleventur uſque in cœlum; deprimantur in abyſſos, conſpiret ſimul infernus, non timet Paulus: *Ut diſcant homines,* concludit S. Chryſoſt. *quale periculum evaſerit; quia non totum fiebat humano adjutorio, ſed manu Dei, qua abſque nave ſervavit.* Hinc Pauli ſecuritas, quia ſub Dei erat adjutorio; hinc ejus quies & tranquillitas in medio tempeſtatis.

§. 4. *Sic in aliis quoque adverſitatibus, confidit & ſperavit in Domino.* In tanta afflictione aliquando fuit idem S. Paulus, ut ſcripſerit epiſt. 2. ad Cor. cap. 1. v. 8. *Non enim volumus vos ignorare fratres de tribulatione noſtrâ, quæ facta eſt in Aſia; quoniam ſupra modum gravati ſumus, ſupra virtutem, ita ut tæderet etiam nos vivere.* Similes cantilenæ inter nos audiuntur quotidie, *ipſi in nobiſmetipſis,* hoc eſt, *ſecundum noſtrum judiciū,* ait S. Ambroſius, *reſponſum mortis habuimus,* q. d. noſtræ infirmitati viſum fuit, omnia eſſe deſperata. Et nos heu miſeri! ſi vel adverſo turbine, jactari cōtingat, ſeu animæ noſtræ, ſeu corporis naviculā, quàm continuò puſillanimes, quàm abjecti, quàm triſtes, quàm penè deſperati, nulliusque amplius ſolatii capaces, incedimus? quàm nobis tum omnia deſipiunt! preces, templa, pietas, patientia, cœlum! ſi fortè nos febricula inceſſat, ſupra modum nos gravatos clamamus: ſi adverſarius convitioſum unū vel alterum verbum in nos eminus conjiciat: jam tædet nos vivere. Si caſu aliquo, lucri quantumvis modici, jacturam patimur, actum de nobis exiſtimamus, comploratam noſtram dicimus felicitatem. Quid verò ille Gentium Doctor Paulus? quid inquam ille ſuis in periculis, mœroribus, jacturis, anguſtiis, calamitatib.? quid? an propterea ſpem amiſit in naufragio? nil minus! imò tunc ejus fiducia extitit magis florens, audens, animoſa, dicens, tantam Deum permiſiſſe tribulationem, ut amplius ampliusque in eo figeret ſpei ſuæ ac confidentiæ anchoram, ſic enim ait:

§. 5. *Generoſū dictum S. Pauli 2. Cor. 1. 9. Pſal. 36. 40. Origenes.* *Ut non ſimus confidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit, in quem ſperamus, quoniam adhuc eripiet.* Pulcre! eripuit; eripiet: hinc ſecuritas, hinc quies, hinc tranquillitas: *Eruet nos à peccatoribus,* ait David Pſal. 36. *quia ſperaverunt in eo.* Origenes hic *Niſi enim in ſolo Deo ſperaveris, & videat Deus ſpem tuam ad ſæculum æternum eſſe converſam; & quia aliam ſpem nullam geris, niſi in ipſo, non poteris eripi à peccatoribus.* Quid clarius, quid ad animandum nos, ad ſpem noſtram erigendā, aptius dici poteſt.

§. 6. *Non timet, qui per ſpem ſe fixit in Deo.* Devotè & eleganter Guarricus Abbas ſerm. 2. in feſto S. Benedicti. *Meritò proinde benedictus in Domino vir, qui confidit in Domino: quia qui in* Domi-

Domino fidit, in eo ſe ipſum figit, ubi autem arbor radicem figit, inde ſuccum vitæ atque humorem pinguedinis bibit: planè humorem ad radices miſit, qui ſpem ſuam DEO commiſit, ac de ipſo fonte ſummi boni, aquas vitæ, totius benedictionis & gratiæ bibit per hanc nempe piam & fidelem fiduciam remittuntur peccata, propulſantur pericula, terrores contemnuntur, vincitur mundus, effugiuntur naufragia, declinantur fulgura, tempeſtates ſuperantur. Pondere bene illa verba; *inde arborem elicere humorem, ubi radicem figit*, hinc etſi bella premant, etſi tempeſtates oriantur, etſi tandem mors undique immineat, fixi tamen in Deo & ſpe, manat ſancti, florenteſque durant, quia humorem ex Deo traxerunt, quo roborantur.

§. 7. *Digreſſio adorationem Congregationis Agoniæ. Spei radices debent figi in vulneribus Salvatoris.*

Orabunt hodie in congregatione ſodales Chriſti in cruce Agonizantis Roſarium quinque vulnerum pro felici morte: inſinuo ſæpe, orandum illud eſſe cum magna ſpe & fiducia in miſericordia Jeſu Crucifixi. Idem de omni oratione alia dicendum eſt. Ut illa ſpes ſit vivida, ut ſit vegeta, ut florens! advertite: ubi debeatis figere ſpei radices. Ecce roſeum humorem pretioſi ſanguinis, fluentem ex cavernis petræ, quæ eſt Crucifixus: in hoc, in arbore crucis vos figite; cùm orabitis primam & ſecundam decadem in honorem SS. vulnerum in pedibus; in illis vos & veſtrem fiduciam, & orationem figite. Cùm tertiam & quartam ejuſdem corollæ decadem recitando percurretis, cogitate vos in vulneratis Crucifixi manibus figere ſpei veſtræ radicem; ab his ſcitis, quàm nobilis humor, quàm roſeus liquor deſtillet. Denique cum in quinta atque ultima decade pronuntianda, veſtra pietas laborabit, reſpicite benedictum cor Jeſu, ibi radices ſpei, amoris, caritatis figite, ibi jacite fiduciæ fundamenta; ibi non ignoratis divinum humorem pretioſiſſimi ſanguinis ſuavius ſimul & copioſius, tanquam in fonte pullulare. Ubi arbor radicem figit, inde vitæ ſuccum bibit; planè ad humorem radices mittit ille ſodalis, qui ſpem ſuam Jeſu Crucifixo committit, ac de ipſis fontibus Salvatoris, de vulneribus Chriſti haurit aquas vitæ & benedictionis: Per hanc piam & fidelem fiduciam alicujus ſodalis erga Chriſtum Crucifixum, remittuntur peccata, propulſantur pericula infelicis mortis, contemnuntur ejus timores, ſuperantur dæmones, verbo, hæc vivida, hæc vegeta, hæc florens fiducia, felicem vitæ exitum ſortitur.

§. 8. *Spes in rebus arduis fundatur in Dei omnipotentia, quæ omnia poteſt.*

Fortis radix ſecuræ & quietæ hujus ſpei atque fiduciæ, tum in periculis, tū in adverſitatibus eſt illa ſcientia, quâ tales, qui in Domino confidunt & ſperant, norunt illum, in quo ſe figunt, eſſe potentiſſimum, unde pro ſe eum habentes nihil timent. *Si Deus pro nobis: quis contra nos*, ajebat Apoſtolus ad Rom. 8. v. 31. quæ verba S. Auguſtinus applicat ſanctis Martyribus ſer. 4. de illis. *Fremebat mundus, populi meditabantur inania, principes conveniebant in unum, excogitabantur novi cruciatus, & pœnas incredibiles inve-*

nicbat

Digitized by Google

niebat ingenioſa crudelitas; obruebantur opprobriis, falſis arguebantur criminibus, ungulis arcuabantur, ſcorpionibus lacerabantur, beſtiis objiciebantur, ignibus cremabantur, & dicebant; Si Deus pro nobis, quis contra nos? Reſpondent: quis eſt totus mundus, quando pro eo morimur, per quem factus eſt mundus? Sævire poſſunt tyranni, maledicere inimici, perſequi hoſtes; poſſunt minari carceres, tormenta, cruciatus, mortem: poſſunt in nobis probare virgas, gladios, rotas, patibula: poſſunt oculos noſtros effodere, aures perterebrare, dilaniare pectus, poſſunt brachia reſcindere, rimari viſcera, amputare pedes, cervicem crudeli ferro demetere. *Sed ſi Deus pro nobis, quis contra nos?* nocere non potuerunt? ecce Deus auxiliator eſt mihi, & ſuſceptor eſt animæ meæ; corpus poteſt mundus occidere, ſed animam ſuſcipit Dominus, & quid mihi deerit? qui de numero capillorum eſt ſollicitus, quomodo deſeret corpus & animam?

§. 9. *Tales Deus non deſerit, experta illud fuit Ruth.* Quiſquis ad potentiſſimum hunc Dominum confugit, ſecurus ſit de ejuſdem auxilio & conſolatione. Non poſſum ſine ſolatio legere hiſtoriam Ruth: hæc enim univerſa reliquit, patriam, parentes, amicos, ut Deum quæreret, & inter Iſraëlitas pauperem vitam degeret. Sed audite verba affectuoſiſſima, quibus Booz illam fuit allocutus cap. 2. v. 11. *Nuntiata ſunt mihi omnia, quæ feceris ſocrui tuæ, & quod relinquens parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea neſciebas; Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Iſrael, ad quem veniſti, & ſub cujus confugiſti alas.* Et ſocrus dixit illi, *Filia mea quæram tibi requiem, & providebo, ut bene ſit tibi.* cap. 3. v. 1. quod & factum: requiem invenit Ruth, lætata eſt, locupletata eſt, dives eſt facta, deſponſata Booz.

Suaviſſimus hic locus rurſum mihi ſuggerit ſuave alloquium ad meos ſodales. §. 10. *Digreſſio ad ſodales Agoniæ.* Vos enim eſtis cariſſimi & deſideratiſſimi, qui terrena contemnitis, qui cœlum, patriam cœleſtem, & Deum quæritis. Ad hunc finem tam eſtis ferventes in veſtris orationibus, ideo toties ſuſpiratis, &c. Reddat vobis Dominus pro operibus veſtris, & plenam mercedem recipiatis à Domino Deo, à Jeſu Crucifixo, ad quem venitis, ſub cujus alas ad ſanctiſſima illius vulnera confugitis. O quàm facitis prudenter, quod in his maceriis quæratis requiem, cùm magna ſpe & fiducia. Nolite timere, providebit Jeſus Crucifixus, ut ſemper, ſed præcipuè in agone ſit vobis bene? & fiet: invenietis requiem, lætabimini, deſponſabimini, hic cum ſponſo ſãguinis, ibi cũ ſponſo gloriæ.

Sed nunc iterum ad meam me materiam recipio. §. 11. *Alia ratio ſpei noſtra ex Dion. Areo.pag. Providẽtiſſima Dei bonitas.* Dum maximis nos premi malis arbitramur, maximè nos figere debemus in Deo, nam ut ait D. Dionyſius Areopagita de d. nom. c. 4. *Non eſt providentia divinæ violare naturam, ſed eſt cujuſque naturæ conſervatrix*, præcipuè eis, quæ per ſe moventur, & libero aguntur arbitrio, convenienter providens, omnibuſque & ſingulis propria ut om-

Digitized by Google

nium ſingularumque naturam capit, pro modo cujuſque, *providentiſſimas bonitates impertiens.* Notanda ſunt poſtrema verba: nam DEI providentiam, & mediorum ab ipſa ordinationem, ad finem, non ſimpliciter Providentiam, ſed bonam appellavit Providentiam; huic enim bono Deus addit ſuavitatem & proportionem quandam admirabilem, quâ infallibiliter, & fortiter, & efficaciter, & ſimul ſuaviter, cùm tempus eſt, nobis ſuccurrit. In hac providentia, in hac bonitate, in hac auxilii certitudine figenda eſt iterum ſpei noſtræ anchora. Raperent me rurſum ad ſe, providentiſſimæ bonitates Jeſu Crucifixi erga ſuos ſodales, niſi properarem ad alia.

§. 12. *Suaviter bonitatē D. Providentiæ deſcribit S. Auguſtinus.*

Quanta eſſet bonitas hujus paternæ Providentiæ, quanta cura & ſolicitudo agnovit S. Auguſtinus in ſoliloquiis, dum ait ad Deum: *In toto tempore*, id eſt, omni momento, dies, noctesque, *totum me ſimul ſuperq; conſideras; ſic ſuper cuſtodiam meam ſtas, ſicut ſi omnium oblitus ſis, & mihi ſoli intendere velis. Quocunque iero, tu Domine me non deſeris, niſi prior ego te deſeram.* Hæc eſt providentiſſima DEI bonitas: talem habet crucifixus Jeſus erga ſuos ſodales, ſed non inhæreo; pro ſolatio tantùm inſinuo. Unum tamen de hac ejus cura & bonitate omittere non poſſum.

§. 13. *Noë fuit incluſus in arca, nos ſecuri ſumus ſub alis D. Prov. & in vulneribus Jeſu.*

Ingreſſo Noë in arcam Geneſis 7. cap. v. 17. ait Scriptura, *quod incluſit eum Dominus de foris.* D. Chryſoſtomus hom. 25. in Geneſin. *Clauſit Dominus forinſecus arcam, ut doceat, quàm ſecurum fecerit juſtum.* Sic fluctus & aquæ diluvii nihil illi nocere potuerunt. Eja mei ſodales, videtis arcam delicatiſſimi lateris & cordis Crucifixi? ad hanc & in hanc vos recipite, ibi quærite, in vaſto hujus mundi diluvio, aſylum, ibi tectū in tempeſtatibus, ibi in omnib. quærite adverſitatibus refugium. In hac arca, ſi quieſcitis, nil atras mortis procellas formidate, ſecuri vivite, nulla vos procella demerget, nullus malorum cataclyſmus vos involvet. Clauſit vos optimus Jeſus in arca cordis ſui.

§. 14. *D. Provid. vigiles habet oculos erga nos, ſi noſtros ad illam convertamus.*

Pſalmo 13. v. 8. ſuaviſſima & bona Dei providentia promiſit Regi Davidi, dum Saul illum perſequeretur, hanc gratiam, *Firmabo ſuper te oculos meos.* O bonos & ſuaves oculos! O vigiles & ſolicitos oculos! tales habet ſuavis & bona, & omnipotens Dei Providentia. Tales quoque habet Jeſus meus Crucifixus ſuper omnes, ſed præſertim ſuos ſodales, & firmiter fixos. Sed acutè advertit S. Auguſtinus, Dominum Deum Davidi his verbis dicere voluiſſe: *Non à te auferam oculos meos, quia & tu non aufers oculos tuos à me.* Audite me, mei Auditores, & ſodales amantiſſimi. Alloquar vos verbis S. Bernardi; *proinde, in omni actu, vel cogitatu tuo, tibi Deum adeſſe memineris; & omne tempus, quo de ipſo non cogitas, perdidiſſe te computes.* Nunquam, nec die, nec nocte, à Deo, à Jeſu veſtro avertite oculos veſtros; & firmabit ſuper vos, ſuos providentiſſima ipſius Bonitas.

§. 15. *Aliquæ elogia D.*

Finio hanc concionem de Providentia, cui nos totos committere debemus

Prov. vel fiducia in illa, ex S. Auguſt.

bemus; finio inquam cum S. Aug. tr. de miſericordia t. 1. *Quâ qui ſtant, non cadunt, qui eliſi ſunt, eriguntur; hæc magna ſervat, hæc tutatur minima: per hanc gubernamur in proſperis, per hanc, fiduciam gerimus in adverſis: Hanc quaſi tutiſſimam navim, deſideriorum noſtrorum mercibus oneramus, ut ad Deum omnipotentem perveniat.* Naves onerari ſolent in portubus. Securi portus nobis erunt ſanctiſſima vulnera Chriſti Crucifixi; in his onerabimus navim noſtræ fiduciæ, auro caritatis, gemmis variarum virtutum; onerabimus ardentiſſimis ſuſpiriis & fructibus bonorum operum: cum tempus erit in agone, ex his portubus ſanctorum vulnerum feliciter navigabimus ad portum cœleſtis gloriæ, in quem nos univerſos, præcipuè ſodales Agonizantis Jeſu deducat ſuaviſſima & providentiſſima ipſius Bonitas. Amē!

CONCIO XLV.

DOMINICA XVI. POST SS. TRINIT.

Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ, Lucæ 7. cap. verſ. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Mors juſtorum eſt pretioſa, ſuavis & amabilis.

§. 1 *Hodiernum Evangelium proponitur veluti tragœdia.*

§. 2. *Explicatio illorum verborum,* Juſtorum anima in manu Dei erit.

§. 3. *Digreſſio ad ſodales Agoniæ.*

§. 4. *Mortem juſtorum eſſe ſuavem, probatur teſtimonio S. Chryſoſtomi.*

§. 5. *Et Sancti Bernardi. Jacob in conſpectu Joſephi libenter fuit mortuus: & Simeon in brachiis Chriſti Dom.*

§. 6. *Suprema verba morientis S. Hieronymi.*

§. 7. *Id in S. Hieronymus in agone variis ſi[illegible]bus expreſſit lætitiam, quâ fuit mortuus.*

§. 8 *Colloquiũ S. Hieronymi cũ morte.*

§. 9. *Lætiſſima mors Patriarchæ Jacobi, Gen 49. cap. Sic moriuntur juſti.*

§. 10. *Pium deſiderium anhelantis ad cœlum.*

§. 11. *Ante adventum Chriſti in hunc mundum, mors fuit terribilior, quàm modo ſit.*

§. 12. *Pia mors patris Alphonſi Salmeronis; cum digreſſione ad ſodales Agoniæ & Auditores.*

§. 13. *Quare Iacob ſenex Gen. 49. cum gaudio deſcenderit in Egyptum, ad filium ſuum Ioſephum.*

§. 14. *Quare juſti moriantur ſuaviter, & cum lætitia.*

§. 15. *Cor amantis in morte ſciſſum, præ amore & gaudio.*

§. 1. *Hodiernũ Evangelium proponitur velut tragœdia.*

TRiſtem nobis & lugubrem ſcenam proponit hodiernũ Evangelium; cujus præcipui actores ſunt, tùm defũctus adoleſceus, ex tumba ſuam agens perſonam: tum affli ctiſſima ejus mater, vidua, in lugubri veſte, in amaras lacrymas effuſa: quibus accedit Chriſtus D. Salvator noſter, tragœdiam commutans in comœdiam. Defunctus Adoleſcens ex ſua ſandapila videtur cum Auguſto Cæſare moriente velle dicere. *Fabula peracta eſt*: Vixi! Plorantem viduam audire mihi videor dicentem cum Davide Pſal. 38. v. 6. *Univerſa vanitas*! (vel ludus aliquis) *eſt omnis homo vivens*. Quidam à morte in hanc ſcenam producuntur in ſenio, alii in virili ætate, alii ex cunabilis: Adoleſcens in hodierno Evangelio, perſonam ſuam vitæque fabulam ludere debuit in flore ætatis, in adoleſcentia, in juventute. Actus primus hujus tragœdiæ, vocari poteſt, *Moriendi neceſſitas*, quâ omnibus ſtatutum eſt ſemel mori: Mors nemini parcit: Omnes principes, Reges, Monarchæ, in lugubri hac ſceñâ comparere oportet: Inſcriptio ſcenæ in hoc actu, eſt irrevocabile illud dictum, *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*. Actus ſecundus appellari poteſt, *mortis incertitudo*: ſive anni, menſis, ſeptimanæ, diei, horæ, quadrantis, momenti, quo à morte in hanc ſcenam prodire cogimur. Adoleſcens, filius unicus matris ſuæ, fuit compulſus prodire in florentiſſima ætate. Scena tertia, ſive Actus tertius, repræſentat ipſam mortem, ſive affigit ſcenæ & ſandapilæ ſive tumbæ adoleſcentis, commune omnium hominum Epitaphium ex ſacris literis, *Mortuus eſt*. In actu quarto triſtis ſcena oculis noſtris proponit elationem funeris ad ſepulcrũ, *Efferebatur*. In actu quinto, prodit in theatrum Chriſtus Salvator noſter, & tragœdiam ut dixi, vertit in comœdiam, triſtitiam matris in lætitiam, fletum in riſum, luctum in gaudium: mortuum enim adoleſcentem revocavit ad vitam & reddit matri ſuæ; hinc circumſtantium plauſus, amicorum aggratulatio, totius civitatis admiratio! Et ego hanc meam concionem cupio eſſe comœdiam & cauſam magni ſolatii & gaudii in cordibus meorum Auditorum; dicam enim de morte juſtorum, quæ & pretioſa eſt, & jucunda, & deſiderabilis. Sæpius ſalutarem vobis timorem, terroremq; injiciã, in ſcenam vobis produco mortem impiorum terribilem; nunc ut ad ſpirituale gaudium vos exſuſcitem, iterum mortem ſiſtam in theatrum, ſed alio prorſus apparatu, non triſti aut flebili, ſed hilari, jucundo, felici. Quàm pretioſa nempe ſit Sanctorum mors, deſcribam.

§. 2. *Explicatio illorũ verborũ;* Iuſtorum anima in manu Dei erit.

Liber Sapientiæ inter multa, quibus deprædicat felicitatem juſtorũ, ait cap. 3. v. 4. *Juſtorum animæ in manu DEI ſunt, & non tanget illos tormẽtum mortis*. Id eſt, vivunt ſub ſuaviſſima DEI providentia; omni tempore, dies & noctes, ſemper; ſed præcipuè, cum extrema vitæ, aut mortis potius ſcena imminet: Omnes enim mori debent, ſed juſti ita mori-

moriuntur, ut mors, quæ ex ſe videtur terribilis, ſæva, horrida; juſtis ſit dulciſſima, eò quod non præſentiant tormenta mortis: *Neque enim dolent in exitu* (ait P. Lorinus ex Sancto Bernardo) *nec horrent in tranſitu, nec pudeſiunt in conſpectu Domini*: quæ ſunt præcipua mortis tormenta. In illo enim exitu, vel tranſitu, vel maximè juſti ſunt *in manu Domini*, hoc eſt, ſub ejus potentia, protectione, defenſione, & conſervatione; ſub ejus aſpectu, in ejus quaſi oculis, ſub ipſius gratiâ, notitiâ, ac ſuaviſſimâ Providentia. Lorinus addit, *ſub peculiari curâ Filii Dei*: qui manus Patris dicitur, cujus digitus eſt ſuaviſſimus Spiritus Sanctus.

§. 3. *Digreſſio ad ſodales Agoniæ.*

Feliciſſimi propterea ſũt mei ſodales Chriſti in Cruce Agonizantis, cum enim ipſi, ob peculiarem devotionẽ, & ob peculiare fœdus ac pactum initum cum Crucifixo Chriſto, peculiariter deſcripti ſint in perforatis & ſanguineis ejus manibus, de ipſis etiam peculiariter dici poteſt, eſſe eos, & morari, in manibus CHRISTI, qui illos portat in brachiis ſuis, tanquam nutrix, qui illos protegit, defendit & cuſtodit & conſervat, tanquam optimus Salvator & auxiliator. Sic pergite mei ſodales, amate Crucifixum ex toto corde: abſcondite vos quotidie in Sanctiſſimis Vulneribus manuum, ibi non ſentietis tormentũ mortis: ſed redeo ad meam materiam, quæ ut vobis Auditoribus meis, juſtis mortem eſſe deſiderabilem & ſuaviſſimam, oſtendam, exigit.

§. 4. *Mortem juſtorum eſſe ſuavem. probatur teſtimonio S Chryſoſtom.*

Suaviter dixit Sanctus Chryſoſtomus hom. 57. in Geneſin. *Quando ſuperna providentia nobis aſſiſtit, non ſolum malorum hominum inſidias effugere poſſumus, ſed etiamſi in beſtias ipſas, incidamus, nihil adverſi nobis evenit; omnium enim Dominus ſua virtutis abundantiam reſerans, & beſtiarum mutat naturam, & in oves manſuetas transformat; & quando ipſe vult, elementa ipſa, naturæ ſuæ obliviſcuntur, & neque ignis facit, quod ignis ſolet.* Quod Sanctus Chryſoſtomus v. g. ait de leonibus, idem ego de morte aſſevero. Terribilis eſt beſtia, Mors! terribilis leo! verum non niſi impiis & ſceleſtis, in ſuâ malitiâ decedentibus, in morte juſtorum potens Dominus, mortem commutat veluti in oviculam, ut non tantùm terribilis non ſit, ſed & ſuavis, & dulcis, & amabilis. In morte juſtorum, non facit mors, quæ facerre ſolet in morte impiorũ, ut perterrefaciat, ut exagitet, ut horrore morientes concutiat. Moriuntur enim in manu Dei, quæ illos protegit, defendit, conſervat.

§ 5. *Et S. Bern. Jacob in conſpectu Joſephi, libenter fuit mortuus. Et Simeon in brachiis Chriſti Domini.*

Præclare hoc ipſum animadvertit Clarevallenſis S. Bernardus, cujus in ſermone quodam ex variis, hac ſuper re iſta ſunt verba longè pulcerrima. *Veniet quidem mors, ſed ſomnus erit dilectis Domini, & ecce hæreditas ejus: erit janua vitæ, initium refrigerii, erit Sanctis, montis illius ſcala, & ingreſſus in locum tabernaculi admirabilis, quod fixit Deus.* Cum Gen. 46. Jacob veniret in Ægyptum, cùm videret filios ſuos vera dixiſſe, cùm vidiſſet vivere filium ſuum, in conſpectu ejuſdẽ Joſephi ait, *Jam lætus moriatur!* Unde quæſo tibi tanta lætitia Jacobe?

be? cùm mors non ſit cauſa gaudii, ſed mœroris? ipſemet cauſam explicat, *quia video faciem filii mei*, in manibus dilectiſſimi Joſephi, libenter moriar! Non ob aliam cauſam ego arbitror multos mori cum lætitia, quàm quia vident faciem amabiliſſimi ſui Salvatoris, quia vident ſe mori inter ejus brachia, & amplexus. Quamprimum Simeon brachiis ſuis in templo complexus fuit Salvatorem mundi, lætus cecinit, Luc. 1. v. 29. *Nunc dimittis ſervum tuum*: q. d. jam lætus moriar: & cauſam addit, *quia viderunt oculi mei, Salutare Domini.* Juſtorum animis, quia ſunt in manu Domini, mors gravis eſſe non poteſt, non ſentient ejus tormenta, & cruciatus.

§. 6. *Suprema verba morientis S. Hieronymi.*

Expertus fuit Sanctus Hieronymus, qui moribundus eos, qui circumſtabant lacrymis perfuſi, (prout refert epiſtola Euſebii ad Damaſum de ejus morte) totus lætus & alacer ſic eſt allocutus: *Abjicite veſtimenta luctus & triſtitiæ; pſalmum dicite Nomini Domini, quoniam hucuſque tranſivi per ignem & aquam, & ecce nunc inducit me in refrigerium.* Per ignem & aquam Sanctu Hieronymss intelligit tribulationes, quas in hoc munde, pro Chriſto pertulit. Per ignem & aquam intelligit rigidam pœnitentiam, quam multis annis in deſerto, in aliquo antro, egit, inter ignes tentationum, inter flammas paſſionum, & inter aquas lacrymarum, in ſiti, in fame, in nuditate, in vigiliis, in jejunio: quaſi diceret, per hæc tranſivi, ſive hæc tranſierunt; ita vixi, ut DEum meum quærerem, ut cum Chriſto crucifigerem membra mea, ut huic placerem. Et ecce, ille me vocat, ille mihi manum porrigit, ut ducat me in refrigerium cœleſtis gloriæ: Pſalmum dicite Nomini ejus, laudate, benedicite Dominum. Doleant, timeant mortem, qui in hoc mundo fuerunt in refrigerio, qui hic vixerunt in deliciis & voluptatibus; timendum enim eſt, ne exire cogantur ad ignem æternum. Gaudeant juſti, quibus hic eſt malè, quia de igne & aquâ tribulationum tranſeunt ad refrigerium.

§. 7. *Idem S. Hieronymus in agone variis ſimilibus expreſſit lætitiam qua mortuus fuit.*

O quantum lucrum mihi eſt, (dixit ulterius moribundus Sanctus Hieronymus) *mori, quoniam vivere deinceps meum Chriſtus erit! Ecce terreſtris domus hujus habitationis diſſolvitur, ut alia ſuccedat, non manu facta ſed æterna in cœlis, & illo, quod mortale eſt veſtimentum, exuor, ut æternum induar.* Necdum vir Sanctus ſufficienter expoſuit gaudium & lætitiam, & deſiderium, cum quo deſideravit cum S. Paulo diſſolvi & eſſe cum Chriſto, ideo pergit: *hucuſque peregrinatus ſū, jam redeo ad patriam.* (advertite pulcra ſimilia) *ecce bravium capio, pro quo in agone cucurri, ecce portum attingo, quem tanto deſideravi deſiderio. Ecce de tenebris ad lucem, de inopia ad divitias, de prælio ad victoriam, de triſtitia ad gaudium, de temporali vita ad perpetuam, de fœtore ad odorem ſuaviſſimum vehor.* Et quomodo nuntius vel peregrinus triſtis eſſe poteſt, dum longum & arduum feliciter abſolvit iter? vel mercenarius, dum abſoluto labore accipit mercedē; vel miles, dū poſt vulnera fruitur fructib. victoriæ.

Si lu-

Digitized by Google

§ 8. *Colloquiũ S. Hieronymi cum morte, in agone.*

Si lubet, tandem audite breviter colloquium morientis Sancti Hieronymi cum morte; cum ea decrepito atque exhauſto ſeni immineret. *O mors*, ait, *dulcis & jucunda! non certe mors, quæ vitam largiris, quæ fugas febres, famem extinguis & ſitim*, &c. *Veni ſoror mea ſponſa, amica mea, dilecta mea, indica mihi, quem diligit anima mea; oſtende mihi, ubi paſcat Dominus meus, ubi cubat CHRISTUS meus; exurge, porrige mihi manum, trahe me poſt te; apertum eſt cor meum, ut exurgam, ut poſt te curram: libera me de aquis multis, de multis tribulationibus, & de manu filiorum alienorum. Veniam per te in hortum dilecti mei, & comedam fructum pomorum tuorum. Nigra es: ſed formoſa! terribilis es apud Reges terræ, auferens ſpiritum Principum, tu cõfringes cornua iniquorũ*, &c. *Mihi es formoſa & ſuavis, accipe me, & redde me Creatori, atque Salvatori meo. Suſcipe me, & colloca me in ſinu Abrahæ* Quid dulcius, quid lætius à moribundo cani vel dici poteſt?

§. 9. *Lætiſſima mors Patriarchæ Jacobi Gen. 49. ſic moriũtur Juſti.*

Non ignoro, eſſe vobis perquam gratum, ſi quæ dico, confirmem ex ſacris literis. Id faciam cum S. Chryſoſtomo, qui hom. 67. in c. 49. v. 32. Gen. bene advertit, Jacobum morti proximum, poſtquam valedixiſſet Joſeph, & filiis ſuis, & nepotibus: poſtquam varia illis dediſſet in mandatis, cum animadverteret ſe animam agere, *collegiſſe pedes ſuos in lecto*, & obiiſſe, vel ut LXX legunt, *ſuſtollens pedes ſuos ſuper lectum obiit* In qua pedum extenſione & collectione citatus S. Chryſoſt. conſideravit, & putavit, morientem Jacobum, oſtendiſſe aliquod gaudium, vel quandã promptitudinem ad moriendum; quaſi per mortis januam libenter iturus eſſet ad optatum locum, & ait: *Vide mortem juſti magno miraculo plenam! ſublevavit pedes in lectum ſuum, quaſi cum voluptate rem aggrederetur; ſuſtulit pedes, hoc eſt, planos & rectos fecit, & extendit, libenter ingrediens viam Patrum ſuorum, non coactè.* Quod ſi juſti ſic mortui ſunt antequam veniret Chriſtus, quo putatis animo, ex hac mortali vita decedunt, qui poſt Chriſti in haſce terras adventum, vitam egêre piam, homineq; dignam Chriſtiano: O quàm illi libenter cum Jacobo Patriarcha ſuſtollunt pedes ſuos ſuper lectũ doloris! quàm libẽter vaſa colligunt, ſeque ad beatæ æternitatis iter accingunt: quàm tædet illos vitæ hujus calamitoſæ, vitæ ærumnis & miſeriis plenæ; vitæ: quæ quot momenta, totidem verè numerat tormenta. O quàm gratus iis erit, quàm optatus & amabilis nuntius, qui eos ad patriam, ad quietem, ad cœlum evocabit! quanta incipiũt perfundi lætitia, cum diſſoluta corporis compage, ceu carcere, liberæ atque immunes illorum animæ exſpatiantur in amœniſſimos campos Paradiſi.

§. 10. *Pium deſideriam anhelantis i. cœlum.*

O Deus! (dixit quidam ex iis, qui ad æternam illam patriã ſuſpirarunt, nonnemo) *O ſuperi! patiẽtia vincitur! O quis, qui me mortali corpore ſolvat, erit?* Ita in ſuis piis deſideriis anhelat ſuſpirans anima P. Hermanni Hugonis. Ita pii omnes Deum amantes, ſentiunt, loquuntur, deſiderant, anhelant, ſuſpirant.

Digitized by Google

§. 11. *Ante adventum Christi in hunc mũdũ, mors fuit terribilior, quã modò ſit.*

Redeo ad S. Chryſoſtomum, qui ſuper illa verba Gen. cap. 50. v. 11. *& planxit Joſeph ſeptem dies*, Joſephi triſtitiam & lacrymas excuſans ſic ait: *Tempus cogita, quo hæc facta ſunt, ut ab omni culpa ſit liber Joſeph. Nondum enim fuerant portæ inferi confractæ, neq; inferni vincula diſſoluta: neq; mors dicebatur, dormitio: & idcirco, quia timuerunt mortem, hæc faciebant ſ flebãt,* &c. *Nunc autem propter gratiam Chriſti, quia mors facta eſt ſomnus, & conſũmatio & quies, ſic exultamus; cum tranſitus ſit de vita in vitam, de deteriori in meliorem, de temporali ad æternam, de terrena ad cœleſtem.* Talis mors non eſt lacrymarum cauſa, ſed lætitiarum & gaudiorum.

§. 12. *Pia mors Patris Alphonſus Salmeronis, cum digreſſione ad ſodales Agoniæ & Auditores.*

P. Alphonſus Salmeron, unus ex decem primis ſociis S. Ignatii jam luctans cum morte, balbutiebat identidem hæc verba: *In vitam æternam! hodie vitæ ærumnis tandem eripiar! lætabitur anima mea in DEO meo.* Et quid ita lætus eſſet id temporis, roganti reſpondit; *Quod miſericordiæ vias patefacere incipiat DEUS.* Mox ſub hiſtoria Paſſionis ex quatuor Evangeliſtis, quam ſibi prælegi voluit, figens oculos in imaginem Crucifixi, & aſtantis ſub Cruce Matris, illos clauſit: Pergite, pergite mei Auditores, & ſodales amare Crucifixũ! pergite orare frequenter & ferventer Roſariolum quinq; ſanct. Vulnerum, &c. hoc fiet; in ſuprema lucta, tum vobis aderit, quem ita amatis; tum incipiet aperire portas miſericordiæ, aperiet vobis oſtia S. Vulnerum, ut per illa ingrediamini in gloriam & gaudium Domini: O quàm dulcis vobis erit mors, quàm optata! Amate quotidie ardentius Crucifixum; intra hujus brachia moriemur! per mortem ibimus in vitam æternam. Quale nobis erit gaudium, cum tandem benigniſſimus Jeſus nobis aperiet portam divini lateris, & dulciſſimi Cordis, ut in illud exhalemus ſpiritũ noſtrum. Talẽ mortem an non vocabimus ſanctam, ſuavem, amabilem, pretioſam?

§. 13. *Quare Jacob ſenex, Gen. 46. cum gaudio deſcenderit in Ægyptum ad Filium Joſephum.*

Locum cœleſti ſuavitate & ſolatio plenum reperio iterum Gen. 46. cap. Licet Jacob audiret vivere filium ſuum Joſeph, licet arderet ingenti deſiderio videndi illum, tamen in tali ſenectute difficile erat ſenecioni tam longo & arduo itineri ſe committere: dixit autem illi Dominus v. 3. *Noli timere, deſcende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego deſcendam tecum illuc, & ego adducam te inde revertentum: Joſeph quoq; ponet manus ſuas ſuper oculos tuos.* Putarunt hoc antiqui, feliciſſimè ſe mori, ſi aliquis ex amiciſſimis extremum ſuſciperet ſpiritum & oculos clauderet. Itaque ingens in hoc itinere Jacobo fuit conſolatio, aſſociatio DEI, & præſentia Joſephi in morte. Eleganter Origenes hom. 15 in Gen. 15. tr. 1. *Proſpicite, quomodo eum, velut ad quoſdam agones proficiſcentem corroborans & cohortans mittat ad Ægyptum: hoc eſt dicere: Congreſſurus adverſus Principatus, & poteſtates, & adverſus mundi hujus qui figuraliter Ægyptus appellatur, rectores tenebrarum.* (Similis aliquando pugna nos manet, Auditores, cùm ex hoc mundo deſcendemus in æternitatem) ſed; *Noli timere*, ait

ait Dominus, noli trepidare, quod ſi & cauſã ſcire vis, quia timere non debeas, audi promiſſionem meam, *deſcendam tecum in Ægyptum.* Hâc promiſſione factâ, Jacob lætiſſimus ſe commiſit itineri, & deſcendit in Ægyptum. Lætus ibi vitam comutavit cum morte, ut paulò ante dixi, & Joſeph clauſit illi oculos, Joſeph excepit ejus ſpiritum.

§. 14. *Quare juſti moriantur ſuaviter & cum lætitia.* Ex hoc diſcurſu facile mihi perſuadeo, quàm lætus ex hac mortali vita velut è carcere, diſcedat aliquis fervẽs ſodalis noſtræ cõgregationis, vel quivis ardens amator Crucifixi. Nam ſi Jacob lætus obiit in præſentia Joſeph; quâ lætitiâ tales moriuntur in præſentia Jeſu? Jacob obiit lætus, quia expiravit inter manus Joſeph! quid erit mori inter manus & brachia Jeſu crucifixi? Jacobo mors fuit ſuavis, quia Joſeph dulci oſculo, & amplexu excepit ejus ſpiritum! quid erit ſpiritũ expirare in Jeſu dulce latus? Et ſuaviſſimum ejus cor? Ah Auditores, ſodaleſq; amantiſſimi, (repetam hoc millies) amate Jeſum Crucifixum, & deſcẽdite, nolite timere iter æternitatis; ipſe deſcendet vobiſcum, & manebit vobiſcum; & ipſe ſanguineis vulneratisque manibus claudet veſtros oculos; talis mors, non eſt mors, ſed beata ſors! ſed dulcis umbra mortis, ſed ſuave refrigerium, ſed deſideratiſsima quies, ſed optatiſsimus ſomnus.

§. 15. *Cor amãtis in morte ſciſſum præ amore & gaudio. Simile Exemplũ S. Ther.* Refert Speculum Exemplorum mortem alicujus viri ſancti, cujus cor aperto corpore repertum fuit ſciſſum, & reperta fuêre inſcripta hæc verba, *Amor meus Jeſus Chriſtus.* Medici, inſpicientes cadaver, rimantes membra, venas, nervos, dixerunt hoc illi fiſſum fuiſſe præ nimio gaudio; propter abuundantiam ſuperabundantis lætitiæ debuiſſe mori. Cùm ſimili ſciſſura repertũ fuit cor S. Thereſiæ, cum poſt mortem apertum fuit Seraphicum ipſius pectus. Quid ſuavius, quid jucundius, quid delectabilius de morte juſtorum dici poteſt? Hanc ego opinionẽ concipio de meis ſodalibus & Auditoribus univerſis, quod dudum cordibus ſuis inſcripſerint hæc: *Amor noſter Jeſus Crucifixus eſt.* Si ita eſt, nolite mortem timere; deſcendite, ſi in via occurrant Principes tenebrarum, nolite timere, Chriſtus Crucif. deſcẽdet nobiſcũ, ipſe nobis aderit, ipſe nos abſcondet intra vulnera ſua, ipſe nobis claudet oculos, ipſe Spiritum noſtrum excipiet. Mors nobis tandem frangat cor & oculos, ſed ſimul illud frangat noſter Amor & deſiderium videndi Chriſtum, quod non fiet ſine jubilo & lætitia, lætantes ibimus in domum Domini. Animæ noſtræ erunt in manu Domini, & non tanget nos tormentũ mortis. Moriemur, ut videamus, quem amavimus, de facie ad faciem, in cœleſti patria, quam, ut nobis largiatur ſanctiſsima Trinitas, Pater, Filius & Spiritus S. ex animo precor.

CONCIO XLVI.

DOMINICA XVII. POST SS. TRINIT.

Et ecce, homo quidam hydropicus erat ante illum, Luc. 14. verſ. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Hydropici & avari divitis, periculoſa & inquieta eſt vita.

§. 1. *Avaritia eſt hydrops ſpiritualis.*

§. 2. *Periculoſus ſtatus divitum oſtenditur ex verbis, & doctrina Chriſti Dom.*

§. 3. *Idem periculoſus ſtatus divitum oſtenditur ex S. Paulo.*

§. 4. *Proſecutio.*

§. 5. *Qui volunt divites fieri, exponunt ſe tentationibus diaboli.*

§. 6. *Ut Saul & Judas.*

§. 7. *Deſideria concupiſcentiæ exſatiari non poſſunt.*

§. 8. *Soliciti eſſe debemus, ne impleamus noſtra deſideria.*

§. 9. *Hydrops, ſive avaritia eſt peſſimus morbus.*

§. 10. *Non eſt, quod diviti invideamus: avarus comparatur cani.*

§. 11. *Divites patiuntur plurimos dolores & timores.*

§. 12. *Divitiæ ſunt miſeriæ.*

§. 13. *Hydropici & avari, dies, noctesq; ſunt inquieti.*

§. 14. *Confirmantur hactenus dicta ex S. Ambroſio.*

§. 1. Avaritia eſt hydrops ſpiritualis.

PEriculoſus & difficilis morbus in corpore humano eſt hydrops: periculoſior & difficilior longè infirmitas animæ eſt hydrops ſpiritualis, ſive avaritia, & inordinatus affectus divitiarum. Eſſentiam, effectus, proprietates & circumſtantias; ob quas hoc vitium cum hydrope comparetur, in alia concione expono; præſens ſermo, periculoſum hydropicorum & divitū ſtatum explicabit: & quia campum habeo ampliſſimum, pluribus modò præfari ſuperſedeo, & ad rem ipſam accedo.

§. 2. Periculoſus ſtatus divitum oſtenditur ex verbis & doctrinæ Chriſti.

Eorum, quæ dicturus ſum, fundamentum, continent verba Chriſti Salvatoris, quæ toties, tum in publicis ad populum concionibus, tum in privatis, cum diſcipulis, colloquiis, omnibus inculcavit. Amo ego diſcurſus, qui in doctrina æternæ

Veri-

Veritatis, ſive in Evangelio fundantur. Apud S. Matth. c. 19. v. 24. ait, *Dives difficile intrabit in regnum cœlorum.* nimirum, Cœlum non eſt noſocomium hydropicorum; exulat inde fœtidiſſimus hic morbus. Verba ſua Chriſtus D. citato loco multis explicat, ubi videri & legi poſſunt. Luc. 6. v. 24. ait, *Væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram. Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis & flebitis.* Mihi certum eſt, hanc voculam *Væ*, quam ſuaviſſima lingua Salvatoris toties repetit & ingeminat, continere in ſe graviſſima pericula, in quibus divites verſantur, ob quam cauſam idem Salvator noſter divitias aliquoties comparavit ſpinis, quibus pungi eſt periculoſum. Luc. 16. v. 22. ait de quodam divite, *Mortuus eſt, & ſepultus eſt in inferno.* Ex quibus veritatibus ab æterna Veritate prolatis & probatis, vario modo, & multiplici diſcurſu, per varias figuras cœleſtis eloquentiæ, ut modo plurima ſimilia loca, non afferam in medium, colligo, divitiarum amorem immoderatum, atque avaritiam eſſe hydropem quendam, & morbum valdè periculoſum.

§. 3. *Idem periculoſus ſtatus divitum oſtenditur ex S. Paulo.*

Quem meo judicio elegantioribus verbis ſive coloribus depingere & deſcribere nō poſſū, quā id fecit Doctor gentiū 1. ad Timoth. c. 6. 9 *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva; quæ mergunt hominem in interitum.* Et hanc addit cauſam. *Nam radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Talis morbus eſt hydrops exterior in corpore humano, ut varios, graves & acutos in illo cauſet dolores; talis quoque morbus eſt ſpiritualis hydrops ut in anima acriora excitet tormenta. Si hanc ſententiam Apoſtoli bene perpendamus, luce clarius proſpiciemus damna morbi, de quo agimus.

§ 4. *Profectio.*

Qui volunt, inquit, *divites fieri.* Non dicit, qui ſunt divites, ſed qui volunt, ut notat S. Bernardus de tribus Ord. Eccleſiæ, ut intelligamus S. Paulum loqui de illis divitibus, qui etiam maximis divitiis exſatiari non poſſunt, ſed immensâ ſiti accenſi, ſemper plura deſiderant. *Qui volunt divites fieri.* S. Thomas hic; *Non ad neceſſitatem, ſed ad abundantiam.* Sive, qui propriis poſſeſſionibus non ſunt contenti, ſed ſemper ampliores quærunt, nunquam ponentes metam vel terminos ſuis deſideriis, aut concupiſcentiis. Iſti, ait Apoſtolus, incidunt in omnia mala, ſive varia & graviſſima peccata, quæ infallibiliter ipſos in interitum præcipitant.

§. 5. *Qui volunt divites fieri exponunt ſe tentationibus diaboli.*

Grande profectò damnum & periculum in quod devolvuntur, eſt tentatio diabolica: nam eo ipſo quod quis concupiſcat divitias, exponit, imò tradit ſe innumeris ſuggeſtionibus inimici; impoſſibile eſt, talem non tentari. Arma diaboli, ſunt res hujus mundi, per quas tentat. Si illa tollas, non habebit quod tentet. Immunis eſt à tentationibus diaboli, qui nihil concupiſcit. Sperne di-

Digitized by Google

divitias, contemne honores, noli dominari, reprime carnem, unde inimicus te tentabit? S. Chryſoſtomus hom. 17. in ep. ad Timoth. *Fugiamus malorum radicem, & omnia vitabimus.* Pone aliquem, qui talia concupiſcat & deſideret: illicò incidet in tentationes, & incurret in arma inimici, ejus inſultibus ſe exponet.

§. 6. *Vt Saul & Iudas.* Videamus hoc in Saule; nam eo ipſo, quo infelix hic Rex, regiis poſſeſſionibus non contentus, neque ea magnitudine, ad quam evexerat eum Deus; ſed plura cœpit concupiſcere, eo ipſo miſer incidit in tentationem, & omnium ſcopus diabolicarum factus eſt machinationum. Juſſus erat devaſtare ferro & flammis greges, armenta, veſtes, arietes & univerſa, quæ pertinebant ad Amelech; ſed placuerunt illa avaris oculis Saulis, concupiſcit, pepercit, rapuit, congregavit, ſed ſtatim illo momento *Spiritus Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam*, 1. lib. Reg. c. 18. v. 10. Statim, ac concupivit, ſtatim in tentationem, laqueumque incidit inimici: & (Theodoretus quæſt. 38.) *cùm divinus receſſiſſet à Saule Spiritus: locum eſt ſortitus malignus Spiritus. Sic, cum Apoſtolica gratia Judam reliquiſſet, eum ingreſſus eſt diabolus.* Optima combinatio, Saulis & Judæ! ambo fœdè concupiverunt, ambo derelicti ſunt, ambo avari, ambo in poteſtatem traditi inimici: quo ſemel in animum ingreſſo, qui non tentationum turbines ſunt excitati? avaritiæ, invidiæ, odii, rancoris, vindictæ, &c. & certè nequiſſimus ille veterator, utrumque tentare non deſtitit, quoad ambos in profundum traxit, adeò ut Judas Filium DEI leviſſimo pretio vendiderit, ut laqueo ſe ſuſpenderit, Saul verò ſuomet ſe gladio interfecit, inde utriuſque interitus & æterna perditio! Sixtus V. in Bibl. PP. *Quis enim ſapiens ac prudens, dubitat, cupiditatem fontem eſſe omnium malorum, radicem ſcelerum, culparum fomitem, delictorum materiam, verbo, laqueum diaboli.*

Sed majus reſtat malum. Hydropici, *qui divites fieri volunt*, qui non poſſunt ſatiari quibuslibet poſſeſſionibus, *incidunt in deſideria multa & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Hoc maximum eſt malum. In tentationem incidere, malum eſt, pejus devenire in laqueum diaboli, ſed peſſimum, prolabi in nociva deſideria. Tentationes fugere poſſumus, laqueos auxilio Dei conterere, ſed hydrops, cum accenditur, rumpit viſcera; ſic deſideria concupiſcentiæ, cum prævalent, mergunt hominem in interitum & perditionem, ut loquitur S. Paulus. Si ſemel animus ad deſiderandum laxetur, nullus erit in hydropico deſideriorum & peſſimorum finis. *Tria ſunt inſaturabilia*, inquit Salomon Proverb. 30. v. 16. *& quartum, quod nunquam dicit ſufficit: Infernus, & os vulvæ. & ignis, & terra quæ non ſatiatur aquâ, ignis verò nunquam dicit, ſufficit.* Per hunc ignem Divus Anaſtaſius Epiſc. Nicom. in quæſt. Scriptur. quæſt. 1. intelligit concupiſcentiam. *Quarta nunquam contenta eſt dicere, ſufficit; nempe quæ eſt in omnibus, improba cupiditas.* §. 7. *Deſideria concupiſcentiæ exſatiari non poſſunt.*

Finio

Digitized by Google

§. 8. *Solicitè eſſe debemus ne impleamus noſtra deſideria.* Finio hunc diſcurſum aureo monito S. Pauli ad Roman. cap 13 v.14. *Carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Non ait abſolutè, carnis curam ne feceritis, ſed deſideria prohibet. Carnis cura moderata non reprehenditur, ſed ſuperflua & inordinata, & inſatiabilis. Unde Syriaca translatio ſic habet: *Ne ſolliciti ſitis carni veſtræ ad concupiſcentias*, ſupple explendas. Vivendum eſt, ſed non ad explendum deſideria inordinata: nam qui ſic vivunt, & talem curam carnis ſuæ habent, ut expleant deſideria, non vivunt ſecundum Deum; tales non ingrediuntur rectam ſemitam, ſed viam perditionis, & mox demergentur in profundum. Nimia deſideria bibendi in hydropico, diſponunt illum ad ultimum agonem, ſollicitant ad mortem, & hydrops ſpiritualis, ſive inſatiabilis ſitis deſideriorum habendi divitias, miſerum hominem deducunt in mortem ſempiternam.

§. 9. *Hydrops ſive avaritia eſt peſſimus morbus.* De ſpirituali hac hydropiſi puto locutum eſſe Salomonem Eccleſiaſtici cap. 5. v. 12. *Eſt & alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole, divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui.* Infirmus ergo eſt dives, ob varios morbos: ſurditate, quia pauperem non audit; hydrope, quia ſemper plura ſitit; paralyſi, quia languet ad omne bonum, è vertigine capitis, quia neſcit, in quo ſtet præcipitio, ex doloribus calculi, quia cor ejus durũ eſt inſtar ſaxi, &c. omnes has infirmitates in animam trahit avaritia. Unde Salomon ait, *Infirmitas peſſima.* Vatablus legit, *malum atrox,* vel *triſtiſſimum.* Campenſis, *Gravis & intenſus morbus.* Olympiodorus, *per quem anima depereunt & occiduntur.* Dives ergo avarus divitias poſſidet, ſed mille afflictionibus mixtas; ſicut hydropicus corporaliter, etſi divitiis, honoribus, deliciis affluat & abundet, miſerrimus tamen eſt corpore; quid enim ei proſunt pretioſæ veſtes, quibus indui non poteſt? Quid lauta menſa, cum omnes cibos faſtidiat; quid aurum & argentum, quo non ſatiatur, quid nummi, quibus uti non audet; quid lecti inſtrati roſis, cùm jaceat inter ſpinas. Quid famuli & equi, cùm è lecto ſurgere non poſſit. Verbo mihi hydropicum vel corpore, vel animâ; oſtendam tibi miſerrimum hominem: & talis eſt omnis dives, ſi uratur concupiſcentia, ſi impleat deſideria cordis.

§. 10. *Non eſt, quod diviti invideamus Avarus comparatur cani S. Chryſ.* Proinde benè dixit S. Chryſoſtomus, *Quid eſt, quod invideas diviti? qui ſe ipſum plurimis diris ſubjecit, quod difficiliori ſervituti, quod ſexcentis catenis, velut canis quiſpiam, ſuis pecuniis alligatus eſt? advenit veſper, ſuccedit nox: huic verò ſolatii & quietis tempus, fit tumultus triſtitiæ & timoris, & mœroris & ſollicitudinis* (urit, ardet hydrops) *majori torquetur ſollicitudine, quàm ille qui perdidit.* Pulchrè S. Chryſoſtomus talem divitem comparat alligato cani, ob ſimile, quod advertit Seneca lib. 10. ep. 73. *Vidiſti aliquando canem miſſa à Domino fruſta panis, aut carnis aperto ore captantẽ; quiquid excipit, protinus devorat integrũ, & ſemper ad ſpem futuri inhiat: idem evenict nobis, quidquid expectantibus*

Digitized by Google

tibus fortuna projecti, id ſine ulla voluptate dimittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti atque attenti. Potuiſſetne, vel ad veritatem Catholicam aptius ſcripſiſſe Chriſtianus, ac ille gentilis Philoſophus? O Seneca! Seneca! quam bellè rem acu tetigiſti! quàm egregiè, quàmque nativis coloribus viventes noſtra etiam ætate Eucliones depinxiſti! cum canibus eos comparaſti. Benè! Neque enim humano nomine digni ſunt, qui humanitatis adeò expertes, ſemetipſos cruciant, vulnerant, occidunt: qui nullam ſibi horam quietam atque tranquillam ſavent; qui noctes dieſque inſtar vigilis moloſſi continuis anguntur curis, afficiuntur moleſtiis, ſtimulantur timoribus, ne acquiſitas amittant opes, qui, quidquid accipiunt, protinus integrum devorant, qui ſemper ad ſpem futuri inhiant: nunquam contenti præſentibus. An non has infelices? an non miſeros? an non Martyres diaboli liceat nuncupare?

§. 11. *Divites patiuntur plurimos dolores & timores*

Reſtant adhuc illa verba S. Pauli, quibus aſſerit, divites immiſcere ſe doloribus multis, quia nunquam divitias poſſident ſine dolore & triſtitia. Unde S. Chryſoſt. *O homo, qui appetis opes, ſpinas appetis, non roſas aculeos quæris, non gemmas.* Paucis, ſed gravibus verbis rem explicat Job cap. 20. 22. *Cum (dives) ſatiatus fuerit divitiis, arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet in eum.* Quiſquis dives vult fieri, tales cruciatus in ſe ſentit, ut omnibus pene doloribus excrucietur. Mirabile quid contigit Exodi 32. v. 6. ubi populus aureum adoravit vitulum, ubi lætatus fuit atque epulatus, ubi duxit choreas, ubi pulſata ſunt cymbala, Joſue has voces audiens dixit: *Ululatus pugnæ auditur in caſtris.* Heus Joſue, quid ululatus pugnæ cum gaudio & lætitia? quid clamores militum, cum vocibus ſaltantium? quid tubis cum ſiſtris? pulcherrimum innuitur myſterium. Omnis fruitio hujus mundi, omne gaudium, omnis lætitia, vana, omnes divitiæ, &c. quæ ſine Deo ſunt, nil niſi bellum, rixas, diſſidia, contentiones & amaritudinem progignunt.

§. 12. *Divitiæ ſunt miſeriæ.*

Meritò itaque ejuſmodi farinæ homines ita compellat S. Jacobus cap. 5. v. 1. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenerunt vobis*: hoc eſt, in divitiis veſtris. Divitias vocat S. Apoſtolus *miſerias*, quia, ut notat Salvianus l. 1. *omnia cauſa ſunt miſeriarum.* Ad divites peculiariter loquitur, plangere eos præcipit, mala futura nuntiat, ignem perpetuum comminatus: & hoc! quo minæ ipſæ magis timendæ ſint, non propter homicidia, non propter fornicationes, non ob ſacrilegas impietates, aut alia poſtremò vitia, ſed propter ſolas tantummodo opes: propter inſatiabilem cupiditatem, propter auri atque argenti famen, ut oſtenderet ſcilicet, ſufficere hæc homini ad æternam damnationem, etiamſi reatus alii non eſſent. An non miſerabilis, periculoſus, fœtidus morbus, eſt ſpiritualis hydrops, ſive luxuria, quæ æternis in inferno caſtigabitur flammis.

Hy-

§. 13. *Hydropici & avari dies noctesque ſunt inquieti.* Hydrops miſero infirmo non permittit requiem vel quietem; die & nocte ardet, & ſitit: dies noctesque eſt inquietus; multo magis avarus dives. Eleganter id deſcribit S. Ambroſius libro de Naboth cap. 6. *Satiato divitiis, non eſt, qui ſinat eum dormire.* Alludit ad divitem illum, qui dixit: *Deſtruam horrea mea, & majora faciam; Excitat eum cupiditas, ſterilitas proventuum perturbat, ſollicitat abundantia. Nec ipſe quidem Deus eum dormiri permittit; interpellat cogitantem, excitat dormientem; ſtulte! hac nocte, repetent à te animam tuam. Sed ne ipſe ſe quietum patitur; qui de abundantia divitiarum ſuarum, ſolicitatur; & ubertate fructuum, vocem egentis emittit: Quid faciam inquit, quia non habeo quò congregem fructus meos; de inopia queritur abundans fructibus; miſerior iſte, fœcunditatibus ſuis, quàm pauper inopia.* Mundi ſcilicet gaudia, ſunt infortunia, divitiæ, paupertas; en inopem hunc fecit ipſa abundantia; pauperem, ipſæ divitiæ, anxium ipſa quies. *Quid faciam:* vox eſt queruli, vox eſt pauperis! in hydropico homine, & eo, qui vult dives fieri, nulla eſt quies.

§. 14. *Confirmantur hactenus dicta ex S. Ambroſio.* Quid ni dicam cum Sancto Ambroſio cit. libro cap. 2. *O dives, neſcis, quàm pauper ſis! quantò plus habueris, plus requiris. Inflammatur lucro avaritia, non reſtringuitur. Quaſi quoſdam gradus cupiditas habet; quò plures aſcenderit, eò ad altiora feſtinat; unde fit gravis ruina lapſuro.* Veriſſimè tu quidem D. Præſul! Illa vos verba perpendite Auditores, (& finiam ego) perpendite inquam, & videte, an ſanctus Ambroſius non benedixerit, inflammari lucro, avaritiam. O noxius ignis! ô flamma deteſtabils! apage turpis Mammona, apage, inquiete Spiritus; apage execrandũ lucrũ, apege damnata pecunia; maledictæ opes: nam ſi meam mihi quietem eripitis, quid mihi vobiſcum eſt: ſubmergam ego vos potius cum Philoſopho, quã vos me, in tentationum, ac mille fluctuum Oceano ſubmergatis. Valete impuri latices, qui meam mihi ſitim non reſtinguitis; ad eos propero fontes, qui me & reficere poſſunt, & ſatiare: ad tua, O mi Jeſu! Sanctiſſima Vulnera, ut anhelus cervus deſidero: ibi voluptas! ibi ſacietas! ibi gaudium! ibi conſolatio! Amen.

Si plura deſideres, vide multa & pulcra in P. Mendoza in l. 1. Reg. cap. 8. Num. 3. Annot. XXXII. circa literam. Sect. 1. mihi f. 553. & Laurentium à Ponte in l. Sapientiæ folio 592.

CONCIO XLVII.

DOMINICA XVIII. POST SS. TRINIT.

Quid vobis videtur de Chriſto? Matth. 22. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

GLorioſiſſimus Chriſti D. titulus eſt quod ſit Filius David. David idem eſt, quod radix: idem quod deſiderabilis viſu & pulcher: idem, quod mitis & ſuavis: idem quod fortis.

§. 1. *Pium propoſitum Auctoris.*

§. 2. *Judæi ſe oppoſuerunt doctrinæ Chriſti.*

§. 3. *Occaſio propoſitæ quæſtionis, quid vobis videtur de Chriſto?*

§. 4. *David, eſt nomen glorioſiſſimum.*

§. 5. *Radix eſt una ex præcipuis partibus arboris.*

§. 6. *Radix arboris pulcerrimæ, id eſt, Eccleſiæ, tum militantis, tum triumphantis, eſt Chriſtus Dominus.*

§. 7. *Hoc encomium, filius vel Radix David continet alia innumera.*

§. 8. *David idem eſt, quod pulcher & ſpecioſus.*

§. 9. *Chriſtus D. radix eſt, flos eſt.*

§. 10. *Matthæi 19. duo cæci vocarunt Chriſtum Dominum filium Davidis; tum id Judæis diſplicuit, hodie placet.*

§. 11. *David ob ſuam manſuetudinem fuit figura Chriſti.*

§. 12. *David idem eſt, quod bonus, ſuavis, dulcis.*

§. 13. *David interpretatur manu fortis.*

§. 14. *Parallela inter Davidem & Chriſtum, ratione devicti Goliath.*

§. 15. *Affectus amoris erga JESUM.*

§. 1. *Pium Propoſitum Auctoris.* HAc concione exordior ſextum annum, mearũ quas hoc Cathedrali Nemetum ſuggeſtu, ad vox dixi, Concionum. Quod ſi Spiritus Sancti gratia confortet, comitetur, & perficiat illa propoſita, quæ his diebus coram Chriſto meo Crucifixo concepi, eundem cum Sancto Paulo, anno ſequenti, ferventius, quam unquam aliàs, prædicabo. Hâc ipſâ horâ faciam initium: occaſionem

nem mihi præbet pulcerrimum Evangelium hodiernæ Dominicæ.

§. 2. *Iudæi ſe oppoſuerunt doctrinæ Chriſti D.* In quo ex unâ parte mirari ſatis non poſſum, quâ pertinaciâ & acerbitate, æmuli gloriæ Chriſti, Judæi, oppugnarint, atque exagitarint novam doctrinam, & legem Evangelii, quod cœleſtis, illis, Magiſter prædicabat. Ex alterâ verò parte ſtupeo, dum perpendo, quâ ſubtilitate & ſapientia Chriſtus Salvator noſter, adverſariorum objectiones eluſerit, verbis paucis, ſed tam myſterioſis, ut adverſarii ſemper cum ſilentio, & confuſione à Chriſto D. recedere coacti fuerint. Atque ut ea, quæ in hodierno Evangelio à S. Matthæo narrantur, melius intelligamus, ex illis quæ præceſſerunt, advertere nos oportet, triplicis generis homines inter Judæos, doctrinæ Chriſti præcipuè ſe oppoſuiſſe. Sadducæos, Phariſæos & legis peritos. Sadducæi quidem, cum audiviſſent & vidiſſent, quomodo Chriſtus Dom. ſatisfeciſſet Herodianis, qui oſtenderant numiſma cenſus; quia non credebant reſurrectionem mortuorum, quem articulum fidei noſtræ Chriſtus Salvator frequenter Auditoribus inculcabat, adduxerunt ad eum mulierem quæ nupta fuerat ſeptem viris, interrogantes ex eodem, cujuſnam ex ſeptem futura eſſet uxor in reſurrectione? reſpondit Chriſtus D. paucis verbis: *Erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei: in reſurrectione enim neque nubent neq; nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo*, Matth. 22, v. 29. & obmutuerunt: Phariſæi autem audientes, quod ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, convenerunt in unum, & interrogavit eum unus ex eis, *Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege?* Sperabat eum dicturum aliquid contra legem Moyſis, ut eſſet locus conſuetis cavillationibus: ſed ait illi JESUS: ibid. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Quo reſponſo etiam Phariſæis ſilentium impoſuit.

§. 3. *Occaſio propoſitæ quæſtionis. Quid vobis videtur de Chriſto.* Aſtabant etiam periti & Doctores legis; quibus ſilentium, & Sadducæorum, & Phariſæorum valde diſplicuit: cumque viderentur & ipſi velle aliquid proponere, prævenit Jeſus eos interrogando: *Quid vobis videtur de Chriſto?* &c. *Et nemo poterat ei reſpondere verbum, neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.* Hæc ſumma hodierni Evangelii, ex quo binæ illæ voculæ, *Filius David*, erunt materia præſentis diſcurſus; continent enim illæ varia & eximia encomia Chriſti Salvatoris. Filius David, idem eſt, quod radix David. David ſonat deſiderabilem viſu, ſpecioſum, ſuavem, mitem, benignum, miſericordem, formidabilem, triumphatorem, & ſimilia: quorum cognitio, ut ardentem in vobis erga eundem Salvatorem, excitet amorem, enixè rogo, ut me pro more veſtro, benevolè audiatis.

§. 4. *David eſt nomen glorioſiſſimum.* Mirabilis eſt Deus in ſuis diſpoſitionibus. Illi, qui Chriſtum Dom. cane & angue pejus oderunt, illi, qui nil aliud cogitant, quàm quomodo Jeſum tollant è medio: illi, qui nil

 aliud

Digitized by Google

aliud volunt & mente volvunt, quàm qua ratione deprimant gloriam Chriſti, contra ſuam voluntatem, & neſcientes, glorioſiſſimo illum extollunt titulo, dum vocant Filium Davidis. Nam qui Filius eſt David, idem & radix eſt David, ſic enim ait S. Joannes in Apoc. cap. 5. v. 5. *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David.* Apocal. cap. 22. v. 26. Ego Jeſus, *ego ſum radix & genus David.* Ex hac radice ingens pro Chriſto Domino enaſcitur gloria: Ex hac radice latens & myſterioſus ſenſus ad Chriſti gloriam erui poteſt.

§. 5. *Radix eſt una ex præcipuis partibus arboris.*

Radix ut ſcitis, in arbore, eſt ferme pars præcipua, ſed abjectiſſima. Præcipua! nam ex radice pullulat arboris vita, ſuccus, gratia, decor, pulchritudo, fœcunditas. Sine radice, non arborem, ſed truncum ſpectamus. Eadem tamen radix ſuo aſpectu eſt deformis, aſpera, ſordida, nigra, immerſa viſceribus terræ. Et frequenter, quò arbor eſt formoſior, & fœcundior, quò pulchriores ſunt flores, quò fructus dulciores, eò radix eſt deformior. Cernere id licet in vitibus, in pomis, in roſis. Vix hæc refero, & menti meæ occurrit, in Sacris literis à Spiritu S. veluti pictore, oculis noſtris proponi Eccleſiam, tum militantem, tum triumphantem, ſub ſymbolo pulcherrimæ & fœcundiſſimæ arboris. De quovis homine in particulari dixit Chriſtus Dominus, Matth. 3. v. 10. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum:* quo ſenſu v. g. B. Virgo eſt arbor pulcherrima, eſt cedrus, palma, cypreſſus, oliva ſpecioſa in campis cœleſtis Jeruſalem. Pulcherrimæ ibidem arbores ſunt Apoſtoli: Arbores rigatæ ſanguine, Roſæ fuerunt & ſunt glorioſi Martyres, Lilia cœleſtis viridarii ſunt Virgines. Neque hodie in agro vel horto Eccleſiæ militantis deſunt tales arbores & flores; nec deerunt uſque ad conſummationem ſæculi. Sed quæro radicem, à quâ illa vita, ille ſuccus gratiæ: ille decor virtutum, illa pulchritudo, & fructus tantæ gloriæ pullularint, & pullulent.

§. 6. *Radix arboris pulcherrima, id eſt, Eccleſia, tū militantis tum triumphantis. eſt Chriſtus Dom.*

Radix eſt, qui eſt Filius David. Radix infinitæ virtutis. In myſterio Sacroſanctæ Trinitatis, radix Spiritus Sancti; quæ dum aſſumpta natura humana, in terræ virginalis viſceribus, & in profunda abyſſo immenſæ demiſſionis fuit radicata, quam facta fuit informis, vilis, reſpectu naturæ divinæ? imò in oculis hominum, in ſtabulo, in præſepio, in cunis, panniculis, in ſinu pauperculæ Virginis, parvus Puſio! Tranſplantata verò cum ligno Crucis in montem Calvariæ quam fuit deformis, quâ abjecta? adeò ut illi non eſſet, *neque ſpecies, neque decor*, Iſaiæ 53. v. 2. Sic eſt: Sed idem Filius Dei, idem filius hominis, idem Chriſtus, fuit radix regii ſtemmatis David, hoc eſt, fuit & eſt radix nobiliſſimæ ſtirpis & proſapiæ omnium Prædeſtinatorum, in qua omnes electi, & ſancti, & juſti; ſunt Reges, Principes, & filii Dei: & cohæredes Chriſti, & hæredes gloriæ æternæ.

§. 7. *Hoc encomium, vel Filius*

Itaque ſi cœleſtis gloria Paradiſus eſt; omnino, eſt Paradiſus: ſi in illo Patriarchæ ſunt altiſſimæ Cedri: radix eſt CHRISTUS Dominus: ſi Apo-

Radix David, continet alia innumera.

Apoſtoli ſunt Olivæ, radix eſt Chriſtus, Filius Davidis: ſi Martyres ſunt palmæ, radix eſt Chriſtus filius David: ſi roſæ & lilia ſunt Virgines, radix eſt Chriſtus Filius David: ſi Cedrus altiſſima, ſi Oliva ſpecioſiſſima, ſi palma glorioſiſſima, ſi lilium formoſiſſimum, ſi Roſa omnium amabiliſſima, eſt DEI Mater MARIA, radix tamen eſt ejuſdem Filiis, filius quoque & radix David. Hic ergo titulus unicus, omnes illos involvit, quibus in Litaniis de nomine JESU eundem compellamus, JESU Rex Patriarcharum, JESU Rex Prophetarum, JESU Rex Apoſtolorum, JESU Rex Martyrum, JESU Rex Virginum, JESU Rex Sanctorum omnium: Auditis hæc Sadducæi! hæccine Chriſto elogia tribuere voluiſtis, dum filium Davidis compellaſtis? Vobis, legis periti, videturne adhuc, quod ſit filius David? Vos dicitis! ex ore veſtro vos judico; gratulor ego Chriſto meo, quod gloriæ ejus æmuli, quod hoſtes & inimici, non volentes, ignorantes, tam glorioſo titulo, filii Davidis, immenſam ejus gloriam, excellentiam & dignitatem, nobis declararint.

§. 8. *David, idem eſt, quod Pulcher, & ſpecioſus, ut declarat S Bernardus.*

Advertit præterea Sanctus Bernardus, voculam *David*, idem ſonare, *quod deſiderabilem viſu, ſive ſpecioſum forma præ filiis hominum.* Talem diu ante deſcripſit ipſe David pſalm. 44. quod diffuſa fuerit gratia in labiis ejus, quod ſua pulchritudine regnarit, quod ſpecie ſua proſperè proceſſerit, quod Deus unxerit eum oleo lætitiæ, quod myrrha, & gutta, & caſia ſpirarint à veſtimentis ejus: quo odore, qua pulchritudine delectatæ fuerunt filiæ Regum: quod ſpecioſiſſimi ejus oculi, quod labia & genæ, quod comæ & capilli, fuerint veluti ſagittæ acutæ, & potentes, quæ aſpectantium vulnerarunt oculos & animos; quod adeo Reges concupiverint decorem ejus, quod ſecutæ illum fuerint Virgines in lætitia & exultatione. Talis ſcilicet in typo fuit David in florida juventute, ſpecioſiſſimus, formoſiſſimus David. Talis re ipſa fuit Chriſtus Salvator, filius David, & ſpecioſiſſimæ Virginis, David cœleſtis, ſpecioſus forma præ filiis hominum; in labiis, in fronte, in oculis, in genis, per omnia corporis membra diffuſa fuit gratia & decor, & elegantia pulchritudinis infinitæ. Ut Phariſæi, dum quæſitum ex illis fuit, quid de Chriſto, quem videbant, quem habebant præ oculis, cum quo loquebantur, interrogati inquam, quid de illo ſibi videretur, bene reſponderint, dicendo; Eſſe filium Davidis, pulcherrimum filium, pulcherrimi parentis, ſive, totum ſpecioſum, & deſiderabilem viſu.

§. 9. *Chriſtus D. radix & flos eſt.*

Puto Iſaiam ob eximiam hanc ejus pulchritudinem dixiſſe cap. 11. v. 1. *Egredietur flos de radice.* q. d. Radix quidem erit Chriſtus D. id eſt, humilis, mitis, pauper, ſed ſimul flos. Radix nobis proponit naturam ejus humanam, flos explicat divinam, & immenſam pulcritudinem. Ob quam, Pſal. 102. v. 15. dicitur *flos agri*, Cant. 2. v. 1. *flos campi*: Iſaiæ 28. v. 4. *flos gloriæ*

 Na-

figuratũ eſt, quod in Domino Jeſu deinde completum fuit, cùm contra diabolum pugnaturus, crucem ſuam ipſe portavit, & (teſte Ruperto) *fundam quoque manu tulit, cùm per caritatem manus in cruce extendit.* Sic vicit cœleſtis & fortiſſimus David. Hoc in hodierno Evangelio prophetarunt Phariſæi, prædixerunt legis Doctores, prænuntiarunt Scribæ, edixerunt Judæi, dum illum vocarunt *Filium Davidis,* ſive fortiſſimum hoſtium triumphatorem. Cave tibi Synagoga, te quoque diruet!

§. 15. Affectus amoris erga Jeſum. O Fili David! O mi Jeſu! ob hos glorioſiſſimos titulos, cur non amem te! Es radix David, radix gratiæ, radix gloriæ in ſtirpe omnium Electorum. Amo te! es David, es ſpecioſus præ filiis hominum, Amo te! es David! totus deſiderabilis. Amo te. Es David, bonus, pius, miſericors, amo te. Es fortiſſimus hoſtium debellator, amo te. Utinam igitur & ego ſim de numero illorum Amatorum Jeſu, de quibus ait S. Gregorius Magnus hom. 34. in Evang. *Solo æternitatis amore paſcuntur, cuncta temporalia mente tranſcendunt, amant, ardent, & alios amore accendunt. Quid iſtos, niſi Seraphim dixerim, quorum cor in ignem converſum lucet, ardet & urit.* O Fili David! utinam hodie eſſem talis Seraph! talis fuit S. Auguſtinus, qui depingi ſolet cor manu geſtans, ſed rubeum, flammineum, flammeoq; telo transfixum. O mi Jeſu! O fili David, tale cor tibi offerre deſidero. Rubeum, quod purpura tui ſanguinis purpuravit, rubeum, quod pro te deſiderat ſanguinem fundere. Flammeum! quod flamma tui amoris inflammavit, & alios deſiderat inflammare. Vulneratum quoq; caritatis tui ſagittis. Si ſic me purpuras, ſi ſic me inflammas, ſi ſic vulneres, O ſpecioſiſſime fili David, audebo ſuſpirare cum eodem S. Auguſt. in ſoliloq. *Scio mi Jeſu, quod cœlo & terra, & omnibus quæ in eo ſunt, tu mihi ſis acceptior & amabilior. Amo te mi Jeſu amore magno, magisque amare cupio. Da mihi ut amem te, quantum debeo.* Sentio! tantus amor impedit me plura loqui, itaque tacebo, ſed in ſilentio cordis dicam millies, Jeſu fili David, David pulcherrime, David ſuaviſſime, amo te; non ego præter te aliam amo pulchritudinem. Te, te, fili David, te amo. Non ego alium complector ſponſum, te, te, Fili David, te complector. Non alterius mihi precor favores, non alterius gratiam ambio; te, te, Fili David te quæro, te deſidero, ad te anhelo, in te ſpero, te amo, tibi vivo, tibi morior, O Fili David!

Amen!

CON-

CONCIO XLVIII.

DOMINICA XIX. POST SS. TRINIT.

Confide fili, Matthæi cap. 9. verſ. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SUbſtruit Fiduciæ & ſpei noſtræ ſolidum fundamentum; cum eximiis elogiis eximiæ hujus virtutis.

§. 1. *Verba hæc Chriſti D.* Confide fili: *excitant fiduciam noſtram.*
§. 2. *Deſcriptio fiduciæ in Deum vel Chriſtum D. ex S. Auguſtino.*
§. 3. *Fiducia eſt cœleſtis ſcala: cujus figura fuit ſcala Jacob.*
§. 4. *Fiducia eſt aurea clavis viſcerum Chriſti D.*
§. 5. *Digreſſio ad quinque ſanctiſſima vulnera in gratiam ſodaliũ Agoniæ.*
§. 6. *Apoſtrophe ad peccatorem, ut confidat Chriſto.*
b. 7. *Fiducia eſt aureus nummus.*
§. 8. *Fundamentum noſtræ fiduciæ eſſe debet infinitus cumulus meritorum Chriſti.*
§. 9. *Quibus Chriſtus Dominus pro ſe non indiguit: ſed illa nobis tribuit.*
§. 10. *Quod explicatur hiſtoria ex libris Regum.*
§. 11. *Applicatur illa Chriſto Domino.*
§. 12. *Sanct. Auguſtinus rem declarat ſimili.*
§. 13. *Chriſtus D. tam atrocia voluit pati, & mori in cruce, ut ipſi fidamus. Liberalitas Joſephi erga ſuos fratres, & Chriſti D. erga peccatores.*
§. 14. *Valor meritorum Chriſti longè excedit malitiam peccatorum.*
§. 15. *Fiducia S. Auguſtini & S. Bernardi erga Paſſionem Chriſti.*

§. 1. *Verba hæc Chriſti D.* Confide fili, *excitant noſtram fiduciam.*

PAucis, ſed ſuaviſſimis Salvator noſter verbis, Paralyticũ antequam ſanaret, eſt allocutus: *Confide fili:* q.d. fili, noli timere; & poſſum, & volo te ſanare: quod & fecit; morbum graviſſimum, corporalem paralyſin his verbis ſanavit Matth. 9. v. 6. *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.* Verba, quæ præmiſit Chriſtus D. *Confide, remittuntur tibi peccata tua*; oſtendunt, eum

tibus fortuna projectt, id ſine ulla voluptate dimittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti atque attenti. Potuiſſetne, vel ad veritatem Catholicam aptius ſcripſiſſe Chriſtianus, ac ille gentilis Philoſophus? O Seneca! Seneca! quam bellè rem acu tetigiſti! quàm egregiè, quàmque nativis coloribus viventes noſtra etiam ætate Eucliones depinxiſti! cum canibus eos comparaſti. Benè! Neque enim humano nomine digni ſunt, qui humanitatis adeò expertes, ſemetipſos cruciant, vulnerant, occidunt: qui nullam ſibi horam quietam atque tranquillam favent; qui noctes dieſque inſtar vigilis moloſſi continuis anguntur curis, afficiuntur moleſtiis, ſtimulantur timoribus, ne acquiſitas amittant opes, qui, quidquid accipiunt, protinus integrum devorant, qui ſemper ad ſpem futuri inhiant: nunquam contenti præſentibus. An non has infelices? an non miſeros? an non Martyres diaboli liceat nuncupare?

§. 11. *Divites patiuntur plurimos dolores & timores*

Reſtant adhuc illa verba S. Pauli, quibus aſſerit, divites immiſcere ſe doloribus multis, quia nunquam divitias poſſident ſine dolore & triſtitia. Unde S. Chryſoſt. *O homo, qui appetis opes, ſpinas appetis, non roſas aculeos quæris, non gemmas.* Paucis, ſed gravibus verbis rem explicat Job cap. 20. 22. *Cum* (dives) *ſatiatus fuerit divitiis, arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet in eum.* Quiſquis dives vult fieri, tales cruciatus in ſe ſentit, ut omnibus pene doloribus excrucietur. Mirabile quid contigit Exodi 32. v. 6. ubi populus aureum adoravit vitulum, ubi lætatus fuit atque epulatus, ubi duxit choreas, ubi pulſata ſunt cymbala, Joſue has voces audiens dixit: *Ululatus pugnæ auditur in caſtris.* Heus Joſue, quid ululatus pugnæ cum gaudio & lætitia? quid clamores militum, cum vocibus ſaltantium? quid tubis cum ſiſtris? pulcherrimum innuitur myſterium. Omnis fruitio hujus mundi, omne gaudium, omnis lætitia, vana, omnes divitiæ, &c. quæ ſine Deo ſunt, nil niſi bellum, rixas, diſſidia, contentiones & amaritudinem progignunt.

§. 12. *Divitiæ ſunt miſeriæ.*

Meritò itaque ejuſmodi farinæ homines ita compellat S. Jacobus cap. 5. v. 1. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenerunt vobis*: hoc eſt, in divitiis veſtris. Divitias vocat S. Apoſtolus *miſerias*, quia, ut notat Salvianus l. 1. *omnia cauſa ſunt miſeriarum.* Ad divites peculiariter loquitur, plangere eos præcipit, mala futura nuntiat, ignem perpetuum comminatus: & hoc! quo minæ ipſæ magis timendæ ſint, non propter homicidia, non propter fornicationes, non ob ſacrilegas impietates, aut alia poſtremò vitia, ſed propter ſolas tantummodo opes: propter inſatiabilem cupiditatem, propter auri atque argenti famen, ut oſtenderet ſcilicet, ſufficere hæc homini ad æternam damnationem, etiamſi reatus alii non eſſent. An non miſerabilis, periculoſus, fœtidus morbus, eſt ſpiritualis hydrops, ſive luxuria, quæ æternis in inferno caſtigabitur flammis.

Hy-

Digitized by Google

§. 13. *Hydropici & avari dies noctesque ſunt inquieti.* Hydrops miſero infirmo non permittit requiem vel quietem; die & nocte ardet, & ſitit: dies noctesque eſt inquietus; multo magis avarus dives. Eleganter id deſcribit S. Ambroſius libro de Naboth cap. 6. *Satiato divitiis, non eſt, qui ſinat eum dormire.* Alludit ad divitem illum, qui dixit: *Deſtruam horrea mea, & majora faciam; Excitat eum cupiditas, ſterilitas proventuum perturbat, ſollicitat abundantia. Nec ipſe quidem Deus eum dormiri permittit; interpellat cogitantem, excitat dormientem; ſtulte! hac nocte, repetent à te animam tuam. Sed ne ipſe ſe quietum patitur; qui de abundantia divitiarum ſuarum, ſolicitatur; & ubertate fructuum, vocem egentis emittit: Quid faciam inquit, quia non habeo quò congregem fructus meos; de inopia queritur abundans fructibus; miſerior iſte, fœcunditatibus ſuis, quàm pauper inopia.* Mundi ſcilicet gaudia, ſunt infortunia, divitiæ, paupertas; en inopem hunc fecit ipſa abundantia; pauperem, ipſæ divitiæ, anxium ipſa quies. *Quid faciam*: vox eſt queruli, vox eſt pauperis! in hydropico homine, & eo, qui vult dives fieri, nulla eſt quies.

§. 14. *Confirmantur* Quid ni dicam cum Sancto Ambroſio cit. libro cap. 2. *O dives, neſcis, quàm pauper ſis! quantò plus habueris, plus requiris. Inflammatur lucro avaritia, non reſtringuitur. Quaſi quoſdam gradus cupiditas habet; quò plures aſcenderit, eò ad altiora feſtinat; unde fit gravis ruina lapſuro.* *hactenus dicta ex S. Ambroſio.* Veriſſimè tu quidem D. Præſul! Illa vos verba perpendite Auditores, (& finiam ego) perpendite inquam, & videte, an ſanctus Ambroſius non benedixerit, inflammari lucro, avaritiam. O noxius ignis! ô flamma deteſtabils! apage turpis Mammona, apage, inquiete Spiritus; apage execrandū lucrū, apege damnata pecunia; maledictæ opes: nam ſi meam mihi qaietem eripitis, quid mihi vobiſcum eſt: ſubmergam ego vos potius cum Philoſopho, quā vos me, in tentationum, ac mille fluctuum Oceano ſubmergatis. Valete impuri latices, qui meam mihi ſitim non reſtinguitis; ad eos propero fontes, qui me & reficere poſſunt, & ſatiare: ad tua, O mi Jeſu! Sanctiſſima Vulnera, ut anhelus cervus deſidero: ibi voluptas! ibi ſacietas! ibi gaudium! ibi conſolatio! Amen.

Si plura deſideres, vide multa & pulcra in P. Mendoza in l. 1. Reg. cap. 8. Num. 3. Annot. XXXII. circa literam. Sect. 1. mihi f. 553. & Laurentium à Ponte in l. Sapientiæ folio 592.

Digitized by Google

CONCIO XLVII.

DOMINICA XVIII. POST SS. TRINIT.

Quid vobis videtur de Chriſto? Matth. 22. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

GLorioſiſſimus Chriſti D. titulus eſt quod ſit Filius David. David idem eſt, quod radix: idem quod deſiderabilis viſu & pulcher: idem, quod mitis & ſuavis: idem quod fortis.

§. 1. *Pium propoſitum Auctoris.*

§. 2. *Judæi ſe oppoſuerunt doctrinæ Chriſti.*

§. 3. *Occaſio propoſitæ quæſtionis, quid vobis videtur de Chriſto?*

§. 4. *David, eſt nomen glorioſiſſimum.*

§. 5. *Radix eſt una ex præcipuis partibus arboris.*

§. 6. *Radix arboris pulcerrimæ, id eſt, Eccleſiæ, tum militantis, tum triumphantis, eſt Chriſtus Dominus.*

§. 7. *Hoc encomium, filius vel Radix David continet alia innumera.*

§. 8. *David idem eſt, quod pulcher & ſpecioſus.*

§. 9. *Chriſtus D. radix eſt, flos eſt.*

§. 10. *Matthæi 19. duo cæci vocarunt Chriſtum Dominum filium Davidis; tum id Judæis diſplicuit, hodie placet.*

§. 11. *David ob ſuam manſuetudinem fuit figura Chriſti.*

§. 12. *David idem eſt, quod bonus, ſuavis, dulcis.*

§. 13. *David interpretatur manu fortis.*

§. 14. *Parallela inter Davidem & Chriſtum, ratione devicti Goliath.*

§. 15. *Affectus amoris erga JESUM.*

§. 1. *Pium Propoſitum Auctoris.*

HAc concione exordior ſextum annum, mearũ quas hoc Cathedrali Nemetum ſuggeſtu, ad vox dixi, Concionum. Quod ſi Spiritus Sancti gratia confortet, comitetur, & perficiat illa propoſita, quæ his diebus coram Chriſto meo Crucifixo concepi, eundem cum Sancto Paulo, anno ſequenti, ferventius, quam unquam aliâs, prædicabo. Hac ipſâ horâ faciam initium: occaſionem

nem mihi præbet pulcerrimum Evangelium hodiernæ Dominicæ.

§. 2. *Judæi ſe oppoſuerunt doctrinæ Chriſti D.*

In quo ex unâ parte mirari ſatis non poſſum, quâ pertinaciâ & acerbitate, æmuli gloriæ Chriſti, Judæi, oppugnarint, atque exagitarint novam doctrinam, & legem Evangelii, quod cœleſtis, illis, Magiſter prædicabat. Ex alterâ verò parte ſtupeo, dum perpendo, quâ ſubtilitate & ſapientia Chriſtus Salvator noſter, adverſariorum objectiones eluſerit, verbis paucis, ſed tam myſterioſis, ut adverſarii ſemper cum ſilentio, & confuſione à Chriſto D. recedere coacti fuerint. Atque ut ea, quæ in hodierno Evangelio à S. Matthæo narrantur, melius intelligamus, ex illis quæ præceſſerunt, advertere nos oportet, triplicis generis homines inter Judæos, doctrinæ Chriſti præcipuè ſe oppoſuiſſe. Sadducæos, Phariſæos & legis peritos. Sadducæi quidem, cum audiviſſent & vidiſſent, quomodo Chriſtus Dom. ſatisfeciſſet Herodianis, qui oſtenderant numiſma cenſus; quia non credebant reſurrectionem mortuorum, quem articulum fidei noſtræ Chriſtus Salvator frequenter Auditoribus inculcabat, adduxerunt ad eum mulierem quæ nupta fuerat ſeptem viris, interrogantes ex eodem, cujuſnam ex ſeptem futura eſſet uxor in reſurrectione? reſpondit Chriſtus D. paucis verbis: *Erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei: in reſurrectione enim neque nubent neq; nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo,* Matth. 22, v. 29. & obmutuerunt; Phariſæi autem audientes, quod ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, convenerunt in unum, & interrogavit eum unus ex eis, *Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege?* Sperabat eum dicturum aliquid contra legem Moyſis, ut eſſet locus conſuetis cavillationibus: ſed ait illi JESUS: ibid. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Quo reſponſo etiam Phariſæis ſilentium impoſuit.

§. 3. *Occaſio propoſitæ quæſtionis. Quid vobis videtur de Chriſto.*

Aſtabant etiam periti & Doctores legis; quibus ſilentium, & Sadducæorum, & Phariſæorum valde diſplicuit: cumque viderentur & ipſi velle aliquid proponere, prævenit Jeſus eos interrogando: *Quid vobis videtur de Chriſto?* &c. *Et nemo poterat ei reſpondere verbum, neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.* Hæc ſumma hodierni Evangelii, ex quo binæ illæ voculæ, *Filius David*, erunt materia præſentis diſcurſus; continent enim illæ varia & eximia encomia Chriſti Salvatoris. Filius David, idem eſt, quod radix David. David ſonat deſiderabilem viſu, ſpecioſum, ſuavem, mitem, benignum, miſericordem, formidabilem, triumphatorem, & ſimilia: quorum cognitio, ut ardentem in vobis erga eundem Salvatorem, excitet amorem, enixè rogo, ut me pro more veſtro, benevolè audiatis.

§. 4. *David eſt nomen glorioſiſſimum.*

Mirabilis eſt Deus in ſuis diſpoſitionibus. Illi, qui Chriſtum Dom. cane & angue pejus oderunt, illi, qui nil aliud cogitant, quàm quomodo Jeſum tollant è medio: illi, qui nil

Digitized by Google

aliud volunt & mente volvunt, quàm qua ratione deprimant gloriam Chriſti, contra ſuam voluntatem, & neſcientes, glorioſiſſimo illum extollunt titulo, dum vocant Filium Davidis. Nam qui Filius eſt David, idem & radix eſt David, ſic enim ait S. Joannes in Apoc. cap. 5. v. 5. *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David.* Apocal. cap. 22. v. 26. Ego Jeſus, *ego ſum radix & genus David.* Ex hac radice ingens pro Chriſto Domino enaſcitur gloria: Ex hac radice latens & myſterioſus ſenſus ad Chriſti gloriam erui poteſt.

§. 5. *Radix eſt una ex præcipuis partibus arboris.* Radix ut ſcitis, in arbore, eſt ferme pars præcipua, ſed abjectiſſima. Præcipua! nam ex radice pullulat arboris vita, ſuccus, gratia, decor, pulchritudo, fœcunditas. Sine radice, non arborem, ſed truncum ſpectamus. Eadem tamen radix ſuo aſpectu eſt deformis, aſpera, ſordida, nigra, immerſa viſceribus terræ. Et frequenter, quò arbor eſt formoſior, & fœcundior, quò pulchriores ſunt flores, quò fructus dulciores, eò radix eſt deformior. Cernere id licet in vitibus, in pomis, in roſis. Vix hæc refero, & menti meæ occurrit, in Sacris literis à Spiritu S. veluti pictore, oculis noſtris proponi Eccleſiam, tum militantem, tum triumphantem, ſub ſymbolo pulcherrimæ & fœcundiſſimæ arboris. De quovis homine in particulari dixit Chriſtus Dominus, Matth. 3. v. 10. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum:* quo ſenſu v. g. B. Virgo eſt arbor pulcherrima, eſt cedrus, palma, cypreſſus, oliva ſpecioſa in campis cœleſtis Jeruſalem. Pulcherrimæ ibidem arbores ſunt Apoſtoli: Arbores rigatæ ſanguine, Roſæ fuerunt & ſunt glorioſi Martyres, Lilia cœleſtis viridarii ſunt Virgines. Neque hodie in agro vel horto Eccleſiæ militantis deſunt tales arbores & flores; nec deerunt uſque ad conſummationem ſæculi. Sed quæro radicem, à quâ illa vita, ille ſuccus gratiæ: ille decor virtutum, illa pulchritudo, & fructus tantæ gloriæ pullularint, & pullulent.

§. 6. *Radix arboris pulcherrima, id eſt, Eccleſia, tũ militantis tum triumphantis, eſt Chriſtus Dom.* Radix eſt, qui eſt Filius David. Radix infinitæ virtutis. In myſterio Sacroſanctæ Trinitatis, radix Spiritus Sancti; quæ dum aſſumpta natura humana, in terræ virginalis viſceribus, & in profunda abyſſo immenſæ demiſſionis fuit radicata, quam facta fuit informis, vilis, reſpectu naturæ divinæ? imò in oculis hominum, in ſtàbulo, in præſepio, in cunis, panniculis, in ſinu pauperculæ Virginis, parvus Puſio! Tranſplantatá verò cum ligno Crucis in montem Calvariæ quam fuit deformis, quã abjecta? adeò ut illi non eſſet, *neque ſpecies, neque decor*, Iſaiæ 53. v. 2. Sic eſt: Sed idem Filius Dei, idem filius hominis, idem Chriſtus, fuit radix regii ſtemmatis David, hoc eſt, fuit & eſt radix nobiliſſimæ ſtirpis & proſapiæ omnium Prædeſtinatorum, in qua omnes electi, & ſancti, & juſti; ſunt Reges, Principes, & filii Dei: & cohæredes Chriſti, & hæredes gloriæ æternæ.

§. 7. *Hoc encomium, vel Filius* Itaque ſi cœleſtis gloria Paradiſus eſt; omnino, eſt Paradiſus: ſi in illo Patriarchæ ſunt altiſſimæ Cedri: radix eſt CHRISTUS Dominus: ſi

Apo-

Digitized by Google

Radix David, continet alia innumera. Apoſtoli ſunt Olivæ, radix eſt Chriſtus, Filius Davidis: ſi Martyres ſunt palmæ, radix eſt Chriſtus filius David: ſi roſæ & lilia ſunt Virgines, radix eſt Chriſtus Filius David: ſi Cedrus altiſſima, ſi Oliva ſpecioſiſſima, ſi palma glorioſiſſima, ſi lilium formoſiſſimum, ſi Roſa omnium amabiliſſima, eſt DEI Mater MARIA, radix tamen eſt ejuſdem Filiis, filius quoque & radix David. Hic ergo titulus unicus, omnes illos involvit, quibus in Litaniis de nomine JESU eundem compellamus, JESU Rex Patriarcharum, JESU Rex Prophetarum, JESU Rex Apoſtolorum, JESU Rex Martyrum, JESU Rex Virginum, JESU Rex Sanctorum omnium: Auditis hæc Sadducæi! hæccine Chriſto elogia tribuere voluiſtis, dum filium Davidis compellaſtis? Vobis, legis periti, videturne adhuc, quod ſit filius David? Vos dicitis! ex ore veſtro vos judico; gratulor ego Chriſto meo, quod gloriæ ejus æmuli, quod hoſtes & inimici, non volentes, ignorantes, tam glorioſo titulo, filii Davidis, immenſam ejus gloriam, excellentiam & dignitatem, nobis declararint.

§. 8. *David, idem eſt, quod Pulcher, & ſpecioſus, ut declarat S. Bernardus.* Advertit præterea Sanctus Bernardus, voculam *David*, idem ſonare, *quod deſiderabilem viſu, ſive ſpecioſum forma præ filiis hominum.* Talem diu ante deſcripſit ipſe David pſalm. 44. quod diffuſa fuerit gratia in labiis ejus, quod ſua pulchritudine regnarit, quod ſpecie ſua proſperè proceſſerit, quod Deus unxerit eum oleo lætitiæ, quod myrrha, & gutta, & caſia ſpirarint à veſtimentis ejus: quo odore, qua pulchritudine delectatæ fuerunt filiæ Regum: quod ſpecioſiſſimi ejus oculi, quod labia & genæ, quod comæ & capilli, fuerint veluti ſagittæ acutæ, & potentes, quæ aſpectantium vulnerarunt oculos & animos; quod adeo Reges concupiverint decorem ejus, quod ſecutæ illum fuerint Virgines in lætitia & exultatione. Talis ſcilicet in typo fuit David in florida juventute, ſpecioſiſſimus, formoſiſſimus David. Talis re ipſa fuit Chriſtus Salvator, filius David, & ſpecioſiſſimæ Virginis, David cœleſtis, ſpecioſus forma præ filiis hominum; in labiis, in fronte, in oculis, in genis, per omnia corporis membra diffuſa fuit gratia & decor, & elegantia pulchritudinis infinitæ. Ut Phariſæi, dum quæſitum ex illis fuit, quid de Chriſto, quem videbant, quem habebant præ oculis, cum quo loquebantur, interrogati inquam, quid de illo ſibi videretur, bene reſponderint, dicendo; Eſſe filium Davidis, pulcherrimum filium, pulcherrimi parentis, ſive, totum ſpecioſum, & deſiderabilem viſu.

Puto Iſaiam ob eximiam hanc ejus pulchritudinem dixiſſe cap. 11. v. 1. *Egredietur flos de radice.* q. d. Radix quidem erit Chriſtus D. id eſt, humilis, mitis, pauper, ſed ſimul flos. Radix nobis proponit naturam ejus humanam, flos explicat divinam, & immenſam pulcritudinem. Ob quam, Pſal. 102. v. 15. dicitur *flos agri*, Cant. 2. v. 1. *flos campi*: Iſaiæ 28. v. 4. *flos gloriæ* *§. 9. Chriſtus D. radix & flos eſt.*

Nahum.1.v.5.*flos Libani.* A Sanctis Patribus. *Flos immarceſſibilis. Flos immortalitatis. Flos vitæ. Flos incorruptionis. Flos vernalis. Flos regalis. Flos florum.* Advertite, quàm variis, quàm eximiis, quàm pulchris, quàm glorioſis titulis reſpondere poſſimus, ſi quæratur, quid nobis videatur de Chriſto: flos eſt, pulcher eſt, ſponſus eſt, Rex eſt, &c. Et omnia hæc elogia nobis ſuggerunt binæ voculæ, *Filius David.*

§. 10. *Duo cæci Chriſtum D. vocarunt Filiũ Davidis, tum id Judæis diſplicuit, hodie placet.*

Miror valde reſponſionem hanc excidiſſe Phariſæis, Matthæi 9.c.v.27. venerunt ad Chriſtum duo cæci, clamantes & dicentes, *Miſerere noſtri fili David.* Tetigit illorum oculos Chriſtus D. & aperti ſunt, & licet comminatus illis fuerit, *Videte ne quis ſciat*: tamen illi exeuntes, ejus & nomen, & laudes circumtulere per totam illam terram, exclamantes probabiliter; Jeſus Chriſtus filius David ſanavit nos; ipſe aperuit oculos noſtros, filius David reſtituit nobis viſum. Quæ honorifica compellatio, ita diſplicuit Judæis, ut cùm paulò poſt idem Chriſtus D. in illorum præſentia dæmonium ejiceret ex homine muto, phariſæi dixerint; *In principe dæmoniorum ejicit dæmones*, Matth. 9. v. 14. q. d. Quid hic eſſet *Filius David, dæmonium habet.* Marc. 3. v. 2. Itaq; voculæ hæ, filius David, tum in illorum auribus fuerunt ſpinæ, noluerunt eas audire. Et hodie, dum ab ipſomet Chriſto, quæſtio illis proponitur, quid de illo ſentiant, dicunt eſſe filiũ David. Quid ſibilatis genimina viperarum? aperite ora, loquimini clarè, exaltate vocem: Itane eſt? eſtne filius David? Ita! Gratias habemus pro glorioſiſſimo elogio, excellentiori illum, quem ita perſequimini, modo, honorare non potuiſtis. Eſtne filius David? ergo ſuavis eſt, bonus eſt, pius eſt, mitis eſt, manſuetus eſt, benignus, miſericors.

§. 11. *David ob ſuam manſuetudinem fuit figura Chriſti D.*

Omnia hæc ſignificat, vocula David. Unde de ſe dicere auſus regius Pſaltes pſ. 138. v. 1. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Quàm David fuerit mitis, experti ſunt Saul, Abſolon, Semei & omnes ejus adverſarii: Acerbum fuit odium Saulis erga Davidem, acerba rebellio filii Abſolonis contra parentem; felle fuerunt plenæ maledictiones Semei, virulenta ejus convitia: ſed major fuit amor & manſuetudo Davidis. In quo pulcherrima fuit figura Chriſti Domini, cujus benignitas manſuetudinem Davidis, infinitis partibus ſuperavit.

§. 12. *David idem eſt, quod bonus, ſuavis, dulcis, &c.*

Advertite rurſum, ſuaves & affectuoſos illos titulos, ex Litaniis de nomine JESU: *JESU bone, JESU pie, JESU ſuaviſſime, JESU benigniſſime, JESU manſuetiſſime, &c.* omnes hos titulos complectitur & ſignificat, & exprimit unica vocula *David.* Itaq; O Angeli, O Cherubini & Seraphini; ſi ex vobis quæratur, quid ſentiatis de Chriſto; dicite, eſt filius David. Si quis ex vobis Sanctiſſimi Patriarchæ quærat, quid ſibi vult nomen hoc David? Reſpondete, ſignificat amorem, gratiam, benevolentiam, ſuavitatem. Vos Prophetæ, ſi quis ex vobis percontetur, nec vos aliud date reſponſum

quàm

Digitized by Google

quàm quod ſit filius David; id eſt, pius, dulcis eſt, affabilis eſt, benignus eſt, miſericors eſt: O Fili David, O nomen dulce, nomen amabile! A vobis quoque Purpurati Patres, glorioſi Martyres, à vobis liliata Virginum agmina, à vobis, omnes ſanctorum chori in cœlis, in terris, ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, à Pontificibus, & Epiſcopis, ab omni ſtatu hominum! à creaturis omnibus irrationabilibus, ab elementis, Igne, aëre, aqua, terra, à montibus & vallibus; Denique ab ipſis inferis, & tartaro, non aliud expecto vel deſidero reſponſum, quàm quod Chriſtus meus ſit filius David. Meæ æſtimationi de Chriſto, meo erga illum amori & affectui, ſufficit, quod ſit Filius David. Binæ voces, ſed melleæ voces, voces ſuaviſſimæ, voces Chriſto Domino Salvatore noſtro digniſſimæ.

§. 13. *David interpretatur, manu fortis.* Denique Rupertus ait, in lib. 1. Reg. cap. 21. *David manu fortis, interpretatur*, Fortitudinem Davidis deſcribit Eccleſiaſticus cap. 47. v. 6. *Dedit Dominus in dextera David, tollere hominem fortem in bello, in offerendo illi coronam gloriæ, contrivit enim inimicos undique.* Certum eſt, in hoc quoque, ſcilicet in regia fortitudine Davidem fuiſſe typum Chriſti Salvatoris: unde omnia illa heroica facinora, quæ David fecit conterendo inimicos ſuos, lacerando leones, fugando hoſtes, occidendo Goliathum; ea luculentius multò præſtitit Chriſtus D. Et ſicut Davidi, antequam pervenit ad Regnum Iſraëlis, neceſſe fuit, ludere cum leonibus, quaſi cum agnis, ut ait citatum caput, in juventute ſuâ, ſaxo fundæ prius dejicere gigantem, ſuſtinere perſecutiones Saulis, conterere inimicos, &c. ut ſic denique regnum Iſraëlis adipiſceretur, acciperetque & conſequeretur ſedem gloriæ, & teſtamentum regni, ita & Chriſtum D. oportuit multa pati, & ita intrare in gloriam ſuam. *In hoc*, inquit Rabanus, *David Chriſtum ſignificat, qui leonem & urſum, id eſt, diabolum contrivit, & gigantem, id eſt, ſathanam in funda & lapide, ſive baculo SS. Crucis proſtravit, Deique populum ab hoſtibus & malignis ſpiritibus liberavit. Ipſum autem propter obedientiam crucis Deus exaltavit; dedit in dextera ejus, tollere omnes hoſtes, etiam fortiſſimos; & ſic illi obtulit coronam gloriæ, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

§. 14. *Parallela inter Davidem & Chriſtum, ratione devicti Goliath.* Nihil eſt, quod Davidem tam celebrem reddiderit, quàm quòd Goliathum devicerit, fortis heros, egregius miles, bellator generoſus, id eſt, David. Et nihil ejus filio Chriſto, eſt glorioſius, quàm quod non leones, non urſos, non gigantes, ſed diabolum, ſed mortem, ſed peccatum & infernum contriverit. David Goliatho amputavit caput; David cœleſtis confregit, contrivit, conquaſſavit capita draconum. David id fecit gladio ſui adverſarii, Chriſtus ligno arboris, ſub qua ſerpens vicerat. Diabolus CHRISTUM cruce perimere voluit, cruce eſt peremptus. David vicit in baculo & funda; *& in illo*, ait S. Auguſtinus, *figu-*

Digitized by Google

figuratū eſt, quod in Domino Jeſu deinde completum fuit, cùm contra diabolum pugnaturus, crucem ſuam ipſe portavit, & (teſte Ruperto) *fundam quoque manu tulit, cùm per caritatem manus in cruce extendit.* Sic vicit cœleſtis & fortiſſimus David. Hoc in hodierno Evangelio prophetarunt Phariſæi, prædixerunt legis Doctores, prænuntiarunt Scribæ, edixerunt Judæi, dum illum vocarunt *Filium Davidis,* ſive fortiſſimum hoſtium triumphatorem. Cave tibi Synagoga, te quoque diruet!

§. 15. *Affectus amoris erga Jeſum.* O Fili David! O mi Jeſu! ob hos glorioſiſſimos titulos, cur non amem te! Es radix David, radix gratiæ, radix gloriæ in ſtirpe omnium Electorum. Amo te! es David, es ſpecioſus præ filiis hominum, Amo te! es David! totus deſiderabilis. Amo te. Es David, bonus, pius, miſericors, amo te. Es fortiſſimus hoſtium debellator, amo te. Utinam igitur & ego ſim de numero illorum Amatorum Jeſu, de quibus ait S. Gregorius Magnus hom. 34. in Evang. *Solo æternitatis amore paſcuntur, cuncta temporalia mente tranſcendunt, amant, ardent, & alios amore accendunt. Quid iſtos, niſi Seraphim dixerim, quorum cor in ignem converſum lucet, ardet & urit.* O Fili David! utinam hodie eſſem talis Seraph! talis fuit S. Auguſtinus, qui depingi ſolet cor manu geſtans, ſed rubeum, flammineum, flammeoq; telo transfixum. O mi Jeſu! O fili David, tale cor tibi offerre deſidero. Rubeum, quod purpura tui ſanguinis purpuravit, rubeum, quod pro te deſiderat ſanguinem fundere. Flammeum! quod flamma tui amoris inflammavit, & alios deſiderat inflammare. Vulneratum quoq; caritatis tui ſagittis. Si ſic me purpuras, ſi ſic me inflammas, ſi ſic vulneres, O ſpecioſiſſime fili David, audebo ſuſpirare cum eodem S. Auguſt. in ſoliloq. *Scio mi Jeſu, quod cœlo & terra, & omnibus quæ in eo ſunt, tu mihi ſis acceptior & amabilior. Amo te mi Jeſu amore magno, magisque amare cupio. Da mihi ut amem te, quantum debeo.* Sentio! tantus amor impedit me plura loqui, itaque tacebo, ſed in ſilentio cordis dicam millies, Jeſu fili David, David pulcherrime, David ſuaviſſime, amo te; non ego præter te aliam amo pulchritudinem. Te, te, fili David, te amo. Non ego alium complector ſponſum, te, te, Fili David, te complector. Non alterius mihi precor favores, non alterius gratiam ambio; te, te, Fili David te quæro, te deſidero, ad te anhelo, in te ſpero, te amo, tibi vivo, tibi morior, O Fili David!

Amen!

CON-

CONCIO XLVIII.

DOMINICA XIX. POST SS. TRINIT.

Confide fili, Matthæi cap. 9. verſ. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SUbſtruit Fiduciæ & ſpei noſtræ ſolidum fundamentum; cum eximiis elogiis eximiæ hujus virtutis.

§. 1. *Verba hæc Chriſti D.* Confide fili: *excitant fiduciam noſtram.*

§. 2. *Deſcriptio fiduciæ in Deum vel Chriſtum D. ex S. Auguſtino.*

§. 3. *Fiducia eſt cæleſtis ſcala: cujus figura fuit ſcala Jacob.*

§. 4. *Fiducia eſt aurea clavis viſcerum Chriſti D.*

§. 5. *Digreſſio ad quinque ſanctiſſima vulnera in gratiam ſodaliũ Agoniæ.*

§. 6. *Apoſtrophe ad peccatorem, ut confidat Chriſto.*

b. 7. *Fiducia eſt aureus nummus.*

§. 8. *Fundamentum noſtræ fiduciæ eſſe debet infinitus cumulus meritorum Chriſti.*

§. 9. *Quibus Chriſtus Dominus pro ſe non indiguit: ſed illa nobis tribuit.*

§. 10. *Quod explicatur hiſtoria ex libris Regum.*

§. 11. *Applicatur illa Chriſto Domino.*

§. 12. *Sanct. Auguſtinus rem declarat ſimili.*

§. 13. *Chriſtus D. tam atrocia voluit pati, & mori in cruce, ut ipſi fidamus. Liberalitas Joſephi erga ſuos fratres, & Chriſti D. erga peccatores.*

§. 14. *Valor meritorum Chriſti longè excedit malitiam peccatorum.*

§. 15. *Fiducia S. Auguſtini & S. Bernardi erga Paſſionem Chriſti.*

§. 1. *Verba hæc Chriſti D.* Confide fili, *excitant noſtram fiduciam.*

PAucis, ſed ſuaviſſimis Salvator noſter verbis, Paralyticũ antequam ſanaret, eſt allocutus: *Confide fili*: q.d fili, noli timere; & poſſum, & volo te ſanare: quod& fecit; morbum graviſſimum, corporalem paralyſin his verbis ſanavit Matth. 9. v. 6. *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.* Verba, quæ præmiſit Chriſtus D. *Confide, remittuntur tibi peccata tua*; oſtendunt, eum

eum non corporalem tantùm, ſed & ſpiritualem animæ paralyſin, quâ etiam miſer iſte homo laborabat, ſanaſſe: in quo hodiernus Evangelicus paralyticus iterum eſt ſpeculum & imago peccatoris, qui per pœnitentiæ Sacramentum & gratiam juſtificatur. Inter virtutes autem, & theologicas & morales, quæ ex doctrina Catholica, juſtificationem vel antecedunt, vel comitantur, vel ſubſequuntur, non poſtrema, imò planè neceſſaria eſt fiducia in Chriſtum D. ad quam excitandam, perquam efficaces ſunt, ſuaviſſimæ hæ voculæ Salvatoris, *Confide fili.* Habent illæ ſenſum verborum verſus quinti capitis tertii Proverbiorum; ***Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.*** Vix aliam virtutem toties vel inculcat, vel exercet regius Pſaltes, in Pſalmis. Quamobrem ut ego hâc concione amorem hujus virtutis, atque uſum inflammem in cordibus meorum Auditorum, dividam illam in tria puncta. In primo proferam quandam deſcriptionem S. Auguſtini, in qua triplici elogio hanc virtutem, mirum in modum extollit. In altera parte oſtendam, præcipuum & firmiſſimum fundamentum hujus virtutis eſſe Paſſionem & merita Chriſti. In tertia, attingam eximios ejuſdem fructus. Verùm hoc cupio meis Auditoribus prænotatum; extollam hanc virtutem, quantum poſſum, non tamen ſenſu illorum, qui ab illa excludunt opera caritatis & pœnitentiæ ad juſtificationem neceſſaria; & ſenſu Catholico, eſſe nimirum eximiam & neceſſariam virtutem, ſed cum reliquarum quoq; virtutum comitatu. Hoc præſuppoſito, pergo in nomine Domini.

Eſſentiam & gradus excellentis hujus virtutis, theologicè & ſecundum regulas Logicæ alibi definio: varias deſcriptiones reperio apud ſanctos Patres, præſertim unam apud S. Auguſtinum l. de civ. Dei, quæ multas, cœleſtibus ſolatiis plenas cogitationes, piiſſimoſque affectus mihi ſuggesſit. Sic illa habet: Fiducia in Chriſtum, præſertim cordis alicujus contriti & humiliati, de quo ibi vir ſanct⁹ mihi loqui videtur, eſt ſcala ***quâ ad Deum aſcendimus, clavis viſcerum ſuorum, & nūmiſma, quo miſericordia ejus emitur.*** Advertite triplex eximium elogium fiduciæ: vel ſic intelligite verba Chriſti, *Confide fili.* q. d. fili ſpera, & habes ſcalam, quâ ad Deum aſcendere potes. Confide, ſpera, & habes clavem, quâ viſcera miſerationum mearum reſerare potes. Confide, ſpera, & habes nummiſma, quo meam miſericordiam, quovis momento emere potes. ***§. 2. Deſcriptio Fiduciæ in Deum, vel Chriſtum ex S. Auguſt. lib. de civ. Dei.***

Hæc ſcala memorem me reddit illius, quam Gen. cap. 28. v. 12. vidit Jacob in ſomnio, dormiens ſuper lapidem, in qua præter alia vidit deſcendentes, & aſcendentes Angelos: talis ſcala, eſt fiducia peccatoris in Chriſtum. Dum enim peccator nihilum ſuum conſiderat, dum ſcelera perpendit, dum advertit in quàm miſero ſtatu vixerit, dum æterno Judici ſe ſiſtit, veluti hoſtem rebellem, ***§. 3. Fiducia eſt cæleſtis ſcala, cujus figura fuit ſcala Jacob.***

lem, inimicum, reum læſæ Majeſtatis, deſcendit quaſi in immenſum chaos ſui nihili, imò in profundum & abyſſum æternæ damnationis, quam ſe agnoſcit millies meritum. In illa abyſſo gemit cum Davide, Pſ. 114. 12. *Dolores inferni circumdederunt me.* Sed age fili, confide! Ecce montem Calvariæ, ecce petram, quæ eſt Chriſtus Crucifixus, ſuper hanc petram dormi & quieſce: ecce ſcalam ſanctiſſimæ Crucis; aſcende ſi placet, ad ſanguineos pedes; in his quære nidum tuæ fiduciæ. Confide fili! ex abyſſo ſcelerum per hanc ſcalam, evola ſi placet, ad vulneratas manus: ingredere in illas cavernas, & confide: in his maceriis tutus latebis. Amplius tibi licet, ex profundo timoris de æterna damnatione, timeſne ignem inferni, confide, apprehende ſcalam fiduciæ & S. Crucis, per illam aſcende in verticem palmæ, uſque ad cruentatum caput Salvatoris, ibi inter ſpinas, in ſpinea corona, colloca nidum fiduciæ tuæ in altisſimis.

§. 4. *Fiducia eſt aurea Clavis viſcerum Chriſti D. ut oſtẽdit S. Auguſt.*

Alterum encomium, quo Sanct. Auguſtinus peccatoris fiduciam in Chriſtũ deprædicat, eſt hoc, quod ſit clavis viſcerum Salvatoris. Hæc latet metaphora. Magni & pretioſi theſauri cuſtodiuntur in bene ferratis, & ſeratis ciſtis; claves quæ illas ciſtas & ſeras reſerant atq; aperiunt, vocantur theſaurariæ, niſi malitis illas aureas intelligere quas Reges & Imperatores intimis ſuis cubiculariis ſolent donare, ad intimum Regis conclave. In ſenſu myſtico talis clavis eſt fiducia peccatoris in Chriſtum. In hujus ſanctiſſima humanitate veluti ciſta valoris infiniti, abſcondit DEUS theſauros ſapientiæ, & divitias gloriæ ejus, ad Coloſſ. 2. cap. v. 9. *In quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Conſequenter omnes theſauri gratiarum, quæ ſunt in cœlis & terris.

§. 5. *Digreſſio ad quinq; SS. vulnera, in gratiam ſodalium Agoniæ.*

Perquam commodum eſt, quod in hanc diem dominicam incidat menſtrua Agoniæ Congregatio; æquum proinde videbitur, ut ſim memor quinque vulnerum Salvatoris, & quid illa ſunt, niſi quinque aureæ & pretioſæ ciſtæ, in quibus abſconditi ſunt infiniti theſauri, caro, nervi, oſſa, venæ, ſanguis, virtutes, dona, gratiæ & infinita merita JESU Salvatoris, valoris infiniti. Quos theſauros Zacharias Pater S. Joannis Baptiſtæ Lucæ 1. v. 15. vocavit, *Viſcera miſericordiæ DEI noſtri*: quâ phraſi deinde frequenter uſus fuit S. Paulus ad Philipp. 1. v. 8. *In viſceribus JESU Chriſti.* cap. 2. v. 1. *Si qua viſera & miſerationes.* Ad Coloſſ. 3. v. 12 *Induite viſcera miſericordiæ.* Alii ſancti Patres pro theſauris DEI, & viſceribus CHRISTI, pro ejus miſerationibus & miſericordia, ponunt benedictum Cor JESU veluti gazophilacium omnium cœleſtium beneficiorum; tanquam fontem & ſcaturiginem, ex qua cum ſanguine, & aqua in cruce fluxerunt omnes rivi divinarum miſerationum. Verùm quis illas ciſtas ſanctiſſimorum vulnerum, quis illa viſcera miſericordiæ, quis benedictum illud Cor, intimum & regium

 Divini

Divini Amoris conclave, quis ſanguineos hos fontes nobis aperiet & reſerabit? Scio in Cruce illud feciſſe clavos & immitem lanceam, præſertim tibi, ô impie, ô ſcelerate peccator.

§. 6. *Apoſtrophe ad peccatorẽ ut cõfidat Chriſto.* Sed ne timeas, dum te compello, potius confide fili; nec enim tibi claves deſunt. Aurea clavis eſt fides & humilitas, aurea clavis eſt caritas, aurea clavis contritio, aureæ claves ſunt reliquæ virtutes ad juſtificationem neceſſariæ. S. Auguſtino clavis fortiſſima fuit, & nobis eſt, firma & fortis, & viva fiducia in CHRISTUM. *Confide fili*, eja accede CHRISTUM Crucifixum; applica hanc ſcalam ad benedictum ejus cor, aſcende, fiduciam in illo habe ex toto corde tuo, eodem momento reſerabis intima viſcera Salvatoris & miſerationem ejus. Obſeratæ ciſtæ ſunt ſanguinei pedes Jeſu! reſerat illas fiducia! fortes ciſtæ ſunt vulnera manuum! aperit illas fiducia. Aurea imò gemmea ciſta eſt ſuaviſſimũ cor Jeſu, *Confide fili*, clavis theſauraria eſt fiducia.

§. 7. *Fiducia eſt aureus nũmus.* Eadem clavis pretioſiſſimus nummus eſt, quo miſericordiam Dei & Chriſti Dom. comparare poſſumus, quod eſt tertium encomium eximiæ hujus virtutis, de qua ago. Venditor eſt Chriſtus Salvator noſter, qui quotidiè ad nos venit ex Indiis cœleſtis gloriæ, ut pretioſas merces nobis vendat. Tempus nundinarum, eſt tempus vitæ noſtræ; emptores, ſi volumus, nos eſſe poſſumus: merçes, quas offert, ſunt gratia ſanctificans, virtutes, dona Spiritus S. infinita ejus merita, ſanguis, cœleſtis gloria; verbo ipſe Deus & Chriſtus D. cum infinita miſericordia. Nummus, quo hæc omnia emere poſſumus, ex mente S. Auguſtini, *Eſt fiducia in Chriſtum.*

§. 8. *Fundamentum noſtra fiducia debet eſſe infinitus cumulus meritorũ Chriſti.* Ut autem illa firma ſit & ſtabilis, ut ad ſublimem & excellentem gradum perfectionis evadat, firmum illi fundamentum ſubſtruere oportet. Fundamentum autem tale eſt, ille, qui petra eſt, Chriſtus Crucifixus, quod paucis in præſentiarum ſic explico. Chriſtus Salvator noſter, triginta tribus annis, quibus in hoc mundo vixit, à primo momento conceptionis in virginali utero, & potisſimũ ultimis ſanctiſſimæ vitæ, viginti quatuor horis, & ultimo trihorio, quo pependit in Cruce, per innumerabiles excellentisſimarum virtutum actus, & opera heroica, & theandrica, infinitum cumulum meritorum congeſſit. Valorem inde perpendite, quòd actus unicus, unica cogitatio Chriſti, unicus affectus, minimum quod paſſus fuit, in corpore vel anima, ſufficientis valoris fuerit ad redimendos mille mundos; redemit autem in facto unicum; nunquam ergo in omnem æternitatem theſaurus ille exhaurietur.

§. 9. *Quibus Chriſtus D. pro ſe non indiguit, ſed illa nobis tribuit.* Ex quo infinito valore meritorum Chriſti duo neceſſaria ſequuntur. 1. Quod poſſint divinæ Juſtitiæ ſatisfacere, & pro macula peccati, illam delendo, & pro pœnis peccato debitis, pro illis ſatisfaciendo.

Digitized by Google

ciendo. 2. Quod mereantur vitam æternam. Neutro titulo ſuis meritis indiguit Chriſtus Dom. eſſentialiter enim, ob unionem hypoſtaticam, quâ in illo natura humana fuit unita Divinæ, fuit innocens, ſanctus, immaculatus, ſine omni labe peccati & reatu pœnæ, imò fuit impeccabilis: Eodem titulo unionis hypoſtaticæ debita illi fuit à primo conceptionis momento viſio beatifica & cœleſtis gloria: quam ſubtiliſſimam materiam ego modo ab hac cathedra ad ſcholas ablego: hoc tantùm inquiro, quid fiet de immenſis illis meritis, opibus, & theſauris gratiarum, quibus Chriſtus Dominus non indiget? An lucratus eſt tanta merita, ut ſint otioſa, ſine fructu? an tam eminentia merita pretio erunt vacua, quæ cœleſti Patri adeò placuerunt? Reperio S. Bernardum feria 4. hebd. S. hanc quæſtionem his verbis propoſuiſſe: *Hac paſſio potentiſſima eſt ad peccata exhaurienda! ſed cui data eſt? Nunquid Angelo? ſed ille non eguit, nunquid diabolo? ſed ille non reſurgit. Et reſpondet, Mihi data eſt, quia alteri dari non potuit.* Confide fili, confide peccator, etenim tibi quoque data eſt, ut tu per illa merita, illis cooperando per pœnitentiam, per virtutum actus, pro peccatis tuis ſatisfacias, & cœlum merearis. Verbo; Vita, Paſſio, Mors, Sanguis, merita JESU Chriſti, ſunt fundamentum, cui veluti aureæ baſi, & marmoreæ columnæ, fiduciam noſtram initi neceſſe eſt.

§. 10. *Quod ex-*

Caput 19. lib. 2. Reg. mihi ſuggerit hiſtoriam, quæ meo judicio hunc diſcurſum eleganter exponet. Cùm Davidi in fuga à facie hoſtium, deeſſent alimenta, Berzellai Galaadites præbuit illi panem & cibos. Poſt debellatos hoſtes cùm David per illas partes rediret Jeroſolymam, dixit Berzellai ſeni, octuaginta annorum, *Veni mecum, ut requieſcas ſecurus in Jeruſalem.* q.d. memor ſũ præſtiti beneficii, recordor quàm de me & meis bene meritus fueris, in gravi neceſſitate ſubminiſtrando alimenta: Veni mecum in regiam, comedes & bibes mecum in menſa regia; multis deſcribit ſacer textus, quâ demiſſione Regi egerit gratias, quàm variis rationibus ſe excuſarit, ne iret Jeroſolymam: tandem ait: *Eſt autem ſervus tuus Canaan* (filius meus) *ipſe vadat tecum, Domine mi Rex, & fac ei, quidquid tibi bonum videtur.* Dixit itaque ei Rex, *Mecum tranſeat Canaan, & ego faciam quidquid tibi placuerit, & omne quod petieris à me, impetrabis.* Et ſic filius Berzellai fruitus eſt gratia, quam Pater meritus fuerat. Pater jus ſuum transſcripſit in Filium.

plicatur hiſtoria ex libris Regum.

Hæc eſt infinita liberalitas Chriſti Salvatoris noſtri; cumulus meritorum ejus in conſpectu Patris cœleſtis eſt infinitus; debet illi Pater gloriam immenſam duplici titulo. 1. ut dixi, Unionis hypoſtaticæ: hoc ipſe fruitur. 2. Ob infinita merita; hunc titulum in nos transfert: intuitu CHRISTI, Pater cœleſtis nobis remittit peccata; nos ejus gratia, beneficiis ornat, nos honorib. afficit; nobis ut filiis hoc jus hæredita-

§. 11. *Applicatur illa Chriſto D.*

Digitized by Google

ditatis Chriſtus D. relinquit. Ob ſuum filium Pater cœleſtis facit nobis, quidquid nobis placet, & omnia, quæ petimus, impetramus. Fruimur gratia, quam Chriſtus D. promeruit.

§. 12. *S. Auguſtinus rem declarat ſimili.* Simili rem declarat S. Auguſtinus in verſ. 14. ep. 2. Cor. capite. 12. *Parentes debent filiis theſaurizare.* Experientia quotidiana docet, quam parentes ſint ſolliciti ut pro filiis colligant theuſauros. Hoc fecit piiſſimus Salvator noſter, Pater noſter, qui in ligno Crucis non tantùm nos genuit, neque contentus eſt, ut nos paſcat, & lactet, carne ſua & Sanguine; ſed reliquit immenſum theſaurum ſuorum meritorum, cum certo jure hæreditatis æternæ. O filii! O felix tam pii, tamque amabilis Parentis ſoboles? & quid facere paterna Pietas potuit, quod non fecit? quidni igitur illum ex toto corde diligimus? quidni omnem noſtram, in & ex ipſo ſpem atque fiduciam collocamus? Agedum macti animis mecum, cariſſimi fratres mei, quicunque unum in cœlis Patrem mecum agnoſcitis, amaris, veneramini! procul timores; theſaurizavit nobis Pater noſter, ſcripſit nos hæredes bonorum perennium; teſtamentum eſt ſat locuples, inſtrumentum Divinum: Confidite!

§ 13. *Chriſtus D. tam atrocia voluit pati, & mori in Cruce, ut ipſi ſida.* Revertor ad S. Auguſtinum, qui inter alias interrogationes in pſ. 103. & hanc propoſuit: Cur Chriſtus D. tam ignominioſam mortem ſuſtinere voluerit: & poſito quod quilibet actus Chriſti Dom. & minima paſſio, ſufficiens fuerit, ut dixi, ad millenos mundos redimendos; cum unica ejuſdem lacrymula, unica guttula, Sanguinis ſuffeciſſet; cur tam atrocia pati, & omnem Sanguinem effundere voluerit? Reſpondet, contigiſſe id ad ſolatium peccatoris, & ad excitandam teneram fiduciam in Chriſtum Dom. apud quem eſt tam copioſa redemptio. *mus: Liberalitas Ioſephi erga fratres & Chriſti D. erga peccatores* Joſephum fratrem dum tandem fratres agnoſcerent, præ metu trepidarunt, dixit itaque illis Joſeph Gen. 45. v. 18. *Nolite timere, venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti.* Ah peccatrices Animæ! quæſo accedite ad thronum gratiæ, accedite Chriſtum Crucifixum! agnoſcite Joſepum! agnoſcite veſtrum fratrem! Vendidiſtis? offendiſtis? ſed viſcera miſericordiæ Joſeph non amiſit. Accedite, confidite, omnia bona ſua nobis tradidit. Occurrit fortaſſis tibi, te fuiſſe cauſam ſudoris ſanguinei? confide! idem ſanguineus ſudor tuus eſt; & ad meritum, & ut Juſtitiæ Divinæ ſatisfacias. Memor es ſanguinis, quem tui cauſa fudit in flagellatione? confide, noli timere, jam tuus eſt ad vitam, ejus meritum tuus Joſeph tibi donavit: Meminiſtin' pretioſiſſimi liquoris, quem ex benedicto capite ſævi ſpinarum aculei expreſſerunt? Ne quæſo ſiniſtri aliquid ominare; noli timere: veni modo ad fratrem tuum Joſephum, veni contrito corde: veni inflammato amoris affectu, veni cum lacrymis ex oculis manantibus: veni cum ardentibus ſuſpiriis, & ille dabit tibi omnia bona hæc. O mi Joſeph: quid ais? quid agis? omnia hæc bona dabis mihi? Omnia: omne ſanguinis tui pretium? Omne! Mercedem tuam pre-

Digitized by Google

omnem quam tot annorum laboribus comparaſti? Omnem! O mi frater! O Joſeph: quàm ego te amo: quam ego tuam exoſculor liberalem dexteram: ſed: O iterum exclamare cogor: O mi Joſeph, O mi Deus: quid ais? Dabis omnia mihi ſanguinis tui bona: Omnia: ſed unicam tantùm guttulam petii, & peto. Dabo omnia: O Jeſu, mi dulcis amor, nil diligo præ te: (ſic cogitabo inpoſterum, ſic loquar) Nil diligo præter te, Tu meus es ſponſus, mens mea, ſponſa tua eſt.

§. 14. *Valor meritorum Chriſti, longè excedit malitiam peccatorũ*

Fundamentum hoc fiduciæ noſtræ erga Chriſtum Dom. & præcipuè ſanctiſſimam ejus Paſſionem, agnovit S. Bernardus ſer. 61 in Cant. ſcilicet, quod licet gravia ſint debita alicujus peccatoris, etiam decem millium talentorum, infinities tamen illa excedant merita Salvatoris, quibus veluti pretio condigno Juſtitiæ Divinæ ſatisfacere poſſumus, quo poſito ait: *Peccavi peccatum grande! turbatur conſcientia, ſed non perturbatur, quoniam Vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus eſt, propter iniquitates noſtras. Quid tam mortale, quod non morte Chriſti ſalvetur.* Sive, quod peccatum tam tetrum & abominabile eſſe poterit, quod non eluat Sanguis Chriſti? *Si ergo in mentum venerit, tam potens, tamque efficax medicamentum, nulla jam poſſum morbi malignitate terreri; & ideo liquet erraſſe eum, qui ait: major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Itaque confide fili, ecce ſcalam qua ad Chriſtum aſcendere, ecce clavem, qua viſcera ejus reſerare: ecce nummum, quo emere potes miſericordiam.

§. 15. *Fiducia S. Auguſtini & S. Bern. erga paſſionem Chriſti.*

Suaviter S. Auguſtinus & S. Bern. ille in Solil. c. 14. hic ſer. 212. in Cant. *Deſperare utique potuiſſem, propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas, ſed deſperare jam non audeo, quia cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem Filii Dei. Tota ſpes mea eſt in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum, & refugium meum, ſalus mea & reſurrectio mea Meritum meum, miſericordia Domini*: dicam ego, JESU Crucifixi mei, qui pro me paſſus eſt, &c. Videntur hi ſanctiſſimi Patres teneritudinem ſuæ fiduciæ non poſſe ſatis exprimere, itaque pergunt. *Non ſum meriti inops, quamdiu ille miſericordiarum Dominus non defuerit, & ſi miſericordiæ Domini multæ, multus ſum ego in meritis. Quantò ille potentior ad ſalvandum; tanto ſum ego ſecurior: Multum eſt, quod mea meretur impietas, longè autem majus eſt, quod Redemptoris mei poſcit jure Pietas. Magna eſt mea injuſtitia, ſatis verò major juſtitia Redemptoris. Quid enim deliquit homo, quod non redemerit Filius Dei factus homo.* Factus homo; & ſudans ſanguinem in horto! & flagella patiens in prætorio, & ſputa, & irriſiones, & ludibria, & vincula, & vulnera, & mortem denique ipſam: Firmus ac firmè ſtat, quiſquis columnæ inſiſtit, aut rupi, aut petræ: Veni O peccator, veni, en ego tibi columnam, ego tibi rupem, ac petram oſtendo: in hac ſtabis, in hac vives: in hac, & mundi blandientis, & Orci ſævientis ſuperabis inſidias. Petra autem CHRISTUS eſt: Columna Chri-

ſtus

Digitized by Google

ſtus eſt ! rupes Chriſtus eſt : Audi Bernardum, quocum & finio ex ſer. 61. in Cant. *Columba mea in foraminib. petræ ! Quid igitur non boni in hac petra ? in petra exaltatus, in petra ſecurus, in petra firmiter ſto ! ſecurus ab hoſte, fortis à caſu, &c.*

Tertiam partem de fructibus hujus Fiduciæ rejicio in aliam Concionem.

CONCIO XLIX.

DOMINICA XX. POST SS. TRINIT.

Ligatis manibus & pedibus projicite in tenebras exteriores, Matth. 22. verſ. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit contra illos, qui contemnunt divinas Vocationes ad gratiam, & ſeriam vitæ converſionem.

§. 1. *Initium Evangelii eſt Comœdia: finis verò Tragœdia.*

§. 2. *Rex in hodierno Evangelio, poſt varia beneficia tandem excandeſcit.*

§. 3. *Eandem agendi methodum ſervat Chriſtus Dominus, erga ingratos peccatores.*

§. 4. *Noë à Cham irriſus, illique maledicens, fuit figura Chriſti Domini.*

§. 5. *DEUS lentè procedit ad pœnam.*

§. 6. *Exponitur id verbis Origenis.*

§. 7. *Minæ contra ingratos; qui vocati ad nuptias, nolunt venire.*

§. 8. *Si puniantur tandem, id ſibi adſcribant.*

§. 9. *Quare gladius irati Judicis, vocetur fulgur: cum acri adhortatione ad pœnitentiam.*

§. 10. *Deus non punit, quin ante moneat, & minetur.*

§. 11. *In quo conſiſtit longanimitas Dei; quæ tamen tandem mutatur in iram.*

§. 12. *Præſertim contra illos, qui Vocationi divinæ reſiſtunt. Expertus fuit Pharao.*

Diver-

Digitized by Google

§. 1. *Initium Evangelii eſt comœdia: finis tragœdia.*

DIverſum eſt initium, à fine hodierni Evangelii; prima pars eſt veluti comœdia, læta & hilaris: Altera, non eſt abſimilis tragœdiæ, triſtis, funeſta. Initium agit de nuptiis filii Regis, id eſt, cœleſtis ſponſi animarum noſtrarum, de quibus ait Sanctus Joannes Apoc. 19. cap. v. 9. *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni; beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* Sub parabola nuptiarum Agni ſive convivii, proponitur nobis imago cœleſtis gloriæ. Finis Evangelii, tragicum oculis noſtris objicit ſpectaculum; miſerum hominem, qui juſſu Regis, abreptus à menſa, ligatus manibus & pedibus, projicitur in ignes æternos. Prima pars Evangelii, agit de lætiſſimo die, de quo ſponſa ait ad filias Jeruſalem Cant. 3. v. 11. *Egredimini & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate* (in veſte nuptiali ſanctiſſimæ Humanitatis) *quo coronavit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Talis nobis illuceſcet dies, quo in veſte nuptiali caritatis per felicem mortem deducemur ad nuptias Agni. Pars altera, agit de die iræ, furoris & calamitatis, de die noviſſimo, quo peccatori in Agone, in ultimo momento vitæ, primo æternitatis, ſi in illa primum dici poteſt, dicitur; diſcede maledicte in ignem æternum: quâ latâ ſententiâ miniſtri divinæ Juſtitiæ, impium ligatum manibus & pedibus projicient in tenebras exteriores. Denique, ne in exordio, contra morem meum ſim longior, Evangelii initium nobis proponit Chriſtum Dominum ut formoſiſſimum ſponſum & amatorem animarum noſtrarum, cujus deliciæ ſunt eſſe cùm filiis hominum. Finis illum proponit, ut Judicem, ut ſeverum juſtumque Vindicem; ut talem, cui fulmen eſt in manibus, in oculis ardor, in vultu ira, in pectore vindicta. Ut talem! qui in puniendo terribilis eſt ſimul, & inexorabilis, erga eos præcipuè, qui nunc vocationem divinam toties repellunt, qui porrectam DEI manum eludunt, qui divinas inſpirationes atque internas conſcientiæ cum DEO loquentis voces negligunt atque contemnunt. Hos attinet, illa metuenda vox! terribilis vox! *Ligatis manibus & pedibus, projicite in tenebras exteriores.* De horum infelicitate mihi dicere, decretum eſt, date boni Superi, ut eam dictione meâ, in felicitatem, atq; in meliorem vitæ ſtatum liceat commutare.

§. 2. *Rex in Evangelio poſt varia beneficia, tandem in ingratos excludit.*

Secunda ſecundæ quæſt. 107. art. 4. Quærit Angelicus Doctor D. Thomas, quid faciendũ ſit benefactori, cùm advertit ſe multa & magna beneficia conferre in ingratum, num ideo beneficam debeat manum claudere; Reſponſio eſt negativa; ob hanc cauſam; *quia talis tendere debet ad hoc, quod de ingrato gratum faciat; ſi non poteſt primo beneficio facere, faciet forte ſecundo vel tertio, &c.* Sed quid ſi nec tertio id efficiat? quid ſi alter in ingratitudine perſeveret:

veret? *Si vero ex beneficiis multiplicatis ingratitudinem augeat, & pejor fiat, debet à beneficiorum exhibitione ceſſare.* Tali fere modo in hodierno Evangelio proceſſit prudentiſſimus Rex, qui fecit nuptias filio ſuo. Miſit inprimis ſervos ſuos, vocatum invitatos ad nuptias; ſed noluerunt venire; beneficium Regis fuit invitare, ingratitudo invitatorum, nolle venire. Sed benevolus Rex, iterum miſit alios ſervos, dicens, Matth. 22. v. 9. *dicite invitatis, venite ad nuptias:* illi autem non tantum neglexerunt; ſed tenuerunt ſervos ejus; & contumeliis affectos occiderunt. In alia ſimili parabola ait Sanctus Matthæus cap. 21. *Iterum miſit alios ſervos,* plures prioribus, & fecerunt illis ſimiliter. Noviſſimè autem miſit ad eos filium ſuum; ſed ingrati homines illum videntes, dixerunt, hic eſt heres, venite occidamus eum & apprehenſum occiderunt. Hæc ubi Rex audiſſet, tandem iratus eſt, miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit. Denique in eadem animi commotione adhuc fervens, hominem conſpicit menſæ accumbentem, ſed non veſtitum veſte nuptiali, moxque illum ſine longo examine; ligatis manibus & pedibus, mitti jubet in tenebras exteriores.

§. 3. Eandem agendi methodũ ſervat Chriſtus

Eadem fere eſt methodus, idem agendi modus Regis noſtri, Chriſti Salvatoris ſive ſponſi, cum peccatoribus: beneficia illius ſunt magna & innumera: Creavit nos, redemit nos, offert gratiam & gloriam. O ingratos peccatores, qui de nulla re minus, quàm de tali benefactore cogitant: pergit tamen vocare, per Prophetas, per Doctores & Concionatores, per Sanctos Angelos; vocat ad pœnitentiam, ad nuptias Agni, ad cœnam magnam. Sed fruſtrà! pergit ille conglomerare beneficia; variis modis eò tendit, ut de ingratis, gratos reddat, primo, ſecundo, tertio, imò innumeris beneficiis. Denique quia ſervi nihil conſequuntur, ipſe venit, & gratias offert: offert ſanctiſſima ſua Vulnera, offert ſanguinem pretioſiſſimum, offert veniam & miſericordiam. Sed bene dixit Sanct. Paulus ad Hebræos. 6. cap. verſ. 6. *Rurſus crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes,* (ut D. Thomas dixit,) *ex beneficiis multiplicatis, ingratitudinem augent, & fiunt pejores.* Tum tandem Salvator noſter non tantum ceſſat à beneficiorum exhibitione, ſed punit tandem; permittit impium infeliciſſima morte decedere ex hac vita; tum ſiſtitur Judici, cujus ſententia mittitur in tenebras exteriores. Tandem liberaliſſimus benefactor, beneficam claudit manum, clauduntur portæ miſericordiæ, tum Juſtitia ſuos hoſtes æternis ignibus ulciſcitur: Amabilis ſponſus eſt Salvator noſter; vocat ad ſe peccatorem, offert gratiam, dum tempus eſt gratiæ; dum ingratus ſurdus eſt, dum impius peccare pergit; ipſe dormire videtur, diſſimilat: tandem evigilat, & amorem mutat in furorem.

D. erga ingratos peccatores.

Atque

Digitized by Google

§. 4. *Noe à Cham irriſus, illiq; maledicens, figura fuit Chriſti D.*

Atque ut id melius perſpiciatis, accipite elegantem rei hujus figuram ex cap. 9. Geneſ. Conſopitum Patrem, & in tabernaculo ob ebrietatem denudatum Noë, irriſit filius Cham, & cæteris fratribus irridendum propoſuit: tum, perinde acſi mali nihil patraſſet, abiit, parvi pendens injuriam, qua Patrem affecerat, nec curans veniam, nimium ſibi de ſomno patris, nimium de amore genitoris confiſus: ſed experrectus parens, quid contra enim non fecit? maledixit illi: privavit hereditate, ſervum fratrum ſuorum eum conſtituit, extorrem tandem ab hereditate Dei pronuntiavit, v. 25. *Maledictus*, inquit, *Cham, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Quis in ſenſu myſtico eſt ille Noë, niſi, ut gloſſa interlinearis ait, Chriſtus Dominus factus homo? ille inquam, qui calice Paſſionis ſuæ inebriatus, in lecto crucis denudatus, nudus irriſus, deſpectus, & vino caritatis ebrius, peccata noſtra ignorare vel diſſimulare videtur. Sed ô homo! ô impie! ô peccator! ne parvi pendas, vel injurias à te illi per tua peccata illatas, vel ipſius benignitatem & patientiam ne contemnas: nam ſi tandem expergiſcatur, ut certò certius expergiſcetur, quid contra te non faciet: qualem vindictam de te non ſumet? quàm tunc erit inexorabilis? *Et quomodo te poſtea* (Salvianus l. 3. ad Eccleſiaſticos) *quiſquis es, ô miſerrime homo, quomodo te ſupplicantem in judicio ſuo audiet, cum tu hic eum pro te rogantem, audire ipſe nolüeris.* Vocavit ſemel, vocavit iterum, per ſuos Angelos, noluiſti audire! vocavit tertiò, quartò per cœleſtes inſpirationes, per voces murmurantis tuæ conſcientiæ, noluiſti audire: contempſiſti. Ipſe venit, ipſe ſtetit & pulſavit ad portas cordis; ipſe rogavit te, per tuam ſalutem, per ſua Vulnera & ſanguinem: Obſeraſti aures tuas, noluiſti portas ei aperire; quomodo ipſe in die furoris ſui te exaudiet? timeo horrendam ſententiam in te quoque ferendam: *ligatis manibus & pedibus*, &c.

§. 5. *Deus lentè procedit ad pœnã.*

Invitus, & quaſi contra ſuam voluntatem, ſed tandem punit juſtus DEUS. Clarè id oſtendit in captivitate populi, & deſtructione Jeroſolymæ tempore Jeremiæ; dum enim illam, iratus Deus ob immania ſcelera populi, ad pœnas vocaret, gravia illi minaretur ſupplicia, illicò miſit Jeremiam ut diu ante præparatas pœnas populo prædiceret, & non ſemel vel bis, ſed aliquot annis prædicarat pœnitentiam. Decreverat Deus punire ſceleratum populum, antequam tamen minæ darentur executioni, per ſpatium annorum 19. miſit Proph. ad intimandum populo judicium divinum: Imò, neque hoc pietati divinæ ſuffecit; ſed paulatim in caſtigando proceſſit: nunc captivum hoſtibus tradendo unum Regem, conſtituendo alium; nunc partem populi, ita ut ſi forte prudentiores facti alii, mutarent vitam, atque agerent pœnitentiam, & ita ſententiam effugerent. Longanimis eſt Dei pietas! ſed tandem, cùm ob duritiem populi vidiſſet, quod nihil proficeret, executioni dedit ſententiam,

Digitized by Google

& populus in captivitatem fuit abductus; ſemper tamen prophetante & detonante Jeremia; Cur hoc? quærit Origenes, niſi ut clementiam, amoremque ſuum oſtenderet; ut tentaret ſcilicet, an initio executionis, an in medio, an in fine pœnitentiam agere vellent. Verba Origenis ſunt.

§. 6. *Exponitur id verbis Origenis.* *Condemnaverat Deus Jeruſalem, propter peccata quæ fecerat, & hæc erat extrema ſententia, ut captivitati relinqueretur. Veruntamen cùm hominum ſit amator, nec quenquam velit perire, antequam depopulationis tempus inſtaret, miſit Prophetam, ut per ſermones ejus ad pœnitentiam converterentur. Miſit eundem, & ſub ſecundo Rege poſt primum: miſit quoque ſub tertio,* (ecce figuram Evangelicæ parabolæ, in qua Rex ſemel, bis, tertiò, miſit nuntios, qui invitatos vocarent ad nuptias) *ut ferventius prædicaret pœnitentiam. Quid plura? captivitas jam imminebat, & adhuc adhortabatur Deus, tribuens ut ita dicam, & ante unam diem, locum veniæ, & pœnitentiæ; unde ſcriptum eſt* Jerem. 10. v. 17. *uſque ad captivitatem Jeruſalem, & uſque ad quintum menſem prophetâſſe Jeremiã. Jam hoſtium vincula reſtringebant manus, & nihilominus quodammodo adhuc dicebat Deus per Jeremiam: Ecce captivi facti eſtis, agite tandem, licet ſerò, ſeriò tamen pœnitentiam; rogate me, ut parcam, poſſum adhuc eruere vos de captivitate, in quam vos incipio conjicere. Verùm quia populus noluit, tandem capta eſt Jeroſolyma, & omnis populus abductus in captivitatem. Oſtendit tamen Deus, ſe tardè proceſſiſſe, ſe invitum arripuiſſe tandem gladium ultionis.*

Planè ſimilis agendi modus fuit Regi, qui multos vocavit ad nuptias: qui miſit ſervos ſuos, qui ſatellites ablegavit, qui precibus primùm inſtitit, tum ad amorem converſus filium miſit; poſtremò ad minas, denique, cum nihil univerſis profeciſſet, ad vindictam deſcendit. Jam ego ad vos me converto peccatores: Dicite, neque enim ſine novo ſcelere negare poteſtis, dicite, quoties vos Rex ille cœleſtis invitavit ad convivium ſuum, ad amorem, ad gratiam, ad amicitiam, ad epulas Angelicas? Dicite, quot ſervos ad vos ablegavit? quot concionatores? quot Verbi divini Interpretes? quot confeſſarios? quot admonitiones internas? quot remorſus conſcientiæ, de judicio, de inferno, de æternitate? quot occaſiones pœnitentiæ pulcerrimas? An non vera ſunt, quæ loquor? an non omnes hos nuntios indies propemodum vidiſtis atque obſervaſtis? quâ autem ratione illos excepiſtis? quid reſpondiſtis vocanti Regi? quas juſtiſſimis ejus precibus aures menteſque dediſtis? ah ſileo! ne infandum cogar vulnus refricare; neglexiſtis preces, contempſiſtis monita, irriſiſtis ſervos Dei, non habuiſtis fidem divinis inſtinctibus; quid mirum? mutari tandem amorem, in furorem! clementiam in ſævitiam! blandimenta in tormenta! vocem ſuaviſſimã, *Venite*; in terribilẽ ſententiã, *ligatis manibus &c.* §. 7. *Minæ cõtra ingratos, qui vocati ad nuptias noluẽ venire.*

Qua-

Digitized by Google

§. 8. *Si puniantur tandem, id ſibi aſcribant.*

Quapropter ſibi imputet peccator pœnam, non Deo, nam ipſe ſe pœnæ obtulit, non Deus ipſam ad pœnam illi infligendam requiſivit, ipſe peccator quaſi ultro ad eam acceſſit: ipſe quæſivit, & quaſi pedibus ſuis eam adinvenit. *Væ*, inquit Amos cap. 6. v. 1. *qui ſeparati eſtis in diem malum, & appropinquatis ſolio iniquitatis* (conſequenter Juſtitiæ) Lxx. legunt, *Qui venitis in diem malum.* Quaſi dicere velit (Ribera) *Non venit ad vos dies malus, ſed vos ultro venitis in diem malum, neque enim Deus, de vobis ſupplicium ſumere appetit, ſed vos, divinam Potentiam, aliis atque aliis malis provocantes, nemine impellente ruitis in mortem.*

§. 9. *Quare gladius irati Iudicis vocetur fulgur, cum acri ad hortationem ad pœnitentiam*

Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea, dicit Dominus Deuteron c. 32. v. 41. *reddam ultionem hoſtibus meis, & iis qui oderunt me retribuam.* Auditis hæc impii? Frequenter vos terreo fulgurante hoc gladio, hanc modo circumſtantiam in illo perpendite & conſiderate. Invita! ſed tandem, quia vos vultis, hoc gladio ferit dextera Altiſſimi; neque ipſe, ſed vos ſulphureum enſem acuiſtis & accendiſtis: acuitur enim & accenditur ut fulgur. Fulgur enim eſt exhalatio quædam accenſa in nubibus, ex vehementi illarum colliſione, quæ accenſio non ſemper invenitur, cùm non ſemper materiam exhalationis aptam tellus aut aër ſubminiſtret. Quando de terra talis exhalatio ad nubes aſcendit, facillimè fit fulgur: materia ejus eſt à terra: hoc elementum eſt cauſa, ut cœlum fulguret, ut ſæviat tonitruis, ut fulmina torqueat. In altum tollite oculos ſcelerati peccatores! cernitis in manibus Chriſti, irati Judicis fulgurantem gladium, cui inſcripta eſt fatalis ſententia, Matth. 25. v. 41. *Diſcedite maledicti*: En ut ardet, ut fulgurat, ut micat, ut tonat! Non ex ſe: Vos & veſtra ſcelera illum accenderunt, illa ſuppeditarunt materiam, vos ipſi Judici illum gladium, illud fulgur, illud triſulcum fulmen tradidiſtis in manus. Materia tam terribilis ignis ſunt exhalationes veſtræ ſuperbiæ! exhalationes veſtræ luxuriæ! &c. Suſpendit nihilominus adhuc fulmen, vibratum in alto gladium adhuc cohibet, expectat adhuc modicum, agite pœnitentiam mortales: ad reſtim res rediit, non Damoclis, ſed irati Numinis gladius capiti veſtro incumbit; minatur mortem in ſingula, quibus vivitis, momenta! in veſtra manu eſt, atque arbitrio, caput enſi ſubducere. Sed agite, quod agitis, periculoſa res eſt, hic, omnis mora, quo non putaveris momento, fortaſſis, fatalis ictus, te proſternet & dicetur, *ligatis manibus, &c.*

Finio hunc diſcurſum elegantibus verbis citati Orig. *Deus ad benefaciendum promptus eſt, ad puniendum autem eos, qui digni ſunt, diſſimulat. Cùm poſſit quippe tacens, ſine conteſtatione futuri, punire eos, quod dignos ſupplitio judicat, tamen non facit, ſed ante monet, exprobrat, exterret, minatur, an impius velit converti, & agere pœnitentiam.* Ad hunc finem Chriſtus D. in parabola hodierni Evangelii nobis proponit ingratitudinem invitatorum §. 10. *Deus non punit, quin ante moneat, & minetur.*

ad nuptias, & crudelitatem eorum, qui & ſervos & filium hæredem trucidarunt, urbes illorum combuſtas & exciſas, & illum qui in nuptiis apparuit ſine veſte nuptiali, & atrociſſimam ipſius pœnam, ut his exemplis nos terreat, ut ſic dum tempus eſt, ad meliorem vitæ frugem convertamur. Tacens, ſine conteſtatione futuri, nos punire poteſt Chriſtus Salvator noſter, ſed ad benefaciendum promptus eſt, non ad pœnam; mavult ut convertamur & vivamus.

§. 11. *In quo conſiſtit longanimitas Dei. Quæ tamē mutatur in iram.*

Ideò graviter monet S. Auguſtinus in Pſalmum 102. ſuper illa verba v. 8. *Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multum miſericors*: ,, poſtquam aſſeruit, longanimitatem Dei multam eſſe in hoc, quod ,, cum ſemel bis, ter vocet impium, & ,, nihilominus patiatur repulſam, ipſe ,, tamen non ſtatim puniat, ſed diu ex- ,, pectet: tum quærit, quid tam lon- ,, ganimum, quid tam multum in mi- ,, ſericordia? Peccatur, & vivitur: ,, accedunt peccata, augetur vita! ,, blaſphematur quotidie, & ſolem ,, ſuum oriri facit ſuper bonos & ma- ,, los, vocat undiq; ad correctionem, ,, vocat impartiendo tempus viven- ,, di, vocat per lectionem, vocat per ,, miſericordiam conſolationis, vo- ,, cat per intimam cogitationem, vo- ,, cat per flagellum correctionis, lon- ,, ganimis & multæ miſericordiæ. Pulcrè hoc quidem, hæc eſt loganimitas, hæc eſt miſericordia, vocare, dare tempus, expectare, vocare variis modis, vocare renitentes, vocare ingratos! *Sed obſerva* (hoc tandem nos monet S. Auguſtinus) *ne longitudine miſericordiæ Dei* (Chriſti Salvatoris tui) *malè utendo, tu tibi theſaurizes iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei. Ergo tibi Deus; longanimitate ſua parcendo, ad pœnitentiam te adducit, tu autem quotidie dicis, finietur hodiernus dies; & ſic cras dices, & tertio die, &c. Et ſubitò venit ira ejus.* Subitò, quia diſtuliſti venire, & illum diem, & illam horam, illudque momentum & dies, & horas, & momenta, quibus vocationi divinæ non obediviſti, in theſauro iræ Dei repoſuiſti. Subitò in te irruet omnis calamitas.

§. 12. *Præſertim contra illos, qui vocationi divinæ reſiſtunt.*

Ex quo S. Auguſtini diſcurſu liceat quæſo hic concludere: ſi theſaurizant ſibi iram, ſi tandem tam acriter puniuntur, qui vocationi divinæ non reſpondent quamprimū, qui dies pœnitentiæ procraſtinant, qui differunt, ſeriò converti ad Dominum, qualem iræ theſaurum ſibi acquirunt ac theſaurizant illi, qui vocationem ſemel, bis, ter, etiam rejiciunt, expellunt, derident, contemnunt? Si ſecuri & certi de ſalute ſua non ſunt, qui vocationi reſpondent, an ſecuri erunt, qui contemnunt? Si obdurationis cauſam in Pharaone attentius inſpiciamus, inveniemus eam fuiſſe repulſam, quam Deo dedit, ſed imperterritam ac infrunitam, temerariam & audacem, Exodi enim 5. fuit auſus dicere: *Quis Dominus, ut audiam vocem ejus?* Et dixit Dominus ad Moyſen, *Ego indurabo cor ejus.* Et mox ſuper eundem deſcendit ira Dei, quæ in aquis illum, nihil minus cogitantem, miſeranda morte demerſit.

Tre-

Tremendum, ſed rectum judicium: punit tandem Deus! Vide an ſic aliquando reſpondiſti? an etiamnum differas converti ad Dominum DEUM tuum, & pertimeſce! ne cum rebellis aures divinis vocationibus claudis, ſubitò veniat ira Dei, & dicat, *Projitice in tenebras exteriores*, à quibus nos omnes ſimul vindicet atque cuſtodiat, qui eſt lux vera, quæ illuminat omnem venientem in hunc mundum, CHRISTUS JESUS, cui ſit honor & gloria in ſæcula, Amen.

CONCIO L.

DOMINICA XXI. POST SS. TRINIT.

Domine deſcende, priuſquam moriatur filius meus, Joan. 4. v. 49.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRiori parte exigit tria à Parentibus, ad bonam filiorum educationem. Altera parte, invehitur in parentes malos.

§. 1. *Regulus eleganter orationem ſuam orditur à vocula* Domine.

§. 2. *Tria exiguntur à parentibus ut bene educetur proles.* 1. *In vigilant à pueritia.*

§. 3. *Proles tenera imbibit mores parentum.*

§. 4. *Tria aurea monita S. Chryſoſtomi, ſive circa tria parentes debent eſſe ſolliciti, dum tenera eſt proles.*

§. 5. *Corruptela juventutis aſcribitur parentibus.*

§. 6. 2. *Exigitur à parentibus, ut invigilent, quibuſcum filii & filiæ agant atq; converſentur. Exemplo Saræ.*

§. 7. *Juventus indiget fræno inſtar indomiti equi.*

§. 8. *Tertiò, invigilent parentes ne filii peccent: exemplo Jobi, in quo tria laudantur: primum eſt, ſollicitudo de dubiis filiorum peccatis.*

§. 9. *Alterum eſt, quod cum filii jam adulti eſſent, adhuc fuerit ſolicitus.*

§. 10. *Tertium, quod de internis peccatis fuerit anxius.*

§. 11. *Mali parentes à Deo puniuntur. Patet in Heli.*

§. 12. *Mali parentes, cum diabolo cooperantur ad damnationem filiorum.*

§. 13. *Quantum ob hanc cauſam punitus fuerit Heli.*

§. 14. *Acris invectiva S. Chryſoſtomi in tales parentes.*

Val-

Digitized by Google

§. 1. *Regulus eleganter orationem ſuam orditur à vocula,* Domine.

VAlde prudenter hodiernus Regulus oratiunculam ſuam ad Chriſtum D. exorſus fuit hac vocula, *Domine*, videtur fuiſſe legum non imperitus, proinde, hunc orandi modum, à Regina Eſther, & quibuſdam Prophetis addidiciſſe. Etenim cum illa ferventiori oratione divinum implorarет auxilium, in liberatione populi, in quem ab Aſſuero lata erat ſententia mortis, inſtigante Aman: in gravi afflictione & anguſtiis cordis, orationem ſuam ſic fuit exorſa Eſter. 14. v. 12. *Domine Rex Deorum, & univerſæ poteſtatis,* Vatablus legit, *Domine, Rex gentium, & omnis imperii dominator.* Alii, *Domine, omni potentatui dominans*; Nimirum talis eſt, magnus Deus noſter: cui omne dominium, quod in cœlo & in terra inveniri poteſt, plenario jure ſubeſt, ac proinde ei ſoli competit nomen Domini abſolutè, & abſque ulla reſtrictione: cui debito jure dici poteſt ex Iſa. 37. 10. *Tu ſolus Dominus.* Deus ipſe, hoc nomen pro ſigno dedit, ex quo dignoſceretur, quis eſſet, quàm potens, quàm ſapiens, &c. Et cum per eundem Prophetam propoſuiſſet mira & grandia, quæ operaturus eſſet ut verus Deus, ait cap. 43. v. 12. *Ego Dominus, & hoc eſt nomen meum.* Cùm Moyſes iturus ad Pharaonem, ad liberandum populum, ex Deo quæreret, & ſi dixerint, Exod. 3. v. 13. *Quis te huc miſit, quod eſt nomen ejus? quid reſpondebo?* inquit Deus: *Hæc dices filiis Iſrael, Dominus Deus Patrum veſtrorum, &c. hoc nomen mihi in æternum.* Itaque Regulus ut Chriſti D. profiteatur Divinitatem, ut oſtēdat ſe credere, quod loquatur Filio Dei, abjicit ſe ad ejus pedes, & ait, *Domine deſcende*; ſic eſt; O quantum & qualem habemus Salvatorem! Dominus eſt; Rex Deorum eſt, Rex univerſæ poteſtatis, Rex eſt gentium, omnis imperii dominator. Hac vocula Regulus profitetur, ſe credere, quod Chriſtus poſſit Filium è faucibus mortis liberare: profitetur, ſe ſperare & confidere, de ejus bonitate, quod velit: ut faciat, demiſſiſſime rogat. Motivum præcipuum tantæ in regulo demiſſionis, & tam ferventis orationis, fuit periculum filii, incipiebat enim mori, incipit luctari cum morte, & ſolicitus Pater, ſurgit, abit, currit ad Chriſtum, ejuſq; opem implorat; Hæc cura optimi parentis de ſuo filio, ſolet ſuper hodiernum Evangelium Concionatoribus cauſam ſuppeditare, ut oſtendant quàm parentes debeant eſſe ſolliciti, non tantùm de corporibus Filiorum; ſive de ſtatu eorum corporali, ſed & multò magis de ſalute animi: quæ cura parentes ſolet excitare, ut ſollicitі ſint, ut filii benè & Chriſtianè educentur. Eſt materia latiſſima, ego quæ hâc Concione à piis exigam parentibus ad tria tantùm capita reducam: vos, quænam ea ſint, breviter, & ut ſoletis, attentè atque benevolè excipite.

§. 2. *Tria exiguntur à parentib. ut bene*

Exigo à parentibus 1. Ut à prima infantia ſint ſolliciti, ut proles piè & benè educetur. *Peperiſti puerum,* ait S. Chryſoſtomus ſer. 21. in ep. ad Eph. c. 1. *imitare Annam, quæ mox illum obtulit templo, non ſinens eum domi de-*

educetur proles. 1. Jugiter à pueritia. S. Chryſoſt. ſerm. 21. ad Eph. c. 1.

deliciari, & delicatè enutriri, malens filio carere, præſentiaq; ejus, quàm illum Deo non dicare optimeq; inſtrui. Primū peperit Samuelem, & ſolum, neque ſciebat, an alium eſſet paritura, nec tamen dicebat, expectabo, donec adoleſcat puer, ut rebus mundanis nonnihil perfruatur, permittam, ut paululum genio prius indulgeat; ſed relictis his omnibus mulier unum duntaxat intendit, quomodo ſtatim ab ipſis exordiis, ſpiritualem imagunculam Deo fingendam offerret. Advertite parentes, quam ob cauſam Deus vobis dederit filios & filias. Sunt creaturæ nobiliſſimæ, creatæ ad imaginem & ſimilitudinem ejus; ſed corruptæ & deformatæ per peccatum: reſtauravit tamen Chriſtus D. Filius Dei ſuo ſanguine: veſtrum nunc eſt, illas imagines àptimis annis perficere, hunc in finē vobis, veſtræque curæ ſunt crediti. Hinc multùm pendet educatio prolis.

§. 3. *Proles tenera imbibit mores parentum.*

Dic mihi, amabo, cur filios, cur floridiſſimos adoleſcentes in prima juventa, in flore adoleſcentiæ, videmus tam ſpurcos, in oculis, in moribus, in verbis & colloquiis? tales ſermones audivere, didicere, à parentibus, quarto, quinto, ſexto ætatis anno. Infantes loqui ſciunt de Amaſiis. De impudica filia vel puella in flore ætatis dixit S. Ambroſius lib. 2. de Virginit. *Quid enim potuit filia ab adultera Matre diſcere, niſi damnum pudoris.* Cui adſtipulatur, egregiè ut ſolet, os aureum S. Chryſoſtomi hom. 9. in epiſt. 1. ad Timoth. *Quid ergo, ſi mater peſſima fuerit atque innumeris ſceleribus plena?* (dum licet filia eſt annorum ſeptem vel novem, prô pudor! etiam quartum vel quintum) *quid ex hac liberorum educatione lucrabitur? nempe filias eas ſimiles neceſſario faciet.* Superbas in veſtibus, qualis eſt Mater! arrogantes, qualis eſt mater, libidinoſas, blaſphemas, contentioſas, &c. qualis eſt Mater vel Pater.

§. 4. *Tria aurea monita S. Chryſoſt. ſive circa tria parentes debent eſſe ſolliciti, dum tenera eſt proles.*

In particulari S. Chryſoſt. monet Matres, ut à pueritia, præcipuè in filiabus, obſervent tria, nimirum monet, ſedulam erga illas habendam curam, ut primùm jugiter ſint domi, id eſt, ut domeſticos inter parietes diſcant commorari: nocuit, atque utinam non hodiedum noceret puellis, evagatio frequens, tener eſt, & delicatus flos Virginitatis; etiam leves illum auræ, ventique in plateis ſpirantes, ſi non decutiunt, feriunt ſaltem & lædunt. Alterum eſt, ut doceatis eas contemptum pecuniæ, ſiquidem nimis certum fœdus eſt, Plutum inter & Venerem. Sed intelligentibus pauca. Denique, ut exteriorem illam in veſtibus pompam, luxumque, & nimium fœdi corporis ornamentum non tolerent. In promptu ratio eſt, ſunt hæc Aſmodæi retia, ſunt illecebræ ſcelerum, ſunt irritamenta malorum.

§. 5. *Corruptela juventutis aſcribitur parentib.*

Audi Mater; audio de tua filia dici poſſe verſum 10. cap. 7. Proverb. quod ſit puella, *præparata ad decipiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens* (decimum tamen quartum ætatis annum vix excedit) *neque valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, manè foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos inſidians.* Quid de tua filia, de tali

puella ſperari poteſt? inſinuabo paucis: ſed ut vix audiatur; ſemel tantùm exiit Dina Geneſ. 34. & virginitatis florem amiſit: non amiſiſſet, ſi domi manſiſſet. Et quid ſi ipſa mater ſit vaga, ſit garrula, ſit levitatis amans, ſit ſuperba, ſit in veſtium luxu nominata? Neceſſe eſt ut filiæ fiant ſimiles; præſertim ſi in prima & tenera ætate parentum exempla teneros earum oculos feriant: Pejores ſunt parentes, qui permittunt, imò libenter vident, ſi filiabus ab adoleſcentibus offerantur munera. Holofernes cùm eſſet in concupiſcentia Judith cap. 12. v. 1. *Juſſit eam introire, ubi repoſiti erant theſauri ejus*; ſperans fore, ut ſuis eam muneribus, quaſi retibus, illaquearet: niſi Angelus Domini illam cuſtodiviſſet: Hoc hodie faciunt nequam adoleſcentes, qui ardent libidine, confugiunt ad annulos, armillas, lemniſcos, vittas, ſpecula. Et quid ſi parentes id probè reſciant, nec impediant? quid ſi diſſimulent? quid ſi & mater ejuſmodi donis corrumpatur, ut talia munuſcula relinquat in manibus filiæ: hinc naufragia pudicitiæ! hinc, filiæ nequam, impudentes; inverecundæ, procaces, ne quid dicam amplius: Et ex his munuſculis fovetur luxus veſtium, &c. O ſi hic vociferari poſſem cum S. Chryſoſtomo, ut audiret tota Moguntia! *Matres! filiarum curam in vos ſuſcipite ſtudioſam, docete illas à juventute nimii exterioris ornatus contemptrices eſſe: Venenum ſub his veſtibus latet exitiale.* ſed nolo modo hanc materiam dilatare: moneo tantùm pias matres, ut ſciant quid ſibi in hoc puncto agendum ſit; ſed adverto, in his punctis, proli ſæpe non tam eſſe periculū ab ipſis parentibus, ſed à ſervis, ab ancillis, à domeſticis, & aliis, cum quibus filii vel filiæ familiarius agunt; proinde

§. 6.
2. Exigitur à Parentibus. ut invigilent quibuscum filii vel filiæ agant & converſentur Exemplo Sara.

Exigo 2. ut parentes in hoc ſint vigiles, & eò attentos colliment oculos, ut ſi quod periculum advertant, vel in ſermone, vel in moribus, vel in converſatione, vel quoad exempla aliquorum vitiorum, confeſtim curent, ut tales, velut viperæ ex ædibus proſcribantur, ejiciantur. Pulcrum parentibus præbuit exemplum Sara, mater Iſaaci; non niſi ſemel vidit illum colludentem Iſmaëli, & mox adeo ſe rigidam oſtendit, ut extemplo voluerit filio amputare omnem occaſionem peccati; & hoc quidem remedio ſatis aſpero, aggreditur Patrem, & jubet, ut Iſmaëlem, unà cum matre ſtatim ejiciat domo: id quod Abrahamo adeò extitit ingratum, ut dixerit ſcriptura, *Quod durè accepenit illud Abraham pro filio ſuo*, Gen. 21. v. 12. nihilominus Sara, de ſalute ſpirituali Iſaaci ſolicita, dixit: *Ejice ancillam & filium ejus; non erit heres filius ancillæ, cum filio meo Iſaac.* Et Sara unica vice advertit ludum minus decentem: quid feciſſet Sancta Mater, ſi peccātem, ſi DEUM injuriantem, ſi alia, quæ referre nefas eſt; & tamen, prô dolor: etiam in tenella ætate ſunt communia, vidiſſet: Diſcant matres, quàm ſolicitas eas eſſe oporteat, ut vix pullulantes occaſiones peccati, & mala domeſticorum exempla, primo ſui ortu, evellere conentur. *Nam* (ut Sanctus Hiero-

Hieronymus ait ep. 7. ad Lætam) *citò flores deperiunt; citò violas & crocum peſtilens aura corrumpit*; multò magis teneram juventutem: (Sanctus Ambroſius in cap. 13. Job) *Quæ magis ad vitium lubrica eſſe conſuevit, illecebroſa deliciis*, ut proinde, quantum fieri poteſt, omnes mali occaſiones præſcindantur; ne ab his, & in his, adhuc fortius impellantur in malum.

§. 7. *Iuventus indiget freno, inſtar indomiti equi.* Indomita eſt adoleſcentia, proinde fræno illi opus eſt: quod pulcro ſimili declarat Sanctus Chryſoſtomus hom. 68. in Math. c. 2. *Domitores equorum ſtudioſiſſimè curant, ut illos ſibi domitent, nec incuria committunt, ad firmiorem indomitos ætatem pervenire; ac cætera remedia, quibus opus eſt, ſedulò adhibent: Parentes verò, liberos ſuos longè provectos, abſque caſtigationis negligunt fræno, & dimittunt circuire, ſcortis, aleis & obſcœnis ſpectaculis inhiantes.* Hinnulis, jam dum creſcere incipiunt, injicitur frænum, admoventur calcaria, percutiuntur virgis & flagellis: & ſic paulatim in generoſos evadũt equos: ſine fræno, ſine calcaribus, ſine virgis, ſine flagello, laſciviunt, neque deinde domari & inſtrui poſſunt. Itaque attendite, vigilate parentes, indomita eſt adoleſcentia filiorum; attendite antequam tales in firmiorem excreſcant ætatem: dum tempus eſt, frænum illis injicite: trahite aut retrahite dum trahi aut retrahi poſſũt; admovete, dum ſentiuntur calcaria: ætas quippe robuſtior calcarium, objurgationum, minarum, virgarum, pœnarumque eſſe ſolet impatiens. Quod in juventute negligitur, in maturiori ætate ex deſperatis habendum cenſeo.

§. 8. *3. Invigilent parentes ne filii peccent. Exemplo Iobi; in quo tria laudatur. Primum eſt ſolicitudo de dubiis filiorum peccatis.* Exigo 3. à Parentibus, ut valde ſolliciti ſint, ne filii peccent, ne Deum offendant; multo minus permittere debent, ut ſe præſentibus, ſpectantibus, audientibus, quicquam à filiis contra DEUM, aut honeſtatem, dicatur, aut committatur inultum. Sanctus Job inſigni in hoc præluxit exemplo: nam, dum cap. 1. v. 5. offerret holacauſta pro ſingulis, ipſemet cauſam ſubjicit: *Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint DEO in cordibus ſuis.* LXX. legunt: *Ne forte filii mei in mente ſua cogitaverint mala contra DEUM*: Multa admiranda occurrunt in hâc curâ & vigilantiâ, & ſollicitudine Jobi. 1. verba ejus, ſive modus loquendi inſinuat eum de dubiis & incertis fuiſſe timidum atque anxium, quid feciſſet, ſi vidiſſet certa filiorum peccata: de occultis formidavit, quid egiſſet de certis atque manifeſtis? Certè, Origenes l. 1. in cap. 1. Jobi, ait: *Quomodo permitteret, ut aliquid mali filiis ſuis, in verbis atque operibus evidentioribus eveniret, qui pro occultis & abſconditis, aut omnino forſan non exiſtentibus, ita nimium ſollicitus erat, atque curam gerebat; unde metuens dicebat, ne forte peccaverint filii mei, &c.* Diſcant parentes quantum ſolliciti eſſe debeant pro ſalute filiorum, quantopere ad ipſos invigilare; ut expectare non debeant publica filiorum peccata; quinimò timere incerta & occulta, ne forte hæc inſciis ipſis irrepſerint.

 Deinde

Digitized by Google

§. 9. *Alterum eſt, quod cum filii adulti eſſent, adhuc fuerit ſollicitus.*

Deinde hoc fuit laudabile in Jobo, etiam poſtquam filii adoleviſſent, adhuc habuit curam de illis: Origenes, *Ne forte filii mei, qui in diſciplina nutriti ſunt qui in Dei timore exercitati ſunt; ſi ipſi à Creatore non receſſerint.* Quod ſi tanta fuit cura Jobi de liberis bene inſtructis, ne forti ipſi à viâ ſalutis deflecterent: quid vobis animi eſſe debet, O parentes Chriſtiani, qui filias, filioſque habetis, non ita probè inſtructos, non ita exercitatos in timore DEI, ſed malæ frugis, degeneres, rebelles, impios? O! quantum hic veſtra debet deſudare induſtria, quantis vos timoribus de ſalute liberorum, tam indiſciplinatorum quotidie percelli, par eſſet. Profectò vos potiorem timendi, vigilandi, ac laborandi cauſam nacti eſtis, quàm Jobus.

§. 10. *Tertium: quod de internis peccatis fuerit anxius.*

Præterea ſuper verba illa citata LXX. Interpretum, *Ne forte filii mei cogitaverint mala in mente ſua*, exclamavit cit. Orig. *O ſinceritas Patris! O dilectio Parentis! O ſtudium genitoris!* Quis ex parentibus, talem hodie adhibet ſollicitudinem, ut etiam de cogitationibus filiorum, quibus DEUS offendi poteſt, ſit ſollicitus? De procurandis divitiis ingens cura! de honoribus continua ſollicitudo! ut corporibus filiorum ſit bene, magna & attenta, & vigil ſolertia: ſed exigua, modica, ut DEUS non offendatur. Explicat deinde citatus auctor in particulari curam Jobi; ne forte de impudicitia cogitaverint, ne forte ad impietatem declinaverint, ne forte illicita meditati fuerint, ne forte injuſta concupierint, ne forte aliqua radix amaritudinis exorta in animis eorum eis nocuerit, &c. Propter hæc oravit Job, propter hæc obtulit victimas; quid feciſſet, ſi audiviſſet blaſphemantes, rixantes; quid ſi audiſſet illos loquentes turpia, & obſcœna, aut maledicentes DEO, aut pejerantes, execrantes? Quid ſi vetitis deditos luſibus conſpexiſſet, quid ſi nefanda perpetrantes vidiſſet? quid tum putatis egiſſet vir ſanctiſſimus? O parentes! ejuſmodi ſunt hodie filiæ, filiique veſtri; ſunt loquentes impudica, ſunt blaſphemantes, ſunt maledicentes DEO, ſunt facientes in obſcuris, quæ vel linguâ in lucem proferre nefas duco. Et ubi eſt amabo, veſtra cura paterna, ubi amor maternus, ubi pia de liberis ſollicitudo? ubi timor? ubi vigilantia? Heu! & cura non cernitur, & amor extinctus, & ſollicitudo non premit, & timor non ſollicitat, & omnis ſoporata eſt Chriſtianorum Parentum vigilantia.

§. 11. *Mali parentes à Deo puniuntur. Patet in Heli.*

Ex his intelligere poſſumus illud ſcripturæ, 2. Lib. Reg. 4. v. 11. *Filii Heli, filii Belial*: hoc eſt, diaboli: ergo Heli fuit Diabolus? explicat ſenſum Origenes. Mitius loquar de Heli, cùm ſciam aliquos putare, pœnam ejus fuiſſe tantùm temporalem; abſit ergo ut ego vocem diabolum. Sed & hoc ſcio, impios parentes, qui filios non caſtigant, qui permittunt illis Deum offendere, præſertim in pueritia, cum facile eſſet illis frænum injicere; imò qui cauſam præbent, ut filii peccent, Belial ſive diabolos compellari poſſe; cum filiarum

filiarum filiorumque animas hoc modo tradant igni inextinguibili, quod proprium munus & officium eſt diaboli.

§. 12. *Mali parentes cũ Diabolo cooperantur ad dãnationem filiorum.*

Rem magni momenti ponderate, Auditores! Mali parentes exſtunt cooperatores diaboli ad perditionem animarum: in adultos tantùm diaboli vires non proficerent; non poſſet eos præcipitare in tam varia & horrenda ſcelera, niſi parentes in pueritiâ & adoleſcentia poſuiſſent fundamenta, & velut diſpoſitiones ad tanta mala, vel permittendo illis omnem licentiam libertatemque ad omne vitium, vel etiam, quod peſſimum eſt, ſuis dictis & malo exemplo, impellendo in ſcelera: Sanctus Chryſoſtomus homilia 19. in Geneſ. *Ex mala cura, quam Patres filiorum educationis habent, omnia mala naſcuntur.* Conſuetudo enim malitiæ, proceſſu temporis, invaleſcens, tantum facit malum, ut poſtea non poſſit aliquâ vinci motione; *quò deinde diabolus juſſerit, eunt:* ſed quod Belial ita prævaleat, quod tales filios deinde quaſi cogat, & vi trahat ad malum; mala pueritiæ educatio, fons eſt, & origo. Fundamentum & cauſam diabolicæ poteſtatis in adultos, mali poſuerunt parentes, cooperatores æternæ filiorum damnationis: illi filios ad dæmonis, peccatorumque ſubjectionem, diſpoſuerunt: Ex quo ſequitur ulterius, quod eſt terribile, hos parentes in filiorum damnatione, majorem habere culpam, quàm dæmones ipſos, qui ſine parentum auxilio, tantum in miſeros non potuiſſent.

§. 13. *Quantũ ob hanc cauſam punitus fuerit Heli. S. Chryſoſt. lib. 3. adv. vitup.*

Hæc eadem eſt cauſa, quod DEUS tales parentes horrendum puniat: Miror, quoties conſidero Heli, dum S. Chryſoſtomus l. 3. adv. vituper. vitæ monaſticæ: ait, *Nihil in eo reperit divina Juſtitia, quod accuſare potuit, niſi quod illi cura non fuerit, & diligentiſſima, & vehemens, ſalutis filiorum.* Et tamen adeo hoc diſplicuit DEO, ut non obſtante vita alioqui inculpabili, ſacerdotium ab eo, domoque ejus abſtulerit, & filios cum ipſo, improviſæ ſimul mortis victimas deſtinarit, quin & domum ejus univerſam, cognationemque everterit; imò, quod mirabilius videri debet; ita DEO contra hoc peccatum iraſcente, ut dicat, quod nullo unquam ſacrificio, nullaque hoſtia ſit expiandus: *Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis & muneribus, uſque in æternum*: 1. Reg 3. v. 14. Et tamen ſimul innuit textus, quod Heli filios ſuos verbis reprehenderit: *Quare facitis res hujuſmodi?* Verùm, quia præter verba, non adhibuit alia remedia validiora, pœnam ſcilicet & ſupplicium, ipſe, filii, domuſque ejus tota, perierunt.

§. 14. *Acris invectiva S. Chryſoſt in tales parentes.*

Poſt hæc exclamat S. Chryſoſtomus, *Quâ tandem nos animadverſione puniemur, qui barbaris omnibus immaniores, contra natos noſtros ſumus, qui laſcivientes ſufferimus, qui malos non punimus*: noſtram pariter, & *liberorum animam negligentes.* Imò, *Prô dolor!* inquit idem Sanctus, *Utinã hoc culpa tantum eſſet: nihil utile parẽtes liberis conſulere; poſſit id, etſi ſit graviſſimũ, aliqua fortaſſe ratione tolerari:*

Nunc verò ad eas quæ ſaluti ſunt adverſiſſima omni ſtudio impellitis! Audias patres miris modis filios ad humanam gloriam provocantes, ad domos amplas conſtruendas; cœleſtiumque bonorum nulla omnino fit mentio: Quid aliud diceret Vir ſanctus, ſi præſentem mundi ſtatum intueretur. Sed hinc tantæ à DEO punitiones, hinc pœnæ, hinc præmaturæ mortes, hinc excidia, & ſi quæ ſunt aliæ calamitates: Finio concionem terribili ſententiâ Orig. *Qui patres non corripiunt filios, & ipſorum animas igni inextinguibili tradunt, & ſemetipſos in furorem judicii demergunt! Omnia enim quæ deliquerint filii, à parentibus requiruntur, qui liberos dum male agunt, non corripiunt.*

CONCIO LI.

DOMINICA XXII. POST SS. TRINIT.

Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis,
Matth. 18. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Efficacibus rationibus ab auctoritate Chriſti præcipientis, & ex ejuſdem Paſſione deſumptis ſuadet ut diligamus inimicos.

§. 1. *Tres Chriſtianæ Maximæ, ex hodierno Evangelio.*
§. 2. Ego dico vobis. *Magna emphaſis latet in vocula,* Ego.
§. 3. *Satis eſt Chriſtum Dn. hanc legem tuliſſe, cujus infinita eſt auctoritas.*
§. 4. *Affectuoſus locus ex Geneſi, de Joſepho, etiam poſt mortem Patris, condonante injuriam fratribus.*
§. 5. *Invectiva in illos, qui Chriſtum præcipientem audire nolunt.*
§. 6. *Ex S. Chryſoſtomo.*
§. 7. *Ex S. Auguſtino.*
§. 8. *Efficax ratio S. Pauli, ut ignoſcamus.*
§. 9. *Proponitur ad hunc finem Chriſtus Crucifixus.*
§. 10. *Minæ in illos, qui nolunt ignoſcere.*
§. 11. *Merces, propoſita illis, qui ignoſcunt.*

§. 12.

§. 12. Quàm variis verbis cæleſtis Magiſter nobis propoſuerit, quibus modis ſuo præcepto de diligendo inimico debeamus ſatisfacere.

§. 13. Auctor coram Crucifixo, omnium Auditorum nomine ignoſcit omnibus inimicis.

§. 1. Tres Chriſtianæ Maximæ ex hodierno Evangelio.

EX hiſtoriâ vel parabolâ lecti Evangelii, præcipuè occaſione iſtius hominis, cui cùm remiſſa eſſent gravia debita, ipſe tamen fratri ſuo debitum longè minus remittere noluit, imò præfocare etiam conatus fuit, & in carcerem conjecit; ſed mox ab irato Domino gravi pœna mulctatus; occaſione inquam hujus hiſtoriæ Sancti Patres & Cōcionatores, pias deduxerunt regulas, ſeu Maximas vitæ Chriſtianæ: prima eſt; A nobis dependet peccatorum noſtrorum venia, quam à DEO poſtulamus; ſi nimirum & nos inimico veniam indulgeamus. S. Chryſoſt. hom. de ſimultate; *Quid eò mitius, quid manſuetius præcepto?* (nimirum de diligendis inimicis) *Te judicem fecit in condonatione tuorum criminum; ſi ex corde dimittis, & ſincerè, eodem pacto tibi Deus remittit: Si præter veniam datam etiam eum pro amico habeas, eodem modo erga te Deus afficietur.* Et econtra, ſi vindictam quæramus, ſi ſolutionem exactam: idem Deus Judex faciet; quod hodierno in Evangelio feciſſe illum comperimur: & tanta eſt hæc mutua dependentia, ut Maxima ſecunda ſit, quod qui 10000. talentorum condonationem, & ad ſolam quidem obteſtationem fuerit conſecutus, tamen cùm ipſe centum denarios exigeret à conſervo ſuo; hoc eſt, cum delictorum adverſus ſe commiſſorum pœnas repoſceret, ſævitiâ ſuâ erga debitorem ſe ipſum condemnavit. Neque ob ullam aliam rem, traditus tortoribus, & cruciatibus, atque deciesmille talenta reddere juſſus fuit, niſi quia & ipſe condonare non voluit: S. Chryſoſt. hom. quod nemo lædatur niſi à ſe ipſo. *Tantum malum eſt ultio, ut etiam DEI benignitatem revocaverit; & jam datam infinitorum peccatorum veniam fecerit irritam; quod non contigiſſet, ſi & ipſe conſervo centum denarios remiſiſſet.* Ideo 3. obſervarunt SS. Patres Chriſtum D. in hodierno Evangelio nil aliud nobis proponere, quàm quintam petitionem Orationis Dominicæ & ſuum præceptum de diligendis inimicis; quæ ipſe ore ſuo ſacroſancto per pulcram hiſtoriam vel parabolam clarius voluit declarare; hoc præcipuè, illos puniri, qui huic præcepto non obſequuntur. Memini me jam in variis concionibus multa de materia hac propoſuiſſe, & propoſiturum alias: unica me modo dicentem, Vocula, unica circumſtantia, Quis nempe hoc in mandatis dederit, morabitur. Vos de amore proximi loquentem, amicè viciſſim & benevolè audite.

§. 2. Ego dico vobis; magna emphaſis latet in vocula Ego.

Ad impletionem hujus præcepti, de condonatione injuriarū, & dilectione inimicorum, licet ardui, movere nos debet auctoritas Legislatoris; qui in hoc præcepto non eſt Licurgus

curgus aliquis, vel Plato; ſed ipſe DEUS, & Chriſtus Salvator noſter, qui propter infinitam ſuam auctoritatem, & dominium in omnes creaturas, hanc legem ferre potuit, & reipſa tulit his verbis: Luc. 10. 27. *Dictum eſt antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*: Ubi hæc vox, *Ego*, magnam habet emphaſim; *Ego*! qui ſummam in vos habeo poteſtatem, & ſummum jus; & conſequenter, qui poſſum vobis, quidlibet, quod non eſt malum, præcipere: *Ego*! cujus ſunt, qui vos offenderunt, & vos qui offenſi eſtis, & conſequenter uti vobis poſſum, prout mihi placuerit *Ego*, qui in vos non obedientes ſeveris poſſum ſuppliciis animadvertere, obedientes verò, ſummo præmio afficere; *Ego*! cujus gratia omnia pati debetis, & omnia facere, quæ volo. *Ego*, qui pro vobis tãta feci, & paſſus ſum; *Ego*! qui nihilominus inimicos dilexi, hoc præcipio, ut & vos invicem, etiam inimicos diligatis Hoc jubeo, hoc volo. Hoc deſidero, hoc mando; & non aliud. Hoc quod mihi offeretis, gratiſſimũ erit ſacrificium, hoc quod mihi adolebitis, ſuaviſſimũ thymiama, hoc quod mihi donabitis, munus acceptiſſimũ, Iſaiæ 51. v. 4. *Attendite ad me populus meus, & tribus mea, me audite: quia lex à me exiet.*

§. 3. *Satis eſt Chriſtum D. legem hanc tuliſſe, cujus*

Judicate an æquum ſit, tali Domino & tanto Legislatori obedire. S. Chryſoſtomus hom. 1. de diverſis. *Quod ſi cogitemus, quanta ſit auctoritas Dei jubentis, & Conditoris iſtius legis, ſatis ex eo: & abundè inſtructi & infinita admoniti fuerimus. Neque enim ea eſt aucto- nobis ipſis monita talia vobis offerimus, ritas. ſed ad Legislatorem vos omnes adducimus.* ad Chriſtum Dominum Deus hoc præcipit, Filius Dei jubet, O homo! vermicule terræ, tu quis es, qui reſpondeas Deo? & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit, quare Chriſtus hoc juſſerit, ut diligamus inimicos: ſatis eſt Chriſtum jubere, ſatis eſt, ſub gravi illum pœna præcipere; ſatis eſt, illum prohibere vindictam. Cogita Imperatorem ſuo exercitui legem ſtatuere, ut omnes cum inimicis in gratiam redeant, aut certè ſtatim capite plectantur, aut laqueo tollantur; quid putas? an non ad mutuam omnes reconciliationem properarent? Atrociores pœnas in hodierno Evangelio ponit Chriſtus Legislator: Ex ejus doctrina hæc ſequuntur, Matth. 5. v. 24. *Reconciliare fratri tuo, aut reus eris judicii: depone odium & rancorem, aut reus eris concilii? Ignoſce inimico, dilige etiam hoſtes tuos, aut reus eris gehennæ ignis.* Ex his pœnis, quas Legislator ſtatuit, alioquin tam ſuavis & mitis Dominus, cognoſcere poſſumus, eum ſeriò hanc de diligendis inimicis legem ſanxiſſe. Itaque Chriſtus Dominus Filius Dei hoc præcepit.

§. 4. *Affectuoſus locus ex Geneſi, de Ioſepho, etiã poſt mortem Patris condonante injuriam fratribus,*

Scimus ex libro Geneſis, Joſephum tenerrimo affectu, & cum lacrymis, fratribus ſuis condonaſſe graviſſimam injuriam, quam intulerant, per acerbum illud odium, intentatum homicidium, venditionem & ſervitutem. Omnia illis condonavit mitiſſimus Joſeph; & quam-

diu

diu Pater illorum Jacobus vixit, non fuerunt ſolliciti; mortuo patre inceperunt timere, & cogitare; Quid ſi frater noſter, tam potens in Ægypto, hactenus ſe ultus non ſit, in gratiam Patris, ne illum contriſtaret? quis ſcit, quid jam demum facturus ſit? In his anguſtiis acceſſerũt Joſephum, & cum magna demiſſione dixerunt cap. 50. v. 16. *Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerũt in te.* Quibus verbis commotus Joſeph, etiam poſt mortem parentis, ad fratres dixit; *Nolite timere: ego paſcam vos, & parvulos veſtros; conſolatusque eſt eos*, & blandè ac leniter eſt locutus. Vix ſine lacrymis affectuoſum hunc locum potui conſiderare. Audi mi Chriſtiane! negare non poſſum, te graviter læſum; non miror, te ſpirare vindictam; ſed Pater tuus, Salvator tuus? Pater tuus, qui tantis doloribus te genuit, antequam & pro te, & propter te iret in mortem: in inſtitutione Venerabilis Euchariſtiæ, per hoc Sacramentum Amoris, antequam deinde in cruce animam efflaret, tibi præcepit, & mihi jam in mandatis dedit, ut hæc tibi verbis illius dicerem; Obſecro, obliviſcere injuriæ fratris tui, obliviſcere malitiæ, quam hic vel ille in te commiſit; obſecro, depone odium; tuus Jeſus, paulò antequã moreretur, ſuo exemplo præivit, orans pro inimicis. Vult, præcipit, jubet, mandat, ut id facias.

§. 5. *Invecti-* Neſcio, an fallor? adeò mihi videntur occluſæ aliquorum aures, ut licet dicatur, Chriſtum Dominum ſtatuiſſe hanc legem, de diligendo inimico; licet dicatur ipſum antequam moreretur, talia præcepiſſe, tamen nolint audire: adeò indurata videntur eorundem corda in odio & rancore, adeò videntur ardere deſiderio vindictæ, & ſimulant ſe neſcire, quis ille ſit, qui talia præcipit, ut non intelligant, quis ſit ille mortuus in cruce. Cum his itaq; paulò clarius mihi agendum eſſe video. *Væ in illos qui Chriſtum D. præcipientem audire nolũt*

§. 6. *Ex S. Chryſ. hom. de ſimult.* Fecit id ante me S. Chryſoſtomus homilia de ſimult. Ubi hanc quæſtionem proponit: *Quis illud præcipit, ut obliviſcaris injuriæ fratrum?* & paucis ſed claris verbis reſpondet: *Dominus propter nos crucifixus!* Ut ipſe te reconciliaret Patri ſuo, non recuſavit pro te mori in cruce, & ſanguinem ſuum fundere, per quem reconciliatio fieri debuit; ſed hic idem Crucifixus te obſecrat, rogat, inſtat, urget, minatur, loquitur blandè & leniter, ut ignoſcas fratri tuo, hoc clamant ejus clavi, hoc clamat ſpinea corona, hoc clamat pretioſus ille ſanguis! & hæres, & luctaris: hoc Crucifixo negas? in præſentia Crucifixi adhuc ſpiras minas & vindictam: perge, reus es judicii, reus es gehennæ ignis, eò aliquando ligatis manibus & pedibus projicieris.

§. 7. *Ex S. Auguſt.* Premit hoc idem argumẽtum gravibus verbis S. Auguſtinus ſerm. 2. de S. Stephan. *Tu autẽ Chriſtiane quæris vindicari de adverſario tuo, qui tibi forſitan injuriam fecit, æſtuas, furis, anhelas, feſtinas ad ultionem! ſed atten-* de

de Chriſtum D. Medicum tuæ ægritudinis: attende an non propter te affixus in crucem? an non tua cauſa in infami ligno pependerit, an non tu illi maximam hanc intuliſti injuriam? an non tua ſcelera, tot ac tanta, toties repetita, divinam ejus patientiam læſerint, atque irritarint ad puniendum? Et quonam hactenus modo ſe de te ſceleſte vindicavit? benefaciendo; quo pacto tuis reſpondit furoribus? amando! Et tu ingratiſſime mortalium vindictam cogitas? tu meditaris ſuffocationem, carceres, & ſupplicia? tu tantum & talem Magiſtrum imitari recuſas? Ideo pati voluit, ut tibi patientiæ ſuæ demonſtraret exemplar. Vide pendentem, & tibi languenti de ſuo ſanguine medicamentum conficientem. Vide pendentem, & tibi de ligno, tanquam de tribunali præcipientem, atque precantem; Reconciliare fratri tuo, ignoſce inimicis, condona illatas injurias: aperi tandem aures cordis, & audi & intellige: aperi oculos tuos, & vide, agnoſce Dominus propter nos crucifixus præcipit, vult, jubet, ut diligamus inimicos.

§. 8. *Efficax ratio S. Pauli, ut ignoſcamus, ad Philem. c. 1. v. 10.*

Philemoni, ad quem S. Paulus ſcripſit epiſtolam, fuit quidam ſervus, qui hero multa furatus aufugerat, hujus culpæ deprecatorem egit S. Paulus his verbis cap. 1. v. 10. *Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, ſi habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me; ſi autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa: Ego Paulus ſcripſi mea manu, ego reddam: non dicam tibi, quod & te ipſum mihi debes.* Quæ verba expendens Sanct. Chryſoſtomus exclamat: *Quem lapidem iſta non flecterent, non emollirent. Quem, immanem licet belluam, non in manſuetudinem verterent?* Scripſit hæc S. Paulus, & perſuaſit. Et quibus ego ſuavioribus verbis te alloqui potero, miſer homo, qui foves odia, qui quæris ultionem, qui corde, oculis, ore, linguâ, vultu, armatâ dexterâ ſpiras vindictam. Audin' qui te offendit, qui te læſit, qui tibi debet centum denarios, eſt frater tuus, & Filius Jeſu Crucifixi; hic in cruce te & tuum debitorem genuit; pro illo obſecro, ut in gratiam Patris, ignoſcas. Si Chriſtum D. ſi Salvatorem tuum & Redemptorem deſideras habere pro ſocio, ſuſcipe inimicum, quaſi ipſe Filius Dei deſcenderet de cruce, & tibi occurreret, quaſi ipſe à te, per ſua vulnera peteret veniam. Si tibi frater tuus nocuit, ſi aliquid debet, Chriſto id imputa. Ipſe Jeſus ſuâ manu Cruci affixa, ſuo ſanguine tibi ſcribit; & ipſe vult reddere, ipſe tibi vult ſatisfacere, neque modo dicam, quid tu debeas Chriſto; quomodo tu illum offenderis, quomodo te totum illi debeas mille titulis. Proinde ignoſce. Lapis es, & lapide adhuc durior, ſi hæc te non flectunt, nō emolliunt: bellua es, ſi verba hæc dulciſſima furorem tuum in manſuetudinem non vertunt.

§. 9. *Proponitur ad hunc finē Chriſtus Crucifixus.*

Res mira contingere ſolet in duellis: qui lethaliter læſus eſt, dum ex vulnere videt effluentem cruorem, dum ſentit ſibi moriendum, plerumque ignoſcit inimico, à quo læſus eſt: tantum poteſt fluens ex lethali vulnere cruor, extinguit iras & odia. Ad-

es-

eſdum qui vindicari deſideras, aliud duellum tibi oſtendam. Amoris hinc, inde humanæ crudelitatis: inter te & tuum Salvatorem: tu, tu lethaliter illum læſiſti, tu per manus adegiſti clavos: ecce ſanguinis purpuram ex illis ſtillantem, tu, tu peccator, perterebraſti divinos pedes, tui hæc ſunt furoris ſymbola, & tamen parcit Jeſus, tamen veniam ultrò indulget, tamen clamat, Luc. 23. v. 34. *Ignoſce Pater, ignoſce!* ſed ut & tu ſimilem edas clamorem, ut & tu parcas, indulgeas, ignoſcas. Aſpice nunc benedictum Jeſu latus, en ut hiat in eo vulnus! en ut copioſè promanet roſeus ſanguis? ah! tu peccator, tu lanceam impuliſti cum Longino in hunc ſcopum, & tetigiſti, aperuiſti latus, & tamen ignoſcit Jeſus, tamen condonat, offert veniam, ſed ut tu vadas & facias ſimiliter, ut & tu tuis veniam offeras hoſtibus, ut condones, ut ignoſcas. Iterum tigris es, iterum ſaxum es, ſi neque hæc te flectunt, ſi neque hoc pretioſo ſanguine emolliris!

§. 10. *Minæ, in ill[o]s qui nolunt ignoſcere.* Sed age bellua! quæ ſanguinem inimici adeò ſitis: reſponde, quam Judici tuo aliquando afferes excuſationem, quod ignoſcere nolueris, quod nolueris dimittere centum denarios, ſive, leviſſimam injuriã. Deus ſive Chriſtus D. modis omnibus ad hoc te compulit. Minis! & quàm horrendis! videmus illas executioni datas in hodierno Evãgelio in miſero homine, qui tortoribus fuit traditus. Compellere te conatus fuit, mercede! & quanta? remiſſione graviſſimorum tuorum ſcelerum. Impulit te ſuo exemplo, & quàm illuſtri! in cruce orando pro inimicis. Compulit te ſuâ doctrinâ, quàm ſolidâ, quàm cœleſti! exhortatione, quàm vehementi! certè majores minas Legiſlator intentare non potuit, quàm negationem veniæ: neque enim parcet, niſi parcas, non dimittet, niſi dimittas, non ignoſcet, niſi ignoſcas. Quid memorem judicium? quid carceres? quid gehennam ignis; quid vincula? quid tortores? quid internas & externas pœnas? quid veniæ deſperationem? & ſatisfactionis rigorem? donec reddat uſque ad noviſſimum quadrantem, qui non veniet in omnem æternitatem. Tibi, tibi, ô miſerabilis homo, hæc omnia intendit Legiſlator præcepti, de diligendo inimico, niſi ignoſcas!

§. 11. *Merces, propoſita illis qui ignoſcunt.* Merces, cujus promiſſione ad legis hujus adimpletionem compellit, variis titulis eſt eximia: in hoc præcipuè: Graviſſimorum ſcelerum, pro quibus ſatisfacere deberemus ubertimis lacrymis, multis laboribus, & gravi pœnitentia, condonationem & veniam, obtinere poſſumus, parvæ injuriæ, condonatione, & cum ingenti fiducia, certiſſimæ remiſſionis, id affirmat S. Joannes ep. 1. c. 4. v. 13. *In hoc perfecta eſt Dei Caritas nobiſcum, ut fiduciam habeamus, in die judicii, quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo,* id eſt, ex mente S. Auguſtini, *qui imitamur illũ in excellentiſſima caritate, ut benefaciamus iis, qui oderunt nos.* Hinc ingens fiducia in die judicii. Cùm totus orbis contremiſcet, cùm cadent mõtes, cũ præ timore luminaria cœli eclipſin patientur, ille, qui ignovit inimico, ſtabit cum fiducia. Ille trepidan-

pidante toto terrarum orbe, ſtabit intrepidus; ille, aliis præ dolore rugientibus aut ululantibus, exultabit præ gaudio, ille aliis in triſtes gemitus ac lacrymas erumpentibus, deliciis affluet cœleſtibus; verbo, fiduciam habebit in die noviſſimo, cum alios horrenda mirum in modum exagitabit deſperatio.

§. 12. *Quam variis verbis cœleſtis Magiſter nobis propoſuerit, quomodo ſuo præcepto de diligendo inimico debeamus ſatisfacere.*

Doctrinam Chriſti quod attinet, quibus non modis nos erudiit, quomodo injuriam ferre, quomodo nos maledicta ſuperare oporteat. Si enim te oderit inimicus, juberis illum amare, & jubet Chriſtus D. Si putes te offenſum, *vade prior*, *& reconciliare.* Chriſtus D. hoc jubet. Si maledicit, tu benedicas: hæc eſt doctrina Chriſti. Si te perſequitur, tu pro illo funde orationem. Chriſtus jubet: & quod juſſit, in cruce fecit. Si inimicus rapiat tibi pallium, da ei tunicam. Si trahat te in judicium, ne litiges cum illo. Si ſit tibi adverſarius, conſentias cum illo. Quàm hæc omnia dura? quàm abhorrent à genio corruptæ naturæ: ſic eſt; ſed Chriſtus docuit, Chriſtus præcepit, & ipſe fecit: & ipſe vult, ut eadem facias. Si facias, ingens ſtatuit præmium, ſi non, grandia te manent ſupplicia. Ita Salvator tuus modis omnibus te convincit, ut ignoſcas, ut parcas, ut non quæras vindicari, ut non oderis, ut patiaris, ut prævenias, ut diligas, ut ames, ut ores, ut benedicas, ut benefacias, ut vincas in bono malum. Si verbis tam variis, tam ſuavibus, tã ſolidis, Chriſtus D. cor tuum caritatis flammis erga hoſtem tuum non accendat, nihil eſt reliquum, quàm ut æterno odio & æternis ignibus, ardeas in gehenna, ut æternùm ejuſdem flammæ tradaris tortoribus.

§. 13. *Auditores coram Crucifixo, omnium Auditorũ nomine ignoſcit omnibus inimicis.*

Non, non mi Jeſu! nos hoc momento, coram hoc crucifixo (ignoſcite mihi Auditores, quod hic Wormatiæ toties vos ducam ad hanc imaginem Crucifixi; ſpirat antiquam devotionem, & quoties tranſeo; tranſeo quotidiè ſæpius, ſentio peculiares motus) coram hoc Crucifixo, inquã, ignoſcimus omnibus inimicis, tuæ morti damus omnia. Clamat tuus ſanguis ut ignoſcamus, ignoſcimus. Clamat hoc corona tua ſpinea, ut veniam demus illis, à quibus offenſi ſumus, damus! Clamat hoc caput tuũ benedictum, ad approximantem jam mortem, inclinatum, ut vindictam poſthac non quæramus, non, nõ quæremus. Clamant hoc manuum tuarum, pedumque vulnera, ut condonemus injurias quaſcunq;, condonamus. Clamat hoc deniq; Cor tuum amantiſſimum, ut cordium noſtrorum amaritudinem felleam, in melleã amoris ſuavitatẽ cõmutamus, & ecce cõmutemus, mi Jeſu; amore tui ignoſcimus, parcimꝰ, veniã offerimus, vindictam excludimus, amorem inducimus, caritatem pollicemur; ut tu viciciſſim nobis parcas, nos diligas & æternùm ames, Amen.

CON-

CONCIO LII.

DOMINICA XXIII. POST SS. TRINIT.

Cujus eſt imago & ſuperſcriptio? Matth. 22. verſ. 20.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXtollit excellentiam animæ creatæ ad imaginem & ſimilitudinem Dei, præſertim ſi ornata ſit gratiâ.

§. 1. *Confudit Chriſtus Dn. Phariſæos & hypocritas.*

§. 2. *Anima hominis eſt liber Divinitate plenus.*

§. 3. *Variæ opiniones de eſſentia animæ rationalis.*

§. 4. *Opinio Chriſti & Chriſtianorum de eſſentia animæ.*

§. 5. *Anima eſt quoddam cœlum.*

§. 6 *Eſt gemma prétioſa.*

§. 7. *Pulchritudo animæ præfertur omnibus rebus pulchris.*

§. 8. *Chriſtus Dominus S. Catharinæ Senenſi in amabili viſione oſtendit animæ pulchritudinem.*

§. 9. *Non obeſt pulchritudini animæ, quòd ſit incluſa corpori.*

§. 10. *Fatetur David, Deum feciſſe animæ ſuæ magna.*

§. 11. *Chriſtus Dn. intellexit pretium alicujus animæ.*

§. 12. *Differentia inter imaginem & ſimilitudinem Dei.*

§. 13. *Declaratur ſimilibus.*

§. 14. *Elogia Hominis conſtituti in gratia.*

§. 15. *Alia ſublimior.*

§. 16. *Affectuoſus Epilogus.*

§. 1. *Confudit Chriſtus D. Phariſæos & hypocritas*

PHariſæos, Scribas & Herodianos, qui in hodierno Evangelio venerunt ad Chriſtum D. ut eum caperent in ſermone, diu ante videtur præmonuiſſe Spiritus S. per ſapientiſſimum Syraciden Eccleſiaſtici cap. 1. v. 36. *Ne acceſſeris ad illum duplici corde, ne fueris hypocryta, &c. ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ in honorationem, & revelet Deus abſconſa tua, & in medio Synagogæ elidat te, quoniam malitiosè acceſſiſti ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo & fallacia.* Qua intentione nominati, hodie Chriſtum D. acceſſerint, innuit ſacer textus, quod blandis & honorificis illum compellarint verbis, quod titulum & nomen acceptiſ-

 ſimum

Digitized by Google

ſimum obtulerint, *Magiſter*. q.d. alium doctorem excellentiorem non agnoſcimus: multi nos decipiunt, de te ſcimus, quod verax ſis, quod errare non poſſis: *Scimus quia à Deo veniſti Magiſter*: talia protulerunt lingua & ore: ſed corda erant plena dolo & fallacia, ideò Chriſtus Dominus aliàs illos vocavit, *progeniem adulteram*. Hoc agit adultera, maritum melleis alloquitur verbis, ſed cor eſt plenum felle & illicitis amoribus, ut illos tegat, ut virum decipiat, amica verba obtrudit, hoc in hodierno Evangelio fecit erga ſuum ſponſum, adultera ſynagoga. Videte ut duplici corde accedat, quali hypocriſi, quàm malitioſè, ſed revelavit illis Chriſtus abſcondita cordis, eliſit illos in præſentia plurimorum, confudit illos, cum ſumma inhonoratione, adeò ut ipſi capti ab illo, quem capere voluerant, magna cum ignominia recedere coacti fuerint: in nummiſmate cenſus, in quo erat imago Cæſaris, putarunt ſe piſcem capturos; ſed inſinuavit CHRISTUS Dominus varia eſſe nummiſmata & imagines, ideò quærit, cujus eſt imago & ſuperſcriptio? nummus enim eſt anima hominis, illa inquam anima, inſignita imagine DEI, qua poſt Deum ac Sanctos Cœlites nihil pulchrius, pretioſius, præſtantius. Hæc! uti nobilis, ita & utilis, ut ſpero, concionis meæ præſentis erit materia: vos ad eam excipiendam, animos diligenter comparate.

§. 2. Anima hominis, eſt liber Divinitate plenus, &c.

Viſibilis mundi hujus machina, cum omnibus creaturis, quas continet, judicio Triſmegiſti, *eſt quidam liber Divinitate plenus, & ſpeculum Divinorum*. Placuit hoc encomium mundi, S. Baſilio, qui deinde ſimiliter dixit, *Univerſa hac mundi moles, perinde eſt, ac liber quidam, palam prædicans DEI gloriam, illiuſque Auguſtiſſimam Majeſtatem*. S. Antonius interrogatus, qua ratione in eremo ſine libris, ſine hominum converſatione tempus conſumeret, reſpondit: *librum ſuum hunc mundum eſſe, in eo ſe legere multa mira & miranda, de Dei omnipotentia, ſapientia, bonitate, &c.* Nolo ego hac concione librum tam grandem ob oculos veſtros, ponere, ſed longè minorem; imo unicam tantum pagellam, cui titulus eſt, *Anima hominis*, creata ad ſimilitudinem Dei: Verba pauciſſima, ſed plena Divinorum. Unica pagella hæc admirabili modo prædicat Dei gloriam, illiuſq; auguſtiſſimam Majeſtatem, Attendite, unicus hic titulus, Anima hominis ad imaginem Dei creata, mira, admiranda nobis proponit de Dei omnipotentia, ſapientia, bonitate & reliquis attributis.

§. 3. Variæ opiniones de eſſentia Animæ rationalis

Primum indagare oportet: Quid ſit hæc Anima? poſtquam gentilium narravero opiniones, veram & Chriſtianam de animæ humanæ eſſentia vobis proponam. Deſipuit Democritus cum ſuis, qui dixit animam eſſe ſubſtantiam compoſitam, ex atomis. Erravit Empedocles, cui placuit illam eſſe ſuſtantiam compoſitam ex quatuor elementis, igne, aëre, aqua, & terra, cum pulcherrima quâdam concordia, harmonia & proportione, ſubtilius & altius aſſurrexit Heraclitus, qui docuit animam

mam eſſe quintam quandam eſſentiam, ſtellarum, virtute divinæ omnipotentiæ, per ignem immenſæ caritatis ſuæ extractam: *eſt ſcintilla* (inquit) *ſtellaris eſſentiæ, quia ex ſua, origine, ab ipſo Deo eſt ſolummodo creata*: Seneca, ad rationis limites, propius adhuc accedens, docuit, Animam eſſe Spiritum quendam, intellectualem, ad molem humani corporis vivificandam, ordinatum; addit, *ſpiritus hic ad beatitudinem in ſe & in corpore eſt ordinatus.* Pythagoras illam appellavit harmoniam corporis: *quia anima ipſum regit, & movet ſine tædio, ſine labore, cum quadam conſonantia, & temperamento corpori accommodato.* Definitio Ariſtotelis nota eſt in ſcholis. Diogenes exiſtimavit, animam eſſe quandam ſpeciem ſubtiliſſimi aëris, *ſicut enim*, ait, *homo ſine hoc reſpirare & vivere non poteſt, ſic neque ſine anima valet ſubſiſtere.* Hippocrates credidit, Animam eſſe ſubtiliſſimum ſpiritum, & delicatiſſimum, qui ad motum in omnibus humani corporis membris, excitandum ſit diffuſus & diſperſus. Denique aliis Anima eſt quoddam exemplar omnium rerum, quod in ſe habeat omnium rerum ſimilitudines; eò quod potens eſt anima facere per intellectum agentem. Inhæreo nimis diu opinionibus horum Philoſophorum.

§. 4. *Opinio Chriſti. & Chriſtianorũ de eſſentia Animæ.*

Chriſtianè S. Iſidorus 11. Ethym. *Anima dum vivificat corpus, anima eſt, dum vult, animus eſt, dum ſcit, mens eſt, dum recolit, memoria eſt: dum rectum judicat, ratio eſt: dum ſpirat, Spiritus eſt*: Præ omnibus placere nobis debet doctrina Chriſti Domini Salvatoris noſtri, qui ut excellentiam animæ nobis proponeret, more ſuo uſus fuit variis parabolis. Inter alias, animam appellavit *gemmam, monile, theſaurum* inæſtimabilis valoris: aut *monetam* auream magni pretii, in qua, (ut literaliter & myſticè innuitur in hodierno Evangelio) magni Principis DEI noſtri Unius in eſſentia, Trini in Perſonis, imago exſculpta & impreſſa exprimitur. Lucæ 15. c. v. 9. hanc monetam vocat drachmam, *Inveni drachmam quam perdideram.* Super quæ verba Sanctus Ambroſius l. 6. in cap. 15. Lucæ ait: *non mediocris hæc drachma eſt, in qua Principis eſt figura: Drachma ſumus, habeamus pretium.* Quod pretium Sanctus Bernardus conſiderans in hæc erupit verba, admiratione plena in ſuis medit. *O Anima inſignita DEI imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata in fide, dotata in ſpiritu, redempta ſanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, heres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne, qua haud vilius ſterquilinium reperiſti.*

§. 5. *Anima eſt quoddam cœlum.*

Imò cœlum quoddam eſt anima, habet enim intellectum, qui ſol quidam eſt: habet fidem, quæ eſt luna: habet ſtellas, quæ ſunt virtutes; habet ſuos influxus in membra corporis, veluti globi cœleſtes in hæc ſublunaria: In hoc S. Aug. advertit differentiam, quod anima ſit ſubſtantia incorporea, immortalis, ſpiritualis, in quibus perfe-

fectionibus ſuperat excellentiam cœli; quod & animata ſit, præ illo, & omnibus aliis creaturis, *ſit DEO ſimillima, imaginem habens Creatoris ſui.*

§. 5. *Eſt gemma pretioſa.* Pyrrhus in regio annulo habuit gemmam, cui mirabili artificio inſculpta fuit imago Apollinis inter novem Muſas, cum ſua cythara. In theſauro Venetorum oſtenditur Achates, in quo ipſa natura depinxit imaginem capitis regii, cum aurea corona. Vidi ego in Hiſpania in templo Burgenſi ingentem Jaſpidem, in quo venæ, maculæ, ſtriæ, lineæ lapidis, ex diverſiſſimis coloribus ſpectantium oculis repræſentant armatum militem. Genuæ in altari Eccleſiæ Domus Profeſſæ ſocietatis JESU, ſimiles jaſpides referunt amœnas urbes. Phidias celeberrimus ſculptor in fruſto eboris ad vivum efformavit Jovem Olympicum: Nihil dicam de imaginibus Regum Hiſpaniæ, Galliæ, &c. quæ hodie funduntur ex auro, argento, aliiſque metallis, & gemmis adeo ornantur, ut unicus talis nummus gratiæ, ut vocant, æſtimetur multis millibus imperialium. Pretioſiſſimis limbis ex variis gemmis etiam includuntur ſpecula, ut ſpectatores & inſpectores, rapiant in admirationem. Sed repeto ego verba S. Bern. *O quantò pretioſior, & pulchrior gemma! quanto elegantior imago: quantò lucidius ſpeculum eſt anima hominis: decorata imagine Dei, ornata gemmis virtutum, irradiata luce gratiæ, illuſtrata radiis donorum Spiritus S. redempta & lota in ſanguine Chriſti, capax beatitudinis, filia Altiſſimi*: Ad pedes imaginis Jovis, ſcripſit ſculptor, *Phidias Carmidæ filius, Athenienſis me fecit*; Prothogenes ſubſcripſit ſtatuæ Veneris, *Prothogenes fecit*; Animæ hominis hæc verba, veluti candidæ ceræ ſunt impreſſa, DEUS fecit: Filius DEI renovavit: Spiritus Sanctus ornavit: Anima eſt imago Sanctiſſimæ Trinitatis.

§. 7. *Pulcritudo animæ præfertur omnibus rebus pulchris.* Proinde, *Omni corpori* (S. Auguſtinus l. 8. de Civit. Dei c. 15. dicam ego, omni gemmæ, omni picturæ,) *præferatur Anima*: Proinde (Chryſippus in libro de cont. mundi) *Quantò cœlum terra pulchrius, tantò animæ pulchritudo, omnem formam quamvis pulcherrimam ſuperat: Si fieri poſſet, ut corporalibus oculis animæ pulchritudinem videremus, derideremus omnia hæc, quæ ex terrena ſubſtantia decora eſſe videntur.* Jam vos cogitetis velim, atque ex hoc viri doctiſſimi diſcurſu, concludatis, quantam eſſe animæ præſtantiam neceſſe ſit, quæ & cœleſtium globorum pulchritudinem antecellat. Hinc ſi lucidas illas cœli faces ſuſpicimus cum admiratione: magis ſuſpiciamus rationalis animæ vires doteſque, ceu ſtellas fulgidiſſimas: ſi in cœlo celeres motus, ſi magnitudinem, ſi ordinem, ſi denique Regem Solem amamus, magis amemus animæ potentias, velocitatem, claritatem, pulchritudinem, intellectum, voluntatem, memoriam.

§. 8. *Chriſtus D. S. Catharinæ* S. Catharinæ Senenſi Cœleſtis ſponſus, oſtendit in extaſi animam quandam beatam, non conſpicuam tantùm auro, argento & gemmis, ſed

Senenſi. in amabili viſione oſtendit animæ pulchritudinem. ſed in cãdidiſſima abyſſo gratiæ, vivacibus pretioſi Sanguinis Chriſti coloribus, depictam: coronatam non liliis, roſis & floribus tantùm, ſed immortali gloria, ſtipatam innumerabili Angelorum numero; *qua viſa*, ait Hiſtoria vitæ, *ejus mira dulcedine fermè defecit, & in amabili deliquio ſponſum, ſic alloqui auſa fuit: O mi cœleſtis Amor! non jam miror, quod amarum calicem Paſſionis biberis, quod tormentorum atrocitatem, quod flagellorum ſeveritatem, quod ſpinarum puncturas, quod vulnerum in Cruce inflictorum acerbitatẽ, animo tam prompto ſuſtinueris; ſiquidem propoſitum tibi habuiſti lucrum animarum: dolorum & laborum tuorum digniſſimum pretiũ & præmium, & glorioſum trophæum.* Ceſſet jam admiratio & ſtupor! nunquã amplius admirabor; pretium etenim gemmarum, valorem auget.

§. 9. *Non obeſt.* Quod anima tam pulcra & nobilis luteo incluſa ſit corpori, excellentiæ ejus non obeſt. Aurum licet ex terrâ ſit progenitum, tamen radii ſolis ea virtute ſunt præditi, ut illud in nobiliſſimum transvertant metallum: Sic homo terra & pulvis eſt, per gratiam tamen cœleſtem, & ſimilitudinem cum Deo, ita transformatur, ut ſubſtantia ſit excellentiſſima, & tanti valoris, ut S. Euſebius dixerit hom. 6. de paſch. *Video DEUM tranſiſſe in pretium meum, quandoquidem tam copioſo munere ipſa redemptio agitur, ut homo DEUM videatur.* Dignitas hominis ſufficienter explicari non poteſt.

§. 10. *Fatetur David, Deum feciſſe animæ ſuæ magna.* Poſtquam regius Pſaltes Pſ. 65. invitaſſet terram, fluvios, maria, &c. ad laudem dicendam Domino, & pſallendum, jubilandum, ait, verſ. 16. *Venite, audite, & narrabo.* Interloquitur hoc S. Auguſtinus. *Sed quid eſt narraturus? an forte, quantum pateat terra, quantum diſtendatur cœlum, & quot ſunt ſidera, & quæ ſunt vices ſolis & lunæ?* magna & miranda hæc ſunt, ſed majora ait David ſe narraturum; ſcilicet, *quanta fecit animæ meæ.* Et quæ ſunt illa magna? hæc in particulari David non enumerat; ſed ſi mentem ej⁹ perſpicere velimus, recurrere oportet ad Sanctum Lucam, qui c. 1. v. 51. ait de B. Virgine, quod, quãprimùm audivit ſuas laudes ex ore Eliſabethæ prolatas, *Benedicta tu in mulieribus*, mox illa dixit, *Fecit mihi magna qui potens eſt*: Alii legunt, *Magnalia*: alii, *Mirabilia*. Sed quænam illa eſſent, diſtinctè explicare non potuit: Cajetanus; *magna, magnalia, mirabila! hæc tanquam inexplicabilia, ſingulatim hoc unico nomine cuncta comprehendit.* Itaque David his verbis, *quanta fecit animæ meæ*, dicere voluit: Nulla invenitur lingua creata, quæ enumerare poſſit, quanta ſit excellentia animæ, quæ creata ſit ad imaginem & ſimilitudinem ſui Creatoris.

§. 11. *Chriſtus D. intellexit pretiũ alicujus Animæ.* Solus Chriſtus D. Filius DEI agnovit animæ valorem & pretium: ut advertit Sanctus Bernardinus Senenſis de dign. animæ ſer. 51. c. 1. *Magno quidem pretio æſtimata es, ô Anima! pro qua requirenda, à ſummo cœlorum, DEI Filius deſcendit, in Uterũ Virginis. Ergo magna res, es anima mea! pro qua redimenda DEUS in mundum deſcendere dignatus eſt.* Addit Ludolphus

Carthus. p. 2. c. 7. *Non deſtitit quærere, donec invenit; quæſivit enim uſq; ad cõtumelias, uſq; ad flagella, uſque ad mortem, uſq; etiam ad inferna.* Chriſtus D. ſcivit, quanta ſit excellentia, animam hominis eſſe creatam ad imaginem Creatoris.

§. 12. *Differẽtia inter imaginem, & ſimilitudinem DEI.* Aliquid hic occurrit obſervatione digniſſimum. An ſcilicet imago & ſimilitudo, idem ſint, & idem planè ſignificent: Ita putarunt P. Pererius, Cornelius à Lapide, & alii. Plures, inter illos S. Thomas, hanc præpuè differentiam adverterunt: *Imago attenditur, quantum ad naturalia:* hoc ſenſu omnis anima, ſive juſti, ſive impii eſt imago DEI; neque enim, etiam per peccata mortalia naturalis illa imago in homine deſtruitur. *Similitudo verò conſideratur, quantam ad gratuita, & ſupernaturalia*; quã ſimilitudinem faciunt gratia, amor DEI, virtutes & alia chariſmata Spiritus S. ſine quibus imago DEI naturalis in homine, valde eſt imperfecta.

§. 13. *Declaratur ſimilibus.* De quodam annulo, gemmâ ſuâ deſtituto, quidam dixit; *Deeſt id, quod melius eſt*: idem plane dicendum eſt de animâ, in quâ quidem invenitur naturalis Dei imago, ſed ſi non adſit gratia, deeſt illi, quod melius eſt: Deeſt fortaſſis Amor Dei? Deeſt, quod melius eſt; utrumq; debet conjungi, imago cum ſimilitudine. Ex alio ſimili idem poſſumus cognoſcere, Pſ. 44. v. 1. David Animã deſcribit veluti Reginam, coronatam & indutam veſtitu deaurato & variegato, id eſt, ait S. Baſilius, perfectiſſimam, *ineſſe natura, ineſſe gloriæ.* Si itaque contingat per peccatum mortale tolli coronam gratiæ, ſi laceretur veſtis nuptialis caritatis & innocentiæ; regina manet anima, ſed nuda, ſed lacera, ſed captiva, turpis & deformis: Deſunt illi meliora.

Si vero illa in homine reperiantur, & imago, & ſimilitudo Dei, non miror viros doctiſſimos & ſanctiſſimos tam ſublimia illi tribuiſſe elogia: S. Epiphanius hominem in gratiâ conſtitutum appellavit, *Opus ſingulare divinæ ſapientiæ.* S. Hilarius, *Divinarum manuum artificioſam picturam*; S. Hieronymus, *Rempublicam bene ordinatã.* S. Cyprianus, *Perfectum viventiũ gubernatorem.* S. Gregorius M. *Omnium creaturarum compendium:* Dion. Areopagita, *Terræ Dominum.* S. Chryſoſtomus; *Dominatorem ferarum.* S. Baſilius, *ad imperia natum:* Ariſtoteles, *Finem omnium rerum:* S. Auguſtinus, *Maximum omnium prodigiorum.* Mercurius Triſmegiſtus, *Miraculum magnum*, Favorinus; *Nil in terris magnum præter hominem.* Pythagorici dixerunt hominem, *divinam quandam mentem, terrenis vinculis alligatã.* Platoni homo eſt *parvus mundus.* Quæ omnia & plura ſimilia ſecum trahit imago, & ſimilitudo DEI; ad quam anima hominis eſt creata. Sublimiora adhuc hæc ſunt. §. 14. *Elogia hominis conſtituti in gratia.*

Deus eſt vita, anima eſt vita: Deus eſt immortalis, anima eſt imortalis: Deus eſt Spiritus, anima eſt Spiritus. Deus eſt ſapientia & beatitudo, utriuſque capax eſt anima. Nyſſenus in Exam. *Homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt, & capax eſt omnis boni, divinitatis & plenitudinis, &c.* Summum eſt, quod anima ſit ſimilis DEO, §. 15. *Alia elogia ſubliniora.*

DEO, in unitate eſſentiæ, & Trinitate Perſonarum, S. Ambr. *Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. eſt, ſed unus Deus; tres habens Perſonas: ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in uno corpore, ſed una anima tres habẽs potentias.*

§.16. *Affectuoſus Epilogus.* Sed hunc de excellentiâ animæ diſcurſum tandẽ finire cogor verbis S. Leonis Ser. de Nat. *Agnoſce, ô Homo, dignitatẽ tuam, & conſidera, quod divinæ conſors ſis factus naturæ. Si verò non agnoſcas te, ô pulcherrima, egredere & abi poſt veſtigia gregum tuorum.* Cant. 1. v. 7. ſi dignitatem tuam agnoſcas, abi, perge, & diabolo vende pro modicâ voluptate animã tuam, quæ Dei imagine eſt decorata. Abi, vende animam, quæ pretio Chriſti ſanguine redempta eſt. Vẽde animam! cujus pretio cœlum ipſum vix ſufficit: Animã! cujus nobilitati omnium Regum ſtemmata, , omnes majorum ceræ ac purpuræ, cedunt. Vende animam! cujus pretium ſolus atq; unicus Deus eſt, pretium utique infinitum. Abi, vende animam! pro modico, ut æternis crucieris ignibus: pro modico lucro, ut perennis gloriæ facias jacturam. Vende animam! ſed antequam vendas, cogita, à quo, & ad quid fuerit condita, cogita in quem finem educta ex nihilo, cogita deniq; , quem in uſum ad imaginem ipſius Dei fuerit fabricata.

CONCIO LIII.

DOMINICA XXIV. POST SS. TRINIT.

Confide filia; Matth. 9. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit aliqua fundamenta veræ conſolationis in tribulatione & adverſitatibus.

§. 1. *Miſeria vitæ humanæ.*

§. 2. *Primum fundamentum veri ſolatii, eſt Fides, de DEI Providentia, quâ omnia fiunt.*

§. 3. *Alterum fundamentum ſumitur ex verbis Chriſti, cap. 6. Matth.* ſcit Pater veſter, *&c.*

§. 4. *Tertium fundamentum Chriſtus Dominus eſt, qui nos reddit ſecuros de Dei Providentia & amore.*

§. 5. *Aurea lectio, à Chriſto Domino tradita S. Catharinæ Senenſi.*

§. 6. *Apoſtrophe ad Auditores, ut fidant DEO & Chriſto Domino Omnipotentiſſimo, ſapientiſſimo, Optimo.*

§. 7. *Eodem amore, quo DEUS hominem condidit, & Chriſtus Dominus redemit, eundem conſervant, & gubernant.*

§ 8. *Dum Chriſtus Dom. adverſitatem immittit; ſuã oſtendit benevolentiã.*

§. 9. *Tribulationes ſunt theſauri.*

§. 10. *Per tribulationes reddimur ſimiles Imagini Chriſti.*

§. 11. *Non poſſumus quieſcere, niſi nos perfectè Deo ſubjiciamus.*

§. 12. *In quo conſiſtet perfectio hominis Chriſtiani, exemplo Chriſti.*

§. 13. *Summa Chriſti D. lætitia, etiam in Cruce fuit, perficere Voluntatem Patris.*

§. 14. *Epilogus monet, ut ſimili medio quæramus veram conſolationem.*

§. 1. *Miſeria vitæ humanæ.*

VItam noſtram in hoc mundo, volui dicere, in hac valle lacrymarum, eleganter deſcripſit Boëtius de conſol. Proſa 9 *Quis eſt tam compoſitæ felicitatis, ut non aliqua ex parte, cum ſtatus ſui qualitate rixetur? anxia enim eſt humanorũ conditio bonorum, & quæ vel nunquam tota proveniat, vel nunquam perpetuò ſubſiſtat: hunc nobilitas notũ facit, ſed anguſtia rei familiaris incluſus, eſſe mallet ignotus: ille nuptiis felix, orbus liberis, alieno cenſum nutrit heredi, alius filii deſectus mœſtus illacrymat.* Pulcrè! Vix eſt ullus, qui non habeat cauſam lacrymandi. Voluit Deus hunc mundũ cum omnibus opibus & divitiis, voluptatibus & honoribus, etiam Regibus amarũ exiſtere. Hinc B. Petrus Dam. l. 7. ep ad Agnetem Imperatricem: *Nunquid & ipſis Regibus, à quibus mundus iſte diligitur, & quibus copioſa fraude blanditur, non quantocyus in amaritudinem vertitur? ut nimirum hodie, qui ex hoſtibus ſignare oportet, triumphalis eũ gloriæ pompa præcedat, & cras illum ignobiliter terga vertentẽ hoſtilis mucro trãsfodiat?* Sic ſuas larvas mutat fallax mundus, neq; tantùm erga Reges & Magnates, ſed pleroſque. *Quis eſt*, inquit idem Petrus Damaſcenus, *quis eſt, cui fortuna non ſe transferat, & modò de adverſis in proſpera, modò de proſperis in adverſa, ſcenica ſe varietate convertat.* Et miramur, hominem naturaliter eſſe ſollicitum, ut in hoc fortunæ luſu, in tanta caſuum varietate, certũ & fixum quærat ſolatium? Hæc cauſa eſt, quod in hodierno Evangelio, Mater ex gravi morbo filiæ afflicta, confugerit ad Chriſtum, auxilium quæſitum. Suaviſſima Chriſti verba, quibus triſtem filiam fuit allocutus, *Confide filia*, pulcherrima continent fundamenta veræ conſolationis; ob quas adverſitates & ſiniſtros caſus omnes, in pace & quiete de manu Domini debemus ſuſcipere. In hoc mundo ſine cruce vivere nulli licet, ſed confidite Auditores, loquar vobis verba conſolatione plena, neque dubito, quin me benevolè ad conſolationẽ veſtrã dicentẽ, benevolis pariter animis ſitis audituri.

§. 2. *Primum fundamẽtum veri ſolatii, Fides, de Dei Prov. vid. quã omnia ſunt.*

Vir magnæ ſãctitatis, de quo ea fuit S. Thereſiæ revelatio, non vixiſſe tum temporis hominem in terris ſanctiorem, is inquam, perſonæ piæ, ſed valdè afflictæ, atque in magnis doloribus corporis, animiq; anxietatibus & deſolationibus conſtitutæ, quæ mox ſubjiciã, fundamenta cõſolationis

lationis, & perfectæ in manus Dei reſignationis reliquit. Nimirum vir ſanctus, ipſe experientia didicerat, quid eſſet tribulari, v. g. ægrotare, pati perſecutiones, injurias, dolores, &c. ex qua experientia deduxit monita & conſilia, quæ & aliis impertiit. Primum ſumpſit ex S. Dorotheo, ut ſcilicet fides noſtra valdè excitetur ad apprehendendum, quòd nullus in rebus humanis eventus, adeò ingratus, triſtis & tragicus evenire nobis poſſit, abſque Providentia Divina, ubi verò hæc eſt, adeſt quoq; omne bonum, omniaque ab illa ordinantur ad Dei gloriam, & animarum noſtrarum ſalutem. Paupertas, v. g. res eſt valdè ingrata ei; qui illam patitur; ſed conjuncta cum Dei providentia, magno eſt ſolatio, & via, vel medium infallibile conſequendi ſalutem. Quod alii tui obliviſcantur, quod contemptui te habeant, quod res tuæ, tua negotia, ſtudia, actiones, omnium incurrant cenſuram & reprehenſionem, magna eſt fateor preſſura, omnia tamen hæc, ſub directione ac Providentia Dei, magnum procul dubio theſaurum continent ei, qui ſcit in tuto illum collocare. Idem ſentiendum de morbis, idem de alia quavis tribulatione. Sed eja filia, ſi de Deo tuo, ſi de piiſſimo Christo Salvatore, hanc habes fidem, *Confide.* Fides hæc, in afflictis, magnam generat conſolationem, ut mox patebit.

§. 3. *Alterum fundamentum ſumitur* Modò intelligamus, ſecundò, expedire & neceſſe eſſe, valdè benè perſpecta habere verba Chriſti Domini, quibus æterni ſui Patris erga nos providentiā declarat, cordib. noſtris planè infixa illa eſſe oportet, tanquam certa pignora divini erga nos amoris, curæ atque ſollicitudinis: facillimè enim ex illis deducemus, quid nobis faciendum ſit, ſi qua nobis incumbit tribulatio. Dicit itaq; Chriſtus D. apud S. Matth. c. 6. 8. *Scit Pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum: nec ſolliciti ſitis dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur; hæc enim omnia gentes inquirunt, ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Perpendens hæc verba, ſemetipſum quodammodo diſcutiat, & ex ſollicitudine, quam gerit ipſe erga rem aliquam amatam, v. g. Mater ega filium, conjiciat, quàm perfectè hæc cura inſit Deo erga ſuos, quos tanto amore proſequitur; ex quo principio, jubet S. Petrus ep. 1. c. 5. v. 7. *Omnem ſollicitudinem veſtram projicite in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Itaque eja, filia, reſume quos abjeciſti animos. Confide in Deo Jeſu tuo, nam ſi te premit inopia, ille eam ſcit, & dives eſt, qui te quoque divitem facere poteſt, & vult. Si te cruciant injuriæ, ille eas ſcit, & benignus eſt, ut ad illum ſolatii causâ confugere poſſis: Pater eſt! Si corporis ægritudo te dejicit, iterum confide, medicum habes, cujus pharmaca amore cœleſti condita, certiſſimam tibi ſalutem, tam mentis, quàm corporis pollicentur. Quid eſt ergo, quòd aliqua te moleſtia deprimat? quid eſt, quòd anxia ſuſpiras? Confide & ſpera in Deo ſalutari tuo.

ex verbis Chriſti c. 6. S. Math Scit Pater veſter, &c

Digitized by Google

§. 4.
Tertium fundamentum Chriſtus D. eſt, qui nos reddit ſecuros de Dei providentia & amore.

Tertium eſt, ut conſideremus eum, qui ſecuros nos reddit de hac æterna Patris erga nos providentia, non eſſe quemcunque hominem, ſed ipſummet ejus Filium naturalem, Chriſtum Dominum ac Redemptorem noſtrum; qui optimè novit, quid in Patris, & ſuo pectore lateat, quæ cura, quis amor, (conetur Concionator, ut hæc proferat cum tenero affectu) illudque nobis ad magnum noſtrum ſolatium manifeſtat 1.c.v.18. S. Joannis, *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Eja filia, ne mireris, ſponſum tuum cœleſtem ſubinde tibi offerre ex faſciculo myrrhæ aliquot ramuſculos, v. g. aliquas ſpinas de ſpinea corona; aliquot particulas de ſancta cruce, &c. qui offert eſt Filius Dei, eſt Redemptor tuus, qui ſcit, in pectore Patris, & in ſuo benedicto corde, latere hanc voluntatem, quâ vult, te has ſpinas ſentire, & ſcit tibi expedire, & faciet, ut fructus vel roſæ creſcant ex illis ſpinis: attende tu modo; porrige illi aures cordis tui, qui eſt in ſinu Patris, tibi enarrabit, placere Divinæ Providentiæ, ut hæc patiaris, & illi paternæ Providentiæ conjuncta eſt magna cura, quâ de te eſt ſollicitus. Filia! non ſcio in particulari tuam crucem; an ſit aliquis forſitan ramus vel bacillus ex virgis tui ſponſi; an ſit aliquis ex clavis, an particula de columna, quidquid ſit, tuus Redemptor, Filius Dei, tibi promiſit, habes ejus verba; Patrem cœleſtem, & velle te hoc pati, & ſimul eſſe ſollicitum, eſſe illi de te curam, ut omnia tibi ad ſalutem expediant. Confide; Jeſus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe talia enarravit.

§. 5.
Aurea lectio à Chriſto D. tradita S. Catharinæ Senenſi.

In vita S. Catharinæ Senenſis, auream & ſuaviſſimam invenio lectionem, ipſiuſmet Chriſti Domini ad ſanctiſſimam illam Virginem, in quadam apparitione, ut illa ſciret, in bonitate ſentire de variis eventibus, quæ in rebus omnibus uſu veniunt, tanquam à ſua Providentia conſtitutis, directis atque ordinatis: atque ut ex iis conſolationem & profectum acquireret. *Adverte primò*, ait Chriſtus Dom. *adverte filia, me tuum glorioſiſſimum Dominum, qui te, ut beatitudine mea aliquando perfruaris, condidi, adeo eſſe potentem, ut nihil in mundo agatur, quod non ſit à me ita præſcriptum aut permiſſum, ut ita eveniat. 2. Ego Deus tuus ſapientia ſum altiſſima, cui nulla res abſconditur, neq; eſt extra meam Providentiam, ita ut à nulla calliditate & aſtutia decipi, nec ullo errore perturbari poſſim. Et ut aliquid intelligas, de mea Sapientia vi, ſcias me ex malo culpa & pœna, majus educere bonum, quàm fuerit ipſum malum. 3. Hæc vellem, ut cogites, tibiq; perſuadeas, me Deum tuum non minus eſſe bonum, quàm potentem & ſapientem, ac proinde non poſſe velle, niſi quod tibi, aliiſq; eſt bonum, utile ac ſalutare, nec aliquid mali à me prodire poſſe, & quemadmodum liberè hominem condidi, ita inæſtimabiliter eum diligo. Ex quibus intelliges tribulationes, opprobria, cruciatus, & reliqua omnia adverſa, nullam aliam ob cauſam, me ita diſponente, evenire, niſi in veſtram utilitatem, ita ut per idem, quod vobis malum videtur, corrigamini, & ad virtutem ducamini, quæ ad verum & ſupremum bonum vobis ignotum*

tum pervenitur. Hinc etiam intelliges, me Deum tuum, ſcire poſſe, velle bonum tuum; plus quàm tu ſcias, poſſis & velis. Hanc lectionem Chriſtus D. S. Catharinæ, & in ea mihi, omnibusque perlegit.

§. 6. *Apoſtrophe ad Audit. ut fidant Deo & Chriſto D. Omnipotenti, ſapientiſſ. optimo.*

Ex eadem omnes advertent, quàm meritò ex hodierno Evangelio cuivis dicam, *Confide filia, confide fili!* Redemptor tuus eſt glorioſiſſimus ille Rex & potentiſſimus idem & ſapientiſſimus, *confide*: Scit, quid & quare permittat. *Confide*, idem eſt ſanctus, imò ſanctitas & bonitas ipſa; quid ab ea metuis ſiniſtri? *confide*, atque à tali Redemptore, nil niſi ſalutis pretium; à ſapientia nil niſi conſilia vitæ æternæ; à potentia nil niſi auxilium, à ſanctitate & bonitate, nil niſi animæ beatitudinem expecta. Quid mali formidas? ſi vis, nil tibi unquam mali eveniet: qua enim ratione malum dici poteſt id, quod à tam liberali, tam ſapienti, tam benefico, tam bono Deo proficiſcitur. *Confide filia*; qui te fecit, eſt tui amantiſſimus, eſt Sponſus, eſt Pater; ſi vulnera infligit, non ſunt vulnera ad mortem, ſed vitam: ſi adverſitates immittat, immittit nuntios felicitatis æternæ: *Confide filia, confide.*

§. 7. *Eodem amore, quo Deus hominẽ condidit, & Chriſtus D. redemit, eundem conſervant, & gubernant.*

S. Gertrudis in extaſi divinitus fuit edocta, Deum Dominum noſtrum, qui eſt ſumma bonitas, eodem amore, quo hominem condidit (addere poſſumus, quo redemit) diſpenſare ac diſponere, quæcunque illi immittit, tam adverſa, quàm proſpera, in utriſque reſpiciens majus noſtrum bonum. Unde ſequitur nos in omnibus, regulâ adeò infallibili, ita nos gubernare debere, ut illa Dei Providentia, amor & voluntas, & cura circa nos, ſit nobis quaſi centrum, in quo cum ſumma pace & tranquillitate quieſcamus. Si hanc ſtellam, tanquam polum ſequamur, ex omnibus calamitatibus feliciter licebit enavigare. Poſitâ hâc fide, circa Dei erga nos curam & providentiam, omnes illos eventus, quos cæcus mundus, infelicitates, infortunia & onera, appellat, ea nos talia non judiciabimus, ſed Dei ſtudia, & favores Chriſti Jeſu in nos reputabimus; & quidem eò majores, quo illa fuerint graviora.

§. 8. *Dũ Chriſtus D adverſitatẽ permittit, oſtendit ſuam benevolentiam.*

Preſſura tua, mi homo, non eſt abjectio benevolentiæ Dei, ſed ejus dulcedinis amplexus, qui eò majori debet eſſe conſolationi, quò ſtrictior eſt & compreſſior, per ærumnam majorem quo majori patientiâ, quo majori ſtudio, crucem tuam toleras, eò majori amore & dulcedine te ſponſus tuus amplectitur. Confide ergo filia, dum pateris, hæres in amplexibus tui Sponſi & Salvatoris. Amarus tibi videtur calix tuæ Paſſionis, nihilominus à dulcedine Dei præparatur; ſic creſcat tua ærumna, creſcat & tua patientia, & confide; nam eidem S. Gertrudi faſſus fuit Chriſtus Salvator (nota verba ſponſi ſuaviſſima) quod pietas amoris ſui, quo animarum ſalutem deſiderat, ipſum cogat, ut tribulationes permittat. O verba cordialis conſolationis! ah filia! es deſolata? amor, quo Jeſus te amat, ipſum cogit, ut hâc preſſurâ te premat. Quid obſecro quereris? quid animi tui impatientiam, imprudens oſtendis? an igitur divino amori te contrariam exhibebis? Sed audio! mœ-

mœrore plenum eſſe cor tuum, lamentaris, confidei, hos animi tui mœrores Divinus Amor adegit in cordis tui penetralia. Murmuras de paupertatis rigore? confide filia; amor coëgit egeſtatem, ut ad te diverteret. Grave nimis eſt jugum obedientiæ, cui te ſubmiſiſti, confide filia: amor Jeſu tui, hoc tibi jugum impoſuit, cave ſis, ne illud excutias; quod amor facit, amicum eſt, non inimicum. *Confide*, & cum Deo tuo, gere te reverenter, liberaliter & ingenuè, te liberè ejus voluntati ac nutui tradens: projicias te, clauſis, ut ajunt oculis, in manus Dei, in quibus omninò quieſces. Si Deus te amat, ſi Jeſus te diligit, ſi es in numero electorum, non ceſſabunt te affligere, donec hæc à te obtineant.

§. 9. *Tribulationes ſunt theſauri.* Perſonæ piæ valde afflictæ, vir ſanctus, cujus initio feci mentionem, hæc ſignificavit per literas: Neſcio quid dicam de tot ærumnis, quas Deus in te accumulat, niſi illud Davidis Pſalm. 32. v. 7. *Congregans ſicut in utre aquas maris: ponens in theſauris abyſſos.* puto Davidem dicere voluiſſe, Deum infundere in animas, quaſi aquas ſalſas maris, cum illas affligit, cùm immittit tribulationes, quo ſenſu illa ait in Threnis c. 3. v. 15. *Replevit me amaritudine*: ſic eſt, ſed addit David, quod Deus in iiſdem animabus ponat ſimul abyſſos ſuorum Theſaurorum. Theſauri ſunt conſilia Dei, ejus arcana & diſpoſitiones, quæ à nobis quidem non ſatis intelliguntur, ſed quibus ille utitur ad noſtrum bonum, & merito conſilia hæc vocantur *theſauri*, quia ab eis nobis felicitas, omnis gratia, omnia beneficia proveniunt. *Confide filia*: Morbus tuus theſaurus eſt, paupertas tua theſaurus eſt, injuriæ tibi illatæ, theſauri ſunt: contemptus tui, afflictio tua, mortificationes quotidianæ, rigor, diſciplinæ, calumniæ hoſtium, & ſi quæ ſunt hujus generis alia, in theſauris omnia ſunt numerantda. Fateor ſalſæ ſunt aquæ maris, difficiles ſunt, quos enodare juberis nodi, ſed poſuit in his Deus theſaurum tuum, nullum ſine altero obtinebis, ſi theſauro inhias, calamitates amplectere, ſi ad felicitatẽ aſpiras, iter tribulationum ingredere, ſi feſtinas ad portum, mari prius te committas, neceſſe eſt.

§. 10. *Per tribulationes reddimur ſimiles imagini Chriſti.* Hæc quoque affectuoſa eſt ratio, ob quam Deus tribulationibus nos viſitat. Tenetur magno deſiderio cœleſtis Pater, videndi in nobis Filii ſui imaginem ad vivum depictam & expreſſam, præcipuè effigiem Crucifixi. Inſtrumenta, cultri, penicilli, qui illam ideam in nobis pingunt, & ſculpunt, ſunt clavi Chriſti, ſunt ejus ſpinæ, ſunt virgæ, ſunt funes, ſũt mallei, ſunt felle imbutæ ſpongiæ, id eſt, ærumnæ & tribulationes. Eja filia, cũ ægrotas, cùm jaces in lecto, &c. *confide*, intẽdit Deus, ut ſis ſimilis Jeſu jacenti in cruce. Urit te ſitis, *confide*: majorem in cruce ſuſtinuit tuus Salvator, &c. Præterquam quòd eædem ærumnæ ſint certiſſima ſatisfactio pro pœnis, quas deberemus ſuſtinere in inferno vel purgatorio, abluit quaſi aquâ roſaceâ, quod noſtro ſanguine fuiſſet expiandum. Sic ærumnis

rumnis Deus utitur, veluti mediis ad altiſſimũ finem ſuorum conſiliorum.

§. 11. *Non poſſumus quieſcere, niſi nos perfectè Deo ſubjiciamus*

Et quouſq; hæc intelligas, Deus te ærumnis probabit; donec hæc tibi ſapiant, Deus te amaritudine replebit; donec magni hæc facias, Deus attendet, ut amplius te humiliet. Donec ejus conſilia & diſpoſitiones tibi placeant, non eris quieta: quidquid acciderit, diſplicebit, omnia tibi contra votum & palatum evenient, ſemper natabis adverſo flumine: omnia tibi deerunt, quia tu ipſa, in ea re deficis, quæ ſola ſufficit ſatiare, & honorare poſſidentem. Sinite DEUM omnia circa vos agere, ſicut ille vult: plurisque hoc facite, & præferte o- omnibus aliis donis, quæ vel largiri poteſt, ſive temporalia ſint, ſive æterna: ſic Deus vobiſcum contentus erit, & vos contenti cum Deo, & quieti. Diſcite amplè ac magnificè de ejus beneficiis ſentire, credentes de omnibus ejus operibus, quod ſervus ejus Moyſes dixit, Deut. 32. v. 4. *Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia recta & juſta*; & quò amplius in amplectenda ejus voluntate profeceritis, tantò Deo eritis cariores, & quod inde ſequitur, feliciores.

§. 13. *Summa Chriſti lætitia, etiam in cruce fuit perficere voluntatem Patris.*

Finiam ſuaviſſimam materiam ſuaviſſimo loco ex S. Drogone ſer. 1. de paſſ. ubi ait, Chriſtum D. in cruce manducaſſe, bibiſſe & dormiſſe: quid miramini hæc verba Auditores? cum vir ſanctus nil aliud illis ſignificare voluerit, quàm quod Chriſtus D. etiam in cruce, cum gaudio perfecerit voluntatem Patris. Nanquid Chriſtus crucem timuit? imò & optavit; exultavit enim ut gigas ad currendam viam, & deſiderio deſideravit hoc paſcha manducare: manducavit quãdo paſſus eſt, quando tranſivit ex hoc mundo ad Patrem; *Ego*, inquit, *habeo cibum manducare, quem vos neſcitis*, Luc. 22. v. 15. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei, & voluntas Patris eſt, ut calicem bibam*; ergo in cruce manducavit & bibit, & inebriatus eſt & dormivit: manducavit quia aſcendit in palmam, & collegit fructus ejus: cibus crucis, ut ſic loquar amariſſimus, fuit dulcis fructus palmæ, non aliunde, niſi quia illi inerat voluntas Patris.

§. 14. *Epilogus monet, ut ſimili modio quæramus verã conſolationem.*

O Filia! hic ego te iterum, ſed poſtremum alloquar; *confide*, ſi vis, potes in ipſa tua cruce, cui divinus te Amor affixit, potes, inquam, manducare, bibere, dormire: Si vis, potes mediis in laboribus invenire quietẽ. Si vis, potes ex doloribus haurire lætitiam, potes ex adverſitatibus manna ac nectar delibare. Sed, ut hæc experiare, opus eſt, tecum ipſe frequenter cogites, hanc eſſe voluntatem Patris tui, ut patiaris; hæc una tibi cogitatio, (ſi tamen, eo quo par eſt guſtu, eam perpendis) erit & nectaris inſtar, mannæ, & quietis, & lætitiæ ſempiternæ, Amen.

Digitized by Google

CONCIO LIV.

DOMINICA ULTIMA POST SS. TRINIT.

Cum videritis abominationem deſolationis, Matth. 24. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXemplo Chriſti Dn. Concionatores debent eſſe Agni & Leones; Agni ut bonos ſuaviter trahant ad virtutem: leones, ut impios, terrendo, removeant à vitiis, & moveant ad pœnitentiam.

§. 1. *Quàm abominabile ſit peccatum mortale.*

§. 2. *Chriſtus Dominus eſt leo, dilacerans ſerpentes, ſive peccatores.*

§. 3. *Leo antequam prædas agat, ſuo rugitu territat beſtias, ut fugiant; & Chriſtus Dominus minis terret impios, antequam puniat.*

§. 4. *Emblema Maximiliani Imperatoris.*

§. 5. *Etiam peccatoribus quibuſdam Chriſtus Dominus eſt Agnus; aliis leo.*

§. 6. *Declaratur hæc differentia ſimili.*

§. 7. *Exemplo Chriſti D. Concionator ſæpe debet eſſet Agnus.*

§. 8. *Frequenter leo.*

§. 9. *Regius Pſaltes hanc Chriſti Dom. proprietatem deſcribit in Pſal. 7.*

§. 10. *Cur de throno Apocalyptico S. Joannis, audita fuerint voces ſuaves, inter tubas & tonitrua.*

§. 11. *Cur Angelus in Reſurrectione Chriſti juxta ſepulcrum apparuerit, vultu igneo, in veſte nivea.*

§. 12 *Quare virga Moyſis coram Pharaone, converſa fuerit in ſerpentem.*

§. 13. *Etiam S. Paulus, ſubinde fuit Agnus, ſubinde leo.*

§. 1. *Quàm abominabile ſit peccatũ mortale.*

CUm in variis Concionibus explicem, quid ſecundum literam, Interpretes & SS. Patres intelligant per abominationem deſolationis; ſupponam modo ſenſum moralem, in quo per illam ſignificantur peccata gravia, mortalia, fœtida, ſcandaloſa,

loſa, contagioſa, abominabilia! Naturali quâdam Antipathia, ſenſus noſtri, Oculus, olfactus, tactus, totus homo, abominantur mortua & putrida cadavera: cogitate vos videre congeriem talium corporum, fluentium tabo, ſcatentiumque vermibus! quale aliquando Dux Gandiæ B. Borgia, vidit cadaver Reginæ Iſabellæ. Abominabilius longè ante oculos Dei eſt, vel unicum peccatum mortale. Abominamur fœtentia ſepulcra, fœtidas cloacas, turpes paludes, plenas ranis & bufonibus: longè magis Deus abominatur peccata mortalia: Abominamur putrida ulcera, eroſa à vermibus; horrent oculi aſpicere gangrænam; horror nobis eſt, intueri membrum, quod in vivo corpore, incipit putreſcere, & fœtere. Abominabilibus longè eſt, vel unicum peccatum mortale. Abominamur naturaliter peſtem, & morbos contagioſos, præcipuè lepram: Nulla lepra tam turpis, tam abominabilis, tam horrenda eſſe poteſt, quàm eſt peccatum mortale. Abominamur & horremus turpes & venenatas beſtias, baſiliſcos, ſerpentes, dracones; abominabilior & venenatior baſiliſcus eſt quodvis peccatum mortale: nihil abominamur magis, quàm dæmones; ſed fingite illorum larvas quas unquam vidiſtis, turpes, tetras, horribiles! Abominabilius eſt quodvis peccatum mortale: quid dicemus de inveterata & ſcandaloſa luxuria, quid de radicato odio, quid de horrendis blaſphemiis, &c. Hæc ſcilicet ſcelera ſunt abominatio deſolationis contra quam Chriſtus Dom. in hodierno Evangelio intonat funeſtum illud *Væ, Væ! erit tribulatio*, &c. Sic nimirum procedendum eſt, cum ſceleratis, obſtinatis, & abominabilibus peccatoribus; terrendi ſunt; incuti quandoque illis debet metus, ut tandem pœnitentiam agant: quod ſi me attentè audieritis, hac concione declarare allaborabo.

§. 2. *Chriſtus D. eſt leo, dilacerãs dracones, ſive peccatores.*

Frequenter Chriſtum D. cum SS. Patribus, ex ſacris literis, appello *Leonem & Agnum*; non tamen memini, me feciſſe mentionem, unius & alterius cauſæ, quas his diebus legi in Ariſtotele in hiſt. anim. cap. 1. quod Leo v. g. ſit liberalis & fortis, & inimicus ſerpentum: Unde antiqui illum in picturis ſuis depinxerunt dilacerantem draconem; cauſam illis dederunt verba Ariſtotelis, quibus ait, *leo draconem ungibus lacerat*. Talis leo eſt Chriſtus D. Salvator noſter; erga ſuos eſt liberalis; ſed ſerpentes, dracones, animalia venenata, araneas, (ſcilicet graves peccatores) perſequitur, dilacerat & ungues iræ ſuæ, eorum *ſanguine inebriat*, ut loquitur Sacra Scriptura; Vos ô impii! vos invidi, venenatæ eſtis araneæ! vos libidinoſi eſtis bufones! vos iracundi eſtis igniti ſerpentes, & dracones! &c. ideo cavete, perſequitur vos in hodierno Evangelio Chriſtus D. vobis minatur, in vos vibrat fulmen, & veniet hora, qua iratus vos leo laniabit, & in fruſta diſcerpet. Leo, abominatur animalia venenata, Chriſtus D. peccatores.

§. 3.
Leo antequam prædas agat, ſuo rugitu territat beſtias, ut fugiant. Et Chriſtus D. minis terret impios antequã puniat.

In hocq uoque Chriſtus D. in hodierno Evangelio imitatur leonem, nam licet leo ſit animal ferociſſimũ, tamen antequam prædam quærat, ſylvam prius diſcurrens oculorum ſuorum fulmine, & rugitus ſui tonitru, ſive terribili voce territat beſtias, ut fugæ ſe poſſint committere; quidquid deinde ei occurrit, aggreditur ac dilacerat. Et Chriſtus Salvat. noſter, aliquando in die judicii contra impios terribilis erit leo; nulli parcet in die vindictæ, /acuet dentes ſuos in ruinam & excidiũ peccatorum. Prius tamen hic idem leo, Agnus eſt; dum tempus adhuc fluit gratiæ, veniæ, & pœnitẽtiæ, nunc ſcintillantib⁹ oculis, nunc terribili voce in Evangeliis ſceleratos exterret, ut ſi velint, fugiant, atque ſalventur. Agamemnon fortiſſimus miles in ſcuto iturus in prælium, inſculptum leonem præferebat; cauſam obſervavit Richardus Brixienſis Emblemate 75. *Ut terreret hoſtem:* leo enim naturaliter, & beſtiis, & hominibus incutit metum & pavorem: hinc illud ſuſpirium Dav. in perſecutione Saulis, Pſ. 21. v. 22. *Salva me ex ore leonis.* Ob eandem cauſam in hodierno Evangelio Chriſtus Salvator noſter, aliàs mitisſimus Agnus, ille manſuetus Agnus, ille mitis Jeſus, ille amabilis Filius Mariæ, ille inquam, leonem induit, ille rugire incipit, *cùm videritis abominationem deſolationis, &c.* Et quid ſibi vult illa tam repentina mutatio, mi Jeſu! *tam ſubito ſævus, qui modò blandus eras?* Vel tam cito tunc Leo; qui prius Agnus eras? ſed hem! cauſam accipio, ut impios perterrefaciat, ut ſceleratis ſalutarem injiciat timorem, ut hi fugiant ad montem Calvariæ, & ad collem miſericordiæ, hocce utitur ſtratagemate Jeſus.

§. 4.
Emblema Maximilian. Imperatoris.

Maximilianus Imperator leoni & Agno (ut alias memini) in emblemate colligato, addi juſſit hoc pulcerrimum lemma; *In opportunitate utrumque:* idem omnino de Salvatore dicere poſſumus: Cum agit cum bonis, Agnus eſt; loquitur ſuaviter, ſolatur, agit cum illis de virtutibus, de amore Dei, de cœleſti gloria, &c. Cùm verò contra impios, & cum impiis loquitur, leo eſt, rugit, tonat, fulminat, minatur, agit de tenebris, de inferno, de flam̃is, de igne gehennæ. *In opportunitate utrumque.*

§. 5.
Etiam peccatoribus quibuſdam Chriſtus D. Leo eſt, aliis Agnus.

S. Vincentius Ferrerius ulterius obſervavit, Chriſtum D. inter ipſos peccatores; erga aliquos eſſe leonem, erga alios Agnum, ſive, quod ſe erga aliquos mitiorem, ſeveriorem erga alios exhibeat, prout duo ſunt genera peccatorum: Alii enim ex mera malitia peccant, quorum cor iniquitate plenum eſt; ob peccata quædam planè enormia, ſunt abominabiles in conſpectu Domini; dum in malo ſunt indurati, & obſtinati; his oportet oſtendere rigorem, comminari ſupplicia, flagellis illos impugnare neceſſe eſt: Sic ait Sanct. Vincentius fer. 3. poſt. Dom. Palm. ſerm. 1. *Qui peccant ex malitia & iniquitate cordis, tales indigent timore damnationis, & timore judicii, ad amovendam malitiam, & iniquitatẽ à corde.* Talis peccator fuit Pharao: pro-

proinde Deus contra eum miſit ranas, muſcas, ciniphes, tenebras, imbres, tonitrua, peſtem, & quia nihilominus converti non voluit, maris rubri fluctibus ſubmerſus tandem interiit: Aliud genus peccatorum eſt, qui peccant ex fragilitate, vel ignorantia, vel certè haud diu flagitiis immorantur, ſed mox reſurgunt: cum his Chriſtus D. variis locis agit inſtar mitis Agni, itaque ex terribilibus minis hodierni Evangelii advertimus iratum Chriſtum Dn. agere contra prioris generis peccatores, qui ſunt abominabiles in conſpectu Domini.

§. 6. *Declaratur hæc differentia ſimili.* Quæ differentia ulterius pulchro ſimili declaratur, cum ingens quercus dejicienda eſt, & eradicanda, opus eſt ferro, ligonibus, ſerris, ſecuribus & igne; parvula arbuſcula levi manu è fundamentis extrahitur, ita facilis eſt quorundam peccatorum converſio, facili manu, una exhortatione, una vel altera inſpiratione divina moti, dant victas Deo manus, atque ad ejus nutum trahuntur, at verò ſunt alii, induratæ atque annoſæ quercus, has evellere arbores, hos impios ad DEUM convertere; hoc opus, hic labor eſt, nimirum ſecuris hic expedienda eſt, clamandum eſt, cum Sancto Joanne Baptiſta, Matth. 3. v. 10. *Pœnitentiam egite, ſecuris jam ad radicem poſita eſt.* Vociferandum, *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, &c.* gravioribus, & ſæpe repetitis ictibus, ferienda eſt hujuſmodi quercus, dum ſuis exciſa radicibus tandem cadat.

§. 7. *Exemplo Chriſti D. concionator ſæpe debet eſſe Agnus.* Itaque & Concionatores exemplo Chriſti Domini cum auditoribus ſuis ſubinde agere debent ſuaviter, ſubinde dure! Falſi prophetæ ſunt, qui ſemper ſunt Agni, qui omnia veſtiunt lana verbi DEI, nimirum extollentes DEI miſericordiam, & merita Chriſti, ipſiusque ſanctiſſimam mortem & paſſionem, neceſſe eſt, ut præco Chriſti, ſubinde ſit leo. Exemplum Chriſti Domini nos fallere non poteſt: qui cum vidit poſt ſe, Apoſtolos ſuos, & ingentem turbã omnis generis hominum ex Judæa, ex Tyro & Sidonia, ad audiendam concionem, & in ſpatioſo campo conſcendit colliculum, ex quo ab omnibus videri, & audiri poſſet, tum pulcherrimo ſermone de octo beatitudinibus, ſuos diſcipulos hortatus fuit ad paupertatem, propoſito ingenti præmio: Matth. 5. v. 3. *beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, &c.* Et protulit hæc tam ſuaviter, inſtar Agni, ſub cujus lingua lac & mel, ut multi dulciſſima ejus converſatione & alloquio capti, multi relictis omnibus ſecuti ſunt illum.

§. 8. *Frequenter leo.* Verùm quia ſciebat, adeſſe quoq; impios & ſceleratos, aliter cum illis egit. Leo fuit! quot ejus voces, tot atroces minæ, Matth. 19. v. 24. *Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtrã. Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Hæc ſcilicet fuit illa cantilena Prophetarum, cum atrocia minarentur, Iſaiæ 10. v. 5. *Væ genti peccatrici.* Jeremiæ 4. v. 14. *Væ tibi Jeruſa-*

Jalem, *Væ paſtoribus*. Ezech. 13. v. 3. *Væ Prophetis inſipientibus*, *Væ civitati Sanguinum*. Amos 6. v. 1. *Væ vobis*, *qui opulenti eſtis*. Et Chriſtus Dominus, Luc. 21. 23. *Væ prægnantibus*! Mi Jeſu! quid eſt hoc? concionem tuam exorſus es, tanta ſuavitate, tot impertiendo benedictiones, promittendo præmia, fuiſti Agnus! & quomodo, mox in eodem ſermone mutaris in leonem, comminando tot maledictiones? Doctiſſimus Sylveria ſic reſpondet: *Erat totus meus Jeſus intentus, ut homines attraheret ad virtutes, & removeret à vitiis, & ideo in juſtos benedictiones, & gaudia profert: in peccatores verò ſuppliciorum jacula retorquet, intendit arcum maledictionum, ut illis deterriti pœnitentiam agant*. Advertitiſne Auditores, & me ab aliquo tempore in meis concionibus fuiſſe Agnum; feſto Omnium Sanctorum oſtendi vobis gaudia cœli, exhibui aulæ cœleſtis pulchritudinem, delicias paradiſi ſum pollicitus; propoſui vobis excellentiam gratiæ in homine juſto, in quo illa eſt ſemen gloriæ; multis hactenus egi de infinita Chriſti Domini miſericordia; ignoſcite mihi hodie Auditores; ſtat abominatio deſolationis in aliquorum cordibus, ſunt aliqui qui peccant graviter, & vitam agunt ſcandaloſam (poterit fieri invectiva congrua loco, in quo dices) cogor proinde cum Chriſto meo eſſe leo, cogor rugire, quantum poſſum, *Væ vobis!* qui peccata accumulatis peccatis, &c. Bonis oportet promittere præmia: impii terrendi ſunt ſuppliciis; Sanctus Bernardus ſer. 30. *Benignitas attrahit: timor malos greſſus animæ, ne ulterius in crimina ruant, ſiſtit*. Hoc in hodierno Evangelio intendit Chriſtus Dominus & ego totus ſum in eo, ut meos auditores bonos attraham ad virtutem, malos verò removeam à vitiis: promittendo cœlum, minando infernum.

Non ſine myſterio regius Pſaltes de Chriſto Domino pſal. 7. v. 11. ſic loquitur: *Juſtum adjutorium meum à Domino, qui ſalvos facit rectos corde*. Agnus eſt Chriſtus Dominus qui occiſus eſt, qui ſanguine ſuo nos redemit, & ideo mitiſſimus eſt Salvator & Dominus, promptus atque paratus ut nos adjuvet, ut ſalvet: Sed audite, quod mox idem ſubjicit David v. 13. *niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit*: Sanctus Chryſoſtomus legit, *enſem ſuum acuet* (juxta illud Deuteronomii, *ſi acuero ut fulgur gladium meum*) *arcum ſuum tetendit, & paravit illum*: addit Sanctus Athanaſius, *ut ſeveriter puniat*: Quomodo mi David? ergo mutabilis eſt, qui de ſe ait, *Ego ſum Deus, & non mutor*, Malachiæ 3. v. 6. & quomodo, qui tam promptus eſt, ut ſalvet, & à quo titulo alicujus juſtitiæ petere poſſumus adjutorium, mox vibrat fulmen, & tendit arcum? quomodo illa lingua, quæ ſtillat melle, ſtatim convertitur in gladium acutum? verbo; Agnus in leonem? ſcilicet in opportunitate utrumque eſt. Facilis eſt reſponſio: initio David nobis proponit Salvatorem, qualis exiſtit erga bonos; deinde, qualis eſt erga impios; præcipue in hodierno Evangelio, erga peccatores abominabiles.

§. 9. *Regius Pſaltes hanc Chriſti D. proprietatem deſcribit in pſ. 7. v. 11.*

Fre-

§. 10.
Cur de throno Apocalyptico S. Joannis, audita fuerint ſuaves voces, inter tubas & tonitrua.

Frequenter duco meos Auditores, ad illum thronum plenum myſteriis, quem vidit S. Joannes in Apoc. c. 4. ubi ait Apoſtolus inter alia, ſe inter tubarum clangorem, fulgura, tonitrua, fulmina, audiviſſe nihilominus aliquas voces dicentium v. 5. *Salus Deo: & de throno ejus procedebant fulgura & voces & tonitrua.* Et quomodo inter tubas & tonitrua, S. Joannes diſtinguere potuit illas voces? vel quodnam eſt myſterium, quod ſuavis muſica & dulce melos, miſceatur tubis & fulminibus? Talis nimirum eſt Salvator noſter; Agnus eſt: cum bonis loquitur ſuaviter: contra impios, leo eſt, tonat fulminat: Pii exhilarantur: impii terrentur. Eleganter Speranza: *De throno procedunt voces in bonos*, de Sanctiſſima Cruce, de throno illo miſericordiæ, quàm ſuaves bonus Jeſus profert voces? *Venite ad me omnes: Pater! ignoſce illis.* Latroni, *Hodie mecum eris in paradiſo*: de throno illo pulcherrimo, de aurea nube, de Iride in valle Joſaphat, cum in illa ſedebit Judex vivorum & mortuorũ, quã ſuaves audient voces Electi? *Venite benedicti.* Sed adeſtum, adeſtum ſcelerati! cito vos ad eundem thronum, ſanctiſſimæ Crucis! auditis tonitrua & fulmina, videtis fulgura, quæ undique erumpunt! contra vos rugit ille leo, contra vos tonat Jeſus clamore magno; in veſtra capita incumbunt illa fulmina; necdum tamen movemini? Cavete! de throno iridis rugiet adhuc terribilius, cùm ſupremam ſententiam fulminabit, quæ Matth. 25. v. 41. legitur, *diſcedite à me maledicti.* Incepi antea proferre vobis dictum Speranzæ, *De throno procedunt voces in bonos*, proſequor: *fulgura & tonitrua in peccatores.*

§. 11.
Cur Angelus in Reſurrectione Christi juxta ſepulchrum apparuerit vultu igneo, in veſte nivea.

Inter angelos qui thronum circumſtant, videor mihi videre illum, qui apparuit ad ſepulchrum in Reſurrectione Chriſti Domini, de quo ait Sanctus Matthæus, cap. 28. v. 3. *Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, veſtimentum autem ejus ſicut nix.* Quid hoc eſt aliud dicere, quàm fuit leo & Agnus. Vultus flammeus & igneus, veſtis candida & amœna: ſed nunquid decebat, veſtes quoque eſſe igneas, vel ſanguineas, ut & vultu, & veſte terreret? Vel nunquid congruentius erat, ut in lætiſſima Reſurrectione Chriſti Domini Angelus quoque appareret, vultu hilari & amœno, in ſignum lætitiæ? ſed advertite myſteriũ; Duo genera hominũ erant circa ſepulchrum; tres Mariæ, piæ fæminæ, & Milites cuſtodes: propter illas Angelus apparuit in veſte nivea, ad ſolatium; propter hos in aſpectu fulguris, ad terrorem. Vultum habuit quaſi ſcintillantem & terribilem, ad perterrendum infideles Cuſtodes: ideoque exterriti ſunt, facti veluti mortui: veſtimenta habuerunt nivea, ad conſolandum bonos. Verba variorum Doctorum alias dedi. Modo inde ſumo cauſam, ob quam Chriſtus D. in hodierno Evangelio ſcintillantibus oculis, facie truculenta, ore & lingua fulminante clamaverit, *Væ! Væ!* ad terrendum ſcilicet abominabiles peccatores. Qui juſti ſunt, qui oderunt iniquitatem, non timeant: imò accedant cum fidu-

Digitized by Google

fiducia: veſtimenta ejus ſunt candida, ut nix: totus eſt bonus. Leo eſt! Agnus eſt! In oportunitate utrumque. Impii debent terreri, an forte convertantur & vivant: quod unicum bonus & totus Jeſus intendit, & ego, per ipſius gratiam in hac concione.

§. 12. *Quare virga Moyſis coram Pharaone converſa fuerit in ſerpentem.*

Debent ſubinde Concionatores imitari factum Moyſis Exod. 7. v. 15. Is cùm prius voce ſuavi, aliquoties, & cum magna ſubmiſſione rogaſſet Pharaonem, ut dimitteret populum, eſſe hanc voluntatem Dei, &c. voti tamen compos fieri non potuit. Itaque ſic inſtructus à DEO, ante pedes Regis abjecit ſuam virgam, quæ ſubitò commutata fuit in ſerpentem. S. Auguſtinus legit, in draconem. Non dubito, quin ſubita hæc virgæ metamorphoſis in ſerpentem Pharaoni terrorem incuſſerit: nimirum cum peccatoribus obſtinatis, qualis erat Pharao, non agendum eſt multis verbis, ſed expediendi dracones, ſed convertendæ in ſanguinem aquæ, ſed tenebræ & eclipſes inducendæ, ſed obſcuranda ſidera, ſed adducendi exercitus locuſtarum & ranarum, ſed mittenda repentina mors cum ſuis telis & ſagittis: talibus ſuppliciis terrentur impii. Cùm Iſaias deſcribit regiam & judiciariam Meſſiæ poteſtatem, comparat illam floridæ virgæ, de amygdalo; bonis illa ſimul eſt aureum ſceptrum clementiæ: coram impiis in hodierno Evangelio convertitur in draconem, in fulmina, in tenebras, quibus aggreditur abominabiles peccatores, ad terrendum.

§. 11. *Etiam S. Paulus, ſubinde fuit Agnus, ſubinde Leo.*

Talis Concionator fuit S. Paulus: mitiſſimus Agnus! nunquid voces Agni ſunt illæ voces ad Galat. c. 4. v. 1. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Ad Philipp. 4 v. 1. *Fratres mei cariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, &c.* His & ſimilibus verbis inſtar Agni bonos trahebat ad virtutē & amorem Chriſti. Leo fuit, cum ſcripſit Tito, *Increpa eos durè.* Leo, cum impios tradidit Sathanæ, &c. Finio cum eodem S. Paulo; *Filioli mei,* Auditores mei: fratres mei cariſſimi, gaudium meum, ſiquidem ea felicitas mihi contingat, ut meis vos concionibus ad cœlum quaſi manu ducam: vos voluptas mea, vos corona mea, vos conſolatio mea, ſi tamen divinis, quas ego vobis ſæpe è ſacris literis ſanctiſſimisque Patribus propono, blanditiis trahi vos ſinitis: ah! quam ego vobis me libenter Agnum exhibeo, quàm libenter dulce lac cœleſtis doctrinæ vobis propino; ſi tamen ut boni filioli Jeſu Chriſti ſalutem veſtram concupiſcitis. Sin minus, parcite, ſi quandoque ſeveriorem me experimini peccatores: leonem in impios eſſe me jubent divina oracula: jubet exemplum Salvatoris mei; denique jubet veſtra ſalus ac felicitas, quam mihi pro virili unà, cum officio meo divina Bonitas, promovendam impoſuit.

FINIS Partis Secundæ in Dominicas.

ALVEI SECUNDI,

Sive

CONCIONUM

IN

Omnia Feſta ab Adventu, uſque
ad Pentecoſten,

PARS III.

Digitized by Google

CONCIO LV.

FESTO S. FRANCISCI XAVERII Indiarum Apoſtoli.

Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros, in generatione ſua, Eccleſ. cap. 44. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVid S. Xaverius, poſtquam ex Europa Goam venit, in Indiarum ampliſſimis regionibus, pro Dei gloria & Animarum ſalute egerit.

§. 1. *S. Xaverius novus fuit Alexander.*
§. 2. *S. Xaverius, Goæ è navi exſcendens, divertit ad hoſpitale.*
§. 3. *Caritas S. Xaverii erga ægros & captivos.*
§. 4. *In quo ſtatu, divinum cultum quod attinet, repererit Goam.*
§. 5. *Itaq; primum Chriſtianorum vitiis indixit bellum, iiſdemque opem Chriſtianæ pietatis perſuaſit.*
§. *A Chriſtianis ſe convertit ad gentiles.*
§. 7. *Juventuti magno fructu tradidit Catecheſin Chriſtianam.*
§. 8. *Xaverius, relictâ Goâ, ad alia excurrit regna.*
§. 9. *Apoſtrophe ad S. Xaverium.*
§. 10. *Pari ubiq; fervore, prædicavit Chriſtum, & convertit peccatores.*
§. 11. *Opera Juventutis innumera diruit idola.*
§. 12. *Somnium S. Xaverii.*
§. 13. *S. Xaverius fuit felix Piſcator.*
§. 14. *Quænam fuerint aurea illius retia.*
§. 15. *Xaverius Sol Orientis, quieſcere neſcius.*
§. 16. *Ejus amici illi diſſuadent iter Japonenſe.*
§ 17. *Invictus Xaverii animus.*
§. 18. *Brevis ad amicos oratiuncula.*
§. 19. *Epilogus & Apoſtrophe ad S. Xaverium.*

§. 1. *S. Franciſcus Xaverius novus fuit Alexander.*

REfert Curtius l. 7. Scytharum Legatos, hiſce quondam verbis magnum illum Macedonum Regem Alexandrum fuiſſe allocutos: *Si Dii habitum corporis tui, aviditati animi tui parem eſſe voluiſſent, Orbis*

Digitized by Google

Orbis te non caperet, altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres. Novus Alexander fuit S. Franciſcus Xaverius: aviditas enim excelſi animi ejus, non quidem erga regna terrena, non in honores & dignitates, non in perituras opes & divitias; ſed in animarum lucra, in cœleſtium theſauros bonorum, in propagandam Dei gloriam, ejuſque ſanctiſſimum Evangelium, adeò fuit accenſa, ut unus illi orbis haudquaquam ſufficerit: proinde manu altera Occidentem, Orientem altera contigit. Quid in Occidente, in regnis nobiliſſimis, in celeberrimis urbibus? Quid Pariſiis in Gallia, quid Venetiis, Bononiæ, Romæ in Italia, quid in Luſitania Olyſſiponæ, pro Dei gloria, atq; animarum ſalute fecerit eximium, quomodo in Orientem vela panderit, ſuperiori anno ex me audiviſtis: hac altera Panegyri vobis proponam, quid ſub primum in Indias adventum, Goæ præſertim, & adjacentibus regnis atque provinciis, ad Dei gloriam egerit. Æquum enim eſt, ut virum tam glorioſum, & amantiſſimum meum parentem laudem, & quàm poſſum, digniſſimis encomiis extollam.

§. 2. *S. Xaverius à navi exſcendens divertit ad hoſpitale.* E navi, qua S. Franciſcus Goam appulit, exſcendit, non ad palatium Vice-regis, nec ad domum Epiſcopi, neque ad ædes, in quas Luſitani Proceres advenæ Xaverii ſocii, à Goanis cum magno gaudio & caritate, urbanitateque fuerunt invitati & deducti, ſed recta ad hoſpitale pauperum contendit & ibi noctem illam ferme totam, in ardentiſſimis precibus, tum agendo Deo gratias pro felici navigatione, tum petendo illum Spiritum & gratiam, qua Orienti digne poſſet prædicare Evangelium, conſumpſit. Poſt lectum manè ſacrum, ſine alia quiete, qua advenientes Luſitani & Europæi, poſt longum navigationis curſum ſeſe recreare conſueverunt, ante omnes Epiſcopum adiit, ad cujus pedes abjectus, Diploma, Pontificium ſimul ac regium, quo Indorum Apoſtolicus Legatus & Nuntius nominabatur, obtulit, ſua tamen poteſtate non uſurus, ſine Epiſcopi approbatione: quâ Chriſtianâ & religioſâ animi demiſſione Franciſcus Epiſcopi animum demeritus, licentiam, quam petebat, omnem obtinuit. Salutato deinde Vice-rege, aliiſque proceribus, officii causâ; redux ad hoſpitale, pauperum & ægrorum, quos ibi reperit; ſervitiis ſeſe mancipare cœpit, cùm magna caritate, animique demiſſione.

§ 3. *Caritas Xaverii erga agros & captivos.* Vidiſſes ibi Xaverium, coquentem cibos, ſternentem lectos, mundantem & ligantem ægrorum vulnera, ſcopis verrentem cubicula, lavantē lineam ſupellectilem, & ſi quæ ſunt ejuſmodi generis complura alia, & inter hæc omnia illos reficiebat pabulo Verbi Divini, perſuadebat Confeſſionem, uſum Euchariſtiæ commendabat, illis præcipuè, quorum deſperata erat ſalus, ad illorum lectos nocte decumbebat in aſſere, ut ſubitò adeſſet, ita accidit, ut paucos intra dies aliqui, poſt ſeriam

Digitized by Google

pœnitentiam inter brachia Franciſci feliciter exſpirarint, quorum animæ optatæ fuerunt primitiæ, quas ex ſterili Indiæ agro ad fertilem agrum, nempe cœlum miſit. Ex hoſpitali ab ægris egrediebatur in carceres ad captivos, quibus pari humilitate & caritate, & quoad corpora, & quoad animas inſervivit.

§. 4. In quo ſtatu, divinum cultum quod attinet, repererit Goã.

Haud multi abiere dies inter hoſpitalis carcerumque clauſtra, cùm S. Franciſcus, veluti peritus animarum medicus, facilè advertit, in quo ſtatu, quod cultum divinum, vitæq; Chriſtianæ mores attinet, verſaretur Goana civitas. Enimverò, ſæpius, quàm ſemel in anno ſacra exomologeſi mentem expiare; ſæpius quam ſemel in anno, ad ſacram ſynaxin accedere, præter dies feſtos adire templa, intereſſe frequenter concionibus, viſitare in hoſpitalibus & carceribus ægros atque captivos; rara iſta erant atque inſolita Goæ ſpectacula: avaritia, lucri cupido, uſuræ, odia, libidines, uxorum & concubinarum pluralitas, ſimiliaque ſcelera, non inter Ethnicos duntaxat, ſed & inter Luſitanos, latiſſimas egerant radices, itaque hos primùm curare placuit Xaverio.

§. 5. Itaq; primũ Chriſtianorũ vitiis bellum indixit, iiſdemque opera Chriſtianæ pietatis perſuaſit.

Itaque de cathedra, in templis, in foris, in plateis, in privatis ædibus, palam & privatim, contra illa vitia tam ferventer dicere & detonare cœpit, ut mox plurimi poſt accuratam peccatorum apud Xaverium exomologeſin, odia mutarint in pios amores, concubinas è cubilibus ædibuſque præſcripſerint, vitiis nuntium remiſerint, extinctoſque velut Chriſtianæ pietatis igniculos reſuſcitarint. Tanta profectò contentione ſuaſit frequentem Sacramentorum uſum, ut mox ipſe Vice-Rex, Indiarumque Gubernator, & ejus exemplo alii deinde Proceres, ac denique vulgus etiam, ſingulis octo diebus, ſanctiſſimis tum pœnitentiæ, tum Euchariſtiæ Sacramentis ſeſe munierint. Intra paucos menſes alia in operibus pietatis, Goæ fuit facies. Igniculos, quos in Auditorum corda de cathedra veluti fulgura & fulmina injecerat, quibus metum noviſſimorum incuſſerat, ardebantque in animis; Xaverius in familiari cum iiſdem converſatione, in piis colloquiis, fovebat tam ſuaviter, nutriebat, augebatque tam dexterè, ut dubium eſſet, an Xaverius plus prodeſſet, dicendo an converſando: in utroque ob eximias virtutes excellens & potens erat, tantoque omnia hæc munia vigilantis animarum Paſtoris peragebat ſpiritu & fervore, caritate, amore, atque ſollicitudine, ut ejus viſceribus & benigniſſimo cordi, formoſiſſima Cœlitum Caritas, ſui ipſius prodiga, ita ſe infudiſſe videretur; ut ipſa beatiſſimum illud pectus S. Xaverii ſingulari prodigio animare viſa fuerit; itaque extendere & dilatare, ut novos triumphos ad Dei gloriam, capaciſſimo animo, vaſtiſſimiſque votis & deſideriis, cogitare, agitareque cœperit.

§. 6. A Chriſtianis ſe convertit ad gẽtiles.

A Chriſtianis enim ſe convertit ad gentiles, & Indica mancipia, quorum Goæ ingens erat numerus: his pari ardore, tum publicè in concionibus, in plateis, in campis, in navibus, ubicunq; demum illos alloquendi daretur

tur copia, tum privatim in amicis colloquiis novam Chriſti legem, præcipua fidei myſteria ſanctiſſimam Trinitatem Chriſti D. Incarnationem & Paſſionē, &c. baptiſmū, &c. exponere & explicare ita aggreſſus fuit, ut ſtatim multi, cœleſti S. Xaverii facundiæ atque eloquentiæ ceſſerint, ſuſceptoque ſacro baptiſmatis fonte Chriſtianis acceſſerint, ut paucas intra hebdomadas, & menſes ingentem Ethnicorum, mancipiorumq; numerum luſtralibus hiſce undis expiarit.

§. 7. *Iuventuti magno fructu tradidit Cathechesin Chriſtianam.* Ut omnibus prodeſſet, & cum S. Paulo omnib. omnia fieret; juventuti tum Chriſtianæ, tum Ethnicæ, Catecheſin, variis locis quotidie tradidit. Manu altera Crucifixi imaginem præferens, altera nolam, qua per urbis plateas juventutem convocabat, pueros, adoleſcentes, juvenes magno poſt ſe numero trahens, longoque ordine ad forum deducebat, quò cùm perveniſſent, alii ad ductum Xaverii formare crucem, alii ſymbolum fidei alta voce recitare, alii alias orationes dicere, dum inſolito ſpectaculo comoti & attracti, etiam adultiores concurrerent, quos univerſos maximo Reipublicæ Chriſtianæ emolumento, præcipuis fidei noſtræ capitibus, inſtruebat. Poſt publicas pſalmodias, præeunte Xaverio, in choros diviſi recitabant magnæ Matris Roſarium; poſt quamvis decadem, alta voce Chriſtianorum aliquis inſonabat, *laudetur nomen Jeſu*, alter, *laudetur nomen Mariæ*, ſubinde ſimul omnes claris vocibus clamarunt, *Laudetur Jeſus & Maria!*

§. 8. *Xaverius relicta Goa ad alia excurrit regna.* Sed unicum theatrum, unius urbis, quantumvis copioſæ, Xaveriano fervori, ſatis amplum non fuit. Non unam civitatem, nec unum regnū ſed totum Orientem cogitationibus & deſideriis ſuis complexus fuerat. Dies noctesque vivaciſſima Caritas S. Xaverii, in arcano celſiſſimarum cogitationum auguſtali, nihil moliebatur aliud, quàm converſiones gentium, extirpationes ſcelerum, vitiorum direptiones, demolitiones idolorum, per totum Orientem, quem, qua longè lateque patet, in ipſa amoris ſede, in corde ſuo totum ferebat S. Xaverius. Non procul ab agro Goano ſe extendit Promontorium Comorinum, indeque ad mare protenditur ora Piſcaria, gemmarum unionumq; piſcatura celebris, ſubſequitur vaſtiſſimum regnum Travancoridis, vaſtas continens & ampliſſimas Provincias! ad illas Xaverius, quia audiebat incolas pleroſque eſſe gentiles vel Saracenos, perpaucos Chriſtianos, planè rudes, oviculas errantes, à paſtoribus dudum deſertas, lupique infernalis furori expoſitas, adiit nequicquam ſuis renitentibus amicis.

§. 9. *Apoſtrophe ad S. Xaverium.* Perge Franciſce! O quot animæ illis oris æternùm pereunt! ah Xaveri! illæ animæ pro quibus tuus Jeſus in Cruce ſanguinem fudit! Curre, propera Franciſce, ad ditiſſimam vocaris piſcationem! ſed ſcandendi ſunt montes, tranſeundæ valles, interjacent deſerta, & ardentes arenæ, tranandi ſunt fluvii, ager eſt ſentiçoſus, viæ ſpinis obſeſſæ! Perge Xaveris

ri, , in his montibus, in his vallibus, in his deſertis, inter has rupes & ſpinas, innumeras invenies oviculas! ſpinæ, cruces, labores parient palmas & triumphos, quos quæris, non tibi, ſed amori tuo, ſed Jeſu tuo! ſed ad majorem Dei gloriam.

§. 10. *Pari ubique fervore prædicat Chriſtum & convertit peccatores.*

Quid ego currenti Xaverio addo calcaria? non ivit, ſed volavit, inſtar nubis aut velocis Angeli in illas regiones, tantus ejus erat ardor lucrandi animas. In omnibus locis & oppidis, ad quæ pervenit, parem ſervavit methodum. Primùm conatus fuit infirmis in fide, aut caritate Chriſtianis medicinam ſalutarem adhibere; & verò converſiones peccatorum contigere mirabiles: ut illis incuteret timorem, nocte connubiâ per plateas ibat cum nola, lugubri & lamentabili voce inclamans, (qui mos hodiedum viget in Hiſpania) *Recitate Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, pro iis, qui vivunt in ſtatu peccati mortalis, & in periculo ſunt æternæ damnationis*! cum ingenti plurimorum has voces audientium horrore, & animarum fructu: Ethnicis verò Evangelium & Chriſtum tanto fervore, tantaque vi prædicavit, ut brevi integros pagos ritè expiatos, Chriſto adjunxerit, direritque ſæpe uno die, octo, decem, pluraque idola.

§. 11. *Opera Iuventutis innumera diruit idola.*

Opera juventutis potiſſimùm uſus, in quo tantus erat ardor puerorum, ut ceu canes venatici, indagarent prædam, atque ædes conquirerent, in quibus colebantur idola, hæc prodebant S. Xaverio, & illo præeunte, junctis turmis irruere in ædes, deturbare idola, disjicere, confringere, confracta, conſputa, conculcata pedibus, flammis conſecrare. Quis explicet, quo ſolatio S. Xaverii; præſertim cùm pro idolis erigerentur & plantarentur vexilla Crucis. Eoqem mentis ardore ex ora Piſcaria, occupavit Molucas, irrupit in Travancoridem, penetravit in Ceilanum: ubique innumera dæmonum ſimulacra ſuis baſibus evertit, delubra & aras ſolo æquavit, percurrit Mauricam, aliaſque barbaras regiones, in quibus omnibus locis, cœlum ſpectavit, quadraginta idolorum millia, Xaverii manu, vel juſſu, ac ope, ſolo æquata, ignibuſque conſumpta.

§. 12. *Somnium S. Xaverii.*

Somniavit aliquando Princeps quidam Athenienſis, à Dea Fortuna, ad pedes ſuos deponi, captivas urbes, veluti aureas volucres caveæ incluſas: ſomnium fuit impletum, cum deinde victricibus armis, urbes & provincias Athenienſium poteſtati ſubjugavit! S. Xaverii in Europa Olyſſipone ſomnium fuit, longè felicius, cum videretur ſibi ſudare, & veluti Atlantem ſub pondere grandis Æthiopis ingemiſcere: ſomnium fuit impletum, cum non unum Æthiopem, ſed innumerabiles animas & oviculas, ſed pagos, oppida, urbes, & integra regna, velut alter cœleſtis Atlas, ad pedes ſui Regis & Imperatoris Chriſti deportavit.

§. 13. *S. Xaverius fuit felix piſcator.*

O Xaverium! O felicem & divitem Piſcatorem in ora piſcaria; cœpit ibi piſciculos parvos, erro, volui dicere gemmas & uniones, iterum me

me lingua fallit, innumerabiles infantulos fuit piſcatus, quos baptizavit: præſertim illos, qui accepto baptiſmate, inter brachia Sancti Xaverii expirarunt: quorum innocentes animæ repente è manibus illius ad cœlum evolarunt: Xaverius, Piſcator hominum, cum S. Petro Apoſtolo, cœpit piſces mediocres, ſive gemmas, tot; quot mancipia baptizavit: tot, quot juvenes ad Chriſtianæ virtutis amorem, ſimul atque imitationem adduxit: Piſces & gemmæ majores fuerunt graves, obſtinatique peccatores, quos S. Franciſcus in his oris ad Chriſtum & pœnitentiam convertit: O glorioſiſſime Xaveri! ſi in cœlis tuam coronam tot ornant gemmæ, quot animas Chriſto tuo fuiſti piſcatus, quàm erit illa pulchra, quàm pretioſa, quàm decora.

§. 14. *Quænam fuerint aurea illius retia.* Sed quæ fuerunt retia S. Xaverii? aureorum retium mentionem faciunt Poëtæ & Oratores. S. Xaverii aureum rete fuit animarum Chriſto lucrandarum zelus: hinc illa ſuſpiria, *Æterne rerum omnium effector Deus, &c.* & ardentes illæ preces: *Te ego Jeſu Chriſte, DEUS cordis mei, per acerbiſſimos tuæ mortis cruciatus, oro & obteſtor, ut tuearis ipſe tuas cicatrices & Vulnera, eaque velis eſſe ſalubria peccatoribus, ut reſipiſcant.* Item: *O Jeſu Chriſte! obſecro te, per quinque illa Vulnera, quæ tibi in Cruce, noſtri amor inflixit, famulis tuis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti!* Aureum rete nominari poteſt mortificationis ſtudium, hinc illud ſanctum ſuimet odium, hinc illa pene quotidiana jejunia, illa frequens corporis ſui flagellatio, illæ ſolennes ac frequentiſſimæ humi cubationes. Quid de aliis memorem virtutibus? aureum rete, fuit aurea ejus Charitas; qua tot mortalium pectora, quæ numerari vix poſſunt, divini amoris facibus inflammavit. Aureum rete fuit invicta Patientia, qua, ſibi conſtans plenam ac divitem indies fecit gemmarum capturam.

§. 15. *S. Xaverius, Sol Orientis quieſcere neſcius.* Nec vaſtiſſima maria, ampliſſimæque provinciæ, Oræ Piſcariæ, regnorumque adjacentium ſpatia, Xaverio fuerunt ſatis ampla: ſol fuit! ſtare & quieſcere neſcius. Quia rei Chriſtianæ id judicabat expedire, ad paucos menſes rediit Goam, cum Vice-Rege magni momenti tractaturus negotia, pro DEI gloria, Indiarumque converſione. Goâ repetiit prædictas Provincias, & ex illis Solis inſtar progreſſus ad alios remotiores populos, ubique ſparſit radios, quibus Orientis tenebræ, ad ultimos uſque terræ fines fuerunt illuminatæ: apud Ceilanos, apud Meliaporenſes & Malacenſes: ubique pari fervore, pari fructu rem Chriſtianam promovit: ut Xaverio congruant verba S. Hieronymi ep. ad Lætam. *Vexilla militum Crucis inſignia ſunt: Jam & Ægyptius Chriſtianus factus eſt, depoſuit pharetras Armenius Scythia frigora fervent calore fidei, &c.* An non idem de Sancto meo Xaverio, mihi liceat ingeminare? nam quod ejus aliud vexillum, quã JESUS Crucifixus, quem ubique & omnibus expoſuit. Loquimini vos Goani: dicite vos Phœ-

Phœbo aduſtæ gentes, vos Indi, an non fanorum everſiones ſpectaſtis? clamate, vos Ceilani, an non didiciſtis pſalt.? an non Dei laudes audjiſtis? Vos Meliaporenſes, prodite in medium, vos Travancoridos incolæ, vos Malacenſes, an non & vos, ſol noſter Xaverius, calore fidei, & divinæ caritatis æſtu magis inflammavit?

§. 16. *Ejus amici illi diſſuadent iter Iaponenſe.*

Dum Malacæ rem Chriſtianam egit ſtrenuè, multa audiit de inſulis Japoniæ, diſſitis ab Indiis, mille trecentis leucis, partim cum dolore, quod intelligeret, nullam ibi eſſe cognitionem Chriſti & Evangelii, partim cum gaudio, quod videret ſibi de cœlo offerri occaſionem, plus ultra, quaſi in arcem idololatriæ, inferendi ſignũ Crucis: Itaque cùm ex amicis, ex nautis, ex advenis, ex mercatoribus itentidem interrogaret multa de illarum Inſularum ſtatu, & aditu, de incolarum moribus, facile illi conjecerunt, id quod erat, Xaverium cogitare relictis Indiis abire in Japoniam: ignis & zelus Xaverii in corde latere non poterat, quin erumperet in lucem, ergo ejus amici illud iter modis omnibus diſſuadere, prætendere itinerum difficultates, exaggerare pericula, dicere, eſſe illas Inſulas terminum mundi, iter ferè impervium, mare, per quod aditus patet, eſſe periculoſiſſimum, ob ventum quendam Typhonem, cui ex navibus pluribus vix una reſiſtere valeat; quibus omnibus, naufragiorum pericula, gurgites, ſcopuli ac ſyrtes accederent; rem eſſe inſolitam, ſi tertia quævis navis, portum incolumis attingat: Conſideraret perpetuas indignantis illius Oceani tempeſtates; infames mille naufragiis rupes, conſpirantia in navigantium funera, ventorum prælia: eſſe prætereà, Japonenſes, homines barbaros, feros, incultos.

§. 17. *Invictus Xaverii animus.*

Verùm Franciſci animum (ut ait ejus Vita) *mortis contemptorem, divinaque Providentia fiducia ſubnixum, nihil objecta pericula movebant, imò deſideria ejus accendebant magis, cui in votis erat, mori pro Chriſto: præcipuè in cauſa tam nobili: cùm illi objicerentur naufragia, emergebat animus: cùm depingerentur frigora, inardeſcebat ſpiritus: cùm deſcriberentur itinera, parabantur in Evangelium pedes: cùm periculorum fieret mentio, armabatur pectus: unaq; illa, quantumvis ampliſſima, & par mille heroibus, tolerandorum ſcena, Xaverii ſitim, non ita poterat extinguere, quin, repetitis clamoribus, Amplius Domine: Amplius Domine: ingeminaret.*

§. 18. *Ejus ad amicos oratiuncula.*

Amicis denique hoc reſponſum dedit. Nihil ſe horum pertimeſcere: niſi forte crederent, quò ipſi peregrinarum cauſa mercium iſſent, Franciſcum pro DEI gloria, & animarum ſalute, proficiſci non audere. *Neque enim cum Oceanum tranſmitterem*, ajebat, *Indiam ſolùm & vicina India loca, ſed ultima Orientis Evangelio deſtinavi: Verè dicam; pudet me, nondum Chriſti religionem, invexiſſe in eas regiones, unde jam dudum inſtitores, caducas exportaverunt merces. Ibo itaque intrepidus; Divina Pro-*

Providentia ingentia habeo pignora. Ex Europa feliciter appuli in Indiam. Travancorinenſium rabiem, Badagarum inſidias, pyratarum occurſus, Mauricorum tyrannidem, &c. vici & effugi: ſed omnes hæ Provinciæ, & regna adhuc (ut cum Iſaia loquar cap. 49.) *anguſtus mihi ſunt locus, quærendum eſt ſpatium, ubi habitem; ſi in hoc itinere mors mihi oppetenda ſit, non modò pulchram, ſed beatam & glorioſam illam fore judico.* Forte brevi ſuæ dictioni S. Xaverius finem impoſuit paucis verbis D. Cyrilli Alexandrini, *omnium periculorum Chriſtus ſolutio eſt*: Talia dixit Xaverius, & ad iter Japonenſe ſe accinxit.

§. 19. *Epilogus & Apoſtrophe ad S. Xaverium.* O Xaveri! O ſol Oriens, populo ſedenti in tenebris! O animarum piſcator nobilis: ad te mea, portum quærens, ſe convertit oratio: non fallor, anguſtus tibi eſt omnis locus in terris; animi tui magnitudo, tuus zelus, tua in Deum hominesque caritas, ampliora ſpatia meditantur; cum ſole, omnis impatiens moræ, ad totum Orbem illuſtrandum properas: Propera itaque cum ſic lubet; feſtina, anhela, urge, quod cœpiſti ſalutis negotium; diffunde in omnes, ſi fieri poteſt, Orbis angulos, radios tuos, lucem tuam, ignes tuos, virtutem tuam. Spectatores habes illuſtres, ſpectant te homines atque elementa, & admirantur: Suſpiciunt bruta animalia, & ſtupent; nocturæ cœlorum faces, lucidiſſimi noctis oculi cum admiratione te cœleſtem hominem, contemplantur; vident ſancti Angeli, & exultant: Ipſe denique Deus, Amor tuus, ſcopus tuus, centrum tuum, videt, & tuis laboribus, votis, ſuſpiriis, conatibus, itineribus, periculis, moleſtiis, delectatur.

CONCIO LVI.

FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

De qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus, Matth. 1. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VAriis diſcurſibus oſtendit, Mariam conceptam eſſe ſine peccato Originali. Affectus gratulationis & Amoris erga eandem.

Digitized by Google

§. 1. *Sola Maria inter omnes creaturas ſub ſole, ſola, tota eſt pulchra, quod oſtenditur per varia ejusdem elogia.*

§. 2. *Proſecutio & propoſitio Concionis.*

§. 3. *Inter duas Virgines, quæ inciderunt in latrones, una ab illis ſpoliata, mox tamen liberata fuit; alteri plane non nocuerunt: Vtra felicior?*

§. 4. *Applicantur hæc B. Virgini in Conceptione.*

§. 5. *Mulieres Germanæ judicarunt ſummum probrum, duci in captivitatem à Romanis; majus probrum fuiſſet Virgini, fieri captivam diaboli: ideo Filius pro Matre ſua pugnavit fortiter.*

§. 6. *Ex duabus Virginibus in horto, una fuit læſa à ſerpente, ſed ſanata, altera cōtrivit ſerpētē ſine læſione. Vtra felicior? Applicatio ad beatam Virginem.*

§. 7. *Ex duobus vitris, in uno aliquando fuit venenum, in altero nunquam. Vtrum mundius? applicatio.*

§. 8. *Similis diſcurſus de duplici navi per varia pericula.*

§. 9. *Variæ arbores pulchræ ſunt emblemata Immaculatæ Conceptionis.*

§. 10. *Ieroſolyma liberata fuit è manibus Senacherib. An felicior ſi devaſtata, deinde reſtaurata fuiſſet: Applicatio ad Beatam Virginem.*

§. 11. *Beata Virgo Mater Dei nunquam cum Filio rediit in gratiam, quia nunquam diſplicuit.*

§. 12. *Epilogus cum affectibus amoris & gratulationis.*

§. 1. Sola Maria inter omnes creaturas ſub ſole, ſola, tota eſt pulcra: quod oſtēditur per varia elogia.

INter illa elogia quibus ex ſacra ſcriptura Immaculatam Virginis Conceptionem Interpretes aſtruere & probare ſolent, hic mihi placet; quod dicatur Virgo *ſine macula*: vel, ut cum ſponſo loquar in Canticis, cap. 4. v. 7. quod *tota pulchra* ſit, & macula non ſit in illa: Super quæ verba, Idiota ait; *Tota pulchra es Virgo glorioſiſſima, non in parte, ſed in toto, & macula peccati, ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis non eſt in te, nec fuit unquam, nec erit.* Eminet hoc titulo Maria ſuper omnes alias puras creaturas, inter quas nulla tota pulchra appellari poteſt. Pulchrum eſt cœlum, ſed ſæpe turbidum & nubibus obductum

ductum: Pulcher eſt ſol, pulchra luna, pulchræ ſunt ſtellæ; habent tamen ſuas maculas, umbras, nævos & frequenter patiuntur eclipſes. Pulchra eſt iris, ſed in atra & arida nube: Pulchra ſunt ſpecula, ſed leviſſimo halitu inficiuntur: Pulchrum eſt aurum; ſed habet admixtas fæces, quæ igne debent excoqui: Pulchrum eſt lilium, radix eſt ſordida. Pulchra eſt roſa, ſed non ſine ſpinis. Superbit ſua Pulchritudine pavo; Pulchri ſunt oculi columbarum & ſordidiſſimos natura illis dedit pedes. Facies humana formoſiſſima, vel in labiis, vel fronte, vel oculis aliquam oſtendit defectum; imò in Angelis Deus reperit pravitatem.

§. 2. Proſecutio & propoſitio Concionis. Eccleſ. 50. 6.

Sola Maria eſt, quæ eſt tota pulchra, & ſine omni macula atque imperfectione. Hæc eſt cœlum, quod nunquam fuit turbidum, neque in primâ Conceptione. Tota fuit immaculata: Sol eſt Maria, tota ſine macula: luna, ſine omni eclipſi; ſtella matutina, tota lucida, ſine omni umbra. Iris eſt Maria, in aurea ſemper nube. Speculum, quod nullius peccati infecit halitus; Lilium, cujus etiam radix fuit formoſa; Roſa ſine ſpinis; Columba fuit, cujus pedes & primi greſſus in hunc mundum tam fuerunt pulchri, ut Angelos rapuerit in admirationem: Cant. 7. v. 1. *Quã pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis Filia Principis.* Verbo; Una & ſola Maria eſt & fuit tota pulchra, ſine omni macula: Semper mihi placuit illud ſymbolum vel emblema, in quo ſuper concham maris pretioſâ margaritâ gravidam hoc lemma lego: *Una & ſola.* Sed una & ſola Maria eſt talis margarita: *Candore notabilis ipſo*, ut ait Ovidius *libro primo Metamorph.* Quia tamen aliquibus videri poteſt, pulcherrimum hoc cœlum, in primo ſaltem Conceptionis inſtanti nonnihil fuiſſe turbidum: hunc ſolem aliquam paſſam fuiſſe eclipſim, &c. ob peccatum Originale, in quo omnes filii Adæ concipiuntur; hac panegyri aliquot proferam diſcurſus, quibus auditis, vos cupio eſſe judices & arbitros, ut dicatis libere, quinam de Maria loquantur honorificentius, an illi qui volunt fuiſſe conceptam in peccato originali, an illi qui immaculatam ejus aſſeſſerunt Conceptionem?

§. 3. Inter duas Virgines, quæ inciderunt in latrones una ab illis ſpoliata fuit, deinde liberata: Alteri plane non nocuerũt: Utra felicior?

Nuper cum duo Principes filii, regias ſponſas in peregrinis regionibus ſibi deſponſatas magnâ pompâ domum ducerent, in viâ inciderunt in latrones: alter juvenum ſuam ſponſam gladio & clypeo adeo fortiter defendit, ut nec minimo vulnere fuerit ſauciata: multò minus permiſit, ut vel momento latronum fieret captiva & præda: Alter verò, & ipſe fortis & generoſus

Juvenis, permiſit ſuam ſponſam à latronibus ligari vinculis, duci captivam, imò lethaliter vulnerari: Mox tamen eandem liberavit, vulnuſque lethale ſalutari ſucco & balſamo feliciter ſanavit: Hac ratione utraque ſponſa fuit conſervata. Sed, quia judices & arbitros vos conſtitui, dicite ſententiam, uter juvenum egerit prudentius, uter ſponſæ ſuæ majorem exhibuerit benevolentiam, cujus honori ex duabus magis & majori cantelâ fuerit proviſum: ni fallor, unâ voce omnes, priorem fuiſſe feliciſſimam pronunciabitis: priori ſponſo debetur palma.

§. 4 *Applicatur hæc B. Virgini in Conceptione.* Ecce controverſiam, & litem, quæ movetur contra puriſſimam Virginem, & immaculatam Dei Matrem electam & dilectam cœleſtis ſponſi ſponſam. Cum hodie in hunc mundum fuit inducta, cum fuit concepta, obviavit illi terribilis latro, peccatum originale: quæritur an ſponſus cœleſtis, filius Altiſſimi, vel Spiritus Sanctus, permiſerint hanc Virginem ab illo lædi, & maculari: an permiſerint illam abduci in miſerrimam captivitatem: an verò, prout potuerunt, illam ab omni originariæ labis noxâ præſervarint immunem? Nolo expectare veſtram ſententiam, omnium nomine dirimo litem & dico: primo momento Conceptionis Filius Dei & Spiritus S. & Pater Cœleſtis, tota ſanctiſſima Trinitas Filiam, Matrem, Sponſam, Reginam, Dominam, ita defenderunt, ut infernalis ſerpens illam lædere non potuerit, nec captivam abducere, & meritò.

§. 5. *Mulieres Germanæ judicarũt ſummum probrum duci in captivitatem à Romanis Majus probroſum fuiſſe B. Virgini. fieri captivam diaboli. Filius pro Matre pugnavit fortiter.* Irruentibus Romanis in Germaniam, Germanæ mulieres dixerũt viris; *Pugnate fortiter pro nobis, ne nos videatis captivas Romanorum*: tam turpe, tantum dedecus illis viſum fuit etiam Romanorum eſſe captivas. Et dicemus fœminarum pulcerrimam, Reginam cœli & terræ, etiam exiguâ temporis morâ fuiſſe in poteſtate peccati & diaboli: cœleſtem ejus ſponſum potuiſſe quidem pro illa pugnare fortiter, & eripere illi periculo, ſed non feciſſe: ſed poſtmodum liberaſſe, & ſanatam à vulnere peſſimo, mundatam à macula turpiſſima, ornaſſe pulcerrimis gratiæ ornamentis. Ego de dilectiſſimo puriſſimæ Matris Filio, de pulcerrimæ Virginis Sponſo, tale quid mihi perſuadere non poſſum: mihi certum eſt, quod pugnarit prò illa fortiter, & impediverit, quo minus peccato originali contaminaretur. Pro forti pugna, pro felici victoria regius Pſaltes in perſona Virginis DEO cecinit laudes, Pſalm. 136. v. 8. *Obumbraſti ſuper caput in die belli*: quæ verba Abulenſis in S. Matth. ſic explicat. *Caput principium vitæ eſt; dies belli eſt inſtans illud Conceptionis, in quo dæmon peccati originalis maculâ dominatur de anima, quo inſtanti ſubjicitur poteſtati dæmonis.* Principium autem vitæ B. Virginis obumbratum fuit ab inſtanti Conceptionis, & nullam contraxit maculam Originalem; unde gratias agens pro tanto beneficio dixit, *Obumbraſti caput meum in die belli*: quod verbum, *obumbraſti*, placuit S. Bonaventuræ in Spec. Virg. c. 9. *O Maria, Dominus tecum fuit,*

fuit, tecum eſt, tecum erit; tecum fuit in Conceptione, te obumbrans adverſus omnia peccati Originalis ignea tela.

§. 6. *Ex duabus Virginibus in horto una fuit læſa à ſerpente, ſed ſanata. Altera contrivit ſerpentem ſine læſione, Utra felicior? applicatio ad B. Virginem.*

Pergamus ad alterum ſimilem diſcurſum. Nuper duæ ſpecioſiſſimæ Virgines obambularunt, inter flores in amœniſſimo horto; O infortunium! altera, quia diſcalceata niveis pedibus latentem ſub herbis ſerpentem compreſſit, qui venenatâ linguâ lethalem morſum Virgineis inflixit pedibus, & periiſſet, niſi ſtatim peritus medicus veneni flammam extinxiſſet. Salutaris medicina læſam Virginem ſtatim à peſtifero vulnere liberavit. Idem ſerpens & alteri virgini inſidias ſtruxit, inſidiatus calcaneo ejus, ſed quia aureis induta fuit calceis, venenata viperæ lingua eos penetrare non potuit; imò fortiſſima Virgo contrivit caput ejus! Ecce iterum controverſiam de immaculata magnæ Matris Conceptione! an à ſerpente originalis peccati ſaltem aliquo momento læſa fuerit, vel non? Hodiernâ die per conceptionem hunc mundum fuit ingreſſa; quæritur, num diſcalceata, ita ut infernalis ſerpens illam mordere & lædere potuerit, quod tamen vulnus mox per gratiam ſanctificantem ſanatum fuit; An verò à ſponſo ſuo Spiritu Sancto, aureis divinæ gratiæ & caritatis calceis ita fuerit induta & præmunita, ut illæſa ipſa, ſerpentis caput contriverit? Sic ego & mecum plurimi ſentiũt; tum quia ab initio mundi hoc Deus in paradiſo ſerpenti fuit minatus, *Ipſa conteret caput tuum*, Geneſ. cap. 3. v. 15. tum quia piis auribus diſplicent hæ propoſitiones; ego illas plane abhorreo. B. Virgo vel momento infecta fuit veneno peccati turpiſſimi, quale eſt originale. Saltem momento infernalis ſerpens illam læſit. Saltem momento fuit turpis, miſera in conſpectu Dei. Procul talia à feliciſſima Virgine, ſub cujus pedibus non luna tãtùm jacet, ſcabellum pedum ejus, ſed & originarius ſerpens cum contrito capite. Terreſtrem Evam ille in paradiſo ferire potuit, non Cœleſtem, quæ paradiſus eſt, & hortus concluſus fuit in prima Conceptione. Quæ dixi, ferè omnia mihi ſuggerit Rupertus Abbas: ait enim: *Idcirco Ancilla, nempe Eva, calcaneum à ſerpente admorſum, quia diſcalceata erat. Tu verò filia Principis, probè calceata, ſerpentis caput contriviſti.* Jam dixi, Evam ancillam; ſerpens illam lædere potuit, non Reginam, non Dominam, non Filiam, non Matrem, non Sponſam, non Mariam.

§. 7. *Ex duobus vitris in uno aliquando fuit venenũ, in altero nunquam, utrum mũdius? Applicatio ad B Virginem.*

Nuper regius Legatus magno Principi dono obtulit duo vaſa; materiam ſi quæras, aurea, argentea, gemmea; Si artem elaboratiſſima. Retulit tamen, in uno fuiſſe aliquando aſſervatum venenum; jacuiſſe illud idem in ſordibus; extractum tamen fuiſſe, & expurgatum. Alterum vas manſiſſe ſemper intactum & immaculatũ. Ex utroq; hoc utiq; ſi fas eſſet, eligeretis omnes. Ecce iterũ hodiernam controverſiam de immaculata Virginis Conceptione. Vocatur ab omnibus *vas electionis, vas ſpirituale, vas inſigne devotionis, aureum, argenteum gemmeum!* Videtur quibuſdam in hoc vaſe fuiſſe ſaltem per

Digitized by Google

momentum venenum, jacuiſſe & illud in ſordibus peccati originalis, ſed mox fuiſſe mundatum per gratiam à Spiritu S. O Virgo immaculata! nos aliter de te ſentimus, quoties in Lauretaniis Litaniis te ſalutamus; *Vas honorabile*, *Vas ſpirituale*, *Vas inſigne devotionis, ora pro nobis*, ſubintelligimus, in quo nec momento fuit venenum, vel lues peccati etiam originalis.

§. 8. *Similis diſcurſus de duplici navi per varia pericula.*

Nuper in Gaditano Hiſpaniarum portu advenerunt binæ ditiſſimæ naves ex Indiis, onuſtæ gemmis & auro; ſed per varia pericula. Nam 1. inciderunt in pyratas, una expugnata & direpta, mox tamen à ſtrenuo duce denuò liberata, libertati fuit reſtituta, recuperatis etiam ſpoliis. Alteram navem, ſtrenuus alter Dux ita propugnavit fortiter & feliciter, ut nullus hoſti patuerit aditus. 2. Liberæ à pyratis, alliſæ fuerunt ad ſcopulos; una hauriens aquas fuiſſet ſubmerſa, niſi nautarum peritia & diligentia illi ſubveniſſet: alterius navis aſſeres tam fuere fortes, ut à ſcopulo confringi non potuerint, ideò evaſit periculum 3. Unius navis aſſeres corroſi fuerunt in via à vermibus, quapropter refici debuit. Alterius navigii aſſeribus ex ligno incomputreſcibili, vermes & putredo nullum damnum inferre potuerunt. Adverto ex veſtris oculis Auditores, quam ex duabus navibus judicetis feliciorem: ni fallor, iterum advertitis propoſitam à me controverſiam. Domina noſtra Virgo Maria ab ipſo Spiritu S. Proverbiorum 3. v. 14. & paſſim à ſanctis Patribus, vocatur pulcerrima & ditiſſima navis, onuſta gemmis, gravida auro, portans panem Angelorum. Hodie procelloſum hujus mundi mare atque pelagus hæc navis ingreditur: quidam dicunt initio ſtatim ingreſſus, in primo Conceptionis inſtanti, à terribili pyrata, à peccato Originali fuiſſe expugnatam & direptam, mox tamen liberatam à Spiritu S. Nego, & dico, Filium Dei ſtrenuum ducem primo illo momento hanc navim ita propugnaſſe, ut nullus hoſti patuerit aditus. Terribilis in hoc mari ſcopulus eſt peccatum Originale; quidam ſentiunt, pulcherrimam hanc navim in primo curſu alliſam hauſiſſe communes maledictionis aquas: nego, & aſſero, navim illam à Spiritu Sancto primo Conceptionis momento, ex tam fortibus gratiæ lignis fuiſſe compactam, ut ſcopulus ille, illi nocere non potuerit: illæſa ſcopulum pertranſiit. Senſerunt hactenus aliqui, aſſeres hujus navis à verme & turpi putredine peccati originalis ſaltem momento fuiſſe corroſos: nego & aſſevero, aſſeres hujus navis fuiſſe ex lignis, quibus vermis ille nocere non potuit.

Qualia ligna fuerint, ſcimus ex cap. 24. v. 17. Eccleſiaſtici. *Cedrus exaltata in Libano: cypreſſus in monte Sion: palma exaltata in Cades; plantat o roſæ in Jericho*: Oliva ſpecioſa in campis, cinnamomum, balſamum. Pulcherrima ſymbola & emblemata immaculatæ Conceptionis. Cedrus odore ſuo in prima plantatione fugat ſerpentes; in cedro nullus unquã creſcit vermis. Cedrus in conceptione

§. 9. *Variæ arbores pulchra fuerunt emblemata immaculata Conceptionis.*

tione fuit Maria, primo momento fugavit ſerpentem & vermem peccati originalis. Cypreſſus ridet ventos; nullus Aquilo huic arbori nocere poteſt. Navis cypreſſina fuit Beata Virgo; licet primo conceptionis momento in ejus exitium, una Eurus Notusque ruerint & conſpirarint, una diabolus & peccatum Originale; hanc tamen navim nec unico momento ſubmergere non potuerunt. Cypreſſus fuit Maria. S. Ambroſius ſerm. 4. in Pſalm. 118. v. 102. *Solam hanc arborem ventus nunquam ſuo honore deſpoliat, ſola nunquam veteri exuitur amictu.* Nec unquam Maria honore gratiæ deſpoliata, vel caritatis amictu exuta fuit. Palma eſt ſignum victoriæ, armata foliis, quæ gladios referunt. In primo Conceptionis momento B. Virgo fuit palma; ſponſi armata gladio ſemper victorioſa. In roſa nullus unquam eſt fœtor, dum ex calice prodit, fragrat. Roſa fuit Maria etiam in Conceptione, nullus in illa unquam fuit fœtor etiam peccati originalis; ut in mundum prodiit, paradiſi ſparſit odores: Olivæ nullus nocet grando, nulla illam verberat tempeſtas; multo minus Mariæ, Olivæ tam ſpecioſæ peccati nocuit grando; Cinnamomum teſte Delrio in cap. 4. Canticorum, talis eſt naturæ, ut perimat genita ex aliqua corruptione, & quæ turpior corruptio quàm peccatum, ex quo natus fuit turpiſſimus ille vermis originariæ labis? Sed primo momento Conceptionis pulcerrima Virgo per gratiam Spiritus Sancti & peculiarem dilectionem cœleſtis Sponſi, fuit cinnamomum, quæ vermem illum peremit. Probat S. Auguſtinus, Corpus B. Virginis manſiſſe poſt mortem in ſepulchro planè incorruptum hoc argumento: *Neutiquam enim conveniens erat, ut caro ſanctiſſimæ Virginis, quæ eadem erat cum carne Filii, corroderetur à vermibus.* Arbitror ego, multo minus fuiſſe conveniens, ut ejuſdem Virginis & Matris anima, vel momento roderetur & computreſceret à ſerpēte, & putredine peccati Originalis. Sed propero ad alia.

4. Reg. 19. impius Sennacherib longâ obſidione Jeroſalymam ad extrema redegerat; miſertus tandem Dominus ait: v. 32. *Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, protegamq; urbem hanc, & ſalvabo eam*; quod etiam contigit. Nunquid Auditores rideretis illum, qui diceret, melius fuiſſe, ad modicum ſaltem tempus urbem relinquere furori Senacherib, direptioni militum, & devaſtationi; occupatam, direptam, devaſtatam potuiſſe reſtaurari. Simile quid quæritur de B. Virgine. Vocatur & eſt pulcerrima Civitas, cui à ſanctis Patrib. accommodantur verſus illi Davidici, ex Pſ. 86. v. 3. *Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei.* ex Pſ. 47. v. 3. *Fundatur exultatione univerſæ terræ civitas Regis magni*; id eſt, hodierna die, cum ingenti gaudio totius univerſi concepta eſt Virgo Maria; credant, qui volent, etiam primo conceptionis momento cœleſtem Jeroſolymam ab infernali Senacherib fuiſſe devaſtatam; in hanc quoq; urbē cecidiſſe igneam ſagittā

§. 10. Jeroſolyma liberata fuit à manibus Senacherib. An felicior, ſi devaſtata, deinde reſtaurata fuiſſet. Applicatio ad B. Virg.

peccati

peccati originalis, paulò tamen poſt fuiſſe reſtauratam & elegantiſſimè ornatam. Nos ſic loquimur. Non potuit ingredi hanc urbem, dum fūdata fuit, Spiritus S. occluſit portas, & fortiſſimis circumvallavit muris. In hanc urbem diabolus igneas ſagittas mittere non potuit, DEUS protexit illam, & ſalvavit eam; Judices eſtote, & æſtimate, quinam de civitate hac, de DEI Matre, de Maria, loquantur honorificentius; quinam dicant glorioſa. Si de Eſthere dixit S. Hieronymus, talem fuiſſe, ut nunquam de illa, etiam maledicorum, quidquam auderet fama confingere. Si de Juditha formoſa vidua legimus cap. 8. v. 8. *Nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Quare de DEI Matre, de venuſtiſſima Virgine, quam omnes diligimus, loqui volumus tam malum verbum, quod concepta fuerit in peccato originali: tam malum verbum, quod vel momento fuerit turpis in conſpectu ſpōſi; tam malum verbum, quod fuerit captiva Sathanæ; quare confingere volumus, quòd tam atrocis fuerit particeps maledictionis: loquamur potius verbum bonum.

§. 12. *B. Virgo Mater Dei, nunquam cū Filio redit in gratiam.*

Valerius Maximus de pietate erga parentes refert, Pompejum Atticum gloriari ſolitum: *cum Matre meâ nunquam in gratiam redii*: viciſſim Mater ſolita fuit dicere; *Cum filio meo nunquam in gratiam redii*, quaſi diceret, nunquam offendi filium meum, nunquam diſplicui oculis ejus, nunquam illi fui inimica, vel ille à me averſus. Hoc laudat antiquitas, & nos dicemus, inter Filium DEI & Matrem ejus ſanctiſſimam fuiſſe aliquando inimicitias, ſed mox compoſitas; fuiſſe aliquo momento extra filii gratiam, ſed rediiſſe. Suavius auribus Cultorum Mariæ influunt hæ propoſitiones; fuit illa Virgo concepta immaculatè, ut gloriari & dicere poſſit, cum Filio meo JESU nunquam redii in gratiam, quia nūquam ſub ullius peccati fui jugo, quia nunquam illum offendi; ſemper pura, ſemper ſine macula, ſemper & tota pulchra.

§. 13. *Epilogus cū affectibus amoris & gratulationis.*

Duo proinde hodie deſidero: Primum eſt, ut omnes mei Auditores auditis his diſcurſibus, intellectæ propoſitioni huic, & quaſi articulo fidei firmiſſimè aſſentiantur: Virgo Maria concepta fuit ſine peccato originali, ſemper, ſola, & tota pulchra. Fonti dulciſſimo ſcaturienti ex ſalſis aquis Oceani ingenioſus pictor hoc addidit lemma: *Nil habet amari:* talis fons eſt Maria; ſcaturit inter amaras aquas peccati Originalis, concipitur, naſcitur ut reliqui homines; ſed nil habet amari. Alterum eſt, ut immaculatam & puriſſimam hanc Virginem, ardentiſſimo proſequamur amore. Eſtne amor noſter ſagitta? Scopus ſit Maria. Eſtne amor noſter theſaurus? inveniat illum Maria. Eſtne amor noſter circulus plenus lineis deſideriorum? centrum ſit Maria. Eſtne annulus? gemma ſit Virgo immaculatè concepta. Eſtne pondus? inclinetur ad illam, ſi amor tuus ſit ſol, Maria ſit horizon; ſi luna, ſit ſcabellum pedum ejus. Si corona! imponatur capiti hujus Virginis; ſi amor

tuus

tuus ſit roſa, ſi gemma: ſi ſtella; ornent caput hujus Reginæ. Si fortaſſis amor noſter ſit ſubſequium; ſequamur Mariam. Si lampas; luceat & ardeat Mariæ. Si Echo, reſonet Mariam. Si ſubinde amor noſter ſit Arithmeticus, numerat guttas in mari, arenas in littore, ſtellas in cœlo, flores in hortis, arbores in ſylvis, folia in arboribus; totque deſideremus corda, quibus amemus Mariam; tot ſuaviſſimos affectus, quibus illi de immaculatâ Conceptione aggratulemur, tot linguas & voces quibus clamemus, *Vivat Virgo, concepta ſine peccato Originali*: Finio, O Virgo! O Mater! ſcimus, quòd pulchra ſis mulier, & tota pulchra; dic ergò, quæſumus, Filio tuo, quod Mater noſtra ſis, ut bene ſit nobis propter te.

CONCIO LVII.

FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum, Joannis 20. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGo ex hodierno Evangelio de converſione S. Thomæ, quem Eccleſia paucis diebus ante Chriſti Nativitatem nobis proponit, ut ejus exemplo per ſeriam pœnitentiam nos convertamus ad Chriſtum, & ad ſanctiſſima ejus vulnera cum Thoma confugiamus. Miſcentur varia de infinita Chriſti D. miſericordia, & ſuaviſſimo ejus modo, quo ad ſe trahit etiam obſtinatos peccatores.

§. 1. *Eccleſia nobis proponit peccatum & converſionem S. Thomæ, ut agnoſcamus infinitam Chriſti miſericordiam, erga peccatorem, & modum, quo illum convertit.*

§. 2. *Tanti eſt converti peccatorem, ut tres Perſonæ SS. Trinitatis concurrãt.*

§. 3. *Filius Dei, Chriſtus D. ipſe quærit peccatorem.*

§. 4. *Ipſe vulneratũ ſanat vino & oleo.*

§. 5. *In converſione peccatoris, ſive juſtificatione impii, innovantur varia miracula. Beſtiæ datur cor hominis ex Dan. 7 cap.*

§. 6. *Ex ſilice, ex corde duro exſcinduntur rivuli lacrymarum, per manum Chriſti.*

§. 7. *Et virgam ſanctiſſimæ crucis.*

§. 8. *In cruce converti latronem, ingens fuit miraculum Chriſti Domini.*

§. 9. *Oſtenditur idem in ſuſcitatione Lazari.*

§. 10. *Et in probatica piſcina Ioannis 5. c.*

§. 11. *Chriſtus D. in converſione Thomæ ſuaviter cum illo egit. Figura habetur lib. 3. Reg.* 19.

§. 12. *Alia figura ex c. 33. Exodi.*

§. 13. *Chriſtus D. fuit peritus & ſuavis Medicus.*

§. 14. *Pulchra praxis inſpiciendi cum fructu vulnera Chriſti; præſertim in converſione peccatoris.*

§. 15. *Epilogus eſt brevis hiſtoria, cum vehementi motu, & adhortatione ad pœnitentiam.*

§. 1. *Eccleſia nobis proponit peccatum & converſionem S. Thomæ ut agnoſcamus infinitam Chriſti miſericordiam erga peccatorẽ & modum illum convertit.*

IN Evangelio Feſti Sancti Thomæ Apoſtoli, Mater noſtra Eccleſia ejus infidelitatem, & pertinaciam nobis proponit, duplici de cauſa. Prima eſt, ut ex una parte intelligamus infinitam Chriſti Domini benignitatem, & miſericordiam, qui oſtenſione Vulnerum ſuorum, Thomæ in credendo pertinaciam frangere fuit dignatus. Videtur feciſſe Salvator noſter, quod olim fecit Antipater Idumæus, qui coram Imperatore, de rebellione accuſatus, non multis peroravit, ſed aperto thorace oſtendit pro patriâ excepta vulnera, q. d. ex his cognoſcite, quis ſim! Idem fecit piiſſimus Jeſus, oſtendit Thomæ veſtigia & cicatrices glorioſiſſimorum vulnerum, in manibus, pedibus, & in pectore, quaſi diceret; Thoma ex his cognoſce, quod ſim Jeſus Nazarenus, his diebus crucifixus; & ſtatim agnovit: Thomas, mox procidit in genua exclamans, *Dominus meus! Deus meus!* Altera cauſa, ob quam Eccleſia hoc tempore adventus, paucis diebus ante Chriſti D. Nativitatem nobis proponit, eſt, ut ex alterâ quoque parte videamus, qua ratione magni peccatores, exemplo S. Thomæ converti debeant, & redire ad Dominum Deum ſuum: nam, ut ait S. Ambroſius l. 10. in Lucam cap. 22. v. 62. *Etiam lapſus ſanctorum utilis eſt: mihi nocuit, quod negavit Petrus; profuit quod emendavit:* Exemplo S. Petri, multi graviſſimi peccatores, egreſſi ſunt in antra pœnitentiæ, & fleverunt amarè! Exemplo S. Mariæ Magdalenæ, Luc. 7. v. 8. plurimæ peccatrices, lacrymis deinde rigarũt pedes Crucifixi. Exemplo S. Thomæ multi peccatores, obſtinati & pertinaces, tandem auxilium & refugium quæſiverunt in Vulneribus Chriſti: Hæc & ſimilia; potiſſimùm verò hæc duo puncta. 1. Alicujus Thomæ, vel gravis peccatoris converſionem & pœnitentiam, Divinæ Bonitati, atq; infinitæ Chriſti D. Miſericordiæ eſſe aſcribendam. 2. Suavem modum, quo quidam, diu obſtinati peccatores, tandem convertuntur; hac Concione latius explicabo; omni contentione enitar, an forte per DEI gratiam, in efficacia Sanctiſſimorum Chriſti Vulnerum, aliquem peccatorem movere poſſim, ut adhuc, paucis diebus, qui ſuperſunt ante Chriſti D. Nativitatem, cum Thoma veram agat pœnitentiam, & ſic viam dirigat Domino, qui venturus eſt.

§. 2. *Tanti eſt, converti peccatorẽ ut Tres Perſonæ SS. Trinitatis concurrant.*

Tanti eſt, gravem & pertinacem peccatorem converti, ut Chriſtus D. dixerit cap. 6. v. 66. Sancti Joannis, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum, &, Nemo poteſt venire ad me, niſi ei datum fuerit deſuper.* Nemo? quantò minus

nus gravis peccator! inſinuat his verbis Salvator noſter, omnes tres Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis, cōcurrrere ad converſionem peccatoris; nam inprimis opus eſt, ut in converſione fiat mirabilis quædam immutatio, tenebrarum v. g. in lucem, mortis in vitam, odii in amorem, ſuperbiæ in humilitatem; in quibus omnibus elucet & neceſſaria eſt omnipotentia Patris, quæ obſtinati hominis voluntati imprimit quendam motum, quo incipit velle, quod nolebat, & nolle, quod volebat. Niſi hodie Pater cœleſtis, voluntati pertinaci Thomæ primum motum ad fidem, impreſſiſſet; nunquam credidiſſet, nunquam in incredulitate ſua fuiſſet immutatus. Deinde, in converſione peccatoris, neceſſaria eſt, vel ſplendet ſapientia Filii, quæ miris modis illuminat intellectum, & inclinat, ut approbet, quod reprobet, ut reprobet quod approbavit; niſi benigniſſimus Dominus poſt glorioſā ſuā Reſurrectionem, radiis quibuſdā, & admirabili luce, ex ſacris Vulneribus irradiante, Thomæ intellectū illuſtraſſet, nunquā crediſſet. Denique, in converſione peccatoris, neceſſaria eſt & elucet, infinita Dei bonitas, Miſericordia, Amor; quæ attributa Spiritu Sancto attribuuntur; Verbo, DEI, Chriſti Domini, Sanctiſſimæ Trinitatis, opus eſt converſio peccatoris.

§. 3. *Filius Dei, Chriſtus D. ipſe quærit peccatorē.* Lucæ 15. capite, v. 5. errabunda ovicula vagatur inter vepres: ut reducatur, & eruatur ex ore luporum: bonus Paſtor, non miſit ſuos famulos, non canes, quæſitum oviculas: ſed ipſe abiit, ipſe quæſivit, ipſe humeris ſuis impoſitam retulit ad ovile. Iſaiæ 40. v. 11. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet; in brachio ſuo congregabit Agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit.* Errabunda ovicula erat Thomas, quaſi in rictu infernalis lupi; ſed, qui de ſe dixit, *ego ſum Paſtor bonus*, ipſe quæſivit Thomā, ipſe venit, apparuit ipſi, ipſe monſtravit Vulnera ſua; quod piæ fœminæ, quod Apoſtolorum Princeps Petrus, quod alii Collegæ ſuis teſtimoniis obtinere non potuerunt: momento obtinuit præſentia Paſtoris. Errabundæ Oviculæ! peccatores, agnoſcite bonitatem Chriſti Redēptoris veſtri: non tantùm vos quærit per ſuos famulos, per Angelos cuſtodes, per Concionatores, ſed ipſe quærit, ipſe ſtat & pulſat ad oſtium cordis, ipſe offert ſua Vulnera: ſi tam ſitis felices, ut cum Thoma, quis ille ſit, agnoſcatis, & credatis; ut cum Thoma exclamatis: *Deus meus!* ut ſeriò convertamini his feriis Natalitiis, ſoli Deo & Salvatori veſtro id aſcribere debetis.

§. 4. *Ipſe vulneratū ſanat vino & oleo.* Lucæ 10. v. 30. miſer homo incidit inter latrones, à quibus non ſpoliatus tantum, ſed graviter ſauciatus fuit, & periiſſet, niſi tranſiſſet Samaritanus, qui vulneribus infudit vinum & oleum, alligavit illa, deinde jumento impoſitum reduxit in urbem: ſic fuit ſanatus. Pulcerrimū ſchema pœnitentis peccatoris; hic incidit in latrones, cum lapſus fuit in peccata, quæ lethalia & turpiſſima ſunt vulnera animæ: latro eſt diabolus, qui ſauciam animam per peccatum

 tum

tum ſpoliat veſte & theſauris gratiæ. O miſerabilem ſtatum: in quo unus Samaritanus Chriſtus Jeſus miſero peccatori ſuccurrere poteſt: hic ſolus poteſt juvare. Ut ſuccurrat, ut juvet, opus eſt vino, id eſt, ſanguine Filii Dei, neque alio vino vel ſanguine illa vulnera ſanari poſſunt: Opus eſt oleo: id eſt, Divina Miſericordiâ: ſine qua homo, ſemel lapſus in peccatum mortale æternùm perit: Et, O infinitam bonitatem: Chriſtus ipſe factus eſt jumentum, cum ſibi impoſuit Crucem, & cum illâ totius humani generis peccata. 1. Petri, 2. v. 24. *Peccata noſtra ipſe* (cum emphaſi dicitur *ipſe,* nimirum; Non alius) *pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Ipſe eſt paſtor, qui ſanguineis humeris errabundas imponit oviculas: Si fortaſſis aliquis, ex meis Auditoribus, ſpoliatus ab his latronibus, jaceat in ſanguine ſuo, hunc rogo, ut agnoſcat cujus opem debeat implorare, ad quem confugere, ut ſanetur. Salvatio, juſtificatio, immutatio, converſio, pœnitentia, Contritio, fervor, amor, alicujus peccatoris, ſoli Chriſto Deo debet aſcribi, & infinitæ ipſius bonitati, atque miſericordiæ.

§. 5. In converſione peccatoris ſive Iuſtificatione impii, renovantur varia miracula. Beſtia da-

Imò, tanti eſt, peccatorem converti, ut multa ſacræ ſcripturæ miracula in myſtico ſenſu in illa converſione innoventur. Danielis cap. 7. v. 4. *Erat autem quaſi leæna, alas habens aquila, & aſpiciebam, donec avulſa ſunt alæ, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei*: Mirabilis hæc fuit mutatio, leænæ & aquilæ in hominem; Dei illa fuit opus. Talis beſtia, talis leæna, talis aquila eſt peccator; volat alis ſuperbiæ, minatur dentibus iræ & invidiæ, &c. Verùm, O pulcrum ſpectabulum! videre, quomodo peccator has alas, has pennas per humilitatem evellat; pulchrũ ſpectaculum! videre quomodo talis leæna, ante aliquem Crucifixum, coram vulneribus Salvatoris, incipiat ſtare ut homo; ruere cum Thoma in genua, ut homo; flere ut homo, &c. quia datum illi eſt Cor hominis, cor contritum, cor humiliatum. Talia ſpectacula hodie videmus in Thoma: ſed qui tale cor illi dedit, fuit Chriſtus Salvator noſter.

tur cor hominis ex Dan.

§. 6. Ex ſilice, ex corde duro exſcindũtur rivuli lacrymarũ; per manũ Chriſti,

Cap. 28. v. 9. ait Job. *Ad ſilicem mittet manum ſuam, & ſubvertit à radicibus montes, in petris rivos excidit.* ſunt hæc miracula naturæ, ut ſilices & petræ ſtillent aquis, ut ex ſaxis ſcaturiant fontes; ſi itaque Chriſtus D. mittat manum ſuam ad ſilicem, ad aliquem Thomam, ad obſtinatum peccatorem, qui revera ſilex eſt: ſi ſanguinea illius manus de cruce ita ſubvertat cor alicujus peccatoris, ut quamvis durum ſit inſtar petræ, tamen ex illo excindit rivos, ſive lacrymas contritionis, &c. hæc ſunt miracula gratiæ, & opera Divinæ potentiæ atque miſericordiæ; Saxũ, ſilex, petra erat Thomas die Reſurrectionis, auſus fuit dicere; niſi illum *videam his oculis, quibus illum vidi vulneratum in cruce, niſi contrectem manibus illa vulnera, niſi tangam, niſi mittam manus meas in latus ejus, non credam*; O infinitam Chriſti Reſurgentis bonitatem: apparet ergo Thomæ, mittit manum ſuam ad ſilicem,

offert

offert illi palpanda Vulnera, & ſubvertit à radicibus montem, in petræ excidit rivos; ex oculis Thomæ fluunt lacrymæ; Thomæ, leænæ, Aquilæ, ſaxo, momento datum fuit Cor hominis; à Chriſto D. niſi hic trahat peccatorem, niſi hic manum mittat, nemo veniet ad Patrem: Si ſilex amarè ploret, cum Petro, oculis Chriſti id eſt aſcribendum.

§. 7. *Et virgâ Sanctiſſimæ Crucis.* Exodi 27. v. 5. Moyſes portentoſa ſua virga percuſſit petram, & erupit fons aquarum: Hoc miraculum hodie innovatum fuit in Thoma: & innovatur, quoties pertinax peccator convertitur. Sed manu Moyſis, manu Filii Dei; ſed virgæ, ſive Sanctiſſimæ Chriſti Crucis opus eſt; illâ cor peccatoris, ut convertitur, debet percuti: O pulchra miracula & ſpectacula! cum poſt paucos dies videbimus, quomodo parvus Puſio ex præſepio extendet manus ſuas, quomodo ſubvertet ſilices & petras, quomodo ad ſe trahet peccatores! quomodo exſcindet odia: à radicibus: luxuriam: à radicibus: &c. Talia poteſt, qui potens eſt.

§. 8. *In cruce converti latronem, ingens fuit miraculũ ChriſtiD.* Commotio & ſciſſio petrarum, in memoriam mihi revocat miracula, quæ contigerunt in morte Chriſti, Matth. 27. v. 51. obſcuratus fuit Sol: obſcuravit Solis Creator, qui pependit in Cruce: Commota fuit terra: idem commovit: Tremuere montes: idem ille tremere fecit: Sciſſæ ſunt petræ: Scidit Jeſus in Cruce: Quærit nihilominus S. Chryſoſtomus; an non aliud aliquod majus miraculum in cruce perpetrarit? & reſpondet, *Univerſam terruit terram,* (nimirum Filius Dei pendens in Cruce) *petras ſaxaque diſrupit; & omnium lapidum inſenſibilitate animam duriorem*: latronis pendentis quoque in Cruce, *ad ſe traxit, & ad meliora convertit:* quaſi diceret; hoc ingens fuit Chriſti Dn. miraculum in cruce, quod gravem & obſtinatum peccatorem converterit: Ipſe quaſi ſcidit cor latronis, ipſe commovit, ipſe ſubvertit & ad ſe traxit: Idem miraculum hodie renovavit in Thoma; O Jeſu Crucifixe: ni fallor, video tales ſilices, tales petras: mitte manum tuam: O Pater æterne, mitte manũ tuam de alto, mitte parvulum Emanuëlem, ut his feriis Natalitiis præter alia miracula; hæc quoque innovet: Hoc obteſtor, O Deus æterne: hoc obſecro mi Jeſu: ut convertantur peccatores.

§. 9. *Oſtenditur idem in ſuſcitatione Lazari.* Joannis 11. cap. v. 34. Chriſtus D. ſuſcitavit Lazarum à mortuis: ſed ait textus. *Infremuit ſpiritu: turbavit ſemetipſum, lacrymatus eſt Jeſus.* S. Auguſt. & Gloſſa hic ajunt: *Chriſtus D. difficultatem quandam oſtendit; quia difficile ſurgit, quem moles mala conſuetudinis premit; ſed tamen poſt magnam vocem ſurgit; quia per magnam Dei gratiam vivificatur, dum pœnitet;* Hoc eſt myſterium: Lazarum nemo ſuſcitare potuit niſi Chriſtus D. & quidem cũ clamore, cum gemitu, cum lacrymis. Neq; peccator converti poteſt, niſi fiat ab eodẽ Chriſto D. S. Thomas de Villa Nova, *peccatores obſtinati, & obdurati, in peccatis, quaſi miraculo ſalvãtur.* O mi Jeſu! mihi! indigniſſimo inſtrumento, hâc Concione, concede vocẽ magnã, an forte ſubvertere poſſem aliquem ſilicẽ: an ſuſcitare aliquẽ

 Laza-

Lazarum, an convertere aliquem peccatorem, pro feſto tuæ SS. Nativitatis.

§. 10. *Vt in probatica piſcina.* Capite 5. v. 3. ait S. J. Evang. *Iacebat multitudo magna, languentium, cæcorum, claudorum & aridorum, expectantium aquæ motum: Angelus autem Domini deſcendebat, ſecundum tempus in piſcinam, & movebatur aqua, & qui prius deſcendiſſet in piſcinam, poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.* Quæritur; unde his aquis tanta virtus? S. Hieron. l. 2. de Sacram. c. 2. & Theophilactus dicunt; aquas hujus piſcinæ fuiſſe rubras & denſas, ex ſanguine victimarum, qui in illam ex atrio templi fluebat; Advertite ex hoc loco, quàm varia concurrerint, ut aliquis æger ſanaretur: locus, tempus, aqua, ejus motus, Angelus motor, ſanguis victimarum, æger inſiliens; omnia hæc præceſſerunt miraculum ſanationis. Et reperio omnia in converſione alicujus peccatoris. Locus eſt Eccleſia; piſcina, eſt ſacram. pœnitentiæ, aqua, eſt ſanguis Agni immaculati in arâ Crucis, Angeli ſunt tutelares genii; tempus, tempus gratiæ, ſanatio, eſt Juſtificatio peccatoris. O cœci! O claudi: O aridi: veſtrum eſt; obſervare hoc tempus: veſtrum eſt, ſequi Angelorum ductum, veſtrum eſt, inſilire in aquas, id eſt, frui ſanctiſſimis ſacramentis Ab his pendet ſalus veſtra, ita tamen, ut eadem aſcribatur virtuti ſanguinis Chriſti: ſine hoc hominem non habemus, qui nos ſanet: Sed diutius hæſi in primo puncto, accedo ad alterum.

§. 11. *Chriſtus D. in converſione Tho. ſuaviter cum illo egit. Figura habetur l. 3. Reg. cap. 19.* Modi, quo D. Thomas converſus fuit, figuram invenire mihi videor l. 3. Reg. c. 19. deſcribitur ibi adventus Domini, ad Eliam, & ait textus: *Ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis ſubvertens montes & conterens petras ante Dominum: & poſt ſpiritum commotio, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* Duplicis venti fit mentio; *vehementis* & *tenuis*, innuiturque duplex modus, quo DEUS movere ſolet corda peccatorum; aliquos initio terret inſtar vehementis venti: ſic terruit Saulum, tonitruis, fulmine, voce de cœlo, *Saule, Saule quid me perſequeris? Act. 9. v. 4.* ut excuſſus equo ſemimortuus ceciderit in terrâ, mox tamen ſubſecutus fuit ventus lenior, vox ſuavior, v. 5. *Ego ſum Jeſus, &c.* Modo hoc poſteriori uſus fuit Chriſtus D. in converſione S. Thomæ ſuaviſſimè cum illo egit, quaſi in ſibilo, quod ſimili declaratur. Candela, cum primùm extincta, adhuc fumigat, ſi forti halitu afflatur, extinguitur; ſi levi aura lygnus animetur, denuo accenditur. Candela erat Thomas, poſitus à Chriſto D. in candelabro Eccleſiæ, ſed in morte Chriſti hæc lux extincta fuit, quia tamen multa audiens de reſurrectione ſui Magiſtri, quaſi adhuc fumigabant, quia latebant adhuc in corde ipſius aliquæ ſcintillæ; accedit Chriſtus D. & ut accendat iterum, non minatur, non terret, non venit in ſpiritu forti, ſed in ſibilo, in aura tenui, ſpirante ex cavernis SS. Vulnerum, loquitur ſuaviter: *Pax vobis*: Thoma, ecce loca clavorum, immitte digitos: ſuavi allocutione,

aſpectu

aſpectu Vulnerum, ita ſubito accenſus fuit Thomas, ut velati ex magno igne eruperint illæ ſcintillæ, illa ardentia verba, ***Dominus meus! Deus meus!***

§. 12. *Alia figura ex cap. 33. Exod.* Contigit Thomæ, quod Moyſi, Exodi 33. v. 13. flagrabat vir ſanctus deſiderio videndi Deum, ergò ait: *ſi inveni gratiam in oculis tuis, &c.* Reſpondit illi D. ***Incumbe foramini petra iſtius, videbis prætereuntem me.*** fecit Moyſes, aſcendit collem, incubuit foramini petræ, & prætereunte Domino, vidit rutilantem lucis ſplẽdorem, ut eruperit in has voces, ***Dominator, Domine Deus!*** Eadem in Thoma impleta fuit figura: Licet die Reſurrectionis, & per octo dies inſequentes perſeveraret in ſua incredulitate, nihilominus æſtuabat deſideriis videndi Deum, ſive Jeſum excitatum à mortuis: fortaſſis, cum fœminas & diſcipulos audivit dicentes, ***Vidimus Dominum***, cogitavit; O ſi viderem & ego! O ſi ego quoque invenirem hanc gratiam Magiſter amantiſſime; ſi reſurrexiſti, oſtende & mihi faciem tuam; & niſi videam, non credam: dicunt remanſiſſe in glorioſo corpore cicatrices Vulnerum; O ſi viderem! O ſi tangere liceret & niſi tangam, ***niſi videam, non credam***: O bonum Jeſum: inter hæc deſideria, mixta actibus incredulitatis, adeſt tamen, & ait Thomæ: Incumbe foraminibus petræ hujus: ***Thoma, pone digitos tuos in manus, &c.*** Fecit Thomas, inſpexit, tetigit vulnera, & tantâ mox luce fuit irradiatus, ut exclamarit, ***Dominus meus: Deus meus.***

§. 13. *Chriſtus D. fuit peritus & ſuavis Medicus.* Fecit bonus Jeſus cum Thoma, quod peritus medicus facere conſuevit, tum ægroto: cum ſubinde omnia media deſperata ſunt, mittit ægrum ad natale ſolum, ut aëre nativo recreatus convaleſcat: Magnus ægrotus erat Thomas, ſed permittit, imo jubet Chriſtus D. ut patriam, in qua natus eſt, ut petram de qua exciſus eſt, ſive ipſa SS. Vulnera, in quibus Chriſtus in Cruce nos peperis filios gratiæ, ingrediatur, ut tangat ſacras cicatrices: vix fecit, vix ſenſit ſaluberrimum illum aërem, & ſanatus eſt. O peccatores: vos quoque Salvator veſter in Cruce genuit: Mons Calvariæ eſt patria veſtra. In Corde, in pectore, in latere Crucifixi eſtis nati, ſed eſtis ægri: eja huc redire; ad Crucem, ad Chriſti Vulnera properate cum S. Thoma; hic ſanitatem reperietis. Non videtis? quàm ſuaviter ipſe medicus, Chriſtus D. vos invitet.

§. 14. *Pulchra praxis inſpiciendi cũ fructu Vulnera Chriſti, præſertim in converſione peccatoris.* Imo permittet, ut, ſi volumus, cum Thoma inferamus digitos: & ut faciatis obſecro vos per miſericordiam Dei: Vultus metiri profunditatem & altitudinem; latitudinem & longitudinem divinæ erga vos miſericordiæ? aſcendite montem Calvariæ, incumbite foraminibus petræ, inſpicite Vulnera Crucifixi: & in his abyſſis, invenietis abyſſum D. Miſericordiæ: ut illa vos moveat, alliciat, trahat ad ſeriam converſionem: Sed hodie, hæc facite, adhuc ante diem Nativitatis. Vultis metiri profunditatem, & magnitudinem malitiæ, veſtrorum ſcelerum, ut illa deteſtemini, ut execremini, ut per ardentem

Digitized by Google

tem contritionem annihiletis? aſcendite hunc montem, &c. ut ante vultis metiri D. Juſtitiam, quomodo puniat peccatum, ut excitetur in vobis timor ad juſtificationem neceſſarius: Ite, &c. Vultis quærere divitias, theſauros, opes meritorum Chriſti, ut in vobis excitetis magnã ſpem: in his cavernis in SS. Vulneribus quærite cum S. Thoma, hic ſpem, hic caritatem, hic dolorem, hic ſuaves lacrymas momento invenit.

§ 15. *Epilogus eſt brevis hiſtoria, cum vehementi motu, & adhortatione ad pœnitentiam, ne obſtinato animo diu in peccatis indureſcamus.*

Agamus ergo, agamus cum S. Thoma pœnitentiam, & cum illo confugiamus ad vulnera Salvatoris. Quare hoc petam à meis auditoribus, intelligent ex brevi hiſtoria, quæ habetur in Chronicis S. Franciſci & illâ Concion: finem imponam. Cum quidam pertæſus religioſæ diſciplinæ fugeret ex Monaſterio, in via aliquis obvius, auſtero vultu, minacibus oculis, voce acri, illi dixit; *Quò tu miſer?* cum fugitivus reponeret, *Quid tibi mecum?* vir ille apertâ veſte illi oſtendit quis eſſet, & commonſtrans vulnera, recenti ſtillantia ſanguine, dixit: *Poteris teſtibus hiſce vulneribus agnoſcere, quàm mea interſit, de hoc tuo itinere interrogare, qua, ut te ab itinere æternæ damnationis, quod ambulas, abducerem, in cruce pertuli.* Sic diſparuit; O cæci peccatores! O Thomæ! O obſtinati peccatores! quò ruitis! in abyſſum æternæ damnationis? & miramini, me prædicare pœnitentiam? an fortaſſis quæritis, quid mihi vobiſcum? quid mea interſit, an his feriis confiteamini, an, &c. Chriſtum pendentem in cruce aſpicite! ejus vulnera & ſanguinem; illius intereſt, ut pœnitentiam agatis. Teſtibus his vulneribus poteſtis agnoſcere, &c. Aſpirante gratia Spiritus S. poterit fieri vehemens motus.

CONCIO LVIII.

FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

Concio I. pro feriis Natalitiis: Natus eſt nobis, datus eſt nobis Puer magnus & admirabilis.

Natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, Lucæ cap. 2. verſ. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Duo præcipuè Parvulum de Bethleem faciunt admirabilem; Magnitudo & Parvitas: quæ in illo, admirabili nexu conjuncta, omnes creaturæ,

ræ, etiam Angelicus Spiritus cum profundiſſima demiſſione admirantur. Concludo, magno, parvo, admirabili Puero nos debere cultum & amorem.

§. 1. *Exordium conſtat variis deſideriis erga natum Infantulum.*

§. 2. *Parvulus de Bethleem, juxta vaticinium Sibyllæ eſt major monarchis terræ.*

§. 3. *Cœlum, Angeli & beſtiæ cognoverunt, quod Puer eſſet Creator & Deus.*

§. 4. *Manna fuit figura hujus Pueri.*

§. 5. *Seraphini & Cherubini pleni piâ admiratione, cùm profundiſſima reverentia.*

§. 6. *Rhodius Coloſſus jacens etiam in terra, fuit miraculo: multò magis Puer jacens in præſepio.*

§. 7. *Varia antitheta ex S. Auguſtino de nato infantulo.*

§. 8. *Puer hic eſt prodigium, ſive ſignum in profundum inferni, & in excelſum ſupra.*

§. 9. *Pia viſio Rigmundis.*

§. 10. *Ex S. Bernardo Jeſulus eſt hinnulus ſuper montes, id eſt, Parvulus & magnus.*

§. 11. *In admirabili hoc Puero habitat latens Divinitas.*

§. 12. *Declaratur hoc brevi hiſtoria cum ſuavi Apoſtrophe ad Jeſulum.*

§. 13. *Pia obſequia erga magnum & parvum hunc Puerum.*

§. 14. *Converſio vanæ fœminæ ex amore Jeſuli.*

§. 15. *Ex eodem amore vir nobilis valedicit mundo.*

§. 1. *Exordiũ conſtat variis deſideriis erga natum Infantulũ.*

SEraphicus S. Franciſcus feſto Nativitatis Chriſti, aliquando auditus fuit dicere: *Si Imperator eſſem, juberem in plateas projici frumenta, ut etiam aviculæ tanti gaudii in hodierno feſto fiant participes. Imperarem urbium gubernatoribus, celebrari ab illis & ſubditis hodiernum feſtum cum ſignis externæ quoque, & inſolitæ lætitiæ.* Cùm hæc legi, meus erga natum hâc nocte Infantulum affectus, varia mihi ſuggeſſit deſideria, v. g. Si ego eſſem Imperator, vel Hiſpaniarum aut Galliarum Rex, Imperii pomum, Caſtellæ coronam, Galliæ liliata ſceptra ſtatim vellem deponere ad cunas Jeſuli: in ſignum profundiſſimæ reverentiæ & fidei, qua credo, hunc Parvulum, natum in ſtabulo, jacentem in præſepio, eſſe Regem Regum, & Dominum Dominantium! Si regii in poteſtate mea eſſent theſauri, Jeſulo offerrem in pauperibus. Si gemmæ! nečterem ex illis coronam pro meo Parvulo. Si aureæ catenæ, appenderem ejus pectori. Si annuli, ingererem pulcerrimis digitis. Si eſſem Flora, pulcerrimis floribus, roſis & liliis inſternerem ejus lectulum. Si eſſem ſol, calefacerem illum in frigore meis radiis. Si eſſem Luna, cuperem eſſe ſcabellum pedum ejus. Si ſtella, omnes vocarem ad ejus præſepe. Si forem luſcinia, ſtatim voce ſuaviſſima, cum S. Angelis canerem, Luc. 2. v. 4. *Gloria in excelſis Deo.* Si eſſem ille Seraph, qui cor S. Augu-

Auguſtini flammis accendit, vel ille, qui pectus S. Thereſiæ igneo telo ſuaciavit, ſtatim me & auditorum meorum corda, his flammis accenderem, his telis ſauciarem. Si eſſem concionatorum omnium hodie diſertiſſimus, de re alia nulla loqui vellem, quàm de Jeſulo Infantulo. Concionator ille ego non ſum, eloquentia tamen qua potero, vobis perſuadere conabor, Parvulum de Bethleem eſſe amandum, quia eſt Puer magnus & admirabilis.

§. 2. *Parvulus de Bethleem juxta vaticiniū Sibyllæ eſt major Monarchis terræ.* Referunt hiſtoriæ multis annis ante Nativitatem Chriſti, media die apparuiſſe circulum aureum circa Solem, & in medio circuli, pulcherrimam Virginem, ſtantem ſuper aram, cum formoſiſſimo puero in gremio. Spectanti talia Imperatori Octaviano, una ex Sibyllis, quæ ipſi aderat, dixit: *Hic Puer major te eſt.* Beatiſſime Pater Alexander VII. gratulamur tuæ Sanctitati Pontificiam tiaram & dignitatem, qua non eſt major in terris, ſed, Puer natus in ſtabulo, jacens in gremio pauperculæ Virginis, major te eſt. Auguſtiſſime Imp. Leopolde, Catholice Rex Hiſp. Chriſtianiſſime Rex Galliarum, Orbis Catholici Chriſtiani & capita, non habetis vobis ſimiles ſub ſole, in potentia, in divitiis, in majeſtate, ſed Puer jacens in præſepio & ſtramine, puer panniculis involutus, eſt major vobis. Sacri Romani Imperii Electores, Duces, Archiduces, Principes, Archiepiſcopi, Epiſcopi, agnoſco & veneror eximiam veſtram dignitatem, ſed Parvulus de Bethleem, in ſua paupertate, humilitate, contemptu rerum omnium major vobis eſt. Coram ejus præſepio, flectite genua, agnoſcite & adorate Dominum, Regem & Deum veſtrum.

§. 3. *Cœlum. Angeli & beſtiæ cognoverunt quod Puer eſſet Creator & Deus.* Quia hoc Bethleem in terris noluit agnoſcere, agnovit cœlum: Quia Judæi Meſſiam ſuum recipere noluerunt, adorarunt illum Angeli, innumerabiles ex omni ordine cœleſtes Spiritus, ex Cherubinis, ex Seraphinis, venientes de cœlo in ſtabulum, Puerum, Majorem Angelis piè ſunt venerati. *Imò bos & aſinus* (inquit S. Bonaventura lib. vitæ Chriſti cap. 7.) *flexis genibus poſuerunt ora ſua ſuper præſepium, flentes per nares, acſi ratione utentes cognoſcerent, quòd Puer, pauperrimè contectus, calefactione, tempore tanti frigoris indigeret*, juxta verba illa S. Scripturæ, *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Qualia conſiderans S. Thomas de Villa Nova exclamavit in Concione die Nativitatis. *O mirabilem Infantem! O prodigioſum Puerum! O unicum omnium miraculorum! O prodigiorum potentiſſimum & maximum!* nam, Puer pauperrimus Deus eſt! Puerulus nudus jacens in ſtramine! Deus eſt! Puer vagiens, lacrymans, gemens, plorans! Deus eſt. Prodigia, miracula, portenta hæc ſunt!

§. 4. *Manna fuit figura hujus Pueri.* Primo mane, quo in deſerto de cœlo decidit manna, cum totus campus circa caſtra tectus eſſet, niveo rore, & candidiſſimo ſaccaro, Hæbræi, pleni admiratione dixerunt, Exod. 16. 4. *Manhu! Manhu!* quid hoc, quid hoc? tēpore adventus frequenter audivimus dici, Filiū Dei in ſua Incarnatione, delapſum eſſe de cœlis in

ute-

Digitized by Google

uterum Virginis, inſtar roris, in virgineum vellus, aut niveam maris concham, in qua nobilis Margarita Filius Dei factus homo, novem menſibus delituit: quoties propterea ſuſpiravimus cum propheta Iſaia ex cap. 45. v. 8. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Hac nocte præterita terra virginalis germinavit, cœli aperti ſunt, ros cœleſtis, Dei Filius decidit in terram, mox à Matre reclinatus in præſepio, niveus, candidus, dulcis, ſaccareus Puerulus, Manhu! manhu! quid hoc, quid hoc? *Dominus factus homo, Filius Dei ipſe eſt manna, quod ſtupefacit omnes, ita ut dicant, quid eſt hoc*, ait Theophylactus.

§. 5. *Seraphini & Cherubini pleni pia admiratione cũ profunda reverentia.* Duo Seraphini, quos Iſaias cap. 6. v. 3. vidit ſtantes juxta thronum Dei, ita ſteterunt, ita ſe aſpexerunt, tales eorum fuerunt oculi, ut Propheta facile adverterit, obverſari illis ſpiritibus aliquod objectum magna admiratione dignum; præſertim cùm aliud non dixerint, quàm *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Eadem fere fuit forma Cherubinorum, qui aureis alis obumbrarunt Propitiatorium areæ. Cherubini ex auro, pleni tamen muta admiratione. Objectum ejus fuit infinita Dei dilectio erga hominem, & mirabilis ille modus, quo in arca & columna electo populo fuit præſens, illum deducendo, protegendo, defendendo. Longè majorem puto fuiſſe illorum admirationem coram præſepio, *Mirabantur enim* (inquit S. Hier. in c. 6. Iſa.) *ad invicem, quod Dominus Sabaoth in forma Dei Patris poſitus, formam ſervi acceperit, & humiliaverit ſe*, in Nativitate ſua uſque ad ſtabulum, uſque ad præſepe, uſq; ad paleas! Deus Puer in præſepio! in ſtramine! major tamen omnibus Regibus terræ! quis non admiretur? quis non exclamet, O prodigia!

§. 6. *Rhodius Coloſſus jacens etiam in terra fuit miraculo: multo magis jacens Puer in præſepio.* De Coloſſo Rhodio, quarto orbis miraculo referunt hiſtoriæ, illum ingenti terræ motu dirutum corruiſſe. Cum humi jaceret teſte Plinio lib. 34. cap. 7. ex tranſeuntibus quidam dixit, *Jacens quoque miraculo eſt.* Sol æternus, Filius altiſſimi, Deus de Deo, Deus omnipotens, æternus, licet factus homo jaceat in ſtabulo, in præſepio inter beſtias, *miraculo eſt. Tantus eſt, ac talis*, ait D. Zeno ſer. 1. in Pſalm. 130. *Deus, & tamen jacet humi, hoc miraculorum maximum eſt. Neque putandum eſt*, ait Oleaſter ſuper verba Iſaiæ, *Vocabitur nomen ejus admirabilis, ideo eum dici admirabilem, quia Deus eſt, quoniam Deus ſemper admirabilis eſt: ſed hoc te voluit admirari: Quod ſcilicet puer eſſet & admirabilis, quod puer ſit & conſiliarius, quod puer, & fortis, quod puer, & princeps futuri ſæculi*: quod idem monere videtur Hugo Cardinalis; *Ibi miraris magnitudinem, hic mirare parvitatem.* Cum v. g. cœlos intuemur, cum miramur illorum formam, pulchritudinem, motum, ſolis ſplendorem & celeritatem, lunæ mutationem, ſtellarum varietatem, & alia admiranda in tam diverſis creaturis, ſimul miramur magnitudinẽ, omnipotentiam, ſapientiam, aliaſque infinitas perfectiones illius, qui creaturas creavit, cũ

magna reverentiâ canimus cum David. *Domine Deus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra; magnus Dominus, laudabilis & glorioſus eſt Dominus Deus noſter; magnitudinis ejus non eſt finis.* Sed hic, Auditores, in ſtabulo, coram præſepio, miremur parvitatem! hic parvulus eſt ille magnus & laudabilis Deus, hic mirare! hic Parvulus eſt conditor creaturarum! hic! in ſtabulo hodie talia videntes & admirantes exclamemus cum Sancto Auguſtino ſerm. 9. de Nativ. *O miracula! ô prodigia! ô myſteria fidei! naturæ jura mutantur; in homine, in parvulo, Deus naſcitur: Virgo ſine viro gravidatur, ſimul facta & Mater, & Virgo, Mater facta, ſed incorrupta. O mira, O exquiſita compago! nova & inaudita commixtio! Deus eſt, & qui erat Creator, fit creatura: qui immenſus eſt, capitur; divites conſtituens, pauper efficitur: incorporeus carne veſtitur: videtur inviſibilis; palpatur impalpabilis: comprehenditur incomprehenſibilis, quem cœlum & terra benedicit, in præſepio anguſto collocatur.* ſerm. 27. de temp. *Conditor ſolis, conditus ſub ſole. Effector cœli & terræ, ſub cœlo exorſus in terra. Ineffabiliter ſapiens, ſapienter infans. Mundum implens, in præſepio jacens; ſidera regens, ubera lambens. Ita magnus, in forma Dei, brevis, in forma ſervi; ut nec ipſa brevitate, magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine, iſta brevitas premeretur. Hinc, mirare magnitudinem; hinc mirare parvitatem.*

§. 7. *Varia de S. Auguſtino de nato infantulo.*

Melle fluit lingua S. Auguſtini in ſermonibus de ſuaviſſima Nativitate Chriſti; *Benedictus ſit Salvator mundi, in parva Bethleem, itemq; benedictus in templo gloriæ ſuæ. Hic mirare magnitudinem, ibi parvitatem. Benedictus ſit in ſtabulo Nativitatis ſuæ, itemq; in ſplēdoribus Sanctorū, ubi ex utero ante Luciferum genitus eſt. Hic mirare magnitudinem, ibi parvitatem. Benedictus ſit in vili præſepio itemq; in throno regni ſui: Benedictus in gremio humillimæ Matris itemq; in ſinu ingeniti Patris. Benedictus ſit vagiens in hac valle lacrymarū, itemque ſedens ſuper Cherubin, & intuens abyſſos. In templo gloriæ, in ſplendoribus Sanctorum, in throno regni, in gremio Patris, ſuper Cherubim, miramini magnitudinem: In parva Bethleem, in ſtabulo, in præſepio, in gremio Matris, miramini parvitatem. Miramini Puerum magnum & parvum! miraculorū omniū maximum. Verbo, Puerum admirabilē.*

§. 8. *Puer hic eſt prodigium, ſive ſignum in profundū inferni & in excelſum ſuprà.*

Iſaiæ c. 7. v. 11. ait Dominus ad Achaz. *Pete tibi ſignū à Domino Deo tuo* (vide P. Corn. à Lap. hic) *in profundū inferni, ſive in excelſum ſupra*, quaſi diceret; pete miraculum, quod ſtupeat cœlum, quod admiretur terra, fictè. Verùm quia Achaz reſpondit ſe non petiturū, ne videatur tentare Dominum, ait Dominus. *Propter hoc dabo vobis ſignum*, (admirabile ſignum) *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel.* Hac nocte impleta eſt promiſſio, hac nocte in ſtabulo vidimus hoc ſignum: Virgo, Mater; Mater Virgo, peperit parvum ſed admirabilem infantem: qui, ſignum eſt à Deo noſtro, in profundum inferni, in excelſum ſupra. Quidni hunc infantem profundiſſima reverentia veneremur, & agnoſcamus eſſe Deum noſtrum!

Piiſſi-

§. 9. *Pia viſio Rigmundæ.*

Piiſſimæ Virgini Rigmundi, in ferventi oratione his feriis objecta fuit amabilis viſio; Jeſulus involutus panniculis jacens in præſepio, & de cœlo has voces audivit, Matth. 3. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Parvulus eſt, ſed filius meus: pauper eſt, ſed filius meus: infans eſt, ſed filius meus: mox vidit innumerabiles pulcherrimos Angelos, circa præſepe, cum profundiſſima ſubmiſſione, cum pia admiratione, adorantes jacentem in præſepio. Mox piiſſima Virgo, ruit in genua, & eadem ſubmiſſione, eadem reverentia, cum affectibus pulcherrimarum virtutum Jeſulum adoravit. Facilè advertere poteſtis, talia me narrare, ut eadem faciamus.

§. 10. *Ex S. Bern. Ieſulus eſt hinnulus ſuper montes, id eſt Parvulus & magnus.*

Ob magnitudinem & parvitatem hujus Pueri, mellifluis verbis S. Bernardus allocutus fuit B. Virginem, hom. 3. ſuper *Miſſus, &c. O tu quidem, O Virgo, parvulum paries, parvulum nutries, parvulum lactabis, ſed videns Parvulum, cogita Magnum, erit enim magnus & filius Altiſſimi vocabitur.* Agnovit hoc myſterium ſponſa in Canticis, cum dixit c. 2. *Similis eſto dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum, ſuper montes Bethel.* Pulchrè hic S. Bern. ſer. 73 in Cant. *Hinnulus eſt, parvulus eſt, attamen ſuper montes Bethel excelſior cœlis factus.* Parvulus ob varias cauſas. Parvulus, quia homo factus: Parvulus, quia, jacet in præſepio, parvulus, quia pauper, parvulus, quia ubera lambit. *Sed, Magnus*, (ut loquar cum S. Antonio) *altiſſima nobilitate. Magnus excellentiſſima dignitate, magnus immenſiſſima poteſtate, magnus diffuſiſſima famoſitate, magnus copioſiſſima utilitate, magnus inauditiſſima novitate.* Talis eſt noſter Emanuel, nobiliſſimus Puer, digniſſimus Puer, immenſus Puer, utiliſſimus Puer, novus Puer, verbo admirabilis Puer.

§. 11. *In admirabili hoc Puero habitat latens Divinitas.*

In quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter, licet tecta lateat, ſub velo Humanitatis parvi pueri. Arca, in qua Deus electo populo peculiari modo erat præſens, repoſita fuit in loco, qui dicebatur, *Sancta Sanctorum.* Sanctiſſimus verè hic locus tegi debuit velo, ſive cortinis, de quibus ait c. 28. Exod. *Opere artificis doctiſſimi facies illud picturis.* Elegantiſſimum hoc velum figura fuit Humanitatis Chriſti, quam S. Paulus ad Hebr. 10. v. 20. claris verbis vocat *velamen*, ſub quo in loco ſancto, in præſepio latet increata ſanctitas, id eſt, Parvus Puer, Parvulus de Bethlеem, licet oculis corporeis, videatur homo tantùm, eſt tamen Sanctus Sanctorum. Ex aſpectu hujus veli venire debemus in cognitionem latentis divinitatis.

§. 12. *Declaratur hoc brevi hiſtoria cũ ſuavi Apoſtrophe ad Ieſulũ.*

Leo Cæſar, cùm deſideraret audire & ſcire, quid plebs in foro de ſe diceret, ingreſſus illud fuit, ſed ne agnoſceretur, quis eſſet, induit habitum ruſtici: ſed ex manibus fuit agnitus, elegantia & teneritudo manuum illum prodidit, quas aliquis apprehendens, dixit: *Cæſar, manus nimis delicatæ & pulchræ ſunt pro ruſtico.* Pari ratione Filius Altiſſimi, Rex Regum, ut incognitus ingrediatur hunc mundum, induit habitum ſervi, factus eſt homo, nobis per omnia ſimilis; Aula

Digitized by Google

tum ſpoliat veſte & theſauris gratiæ. O miſerabilem ſtatum: in quo unus Samaritanus Chriſtus Jeſus miſero peccatori ſuccurrere poteſt: hic ſolus poteſt juvare. Ut ſuccurrat, ut juvet, opus eſt vino, id eſt, ſanguine Filii Dei, neque alio vino vel ſanguine illa vulnera ſanari poſſunt: Opus eſt oleo: id eſt, Divina Miſericordiâ: ſine qua homo, ſemel lapſus in peccatum mortale æternùm perit: Et, O infinitam bonitatem: Chriſtus ipſe factus eſt jumentum, cum ſibi impoſuit Crucem, & cum illâ totius humani generis peccata. 1. Petri, 2. v. 24. *Peccata noſtra ipſe* (cum emphaſi dicitur *ipſe*, nimirum; Non alius) *pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Ipſe eſt paſtor, qui ſanguineis humeris errabundas imponit oviculas: Si fortaſſis aliquis, ex meis Auditoribus, ſpoliatus ab his latronibus, jaceat in ſanguine ſuo, hunc rogo, ut agnoſcat cujus opem debeat implorare, ad quem confugere, ut ſanetur. Salvatio, juſtificatio, immutatio, converſio, pœnitentia, Contritio, fervor, amor, alicujus peccatoris, ſoli Chriſto Deo debet aſcribi, & infinitæ ipſius bonitati, atque miſericordiæ.

§. 5. In converſione peccatoris ſive iuſtificatione impii, renovantur varia miracula. Beſtia datur cor hominis ex Dan.

Imò, tanti eſt, peccatorem converti, ut multa ſacræ ſcripturæ miracula in myſtico ſenſu in illa converſione innoventur. Danielis cap. 7. v. 4. *Erat autem quaſi leæna, alas habens aquila, & aſpiciebam, donec avulſa ſunt alæ, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei*; Mirabilis hæc fuit mutatio, leænæ & aquilæ in hominem; Dei illa fuit opus. Talis beſtia, talis leæna, talis aquila eſt peccator; volat alis ſuperbiæ, minatur dentibus iræ & invidiæ, &c. Verùm, O pulcrum ſpectabulum! videre, quomodo peccator has alas, has pennas per humilitatem evellat; pulchrū ſpectaculum! videre quomodo talis leæna, ante aliquem Crucifixum, coram vulneribus Salvatoris, incipiat ſtare ut homo; ruere cum Thoma in genua, ut homo; flere ut homo, &c. quia datum illi eſt Cor hominis, cor contritum, cor humiliatum. Talia ſpectacula hodie videmus in Thoma: ſed qui tale cor illi dedit, fuit Chriſtus Salvator noſter.

§. 6. Ex ſilice, ex corde duro exſcindūtur rivuli lacrymarū; per manū Chriſti.

Cap. 28. v. 9. ait Job. *Ad ſilicem mittet manum ſuam, & ſubvertit à radicibus montes, in petris rivos excidit.* ſunt hæc miracula naturæ, ut ſilices & petræ ſtillent aquis, ut ex ſaxis ſcaturiant fontes; ſi itaque Chriſtus D. mittat manum ſuam ad ſilicem, ad aliquem Thomam, ad obſtinatum peccatorem, qui revera ſilex eſt: ſi ſanguinea illius manus de cruce ita ſubvertat cor alicujus peccatoris, ut quamvis durum ſit inſtar petræ, tamen ex illo excindit rivos, ſive lacrymas contritionis, &c. hæc ſunt miracula gratiæ, & opera Divinæ potentiæ atque miſericordiæ; Saxū, ſilex, petra erat Thomas die Reſurrectionis, auſus fuit dicere; niſi illum *videam his oculis, quibus illum vidi vulneratum in cruce, niſi contrectem manibus illa vulnera, niſi tangam, niſi mittam manus meas in latus ejus, non credam*; O infinitam Chriſti Reſurgentis bonitatem: apparet ergo Thomæ, mittit manum ſuam ad ſilicem, offert

offert illi palpanda Vulnera, & ſubvertit à radicibus montem, in petra excidit rivos; ex oculis Thomæ fluunt lacrymæ; Thomæ, leænæ, Aquilæ, ſaxo, momento datum fuit Cor hominis; à Chriſto D. niſi hic trahat peccatorem, niſi hic manum mittat, nemo veniet ad Patrem: Si ſilex amarè ploret, cum Petro, oculis Chriſti id eſt attribendum.

§. 7. *Et virgâ Sanctiſſimæ Crucis.* Exodi 27. v. 5. Moyſes portentoſa ſua virga percuſſit petram, & erupit fons aquarum: Hoc miraculum hodie innovatum fuit in Thoma: & innovatur, quoties pertinax peccator convertitur. Sed manu Moyſis, manu Filii Dei; ſed virgæ, ſive Sanctiſſimæ Chriſti Crucis opus eſt; illâ cor peccatoris, ut convertitur, debet percuti: O pulchra miracula & ſpectacula! cum poſt paucos dies videbimus, quomodo parvus Puſio ex præſepio extendet manus ſuas, quomodo ſubvertet ſilices & petras, quomodo ad ſe trahet peccatores! quomodo exſcindet odia: à radicibus: luxuriam: à radicibus: &c. Talia poteſt, qui potens eſt.

§. 8. *In cruce converti latronem, ingens fuit miraculũ Chriſti D.* Commotio & ſciſſio petrarum, in memoriam mihi revocat miracula, quæ contigerunt in morte Chriſti, Matth. 27. v. 51. obſcuratus fuit Sol: obſcuravit Solis Creator, qui pependit in Cruce: Commota fuit terra: idem commovit: Tremuere montes: idem ille tremere fecit: Sciſſæ ſunt petræ: Scidit Jeſus in Cruce: Quærit nihilominus S. Chryſoſtomus; an non aliud aliquod majus miraculum in cruce perpetrarit? & reſpondet, *Univerſam terruit terram,* (nimirum Filius Dei pendens in Cruce) *petras ſaxaque diſrupit; & omnium lapidum inſenſibilitate animam duriorem*: latronis pendentis quoque in Cruce, *ad ſe traxit, & ad meliora convertit*: quaſi diceret; hoc ingens fuit Chriſti Dn. miraculum in cruce, quod gravem & obſtinatum peccatorem converterit: Ipſe quaſi ſcidit cor latronis, ipſe commovit, ipſe ſubvertit & ad ſe traxit: Idem miraculum hodie renovavit in Thoma; O Jeſu Crucifixe: ni fallor, video tales ſilices, tales petras: mitte manum tuam: O Pater æterne, mitte manũ tuam de alto, mitte parvulum Emanuëlem, ut his feriis Natalitiis præter alia miracula; hæc quoque innovet: Hoc obteſtor, O Deus æterne: hoc obſecro mi Jeſu: ut convertantur peccatores.

Joannis 11. cap. v. 34. Chriſtus D. ſuſcitavit Lazarum à mortuis: ſed ait textus. *Infremuit ſpiritu: turbavit ſemetipſum, lacrymatus eſt Jeſus.* S. Auguſt. & Gloſſa hic ajunt: *Chriſtus D. difficultatem quandam oſtendit; quia difficile ſurgit, quem moles malæ conſuetudinis premit; ſed tamen poſt magnam vocem ſurgit; quia per magnam Dei gratiam vivificatur, dum pœnitet*; Hoc eſt myſterium: Lazarum nemo ſuſcitare potuit niſi Chriſtus D. & quidem cũ clamore, cum gemitu, cum lacrymis. Neq; peccator converti poteſt, niſi fiat ab eodẽ Chriſto D. S. Thomas de Villa Nova: *peccatores obſtinati, & obdurati, in peccatis, quaſi miraculo ſalvãtur.* O mi Jeſu! mihi! indigniſſimo inſtrumento, hâc Concione, concede vocẽ magnã, an forte ſubvertere poſſem aliquem ſilicẽ: an ſuſcitare aliquẽ Laza- §. 9. *Oſtenditur idem in ſuſcitatione Lazari.*

Digitized by Google

Lazarum, an convertere aliqnem peccatorem, pro feſto tuæ SS. Nativitatis.

§. 10. *Vt in probatica piſcina.* Capite 5. v. 3. ait S. J. Evang. *Iacebat multitudo magna, languentium, cæcorum, claudorum & aridorum, expectantium aquæ motum: Angelus autem Domini deſcendebat, ſecundum tempus in piſcinam, & movebatur aqua, & qui prius deſcendiſſet in piſcinam, poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.* Quæritur; unde his aquis tanta virtus? S. Hieron. l. 2. de Sacram. c. 2. & Theophilactus dicunt; aquas hujus piſcinæ fuiſſe rubras & denſas, ex ſanguine victimarum, qui in illam ex atrio templi fluebat; Advertite ex hoc loco, quàm varia concurrerint, ut aliquis æger ſanaretur: locus, tempus, aqua, ejus motus, Angelus motor, ſanguis victimarum, æger inſiliens; omnia hæc præceſſerunt miraculum ſanationis. Et reperio omnia in converſione alicujus peccatoris. Locus eſt Eccleſia; piſcina, eſt ſacram. pœnitentiæ, aqua, eſt ſanguis Agni immaculati in arâ Crucis, Angeli ſunt tutelares genii; tempus, tempus gratiæ, ſanatio, eſt Juſtificatio peccatoris. O cœci! O claudi: O aridi: veſtrum eſt; obſervare hoc tempus: veſtrum eſt, ſequi Angelorum ductum, veſtrum eſt, inſilire in aquas, id eſt, frui ſanctiſſimis ſacramentis. Ab his pendet ſalus veſtra, ita tamen, ut eadem aſcribatur virtuti ſanguinis Chriſti: ſine hoc hominem non habemus, qui nos ſanet: Sed diutius hæſi in primo puncto, accedo ad alterum.

Modi, quo D. Thomas converſus fuit, figuram invenire mihi videor l. 3. Reg. c. 19. deſcribitur ibi adventus Domini, ad Eliam, & ait textus: *Ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis ſubvertens montes & conterens petras ante Dominum: & poſt ſpiritum commotio, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* Duplicis venti fit mentio; *vehementis & tenuis*, innuiturque duplex modus, quo DEUS movere ſolet corda peccatorum; aliquos initio terret inſtar vehementis venti: ſic terruit Saulum, tonitruis, fulmine, voce de cœlo, *Saule, Saule quid me perſequeris? Act. 9. v. 4.* ut excuſſus equo ſemimortuus ceciderit in terrã, mox tamen ſubſecutus fuit ventus lenior, vox ſuavior, v. 5, *Ego ſum Jeſus, &c.* Modo hoc poſteriori uſus fuit Chriſtus D. in converſione S. Thomæ ſuaviſſimè cum illo egit, quaſi in ſibilo, quod ſimili declaratur. Candela, cum primùm extincta, adhuc fumigat, ſi forti halitu affletur, extinguitur; ſi levi aura lygnus animetur, denuo accenditur. Candela erat Thomas, poſitus à Chriſto D. in candelabro Eccleſiæ, ſed in morte Chriſti hæc lux extincta fuit, quia tamen multa audiens de reſurrectione ſui Magiſtri, quaſi adhuc fumigabant, quia latebant adhuc in corde ipſius aliquæ ſcintillæ; accedit Chriſtus D. & ut accendat iterum, non minatur, non terret, non venit in ſpiritu forti, ſed in ſibilo, in aura tenui, ſpirante ex cavernis SS. Vulnerum, loquitur ſuaviter: *Pax vobis*: Thoma, ecce loca clavorum, immitte digitos: ſuavi allocutione,

§. 11. Chriſtus D. in converſione Tho. ſuaviter cum illo egit. Figura habetur l. 3. Reg. cap. 19.

aſpectu

aſpectu Vulnerum, ita ſubito accenſus fuit Thomas, ut veluti ex magno igne eruperint illæ ſcintillæ, illa ardentia verba, *Dominus meus! Deus meus!*

§. 12. *Alia figura ex cap. 33. Exod.* Contigit Thomæ, quod Moyſi, Exodi 33. v. 13. flagrabat vir ſanctus deſiderio videndi Deum, ergò ait: *ſi inveni gratiam in oculis tuis, &c.* Reſpondit illi D. *Incumbe foramini petræ iſtius, videbis prætereuntem me.* fecit Moyſes, aſcendit collem, incubuit foramini petræ, & prætereunte Domino, vidit rutilantem lucis ſplẽdorem, ut eruperit in has voces, *Dominator, Domine Deus!* Eadem in Thoma impleta fuit figura: Licet die Reſurrectionis, & per octo dies inſequentes perſeveraret in ſua incredulitate, nihilominus æſtuabat deſideriis videndi Deum, ſive Jeſum excitatum à mortuis: fortaſſis, cum fœminas & diſcipulos audivit dicentes, *Vidimus Dominum*, cogitavit; O ſi viderem & ego! O ſi ego quoque invenirem hanc gratiam Magiſter amantiſſime; ſi reſurrexiſti, oſtende & mihi faciem tuam; & niſi videam, non credam: dicunt remanſiſſe in glorioſo corpore cicatrices Vulnerum; O ſi viderem! O ſi tangere liceret & niſi tangam, *niſi videam, non credam*: O bonum Jeſum: inter hæc deſideria, mixta actibus incredulitatis, adeſt tamen, & ait Thomæ: Incumbe foraminibus petræ hujus: *Thoma, pone digitos tuos in manus, &c.* Fecit Thomas, inſpexit, tetigit vulnera, & tantâ mox luce fuit irradiatus, ut exclamarit, *Dominus meus: Deus meus.*

§. 13. *Chriſtus D. fuit peritus & ſuavis Medicus.* Fecit bonus Jeſus cum Thoma, quod peritus medicus facere conſuevit, cum ægroto: cum ſubinde omnia media deſperata ſunt, mittit ægrum ad natale ſolum, ut aëre nativo recreatus convaleſcat: Magnus ægrotus erat Thomas, ſed permittit, imo jubet Chriſtus D. ut patriam, in qua natus eſt, ut patriam de qua exciſus eſt, ſive ipſa SS. Vulnera, in quibus Chriſtus in Cruce nos peperis filios gratiæ, ingrediatur, ut tangat ſacras cicatrices: vix fecit, vix ſenſit ſaluberrimum illum aërem, & ſanatus eſt. O peccatores: vos quoque Salvator veſter in Cruce genuit: Mons Calvariæ eſt patria veſtra. In Corde, in pectore, in latere Crucifixi eſtis nati, ſed eſtis ægri: eja huc redite; ad Crucem, ad Chriſti Vulnera properate cum S. Thoma; hic ſanitatem reperietis. Non videtis? quàm ſuaviter ipſe medicus, Chriſtus D. vos invitet.

§. 14. *Pulchra praxis inſpiciendi cũ fructu Vulnera Chriſti, præſertim in converſione peccatoris.* Imo permittet, ut, ſi volumus, cum Thoma inferamus digitos: & ut faciatis obſecro vos per miſericordiam Dei: Vultus metiri profunditatem & altitudinem; latitudinem & longitudinem divinæ erga vos miſericordiæ? aſcendite montem Calvariæ, incumbite foraminibus petræ, inſpicite Vulnera Crucifixi: & in his abyſſis, invenietis abyſſum D. Miſericordiæ: ut illa vos moveat, alliciat, trahat ad ſeriam converſionem: Sed hodie, hæc facite, adhuc ante diem Nativitatis. Vultis metiri profunditatem, & magnitudinem malitiæ, veſtrorum ſcelerum, ut illa deteſtemini, ut execremini, ut per ardentem

tem

tem contritionem annihiletis? aſcendite hunc montem, &c. ut ante vultis metiri D. Juſtitiam, quomodo puniat peccatum, ut excitetur in vobis timor ad juſtificationem neceſſarius: Ite, &c. Vultis quærere divitias, theſauros, opes meritorum Christi, ut in vobis excitetis magnā ſpem? in his cavernis in SS. Vulneribus quærite cum S. Thoma, hic ſpem, hic caritatem, hic dolorem, hic ſuaves lacrymas momento invenit.

§ 15. *Epilogus eſt brevis hiſtoria, cum vehementi motu, & adhortatione ad pœnitentiam, ne obſtinato animo diu* Agamus ergo, agamus cum S. Thoma pœnitentiam, & cum illo confugiamus ad vulnera Salvatoris. Quare hoc petam à meis auditoribus, intelligent ex brevi hiſtoria, quæ habetur in Chronicis S. Franciſci & illâ Concioni finem imponam. Cum quidam pertæſus religioſæ diſciplinæ fugeret ex Monaſterio, in via aliquis obvius, auſtero vultu, minacibus oculis, voce acri, illi dixit; *Quò tu mi-ſer?* cum fugitivus reponeret, *Quid tibi mecum?* vir ille apertâ veſte illi oſtendit quis eſſet, & commonſtrans vulnera, recenti ſtillantia ſanguine, dixit: *Poteris teſtibus hiſce vulneribus agnoſcere, quàm mea interſit, de hoc tuo itinere interrogare, qua, ut te ab itinere æternæ damnationis, quod ambulas, abducerem, in cruce pertuli.* Sic diſparuit; O cæci peccatores! O Thomæ! O obſtinati peccatores! quò ruitis! in abyſſum æternæ damnationis? & miramini, me prædicare pœnitentiam? an fortaſſis quæritis, quid mihi vobiſcum? quid mea interſit, an his feriis confiteamini, an, &c. Chriſtum pendentem in cruce aſpicite! ejus vulnera & ſanguinem; illius intereſt, ut pœnitentiam agatis. Teſtibus his vulneribus poteſtis agnoſcere, &c. Aſpirante gratia Spiritus S. poterit fieri vehemens motus.

in peccatis indurescamus.

CONCIO LVIII.

FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

Concio I. pro feriis Natalitiis: Natus eſt nobis, datus eſt nobis Puer magnus & admirabilis.

Natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, Lucæ cap. 2. verſ. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Duo præcipuè Parvulum de Bethleem faciunt admirabilem; Magnitudo & Parvitas: quæ in illo, admirabili nexu conjuncta, omnes creaturæ,

ræ, etiam Angelicus Spiritus cum profundiſſima demiſſione admirantur. Concludo, magno, parvo, admirabili Puero nos debere cultum & amorem.

§. 1. Exordium conſtat variis deſideriis erga natum Infantulum.

§. 2. Parvulus de Bethleem, juxta vaticinium Sibyllæ eſt major monarchis terræ.

§. 3. Cœlum, Angeli & beſtiæ cognoverunt, quod Puer eſſet Creator & Deus.

§. 4. Manna fuit figura hujus Pueri.

§. 5. Seraphini & Cherubini pleni piâ admiratione, cùm profundiſſima reverentia.

§. 6. Rhodius Coloſſus jacens etiam in terra, fuit miraculo: multò magis Puer jacens in præſepio.

§. 7. Varia antitheta ex S. Auguſtino de nato infantulo.

§. 8. Puer hic eſt prodigium, ſive ſignum in profundum inferni, & in excelſum ſupra.

§. 9. Pia viſio Rigmundis.

§. 10. Ex S. Bernardo Jeſulus eſt hinnulus ſuper montes, id eſt, Parvulus & magnus.

§. 11. In admirabili hoc Puero habitat latens Divinitas.

§. 12. Declaratur hoc brevi hiſtoria cum ſuavi Apoſtrophe ad Jeſulum.

§. 13. Pia obſequia erga magnum & parvum hunc Puerum.

§. 14. Converſio vanæ fœminæ ex amore Jeſuli.

§. 15. Ex eodem amore vir nobilis valedicit mundo.

§. 1. Exordiū conſtat variis deſideriis erga natum Infantulū.

SEraphicus S. Franciſcus feſto Nativitatis Chriſti, aliquando auditus fuit dicere: *Si Imperator eſſem, juberem in plateas projici frumenta, ut etiam avicula tanti gaudii in hodierno feſto fiant participes. Imperarem urbium gubernatoribus, celebrari ab illis & ſubditis hodiernum feſtum cum ſignis externæ quoque, & inſolita lætitia.* Cùm hæc legi, meus erga natum hâc nocte Infantulum affectus, varia mihi ſuggeſſit deſideria, v. g. Si ego eſſem Imperator, vel Hiſpaniarum aut Galliarum Rex, Imperii pomum, Caſtellæ coronam, Galliæ liliata ſceptra ſtatim vellem deponere ad cunas Jeſuli: in ſignum profundiſſimæ reverentiæ & fidei, qua credo, hunc Parvulum, natum in ſtabulo, jacentem in præſepio, eſſe Regem Regum, & Dominum Dominantium! Si regii in poteſtate mea eſſent theſauri, Jeſulo offerrem in pauperibus. Si gemmæ! nectĕrem ex illis coronam pro meo Parvulo. Si aureæ catenæ, appenderem ejus pectori. Si annuli, ingererem pulcerrimis digitis. Si eſſem Flora, pulcerrimis floribus, roſis & liliis inſternerem ejus lectulum. Si eſſem ſol, calefacerem illum in frigore meis radiis. Si eſſem Luna, cuperem eſſe ſcabellum pedum ejus. Si ſtella, omnes vocarem ad ejus præſepe. Si forem luſcinia, ſtatim voce ſuaviſſima, cum S. Angelis canerem, Luc. 2. v. 4. *Gloria in excelſis Deo.* Si eſſem ille Seraph, qui cor S. Augu-

Auguſtini flammis accendit, vel ille, qui pectus S. Thereſiæ igneo telo ſuaciavit, ſtatim me & auditorum meorum corda, his flammis accenderem, his telis ſauciarem. Si eſſem concionatorum omnium hodie diſertiſſimus, de re alia nulla loqui vellem, quàm de Jeſulo Infantulo. Concionator ille ego non ſum, eloquentia tamen qua potero, vobis perſuadere conabor, Parvulum de Bethleem eſſe amandum, quia eſt Puer magnus & admirabilis.

§. 2. *Parvulus de Bethleem juxta vaticiniū Sibyllæ eſt major Monarchis terræ*

Referunt hiſtoriæ multis annis ante Nativitatem Chriſti, media die apparuiſſe circulum aureum circa Solem, & in medio circuli, pulcherrimam Virginem, ſtantem ſuper aram, cum formoſiſſimo puero in gremio. Spectanti talia Imperatori Octaviano, una ex Sibyllis, quæ ipſi aderat, dixit: *Hic Puer major te eſt.* Beatiſſime Pater Alexander VII. gratulamur tuæ Sanctitati Pontificiam tiaram & dignitatem, qua non eſt major in terris, ſed, Puer natus in ſtabulo, jacens in gremio pauperculæ Virginis, major te eſt. Auguſtiſſime Imp. Leopolde, Catholice Rex Hiſp. Chriſtianiſſime Rex Galliarum, Orbis Catholici Chriſtiani & capita, non habetis vobis ſimiles ſub ſole, in potentia, in divitiis, in majeſtate, ſed Puer jacens in præſepio & ſtramine, puer panniculis involutus, eſt major vobis. Sacri Romani Imperii Electores, Duces, Archiduces, Principes, Archiepiſcopi, Epiſcopi, agnoſco & veneror eximiam veſtram dignitatem, ſed Parvulus de Bethleem, in ſua paupertate, humilitate, contemptu rerum omnium major vobis eſt. Coram ejus præſepio, flectite genua, agnoſcite & adorate Dominum, Regem & Deum veſtrum.

§. 3. *Cœlum. Angeli & beſtiæ cognoverunt quod Puer eſſet Creator & Deus.*

Quia hoc Bethleem in terris noluit agnoſcere, agnovit cœlum: Quia Judæi Meſſiam ſuum recipere noluerunt, adorarunt illum Angeli, innumerabiles ex omni ordine cœleſtes Spiritus, ex Cherubinis, ex Seraphinis, venientes de cœlo in ſtabulum, Puerum, Majorem Angelis piè ſunt venerati. *Imò bos & aſinus* (inquit S. Bonaventura lib. vitæ Chriſti cap. 7.) *flexis genibus poſuerunt ora ſua ſuper præſepium, flentes per nares, ac ſi ratione utentes cognoſcerent, quòd Puer, pauperrimè contectus, calefactione, tempore tanti frigoris indigeret*, juxta verba illa S. Scripturæ, *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Qualia conſiderans S. Thomas de Villa Nova exclamavit in Concione die Nativitatis. *O mirabilem Infantem! O prodigioſum Puerum! O unicum omnium miraculorum! O prodigiorum potentiſſimum & maximum!* nam, Puer pauperrimus Deus eſt! Puerulus nudus jacens in ſtramine! Deus eſt! Puer vagiens, lacrymans, gemens, plorans! Deus eſt. Prodigia, miracula, portenta hæc ſunt!

§. 4. *Manna fuit figura hujus Pueri.*

Primo mane, quo in deſerto de cœlo decidit manna, cum totus campus circa caſtra tectus eſſet, niveo rore, & candidiſſimo ſaccaro, Hæbræi, pleni admiratione dixerunt, Exod. 16. 4. *Manhu! Manhu!* quid hoc, quid hoc? tẽpore adventus frequenter audivimus dici, Filiũ Dei in ſua Incarnatione, delapſum eſſe de cœlis in

ute-

uterum Virginis, inſtar roris, in virgigineum vellus , aut niveam maris concham , in qua nobilis Margarita Filius Dei factus homo, novem menſibus delituit: quoties propterea ſuſpiravimus cum propheta Iſaia ex cap. 45. v. 8. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Hac nocte præterita terra virginalis germinavit, cœli aperti ſunt, ros cœleſtis, Dei Filius decidit in terram , mox à Matre reclinatus in præſepio, niveus , candidus, dulcis, ſaccareus Puerulus, Manhu! manhu! quid hoc, quid hoc? *Dominus factus homo , Filius Dei ipſe eſt manna, quod ſtupefacit omnes, ita ut dicant, quid eſt hoc* , ait Theophylactus.

§. 5. *Seraphini & Cherubini pleni pia admiratione cū profunda reverentia.*

Duo Seraphini, quos Iſaias cap. 6. v. 3. vidit ſtantes juxta thronum Dei, ita ſteterunt, ita ſe aſpexerunt , tales eorum fuerunt oculi, ut Propheta facile adverterit , obverſari illis ſpiritibus aliquod objectum magna admiratione dignum ; præſertim cùm aliud non dixerint , quàm *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Eadem fere fuit forma Cherubinorum, qui aureis alis obumbrarunt Propitiatorium arcæ. Cherubini ex auro, pleni tamen muta admiratione. Objectum ejus fuit infinita Dei dilectio erga hominem, & mirabilis ille modus , quo in arca & columna electo populo fuit præſens, illum deducendo, protegendo, defendendo. Longè majorem puto fuiſſe illorum admirationem coram præſepio, *Mirabantur enim* (inquit S. Hier. in c. 6. Iſa.) *ad invicem, quod Dominus Sabaoth in forma Dei Patris poſitus, formam ſervi acceperit, & humiliaverit ſe* , in Nativitate ſua uſque ad ſtabulum , uſque ad præſepe, uſq; ad paleas! Deus Puer in præſepio! in ſtramine! major tamen omnibus Regibus terræ! quis non admiretur? quis non exclamet, O prodigia!

§. 6. *Rhodius Coloſſus jacens etiam in terra fuit miraculo: multo magis jacens Puer in præſepio.*

De Coloſſo Rhodio , quarto orbis miraculo referunt hiſtoriæ, illum ingenti terræ motu dirutum corruiſſe. Cum humi jaceret teſte Plinio lib. 34. cap. 7. ex tranſeuntibus quidam dixit, *Jacens quoque miraculo eſt.* Sol æternus, Filius altiſſimi, Deus de Deo, Deus omnipotens, æternus, licet factus homo jaceat in ſtabulo, in præſepio inter beſtias, *miraculo eſt. Tantus eſt, ac talis* , ait D. Zeno ſer. 1. in Pſalm. 130. *Deus, & tamen jacet humi , hoc miraculorum maximum eſt. Neque putandum eſt*, ait Oleaſter ſuper verba Iſaiæ, *Vocabitur nomen ejus admirabilis, ideo eum dici admirabilem, quia Deus eſt, quoniam Deus ſemper admirabilis eſt: ſed hoc te voluit admirari: Quod ſcilicet puer eſſet & admirabilis, quod puer ſit & conſiliarius, quod puer, & fortis, quod puer , & princeps futuri ſæculi* : quod idem monere videtur Hugo Cardinalis; *Ibi miraris magnitudinem , hic mirare parvitatem.* Cum v. g. cœlos intuemur , cum miramur illorum formam, pulchritudinem, motum, ſolis ſplendorem & celeritatem , lunæ mutationem, ſtellarum varietatem, & alia admiranda in tam diverſis creaturis, ſimul miramur magnitudinē , omnipotentiam, ſapientiam , aliaſque infinitas perfectiones illius, qui creaturas creavit, cū ma-

Digitized by Google

magna reverentiâ canimus cum Davide, *Domine Deus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra; magnus, laudabilis & glorioſus eſt Dominus Deus noſter; magnitudinis ejus non eſt finis.* Sed hic, Auditores, in ſtabulo, coram præſepio, miremur parvitatem! hic parvulus eſt ille magnus & laudabilis Deus, hic mirare! hic Parvulus eſt conditor creaturarum! hic! in ſtabulo hodie talia videntes & admirantes exclamemus cum Sancto Auguſtino ſerm. 9. de Nativ. *O miracula! ô prodigia! ô myſteria fidei! naturæ jura mutantur; in homine, in parvulo, Deus naſcitur: Virgo ſine viro gravidatur, ſimul facta & Mater, & Virgo, Mater facta, ſed incorrupta. O mira, O exquiſita compago! nova & inaudita commixtio! Deus eſt, & qui erat Creator, fit creatura: qui immenſus eſt, capitur; divites conſtituens, pauper efficitur: incorporeus carne veſtitur: videtur inviſibilis; palpatur impalpabilis: comprehenditur incomprehenſibilis, quem cœlum & terra benedicit, in præſepio anguſto collocatur.* ſerm. 27. de temp. *Conditor ſolis, conditus ſub ſole. Effector cœli & terræ, ſub cœlo exorſus in terra. Ineffabiliter ſapiens, ſapienter infans. Mundum implens, in præſepio jacens; ſidera regens, ubera lambens. Ita magnus, in forma Dei, brevis, in forma ſervi; ut nec ipſa brevitate, magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine, iſta brevitas premeretur. Hinc, mirare magnitudinem; hinc mirare parvitatem.*

§. 7. *Varia de S. Augu-*

Melle fluit lingua S. Auguſtini in ſermonibus de ſuaviſſima Nativitate Chriſti; *Benedictus ſit Salvator mundi, in parva Bethleem, itemq; benedictus in templo gloriæ ſuæ. Hic mirare magnitudinem, ibi parvitatem. Benedictus ſit in ſtabulo Nativitatis ſuæ, itemq; in ſplẽdoribus Sanctorũ, ubi ex utero ante Luciferum genitus eſt. Hic mirare magnitudinem, ibi parvitatem. Benedictus ſit in vili præſepio, itemq; in throno regni ſui. Benedictus in gremio humillimæ Matris itemq; in ſinu ingeniti Patris. Benedictus ſit vagiens in hac valle lacrymarũ, itemque ſedens ſuper Cherubin, & intuens abyſſos. In templo gloriæ, in ſplendoribus Sanctorum, in throno regni, in gremio Patris, ſuper Cherubim, miramini magnitudinem: In parva Bethleem, in ſtabulo, in præſepio, in gremio Matris, miramini parvitatem. Miramini Puerum magnum & parvum! miraculorũ omniũ maximum. Verbo, Puerum admirabilẽ.*

ſtino de nato infantulo.

§. 8. *Puer hic eſt prodigium, ſive ſignum in profundũ inferni & in excelſum ſuprà.*

Iſaiæ c. 7. v. 11. ait Dominus ad Achaz. *Pete tibi ſignũ à Domino Deo tuo* (vide P. Corn. à Lap. hic) *in profundũ inferni, ſive in excelſum ſupra*, quaſi diceret; pete miraculum, quod ſtupeat cœlum, quod admiretur terra, ficte. Verùm quia Achaz reſpondit ſe non petiturũ, ne videatur tentare Dominum, ait Dominus. *Propter hoc dabo vobis ſignum*, (admirabile ſignum) *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel.* Hac nocte impleta eſt promiſſio, hac nocte in ſtabulo vidimus hoc ſignum: Virgo, Mater; Mater Virgo, peperit parvum ſed admirabilem infantem: qui, ſignum eſt à Deo noſtro, in profundum inferni, in excelſum ſupra. Quidni hunc infantem profundiſſima reverentia veneremur, & agnoſcamus eſſe Deum noſtrum!

Piiſſi-

Digitized by Google

§. 9. *Pia viſio Rigmundæ.* Piiſſimæ Virgini Rigmundi, in ferventi oratione his feriis objecta fuit amabilis viſio; Jeſulus involutus panniculis jacens in præſepio, & de cœlo has voces audivit, Matth. 3. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Parvulus eſt, ſed filius meus: pauper eſt, ſed filius meus: infans eſt, ſed filius meus: mox vidit innumerabiles pulcherrimos Angelos, circa præſepe, cum profundiſſima ſubmiſſione, cum pia admiratione, adorantes jacentem in præſepio. Mox piiſſima Virgo, ruit in genua, & eadem ſubmiſſione, eadem reverentia, cum affectibus pulcherrimarum virtutum Jeſulum adoravit. Facilè advertere poteſtis, talia me narrare, ut eadem faciamus.

§. 10. *Ex S. Bern. Ieſulus eſt hinnulus ſuper montes, id eſt Parvulus & magnus.* Ob magnitudinem & parvitatem hujus Pueri, mellifluis verbis S. Bernardus allocutus fuit B. Virginem, hom. 3. ſuper *Miſſus, &c. O tu quidem, O Virgo, parvulum paries, parvulum nutries, parvulum lactabis, ſed videns Parvulum, cogita Magnum, erit enim magnus & filius Altiſſimi vocabitur.* Agnovit hoc myſterium ſponſa in Canticis, cum dixit c. 2. *Similis eſto dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum, ſuper montes Bethel.* Pulchrè hic S. Bern. ſer. 73 in Cant. *Hinnulus eſt, parvulus eſt, attamen ſuper montes Bethel excelſior cœlis factus.* Parvulus ob varias cauſas. Parvulus, quia homo factus: Parvulus, quia, jacet in præſepio, parvulus, quia pauper, parvulus, quia ubera lambit. *Sed, Magnus*, (ut loquar cum S. Antonio) *altiſſima nobilitate. Magnus excellentiſſima dignitate, magnus immenſiſſima poteſtate, magnus diffuſiſſima famoſitate, magnus copioſiſſima utilitate, magnus inauditiſſima novitate.* Talis eſt noſter Emanuel, nobiliſſimus Puer, digniſſimus Puer, immenſus Puer, utiliſſimus Puer, novus Puer, verbo admirabilis Puer.

§. 11. *In admirabili hoc Puero habitat latens Divinitas.* In quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter, licet tecta lateat, ſub velo Humanitatis parvi pueri. Arca, in qua Deus electo populo peculiari modo erat præſens, repoſita fuit in loco, qui dicebatur, *Sancta Sanctorum.* Sanctiſſimus verè hic locus tegi debuit velo, ſive cortinis, de quibus ait c. 28. Exod. *Opere artificis doctiſſimi facies illud picturis.* Elegantiſſimum hoc velum figura fuit Humanitatis Chriſti, quam S. Paulus ad Hebr. 10. v. 20. claris verbis vocat *velamen*, ſub quo in loco ſancto, in præſepio latet increata ſanctitas, id eſt, Parvus Puer, Parvulus de Bethlehem, licet oculis corporeis, videatur homo tantùm, eſt tamen Sanctus Sanctorum. Ex aſpectu hujus veli venire debemus in cognitionem latentis divinitatis.

§. 12. *Declaratur hoc brevi hiſtoria cũ ſuavi Apoſtrophe ad Ieſulũ.* Leo Cæſar, cùm deſideraret audire & ſcire, quid plebs in foro de ſe diceret, ingreſſus illud fuit, ſed ne agnoſceretur, quis eſſet, induit habitum ruſtici: ſed ex manibus fuit agnitus, elegantia & teneritudo manuum illum prodidit, quas aliquis apprehendens, dixit: *Cæſar, manus nimis delicatæ & pulchra ſunt pro ruſtico.* Pari ratione Filius Altiſſimi, Rex Regum, ut incognitus ingrediatur hunc mundum, induit habitum ſervi, factus eſt homo, nobis per omnia ſimilis; Aula

Digitized by Google

regia eſt ſtabulum; thronus præſepe, purpura, panniculi, ſatellites, bos & aſinus. Quis ex his ſignis agnoſcet infinitam ejus dignitatem? Sed, O Divine Puer! O Puer admirabilis! oſtende nobis manus tuas! quàm ſunt delicatæ, quàm pulchræ? ſunt aureæ, tornatiles & plenæ hyacinthis. Nimis ſunt pulchræ, nimis divites, nimis liberales pro puro homine. Divine Puer! Oſtende nobis caput & comas! Caput eſt aurum optimum, comæ ſicut elatæ palmarum. Oſtende oculos! lacte ſunt loti. Oſtende genas! ſunt ſicut roſæ. Oſtende labia! ſunt ſicut lilia. Omnia, caput, comæ, oculi, genæ, labia, nimis pulchra ſunt pro puro homine: ſub his hyacinthis in manibus, ſub hoc auro in capite, ſub his cincinnis, ſub his roſis & liliis in facie, ſub hoc lacte, inter has flammas in oculis, regia latet Majeſtas, abſcondita latet Divinitas. Admirabilis nobis datus, nobis natus eſt Puer.

§. 13. *Pia obſequia erga magnum & parvũ hunc Puerum.* Ne tanta nos terreat & opprimat Majeſtas, ſolari & erigere nos debet Parvuli amabilis forma & ſpecies. Magnus hic Puer, ſervitia noſtra, quibus parvuli indigent, non recuſat: Nudus jacet in præſepio; à nobis vult tegi. Friget, à nobis vult calefieri: Vult dormire: cupit ut agitemus cunas. Flet, plorat, vult ut abſtergamus lacrymas. Famet, vult lactari. Tegit & paſcit Jeſulum qui veſtit & paſcit pauperem. Pauperi Jeſulo offert divitias, qui illas contemnit: Lacrymas Parvuli abſtergit, qui ſua peccata contrito corde deplorat: Mundis pannis involvit, qui mundo corde accedit ad Communionem. Canunt Jeſulo, agitant cunas, qui illi benedicunt: Lectulus Jeſulo floridus, eſt munda & bona Conſcientia. Frigidum calefaciunt; qui in cordibus ſuis accendunt ignem amoris, quo flagrant erga benedictum Puerum. Hoc unum ille à nobis exigit, ut illi ſerviamus, ut illum ex toto corde, ex tota anima diligamus.

§. 14. *Converſio vanæ fœminæ, ex Amore Jeſuli.* Piiſſimus filius S. Thereſiæ, in ſanctiſſimo ejus Ordine, Franciſcus à Puero Jeſu, ita vocatus, ob peculiariſſimam devotionem & tenerrimum affectum erga diviniſſimum Infantem; quidquid ab aliis peteret, petere fuit ſolitus, Amore Parvuli de Bethleem. Audiverat multum, (Valentiæ in Hiſpania) de vanitate alicujus fœminæ, cum multarum animarum periculo. Ut Magdalenam hanc vir pius converteret, poſtquam illius ſalutem ardentiſſimis precibus ſuo Jeſulo commendaſſet, illam accedens, paucula hæc dixit verba: *Soror, ſatis diu ſerviiſti vanitati & Sathanæ, tempus eſt ut ſervias nato Infantulo*: Riſit petulans muliercula. Abiit Franciſcus, nocte inſequente iterum ardentiſſimas pro illa fundens preces. Rem miram: eadem nocte illa, tot timoribus, tot ſcrupulis agitata fuit, ut ſummo mane, altera Magdalena cucurrerit ad Confeſſarium: poſt ſeriam exomologeſin, Pœnitentium Ordinem ingreſſa, multis annis in illo ſervit Jeſulo, ejuſdem ardentiſſima amatrix. Et ego vos Auditores, hac nocte, hodie, in meis ſacrificiis, in meis precibus, vos Jeſulo meo commendavi. Quæſo! ſatis diu ſervi-

vi-

vimus mundo & vanitati: tempus eſt; Amore JESULi obteſtor! ab hac die incipiamus ſervire Jeſulo. Satis diu amavimus creaturas; Amore Parvuli de Bethleem, obſecro, hunc amemus inpoſterum.

§. 15. *Ex eodem amore vir Nobilis valedicit mundo*

Nota eſt hiſtoria, qua devotione aliquando Seraphicus S. Franciſcus in campis, ſive in ſylva inſtruxerit præſepe; quo hominum concurſu! Alibi deſcribo. Hanc modo adverto circumſtantiam. Vir nobilis cum curioſius & cum ſtupore pio aſpiceret S. Franciſcum, tenerrimas fundentem lacrymas, vidit inter ejus brachia ſupra pectus viri ſancti jacentem formoſiſſimum Infantulum, radiantem ut ſolem, cujus pulchritudine adeo fuit raptus, & accenſus amore, ut ſtatim valedixerit mundo, & deinceps in ordine ſanctiſſimo ſanctè vixerit, ſervus & Amator Parvuli de Bethleëm. Tantum ego, ab Auditoribus meis non peto, ut omnibus divitiis, deliciis & honoribus ſive mundo plane valedicant, hoc tamen Amore Jeſuli obteſtor, ut omnes hunc plus ament quàm divitias, & magis, quam mundum: Hunc amorem debemus tam magno, & tam admirabili Puero.

CONCIO LIX

FESTO S. STEPHANI Proto-Martyris. Concio II. pro feriis Natalitiis.

Natus, datus nobis Puer, eſt pulcherrimus.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PArvulus de Bethleem eſt totus amabilis, dignus noſtro amore, quia eſt ſpecioſior ſole, lucidior ſtellis, &c. quia pulcher eſt & decorus. Pulchritudo verò eſt potens motivum Amoris, quod varie demonſtratur: applicantur omnia Parvulo de Bethleem, cum variis affectibus dilectionis.

§. 1. *Exor-*

Digitized by Google

§. 1. *Exordium eſt ſuavis adhortatio ad amandum Parvulum de Bethleem, in heſterna Concion e, magnum, parvum, Admirabilem, in hodierna, Pulcherrimum.*

§. 2. *Salomon depingit pulchritudinem Sapientiæ, ut ametur: nobis natus, nobis datus Puer, eſt ſapientia Incarnata, Puer ſpecior ſole, &c.*

§. 3. *Suaves affectus amoris ſponſæ, erga ſponſum, quia vidit illum eſſe pulchrum.*

§. 4. *Apoſtorphe ad Auditores, ut eoſdem excitent affectus erga Jeſulum, quia eſt pulcherrimus Infans.*

§. 5. *Pulchritudo ejus comparatur Roſæ.*

§. 6. *Et igni, cujus David facit mentionem pſ. 49.*

§. 7. *Quare Apoſtoli ſtatim ſecuti ſint vocantem Jeſum.*

§. 8. *Pictura Amoris applicatur Jeſulo.*

§. 9. *Alexander Magnus Byzantium vicit, non armis, ſed clementia: Jeſuſulus vincit pulchritudine.*

§. 10. *Raptæ fuerunt illa pulcritudine S. Thereſia V. & S. Gertrudis.*

§. 11. *Alphonſus Rodriquez & B. Henricus Suſo.*

§. 12. *Pulchrum Emblema nos monet, ut ſolum Jeſulum amemus.*

§. 13. *Pulcerrimus infans eſt aurea ſagitta nos vulnerans, viciſſim ſagittis amoris à nobis vult vulnerari.*

§. 1. Exordiũ eſt ſuavis adhortatio ad amandum Parvulũ de Bethleẽ, in heſterna Concione, Magnum, Parvum, Admirabilem, in hodierna pulcherrimum.

UT feſta hæc Natalitia, Auditoribus meis, ſint fauſta & felicia, animitus precor. Erunt fauſta & felicia, ſi natum, ſi datum nobis Puerum, ex toto corde, & ex tota anima diligamus. Amor enim hic radix eſt omnis felicitatis. Ob quam cauſam, in concionibus meis Natalitiis toties repeto notiſſima ſed inflammata verba Seraphici S. Franciſci; Amemus Parvulum de Bethleem! Pater æternus & Spiritus S. amant illum amore infinito, æquum & juſtum eſt, ut amemus & nos; Ardentiſſimi illi cœleſtes Spiritus, quos Seraphinos vocamus, ardent amore hujus infantuli, quid ni nos ardeamus iiſdem beatiſſimis flammis; præterita nocte cum medium ſilentium tenerent omnia, maxima Angelorum pars, multitudo cœleſtis exercitus, de cœlis deſcendit ad ſtabulum, ubi coram præſepio Parvuli de Bethleem, gaudium illorum fuit, illum adorare, laudare, amare & benedicere: Si tanti gaudii, quod Angeli annuntiarunt Paſtoribus, velimus eſſe participes, par eſt, ut & nos hunc Puerum adoremus, laudemus & amemus: Ex hominibus primi illius amatores fuerunt, Maria Mater ejus, S. Joſeph, & Paſtores, cum incredibili voluptate, amemus & nos: & guſtabimus quàm volupe ſit, amare natum Infantulum. Advertitis credo, votum meum eſſe, ut amoris beatiſſimi ignem in cordibus veſtris hac Concione iterum accendam: ſed quo medio? quo motivo? S. Auguſtinus tr. 26. in Joannem ait: *Ramum viridem oſtendis Ovi, nuces puero*, vel ſaccarũ, *& trahitur aman-*

amando trahitur, cordis vinculo trahitur: O quis mihi dabit tale vinculum cordis, funiculum caritatis tam fortem, ut veſtra corda, veſtras cogitationes, deſideria, affectus; verbo, veſtros amores traham ad incunabula Parvùli de Bethleem: Hoc faciam! non ramum, nòn ſaccarum, ſed ipſum Infantulum vobis oſtendam: Oſtendi vobis, heri eundem, Magnum & Parvum, Admirabilem! monſtrabo hodie ſpecioſum. Specioſiſſimus Puer erit magnes, alligatus funiculis cordis, quibus nos ad ſe trahet: Imitabor in hoc ſanctos Angelos, qui hoc medio Paſtores traxerunt ad præſepe. Lucæ 2. 10. *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Salvator mundi; & hoc vobis ſignum: Invenietis Infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Infantis hujus pulchritudinem vobis depingam hac concione, ut illum amemus: quod omnibus votis deſidero, ut his feſtis Natalitiis, & deinde in omnem æternitatem ſimus beati: Amen.

§. 2. Salomon depingit pulchritudinem ſapientiæ, ut ametur. Nobis datus Puer, eſt ſapientia Incarnata. Puer ſpecioſior ſole, &c.

In libro Sapientiæ ſapientiſſimus Salomon, totus eſt in eo, ut in hominum cordibus excitet amorem Sapientiæ, inter alia ait: *eſt enim hac ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata invenitur prior*: Pergit deinde ejuſdem pulcritudinem depingere per varias metaphoras deſumptas ab auro, ab argento, à gemmis, & aliis pulcris creaturis. Cauſam advertit Sanctus Gregorius Nyſſenus hom. 1. in Cant. *Incipit ineffabilis pulchritudinis interpretari ſpeciem, ac decorem, ut non aliqua neceſſitate & metu, ſed cupiditate & deſiderio mens excitetur ad bonorum participationem: Nam deſcriptio pulcritudinis attrahit omnem juvenum cupiditatem, ut ſit particeps venuſtatis & elegantiæ.* Pulcritudo eſt incentivum amoris. Ego hâc Concione in cordibus veſtris, excitare cupio amorem Sapientiæ Incarnatæ in parvo, in magno, in admirabili Puero, qui datus, qui natus eſt nobis, motiva hujus amoris ſunt innumera; dico modo cum Salomone: Puer hic eſt ſpecioſior ſole, pulchrior ſtellis, prior luce, lucidior gemmis; talis jacet in cunis; ſi talem intueamur, mox in mentibus noſtris excitabitur cupiditas & appetitus, ut tantæ venuſtatis per amorem fiamus participes: ſpecies Pueri erit vinculum cordis, quo trahemur.

§. 3. Suaves affectus amoris, ſponſa erga ſponſum, quia vidit illum eſſe pulchrum.

Canticum ejuſdem Salomonis plenum eſt tenerrimis affectibus amoris ſponſæ erga ſponſum: cap. 1. v. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* verſ. 12. *Dilectus meus inter ubera mea commorabitur*, cap. 2. v 5. *fulcite me floribus, quia amore langueo.* v. 6. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* cap. 3. v. 4. *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* c. 4. 9. *Vulneraſti cor meum*: cap. 8. *Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te, deoſculer te.* Multas ſuaviſſimorum affectuum cauſas ſponſa inſinuat, loquendo de ſponſi divitiis, de ejus excellentia, de ejus ſuavitate & dulcedine, de ejus amore; præcipuam fatetur claris verbis c. 1. 15. *Ecce tu pulcer es, dilecte mi, & decorus*, c. 2. 15. *facies tua decora.* Quaſi diceret ſponſa: Di-

Digitized by Google

lecte mi, diligit te anima mea, quia pulcher es, cupio ut ubera mea ſint tibi floridus lectulus, quia pulcher es. Langueo amore tui, quia pulcher es. Tu mihi, ego tibi, quia pulcher es Tenebo te, nec dimittam, ecce tu pulcher es. Vulneraſti cor meum, te cupio invenire, etiam in ſtabulo, in præſepio, pendentem ab uberibus matris tuæ, & oſculari te, quia pulcher es & decorus. Sponſam verò fuiſſe locutam de pulchritudine Verbi Incarnati, obſervavit Rupertus in Cantica. *Pulcher fuiſti* (ſic ſponſam inducit loquentem) *pulcrior factus es: nam vere in eo pulchritudinem tuam adauxiſti, quod cùm Deus eſſes, homo dignitatus es fieri. Hinc tu ita pulcher, ut ſis ipſa ſubſtantia pulchritudinis, ita decorus: ut ſis ipſum decus humani generis.*

§. 4. *Apoſtrophe ad Auditores ut eoſdem erga Ieſulum excitent affectus, quia eſt pulcerrimus Infans.*

O filiæ Sion! O animæ piæ! O ſponſæ cœleſtis ſponſi! Venite, indicabo vobis hodie, ubi cubet ſponſus veſter, ubi paſcat in meridie amoris. Jacet in ſtabulo, in præſepio, in ſtramine, pannis involutus. Ecce quàm pulcher eſt, quam decorus! ſpecioſior ſole, lucidior gemmis, pretioſior auro, videte, ut illum diligat anima veſtra: ut ejus ſpecies ſuſcitet in vobis concupiſcentias ſempiternas, caſtiſſimi amoris. Specioſus Infantulus ubera quærit, lectulum deſiderat: offerte illi corda veſtra, ecce quam pulcher eſt: Tenete illum, conſtringite amplexibus, figite oſcula amoris, offerte illi flores, fulcite roſis & liliis, ſtipate malis, ecce quàm pulcher eſt, quam decorus! *Solus in re pulcher dici poteſt, cujus participatione pulchra ſunt pulchra*, ajunt Nyſſenus, Nilus, Maximus apud Theod.

§. 5. *Pulchritudo ejus comparatur roſæ.*

Pulcher! pulchritudine quæ caſtos ſuſcitat amores, unde de ſe ait, Cant. 2.1. *Ego flos campi & lilium convallium*: in Hebraico textus ſic habet: *Ego ſum roſa Saron*: Roſam ſe vocat, ajunt ex Philoſtrato Interpretes, quia, *roſæ ſunt aſpectu pulchra, & igneus illis ineſt vigor.* Talis eſt noſter Parvulus de Bethleem jacens in præſepio. Aſpectu pulcher, & igneus illi ineſt vigor. Candidus eſt puell' inſtar nivis, inſtar unionis: huic unioni, huic nivi igneus ineſt vigor, qui accendit flammas amoris. Rubet ut purpura & carbunculus: cum igneo vigore, qui adurit: Viret ut Smaragdus: cum igneo vigore: Pulcherrimus Puer ignis eſt, qui corda intuentiũ inflamat: Pulcer eſt aſpectu ut roſa: igneus illi vigor.

§. 6. *Et igni, cujus David facit mentionem.*

Prævidit hoc regius Pſaltes pſ. 49.3 *Ignis in conſpectu ejus exardeſcet*, id eſt, ex mente Interpretum, *fervor dilectionis augmentabitur ad modũ ignis exardeſcentis.* Sed quando hoc fiet? quando hominum corda flagrabunt his cœleſtibus flammis? ipſe Pſaltes citato pſ. ſe explicat, de quo tempore loquatur: nam ſubdit: *Ex Sion ſpecies decoris ejus Deus manifeſtè veniet*: quaſi diceret. Quando Filius DEI aſſumet naturam humanam, quando in ſtabulo naſcetur ex Virgine, quando jacebit in præſepio pulcherrimus pũpulus, in aſpectu ejus, velut vertunt, *in conſpicientibus cum ſpeciali aſpectu*: tunc fervor dilectionis erga hunc puerum, erga Filium Dei latentem in pulcherrimo corpuſculo, exardeſcet & augmentabitur inſtar ignis. Filiæ Sion! Animæ piæ! flectite hodie genua coram præſepio, laudate Puerum cum Angelis, adorate

cum

cum Paſtoribus, imponite pectori & brachiis cum B. Virgine & Sancto Joſepho, hoc potiſſimum flagito, ſpeciali cum aſpectu, curioſis oculis conſpicite, & aſpicite Parvulum de Bethleem, quam ſit pulcher & decorus, aſpicite oculos, genas, labia, undique igneus erumpet vigor, exardeſcet ignis, qui in nobis excitabit fervorem ſuaviſſimæ dilectionis!

§. 7. *Quare Apoſtoli ſtatim ſecuti ſint vocantem Ieſum.*

Mirati ſunt multi, Apoſtolos cum vocati ſunt à Chriſto Domino, ſtatim relictis omnibus., Vocantem fuiſſe ſecutos, cauſam præſenti materiæ congruam dedit S. Chryſoſt. hom. 4. in Sanctum Marcum. *Oculi ipſius JESU, & vultus divinum quiddam ſpirabant; & ad ſe contuentium oculos convertebant*: Eundem ferme judico eſſe ſenſum verborum Guarrici Abbatis. *Ut te lucrifaceret, ac me ad amorem ſuum traheret, omnem pulchritudinem Divinitatis in hominem transfudit*: ſimilia ſpectacula cernimus in ſtabulo Bethlemitico. Coram parvo puero procumbunt Angeli, Paſtores, Joſeph, B. Virgo, rapti quaſi omnes in dulciſſimam extaſin, in piam admirationem fixis oculis aſpiciunt Jeſulum: Non miror, ejus oculi & vultus divinum quid ſpirant: In oculis divina ineſt pulchritudo, eadem rubet in genis, eadem candicat in labiis, in puerum Deus omnem pulchritu dinem Divinitatis transfudit, quæ omnium oculos & corda, vinculo cordis, vinculo pulchritudinis ad ſe trahit: ô pulcherime puer, trahe & nos.

§. 8. *Pictura Amoris*

Notisſimum eſt; Amorem, etiam cœleſtem, de quo loquar, depingi in forma ſpecioſisſimi pueri: manus ejus ornare ſolent pictores, nunc arcu & aureis vel igneis ſagittis, nunc facibus & flammis, alias floribus & roſis: ſubinde aureis catenis, vel funiculis ſericis. Implent alii manus gemmis, alii armant gladio. Sic amor vulnerat, ſic urit, ſic accendit, ſic recreat, ſic ligat, ſic involvit, ſic capit, ſic trahit, ſic vincit & triumphat: ſurgite filiæ Sion, currite per plateas, quærite veſtrum amorem, quem diligit anima veſtra, hodie illum invenietis in ſtabulo, jacentem, cubantem, quieſcentem in forma venuſtisſimi pueri, in præſepio: illi offerte corda veſtra, habet formoſus & igneus puer igneâs ſagittas ut illa vulneret: Habet flammeus Puer faces amoris, ut illa accendat: Habet floridus Puer, flores & roſas ut illa ornet, & recreet; habet catenas ut liget; habet funiculos, ut trahat: habet gladium, ut ſibi ſubigat: Ignea ſagitta, ardens fax, pulcherrima roſa, fortis catena, vinculum cordis, gladius acutus eſt divina divini Pueri pulchritudo: de hoc gladio dixit David pſal. 44. v. 4. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* ſive: *ſpecie & pulchritudine tua intende.* Tertullianus l. 3. contra Marcion. cap. 7. *Potens tempeſtivitate & pulchritudine tua.* S. Chryſoſtomus h. c. *Hoc eſt gladius, ſpecies ejus, pulchritudo, auctoritas, gloria, majeſtas & magnificentia.* Hæc in Puero ſunt potentisſimus gladius, quo ferit, vulnerat, vincit & triumphat. *applicatur Ieſulo.*

§. 9. *Alexander M. By-*

Cum Alexander Magnus Byzantium obſideret, rogavit quidam ex proceribus, cur id faceret, cum à ne-

Digitized by Google

zantium vicit, clementia non armis Ieſulus vincit pulchritudine. nemine incolarum eſſet offenſus, reſpondit Imperator: *pulchritudo urbis eſt cauſa:* cui ille: *Si ergo amor te impellit, non enſe opus eſt: pone arma: dulcedine & beneficentia pugna, & vinces.* Armis potentior eſt pulchritudo cum quadam dulcedine: Hactenus ab aliquot ſæculis habuimus armatum Deum, ignibus, aquis, bello, peſte, ſimilibus flagellis, quibus quodammodo mundum terruit & oppugnavit: cauſa præcipua fuit, pulchritudo ex excellentia animæ hominis. Hodie depoſuit arma: factus puer pugnat pulcritudine, pugnat clementiâ, pugnat magnificentiâ; ſic vincit, ſic ſe reddit Dominum cordium, ſic triumphat.

§. 10. *Rapta fuerunt illa pulcritudine S. Thereſia S. Gertrudis.* A pulcritudine hujus pueri victa fuit S. Thereſia, quod cum coram præſepio, cantari audiret, hos Hiſpanicos verſus; *Vean te mis ojos, dulce Ieſu bueno! Vean te mis ojos, muera me luego.* id eſt, *Videant te mei oculi, dulcis, bone IESV; videant te, ſtatim libenter moriar:* adeo his verbis & deſideriis concaluit, ita exarſit in conſpectu Jeſuli, ut in ſuaviſſimum corruerit deliquium amoris: fortaſſis & tum, non aliquis Seraph, ſed ipſe puſio aureâ & ignitâ ſuæ pulcritudinis cor ejus vulneravit. A pulcritudine Parvuli de Bethleem aliquando S. Gertrudis ita devicta fuit, ut diceret; *Ego ullam in terris nequeo rem invenire, quæ me delectet, præter te ſolum Dominum meum dilectiſſimum.* Et reſpondit illi Jeſus: *Et ego neque in cœlis, neque in terris aliquid reperio, in quo ſine te delecter.* O cœlicas delicias! cùm Jeſulus delectatur in corde puro & pulchro, & viciſſim tale cor oblectatur in pulchritudine pulcherrimi Jeſuli. Sed de his deliciis craſtina, ſi Deo placet, aget Concio.

§. 11. *Alphonſus Rodriquez. B. Henricus Suſo.* Pulchritudine Jeſuli victus Alphonſus Rodriquez Coadjutor è Societate exclamare ſolebat; *O vos, à Jeſu Redempti mortales! O loti, ablutique ſanguine Agni immaculati, quid tandem amabitis, ſi non amatis ejus pulchritudinem.* Heroicum fuit facinus B. Henrici Suſonis, quo oſtendit ſe deſiderare pulcherrimum Jeſum, incaleſcens amoroſis deſideriis, nudavit pectus, & cordi pugionem imponens dixit: *Omnipotens Deus præſta mihi hodie vires, & facultatem, meum explendi deſiderium; Siquidem in ipſa cordis mei viſcera jam te liquari oportet.* Hæc dicens ſupra cor carni inſcidit nomen JESUS; & effluentem ſanguinem cum gaudio aſpiciens, ait; *Eja Amor unice cordis mei, & anima mea, aſpice ingens animi mei deſiderium, equidem non poſſum te mihi penitius imprimere: tu igitur perfice, quod ſupereſt, teque cordis mei fundo imprimas, ſanctumque nomen tuum adeò in me conſignes & inſculpas, ut nunquam poſſis aboleri, & ſeparari à corde meo.* Quæſo vos animæ piæ: cum his feriis in ſtabulo, vel præſepio, vel gremio B. Virginis, ſancta & pia curioſitate, pulcherrimum illum Puerum aſpicietis, cum vobis placebunt oculi, cùm arridebunt genæ, & labia: denudate pectora, ut fundo cordis amabilem & pulcherrimam ſui imaginem formoſus puer imprimat & inſculpat: ut nil aliud amemus, nil cogitemus aliud, quàm Jeſum: ut in illo gau-

gaudeamus, ut in æternum ab illo non ſeparemur.

§. 12. *Pulcrum Emblema nos monet, ut ſolum Ieſum amemus.*

Incurrit his diebus meos oculos imago vel pictura, quæ me multum recreavit. Ad pedes venuſtiſſimi adoleſcentis jacent quatuor globi ſive partes mundi, Europa, Africa, Aſia, America: cum adjuncto lemmate, *His nihil.* Dextera manu verſus cœlum elevat cor, accenſum cœleſtibus flammis, inter quas hæ binæ leguntur voculæ, *Soli Deo.* Hoc modo vos ſtare cupio his diebus coram præſepio: Mundi globos, ejus gloriam, divitias, voluptates, honores, calcate pedibus: his nihil de cordibus veſtris: ardere illa cupio, ſed ſoli Jeſulo, pulcherrimo Infanti! Opto mihi & vobis mille ſuaviſſimos affectus, ſed erga ſolum Parvulum de Bethleem.

§. 13. *Pulcherrimus Ieſulus eſt aurea ſagitta vos vulnerãt, viciſſim ſagittis amoris à nobis vult vulnerari*

Excidit ſuperius è memoria ſuaviſſima viſio Antonii Martinii, piiſſimi religioſi è Societate Jeſu, cum facerem mentionem de aureis & ignitis ſagittis, quas in præſepio manibus præfert formoſiſſimus parvulus de Bèthleem. Suggeret mihi modo illa viſio Epilogum meæ Concionis. Jeſulus, quem ex toto corde, ex tota anima diligebat, apparuit illi nudus, cum arcu & aurea pharetra, ex qua pulcher puſio multas ſagittas jaculatus fuit in cor Martinii: cùm denique ſagitta nulla ſupereſſet, Antonius viſus ſibi fuit videre, ipſum Puerum converti in aureum telum, quo vel maximè ſenſit cor ſuum vulnerari, & hinc ſuaviſſimi in viro ſancto affectus amoris. Auditores amantisſimi, denudate membra veſtra jaculo formoſo, ubi ipſe Deus eſt Sagittarius Dico ego hodie, ubi in ſtabulo, in præſepio, nudus ſed venuſtisſimus Parvulus eſt aurea ſagitta. O dulcis! O formoſe Sagittarie! O potens, O aurea, O ignea ſagitta: ecce corda noſtra, feri illa, vulnera & accende, ut te ſolum amemus. Sed illata vulnera ulciſci licet, placet puero, ſi & nos ſimus ſagittarii: placeat illi, ſi coram præſepio compareamus nudi, vacui, liberi ab omni affectu terreno: & armati arcu & pharetra plena ſagittis ardentisſimorum actuum dilectionis erga Infantulum. Si volumus, corda convertere poſſumus ſuavisſima metamorphoſi in aureas ſagittas, his vult vulnerari ſpecioſisſimus Puer. Vult à nobis amari, quia pulcher eſt, & decorus.

Digitized by Google

CONCIO LX.

FESTO S. JOANNIS EVAGEL.

Concio III. pro feriis Natalitiis. De dulcedine Amoris erga pulcherrimum & ſuaviſſimum parvulum de Bethleem.

Vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Jeſus, Joan. 21. v. 20

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit hæc Concio, verum cordis gaudium, & ſummam hominis in hac vita beatitudinem conſiſtere in amore erga pulcherrimum Jeſulum. Varii affectus erga benedictum Infantem.

§. 1. *Breve Exordium eſt Propoſitio Concionis.*

§. 2. *Ubi amor, ibi oculus, & contra. Pulchritudo eſt nutrimentum Amoris. Alia pulchritudinis elogia, applicata Jeſulo.*

§. 3. *Nihil eſt dulcius, quàm amare Jeſulum: ideò hic amor à ſponſa comparatur melli, ad explicandas amoris delicias.*

§. 4 *Et poculo condito ſive nectari, quod obtulit ſponſo. Ejus dulcedinem guſtarunt S. Auguſtinus & alii. Amare Ieſulum eſt amabilis occupatio.*

§. 5. *Beata Virgo revelavit ſanctæ Brigittæ, ubi ſit verum gaudium.*

§. 6. *Quare Deus dederit Iobo ſpecioſiſſimas filias.*

§. 7. *Emblema Ioannæ Auſtriacæ applicatum Ieſulo.*

§. 8. *Pulchritudo hujus parvuli inflammat ſuavem amorem, ut viſio Dei in cœlis.*

§. 9. *Quodnam omnium jucundiſſimum ſecundum S. Chryſoſtomum? Amare DEUM, & amari à Deo. Mihi amare Jeſulum & ab illo amari.*

§. 10. *Sine hoc amore nemo eſt beatus. Amor eſt ſumma gloria.*

§. 11. *Simile S. Bernardini, carbo ſine igne eſt niger, pulcher cum igne, applicatur amori Jeſuli.*

§. 12. *Qualis Sol ſit Jeſulus in præſepio, ex dicto Anaximandri.*

§. 13.

§. 13. *Anima juſti, & Amatoris Parvuli de Bethleem eſt quoddam cœlum.*

§. 14. *Dulcedo orta ex amore pulchritudinis declaratur ſimili ſumpto à pictore. Quomodo Amor ſponſa depinxerit ſponſum: quibus affectibus.*

§. 15. *Amoris hujus dulcedo, aſpera reddit ſuavia.*

§. 1. Breve exordium eſt propoſitio concionis.

QVia non dubito diſcipulo illi, *quem diligebat Jeſus*, id eſt, S. Joanni Evangeliſtæ, cujus hodie feſtum celebramus, fore gratum, ſi de ſuo Amatore Jeſu loquar, & præſertim his feriis Natalitiis de ejus Nativitate, Parvulus de Bethleem iterum erit materia hodiernæ meæ Concionis. Materiæ dulciſſimæ aliud non præfabor, quàm ut vos moneam, hoc fore thema mei præſentis diſcurſus: ſuaviſſimum eſſe amorem pulcherrimi Jeſuli: Hæc tria, Pulchritudo, Amor & Suavitas, quaſi aurea catena inter ſe ſunt colligata. Pulcher eſt, parvulus de Bethleem; & amor ejus eſt ſuaviſſimus.

§. 2. Vbi amor, ibi oculus, & contra. Pulchritudo eſt nutrimentum amoris. Alia pulcritudinis elogia applicantur Jeſulo.

Breviter & ſuaviter dixit Richardus à S. Laur. *Vbi amor, ibi oculus.* Contrarium ego arbitror eſſe veriſſimum, ubi oculus, præſertim ſi ſit in objecto pulchro & ſpecioſo, ibi amor. Nocte & die Nativitatis: & heri, oculi noſtri fuerunt in ſtabulo Bethlemitico, in præſepio, inter paleas & fœnum, inter bovem & aſinum, cum Maria & Joſeph: in ſtabulo, in præſepio, inter paleas, cum Maria & Joſeph, cũ Paſtorib. cum Angelis, fixis, ſuavibus, amantibus oculis intuiti ſumus pulcherrimum & formoſiſſimum Jeſulum; Viderunt oculi noſtri ſalutare Dei noſtri. Non dubito, ibi quoq; eſſe noſtrum amorem. Nam, *ſpecioſitas, formæ decor*, (ait Guilhelmus Pariſienſ. cap. 1. de Euch.) *nutrimentum; & cibus eſt amoris.* Amor pulchritudine vivit, pulcritudine nutritur, pulchritudine creſcit, ſi Platoni credimus apud Cœliũ l. 16. c. 24. & nihil aliud eſt amor, quã quoddam pulcritudinis deſiderium, & appetitus. Leo Hebræus dial. 3. de amore. *Pulcritudo ejuſmodi natura prædita eſt, ut ipſius merito, & omne amatũ amari, & omnis amans amari dicatur, ſitq; ipſa principium, medium & finis cujuſq; amoris.* Horatius pulchritudinem vocavit, *compedes aureos*: tenetq; grata compede vinctum. His aureis vinculis amor Filium Dei traxit de cœlo, amor alligavit in præſepio, amor reclinavit in ſtramine, amor involvit panno Parvulum de Bethleem, & ipſe viciſſim alios præſertim oculos & corda ligat. Specioſiſſimi ejus oculi, roſea labia, purpureæ genæ, aurei cincinni, aureæ, imò igneæ ſunt catenæ, quibus venuſtiſſimus Puſio ſuos amatores ſecum fortiſſimè conſtringit. Nec gravia ſunt illa vincula, ſed ſuavia & lenia.

§. 3. Nihil eſt dulcius quàm amare Jeſulum. Ideo hic amor à

Poſt aureum diſcurſum de amore Dei in concione 1. Dominicæ 17. poſt Pentec. quæſivit S. Thomas de Villa Nova: *Quid enim dulcius, quid jucundius, quàm amare Deum.* In ſtabulo Bethleemitico, ad cunas Salvatoris hæc

Sponſa comparatur melli & lacti ad explicandas amoris delicias.

hæc ego quæro: Dic, O Beatiſſima puerpera: dic nobis feliciſſime Joſeph, dicite paſtores, dicite Angeli, eſtne aliquid dulcius vel jucundius quàm amare parvulum de Bethleem? Obruti torrente voluptatis, ſilent, ſed melleo ore mihi reſpondet S. Bernardus in ſuo jubilo amoris. *Jeſu dulcis memoria, dans vera cordi gaudia, ſuper mel & omnia, ejus dulcis præſentia; nil canitur ſuavius, auditur nihil jucundius, nil cogitatur dulcius, quàm Jeſus Dei Filius*: hoc tempore, in cunis, in præſepio, in ſinu Matris pulcherrimus & ſuaviſſimus puſio. *Super mel!* Sponſa Cantic. 4. v. 11. addit lac. *Mel & lac ſub lingua ejus*, quibus verbis utitur, *ad explicandas amoris delicias*, quod ex cibis, quibus utimur (ait Plinius l. 26.) nihil his ſuavius & dulcius invenitur. Sed ſuper hoc mel, ſuper has delicias eſt amor Jeſuli.

§. 4. Et poculo condito ſive nectari, quod ſponſa obtulit ſponſo. Ejus dulcedinẽ guſtarunt S. Auguſt. & alii.

Cap. 8. Cant. ſponſo præparavit ſponſo ſuaviſſimum hauſtum, de quo ait: *Dabo tibi poculum ex vino condito. Caritas, autem* (teſte S. Bonaventura in dieta ſalutis) *eſt vinum conditum, quod dicitur nectar: nam vinum nectareum eſt dulce & forte*: Stabulum Bethleemiticum his feriis eſt cella vinaria, in qua hoc potu inebriantur amatores parvuli de Bethleem. Hoc nectare plenus exclamavit S. Auguſt. in Man. c. 12. *O dulcedo amoris! O amor dulcedinis! comedat te venter meus, & nectare tui amoris repleantur viſcera mea.* S. Bernardinus cum guſtavit hunc potum, dixit: *Eſt amor ſuaviſſimum manna.* Clemens Alexandrinus; *Caritas eſt cœleſte nutrimentum.* S. Bernardinus ſerm. 41. *Dilectio eſt actus ſuaviſſimus*, ideo *cor amantis*, v. g. alicujus Seraphici S. Franciſci, in ſtabulo, coram præſepio, *quadam indicibili delectatione reſpergit, quod animam facit liqueſcere*, in ſe ipſa: ut ſponſa de ſe fatetur capite 5. *Anima mea liquefacta eſt.* Cum ſuavitate his diebus legi in pio libello hæc verba: *Amare hunc Parvulum eſt amabilis occupatio!* Imponere illum ſinui cordis per ardentes actus caritatis, amabilis occupatio! mille figere oſcula; amabilis occupatio! agitare cunas; amabilis occupatio! pſallere, canere Jeſulo: amabilis occupatio:

Amare Jeſulum, eſt amabilis occupatio.

§. 5. B. Virgo revelavit S. Brigittæ, ubi ſit verum gaudium.

S. Brigittæ l. 6. revel. c. 94. ſolicitæ, ubinam reperiret verum gaudium, dixit B. Virgo. *Ubicunque eſt Filius meus, ibi eſt gaudium, & gloria, & paradiſus*: ſicut ait latroni, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Eja animæ piæ: verane quæritis gaudia? Parvulum de Bethleem includite cordi, erit ibi paradiſus: imponite pectori, erit ibi paradiſus. In oculis veſtris ſit Jeſulus, erit ibi paradiſus: noctes dieſque de illo cogitate, noctes dieſque eritis in paradiſo. In auribus veſtris reſonet dulciſſimum ejus nomen: reſonabit ſimul melos paradiſi. *Ex re pulcherrima*, (ſunt ferme verba Senecæ) *magnum capitur gaudium.*

§. 6. Quare Deus dederit Jobo ſpecioſiſſimas filias.

Non vacat myſterio, quod Scriptura dicat c. 24. Job. v. 15. *Non ſunt inventa mulieres ſpecioſæ ſicut filiæ Job in univerſa terra. Dedit illas Deus viro ſancto*, inquit Olympiodorus; *ut in gravibus ærumnis aſpectu earum recrearetur, & omnis calamitatis memoria funditus interiret.* Cum ſubinde in veſtris

Digitized by Google

ſtris ærumnis aliquod quæritis ſolatium, conferte vos his feriis ad ſtabulum Bethlemiticum, & ſpecioſiſſimum Parvulum ſolummodò aſpicite, cum ſit *pulchritudo pulcherrima omnium pulchritudinum*. (S. Greg. Nicomed.) *ex illo magnum capietis gaudium, memoria triſtitiæ funditus interibit.* Hic infantulus videri, imò cogitari non poteſt, quin recreet affectus diligentium ſe.

§ 7. *Emblema Joannæ Auſtriacæ applicatum Ieſulo.* Sereniſſima Virgo Joanna Auſtriaca, in emblemate depingi curavit margaritam, vel adamantem expoſitum ſoli, in ejus laudem hoc lemmate appoſito: *Tu ſplendorem, Tu decorem*; & bene; cum radii ſolis deſunt, vel alia lux, gemmæ non valde lucent. Carbunculo purpuram, Smaragdo viroreni, Amethyſto aurum, unionibus candorem tribuit Sol. Talis Sol eſt Jeſulus in præſepio: huic dicere poſſumus. *O parvule! tu ſplendorem, tu decorem, & quod inde ſequitur, tu amorem, tu delectationem, tu delicias nobis præbes. Quidquid dulce, ſuave, amabile & delectabile eſt in rebus creatis, à te eſt, tanquam tenuis participatio immenſæ tuæ dulcedinis.* A Deo Homine omnia dulcia ſuam trahunt dulcedinem, omnia pulchra ſuam pulchritudinem, omnia lucida ſuum ſplendorem, omnia viventia ſuam vitam & vigorem; omnia perfecta ſuam perfectionem, omnia bona ſuam bonitatem. Et quid per bona fluxa, vel iſta, vel illa, inquieta vagaris, infelix anima; quid carptim varia delibas mella: tranſvola ad Deum tuum, ait ille: dico ego, tranſvola in Bethleem, in ſtabulum, ad præſepium, ad ſuaviſſimum Jeſulum, ubi quietiſſimè ipſa dulcedo in ſuo fonte deguſtatur.

§. 8. *Pulchritudo Ieſuli inflammat ſuavem amorem, ut viſio Dei in cælis.* De cœlo empyreo ait S. Bernardinus part. 2. ſer. 66 art. 1. c. 1. *Ibi Deus propter admirabilem pulchritudinem, & inflammativum decorem atque amorem ſemper per facti evidentiam cuilibet Beato clamat, Dilige me.* Et hoc faciunt Sancti in cœlis, intuentes admirabilem Dei pulchritudinem, exardeſcunt in amorem, imò coguntur, ut ament, ſed cum ineffabili gaudio & jubilo; in quibus tribus in viſione, in amore, in gaudio vera conſiſtit beatitudo. Eadem fere his diebus de ſtabulo Bethlemitico, cœlo quodam in terris, dicere poſſumus. Ibi, in præſepio, inter paleas & fœnum, ibi, in ſinu matris, vel brachiis S. Joſephi, Deus Parvulus, propter admirabilem pulcritudinem & ſuavitatem, propter inflammativum decorem: ecce! in ocellis, in genis, in labiis, qualis decor? inflammativus, qui accendit. Ecce! in fronte qualis ſerenitas, in toto vultu qualis Majeſtas? inflammativa, quæ intuentium oculos & corda, dulciſſimis flammis accendit. Oculi, genæ, labia, frons, facies, totus Parvulus clamat de præſepio, Diligite me. Et hoc faciunt electi in terris intuentes admirabilem pul-

pulchritudinem, guſtantes ineſtabilem dulcedinem, amant cum ingenti gaudio; quæ tria, aſpectus parvuli de Bethleem: ejus amor, & gaudium in illo nos reddunt Beatos in terris, etiam in ſtabulo.

§. 9.

Quodnam omnium jucundiſſimū ſecundum S. Chryſoſtom. Amare Deū & amari à Deo. Mihi. Amare Jeſulum, & ab illo amari.

Hom. 64. ad pop. urget S. Chryſoſtomus quæſtionem ſuperius propoſitam: quodnam ſit illud, quod inter omnia mundi bona, dulciſſimum & ſuaviſſimum ſit, ſummaque delectabilitate & deſiderabilitate præditum? Non malè reſpondebit, qui dicet, eſſe gloriam cœleſtem: ultra enim hanc, non ſolùm nihil haberi, ſed nec deſiderari quidquam poteſt, quod majus in ſe gaudium contineat, utpote in qua omnes imaginabiles deliciæ comprehenduntur. Reſponſio hæc nemini poteſt diſplicere: aliter tamen reſpondet S. Chryſoſtomus, verbis, quæ non ita pridem in alio diſcurſu inſinuavi: *Hoc eſt omnium maximum & delectabiliſſimum, Deum amatum ſimul amantem habere, hoc omni voluptate ſuperius eſt: quis ſermo, quæ mens exprimere poterit, hujus animæ, quæ Deum amat, & à Deo amatur, beatitudinem.* Ex vobis intelligere cupit animus meus Auditores, quid nocte & die Nativitatis, quid heri in ſtabulo vos maximè recreavit, quidnam vobis fuerit jucundiſſimū? an audiviſſe Angelicum melos, *Gloria in excelſis Deo?* an aſpexiſſe formoſiſſimam Virginem Dei Matrem? an vidiſſe paſtores procumbentes coram præſepio? an invenisse cum illis infantulum, involutum pannis, & poſitum in præſepio? faveo vobis hæc gaudia. Mihi omnium maximum & delectabiliſſimum eſt, parvulum de Bethleem habere amatum & amantem. Hoc omni voluptate ſuperius eſt. Quis ſermo, quæ mens exprimere poteſt, gaudia, ſolatia, delicias illius animæ, quæ Jeſulum amat, & ab illo amatur.

§. 10.

Sine hoc amore, nemo eſt beatus. Amor eſt ſumma gloria.

De amore in communi dixit Leo Hebræus dial. 2. *Amor non tantùm orbi univerſo, omnibusque ejus partibus communis, ſed etiam quàm maximè neceſſarius eſt: cum nihil prorſus expers amoris beatum dici poſſit. Non ſolùm amore ſublato beatitudo quoq; aufertur, verum neq; mundus univerſus, neq; partes illius conſtarent, ſi amorē tolleremus.* Omnia hæc veriſſima ſunt de beatitudine, quam electi in hoc mundo obtinere poſſunt. Ad illam amor parvuli de Bethleem eſt planè neceſſarius. Nullus, illius expers, poteſt dici vel eſſe beatus. Tollite hunc amorem ex aliqua anima, & auferetis ſimul beatitudinem. Sæpius citatus Bernardinus ſuper pſalmum 28. v. 9. *In templo ejus omnes dicent gloriam*, ait: *dicunt gloriam, id eſt, Amor, Amor, Amor: in quo maximè conſiſtit gloria paradiſi:* Nocte Nativitatis audivimus quo jubilo multitudo militiæ cœleſtis, in campis ad Paſtores, in ſtabulo ad præſepium cecinerint, *Gloria, gloria!* gaudia! gaudia! gaudia magna; id eſt, Amor, Amor, Amor Parvuli de Bethleem, ſuaviſſimus hic amor, eſt vera noſtra gloria, eſt noſtra beatitudo, eſt gaudium cordium, quæ Jeſulum amant & ab illo amantur.

§. 11.

Simile S. Bernardini. Carbo ſine

S. Bernardinus rem declart pulchro ſimili, poſtquam dixit, p. 2. ſer. 3. art. 3. c. 1. *Caritas eſt animæ pulchritudo,*

ad-

Igne eſt niger pulcer cum igne, applicatur Amori Jeſuli.

addit: ſicut ignis pulchritudo eſt carbonis, qui cum eſt ignitus, ſplendidus eſt, pulcherrimus, ignique ſimillimus: ſi autem ipſe carbo extinctus eſt, obſcuram nigredinem habet: Sic etiam anima divino amore extincto, & caritatis igne privata, terram nigredinem induit: jacet in tenebris, ſine gaudio & ſolatio. O ignee Infans! O ignis ardens! O inflammans flamma ſuaviſſimis radiis tuæ pulchritudinis! ſi fortaſſis, quod non ſpero, quod non cupio, cor meum ſit carbo extinctus, ſi fortaſſis, aliqui ex meis Auditoribus ſint nigri carbones, veni adhuc, naſcere in cordibus noſtris, & accende illa, ut ardeant tui amore: accende nos, ut tibi in paupertate, in mundi contemptu, in aliis virtutibus ſimus ſimillimi: ſine hac ſimilitudine, ſine hoc igne, ſine tuo amore, Natalitiorum gaudiorum participes eſſe non poſſumus.

§ 12. *Qualis ſol ſit Jeſulus in præſepio. ex dicto Anaximandri*

Vocavi ſuperius, Parvulum de Bethleem jacentem in præſepio *ſolem*, de quo Anaximander dixit, *Sol, ingens quidam eſt globus vivo igne pleniſſimus, qui omni ex parte perforatus lucet, & reſplendet, & calefacit, accendit.* Talis ſol eſt noſter Jeſulus. Sol hic habet pulcherrimos oculos: ſunt duo luci diſſimi globuli, ſed pleniſſimi vivo igne, ideo ita lucent, ita reſplendent, ita calefaciunt, ita accendunt. Hoc eſt mirabile, ex igneis iſtis globis, ex pulcherrimis Parvuli oculis, defluunt alii globuli cryſtallini, tenerrimæ lacrymæ, candidiſſimi uniones, ſed & illi vivo igne ſunt pleniſſimi, ideo lucent, ideo accendunt; Igneus globus eſt amans Cor Jeſuli! ſed ex omni parte perforatus, inde ex præſepio erumpit vivus ille ignis ſuaviſſimi, dulciſſimi, amabiliſſimi Amoris.

§ 13. *Anima juſti & Amatoris Parvuli de Bethleem confertur cælo.*

Animam juſti, aliqui SS. patres vocarunt, perpulchrum cœlum, Divinis ſplendoribus illuſtre, ob varias rationes. *Cœli continuo enarrant gloriam Dei*, pſ. 18 v. 1. & homines SS. perpetuò vel ore & lingua, vel vitâ ſanctâ ſuum Creatorem laudant: Cœlum vocatur ſedes & thronus Dei, talis thronus per gratiam ſanctificantem eſt anima juſti teſte S. Iſidoro lib. 3. Ethym. cap. 30. cœlum ita dicitur, eò quod tanquam vas cœlatum impreſſas habet figuras ſtellarum, & juſtus, veluti S. Paulus, eſt *vas electionis*, ſtellis longe pulchrius. In cœlo deniq; perpetua eſt lætitia, nihil quod cruciet, nihil quod turbet: Ego hæc omnia affirmo de Amatore Parvuli de Bethleem: Cor ejus cœlum eſt, perpulchrum, divinæ pulchritudinis radiis illuſtre: Cor amantis vas eſt, cœlatum, non figura ſolis vel ſtellarum, ſed venuſtiſſimi Pueri. Cor amantis, inſtar cœli continuo movetur, in ſervitium Jeſuli, ut illius gloriam enarret: Denique in tali corde, potiſſimum his feriis Natalitiis, perpetua eſt lætitia, gaudium magnum; jubilus ineffabilis: *Jeſu dulcis memoria, dans vera cordi gaudia, ſuper mel & omnia, dulciſſimus illius Amor.* Jeſulus cogitari non poteſt, quin delectet.

§. 14. *Dulcedo orta ex amore pulchritudinis declaratur*

Nobilis pictor, cum v. g. pingit ideam formoſiſſimi alicujus pueri, cum videt, quam formoſos pinxerit oculos, quam venuſtas genas, &c. in elegantis picturæ rapitur amorem,

 cum

ſimili ſumpto à pictore, Quomodo Amor ſponſa depinxerit ſponſum: quibus affectibus

cum ſuaviſſimo quodam gaudio, & complacentem, hæc plerumque inter ſe connexa ſunt; pingere pulchram imaginem, illam videre, amare, & gaudere: Reperio omnia in amore erga benedictum Infantulum. Nam (Petrus Cellenſis Abbas l. de conſcient.) *Quam pulchras, & quàm decoras novit pingere formas dilectio.* ſive anima quæ amat: Caput ſphæricum & rotundum, ſed auream in ſtatura ſua Caritas depingit, columbinos aſpectus ſubjungit, manus tornatiles, &c. Excellentiſſima in arte pingendi mihi fuiſſe videtur ſponſa: Caput enim ſponſi ſui delineavit, ut montem Carmelum, oculos, ut piſcinas in Heſebon; genas, ut fragmen mali punici, collum ut aureum monile; comas ut elatas palmarum, labia, ut areolas florum. Mox totum depingit ſponſum, ut ſolem, ut lunam, ut auroram, ut ſtellam matutinam, ut exercitum, ut turrim, ut vineam, &c. quam pulchras & decoras novit pingere formas dilectio: Sed ſimul advertite, in quos eruperit affectus ſponſa, dum depinxit ſponſum. In dulciſſimam admirationem, Cant. 1. v. 15. *Quam pulcher es dilecte mi & decorus! quàm pulchra gena tua: talis eſt dilectus meus, totus pulcher, electus ex millibus totus deſiderabilis.* In dulciſſimos actus amoris. *Dilectus meus mihi, & ego illi. Tenui eum, nec dimittam: Inter ubera mea commorabitur. Vulneraſti cor meum, dilecte mi.* Affectus admirationis, amoris, fuerunt radices & ſurculi ineffabilis gaudii & conſolationis, unde ait: *exultabo & lætabor in te: fructus ejus dulcis gutturi meo, fulcite me floribus, ſtipate malis, quia amore langueo. Vox tua dulcis: favus diſtillans labia ejus, mel & lac ſub lingua ejus. Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo: guttur illius ſuaviſſimum, totus deſiderabilis eſt.* Omnibus his modis loquendi uſa eſt ſponſa in Canticis, ad explicandas amoris delicias.

§. 15. *Amoris hujus dulcedo, aſpera reddit ſuavia.*

Itaque Auditores chariſſimi, ſi his feriis Natalitiis vera quæritis ſolatia, ſi ſolidum cordis gaudium, eſtote pictores, diſcite pingere: & quidem nobiliſſimum exemplar, quod jacet in præſepio, Deus parvus puer! hujus effigiem exprimite in cordibus veſtris; ibi ſint oculi veſtri, ut depingatis pueri caput, genas, manus. Ego non dubito, ſimul amabitis pulcherrimum puerum; amando exultabitis & lætabimini in Deo Jeſulo veſtro: In præſepio, inter paleas invenietis roſas & mala & poma, quibus ſtipabunt vos Angeli in jubilo ſuaviſſimi Amoris: ſi ardua & difficilia aliqua occurrant, memores ſimus dicti S. Auguſtini de moribus Eccleſ. 22. *Nihil eſt tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur*, præſertim igne dulciſſimi amoris erga ſuaviſſimum Infantem! quo cum ſe anima rapit in Deum, ſuper omnem carnificinam libera atq; admiranda volitabit pennis pulcherrimis, quibus ad DEI complexum amor caſtus innititur: Et ſubdit exemplum invictiſſimæ fœminæ Matris Machabæorum, quæ magnitudine hujus ponderis ingentes validaſque catenas materni amoris, imo & ſui ipſius, velut fila quædam aranearum diffregerat, *Quid tamen mirum, ſi omnibus medullis conceptus Dei amor, & tyranno, & car-*

Digitized by Google

& carnifici, & dolori, & affectui reſiſtebat: Hoc agamus, ut omnibus medullis concipiamus amorem dulciſſimi Infantuli: & omnia aſpera erunt ſuavia gravia, levia, difficilia, jucunda.

S. Bernard de conſolatione l. 5. c. 11.

Alios admirabiles & ſuaviſſimos affectus hujus dulciſſimi Amoris multis deſcribit S. Bernardus lib. 5. cap. 11. de conſolatione ad Eugenium: *Quid eſt Deus?* addo ego hodie; Quid eſt Deus Puer in præſepio: Voluntas omnipotens, benigniſſima virtus, lumen æternum, ſumma beatitudo, ſumma dulcedo, creans mentem ad ſe participandum, vivificans ad ſentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, juſtificans ad promerendum, accendens ad Zelum, fœcundans ad fructum, formans ad benevolentiam, roborans ad virtutem, viſitans ad conſolationem, illuminans ad congnitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad ſecuritatem. Advertitis credo verba, quæ ſuavitatem & dulcedinem Amoris erga Jeſulum præcipuè inſinuant: Amor hujus infantis animas noſtras vivificat: afficit illas ut illum ex toto corde appetamus; dilatat ut capiamus, viſitat nos ad conſolationem, implet nos ad felicitatem, circumdat ad ſecuritatem: Amate, guſtate & videte quàm ſuavis ſit Parvulus de Bethleem, quàm dulcis & jucundus ejus Amor.

CONCIO LXI.

FESTO CIRCUMCISIONIS D. N. JESU CHRISTI.

Vocatum eſt nomen ejus Jeſu, Luc. 2. verſ. 21.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PEr varia elogia, quibus Sancti Patres ex ſacra ſcriptura honorarunt Præſepium Parvuli de Bethleem; pro Spirituali ſtrenâ Anni hujus Milleſimi ſexcenteſimi, ſexageſimi ſexti illud offero diverſis ſtatibus.

§. 1. *Poſt felicem anni novi apprecationem.*

§. 2. *Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Epiſcopo & Principi Bambergenſi,*

 tan-

lix. Verùm quid ego, qui Deo juravi paupertatem aureum mihi opto currum, quid mihi cum aureis nummis, quos nec habeo, nec habere cupio. Præſepe pauperis Parvuli de Bethlehem, per varia elogia, quibus ſancti Patres illud honorarunt, cum variis Parvulis, Chriſtkindlein ut vocant, erit ſpiritualis ſtrena, quam meis Auditoribus diſtribuam. Si ita placet, per mediam horam benevolas aures mihi præbere.

§. 2. *Reverend. & Illuſtriſſ. Principi Bambergenſi, tanquam Principalem thronum.*

Præſepio, cui B. Virgo in ſtabulo Bethlemitico natum Infantulum, pannis involutum impoſuit, ſacra ſcriptura, & ſancti Patres eximia tribuerunt elogia, quæ mihi materiam hujus Concionis ſuggeſſerunt: Vocant itaque 1. Regium thronum: de quo ait pſ. 88. 38. *Thronus ejus ſicut ſol* Proverb. 20. v. 28. *Clementia thronus ejus*, cap. 24. v 34. Eccleſiaſtici, *ſedentem in throno honoris in ſempiternum.* c. 3. v. 49. Danielis. *Thronus ejus flamma ignis.* S. Paulus ad Hebr. c. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ*: Omnia hæc elogia tribuere poſſumus præſepio. Numquam ſic puto ſplenduiſſe ſolem, ut ſplenduit præſepe, cum pulcherrima Aurora ſuum Filiolum, ſolem Juſtitiæ, illi impoſuit: Idem Parvulus eſt Rex Regum, Rex clementisſimus, Rex nobilisſimus, Princeps liberalisſimus, manſuetus, mitis, totus amabilis, pro regio throno, pro throno gloriæ, pro throno clementiæ & gratiarum elegit Præſepe. Thronum quoque igneum vocare poſſumus, ob flammas amoris, quas pulcherrimus puſio ex præſepio ſpargit & ejaculatur. Præſepe veluti thronum principalem pro ſtrena demisſisſime offero Reverend. & Illuſtriſſ. D. D. Philippo Valentino, ſacræ hujus ſedis Epiſcopo, S. R. Imperii principi, D. noſtro Clementisſimo. Quàm eximius thronus ſit Epiſcopalis Bambergæ dignitas, novit Romanum Imperium: Equites ex nobilisſimis familiis, Barones, Comites, Principes, Electores, Reges, ut Vaſalli illum cingunt & venerantur; hodie, ſic cœlo placuit, in hoc throno ſedet Philippus Valentinus, Dn. noſter Clementisſimus, inſtar ſolis, ſpargens radios principalium virtutum. *Thronus ejus ſicut ſol*, ſedet in throno Bamb. Princeps Clementisſimus, ſedet in illo Rineckianus Aries, *Clementia thronus ejus*, ſub cujus pedibus ſalit fons gratiarum: *in throno gratia.* ſedet in throno Bamb. Princeps ſapientisſimus, *honor & ſapientia* Thronus ejus. Ut tanto Rom. Imperii Principi, annus hic novus & alii ſint felices & fauſti, opto & precor, ex l. 1 Paralip. c. 17. v. 14. *ut thronus ejus ſit firmiſſimus.* ex l 3. Reg. c. 2. v. 24. *ut ſit ſtabilis veluti thronus David*, ex lib. 2. Reg. c. 13. *firmus jugiter*: *& in ſempiternum*: Pro cuſtodia & tutis excubiis Illuſtriſſ principis noſtri thronum, non cingam leonibus Salomonis, non tradam illum cuſtodiendum nigro Leoni Babenbergico, non oculatisſimo Arieti, ſed parvulo de Bethleem, in forma venuſtisſimi pueri, ex ebore qui manibus præfert Emblema Publii Sempronii, in quo duæ junctæ manus inter ramos Olivæ tenent Cor, cum hoc lemmate, *Pax & Concordia* Hoc precor ex animo, ut anno ſequenti & multis.

tis aliis in throno honoris, in throno clementiæ, in throno gratiæ Illuſtriſſimus noſter ſedeat in pace, concordia, cum Deo & cum hominibus.

§. 3. *Clero, Religioſis & ſacerdotibus tanquam Altare.*

2. Vocarunt SS. patres præſepe parvuli de Bethleem altare: ex cap. 25. & 27. Exodi. *Altare thymiamatum*: in quo ſuaviſſimi Deo accendebantur odores, ex cap. 38. & c. 39. *Altare aureum*: ex Levitico, *Altare holocauſti*: ex cap. Judicum, Altare, ex quo lucidiſſima flamma aſcendit ad cœlos: ex cap. 8. v. 3. Apoc. Altare, de quo Angelus thuribulum aureũ implevit ignitis prunis. Omnia hæc encomia tribui poſſunt præſepio: In illo enim natus puer, veluti ſacerdos & pontifex cœleſti patri obtulit ſuaviſſimum thymiama ardentiſſimorum affectuum & nobiliſſimarum virtutum, fuit præſepe altare aureum, ob aurum Divinitatis, quod in illo jacuit: fuit altare holocauſti, in quibus Filius Dei ipſum Agnum immaculatum in victimam obtulit & holocauſtum, pro genere humano. Altare fuit Præſepe, in quo ex corde Diviniſſimi Infantis, veluti accenſa fornace ad cœlos aſcendit lucidiſſima flamma infiniti amoris erga DEUM, & erga homines. Hoc ſanctum Altare, pro ſtrena offero, toti Bambergenſi Clero, omnibus Religioſis & præſertim ſacerdotibus, cum plerique vivant de altari, æquum eſt ut illi ſanctè ſerviant: Opto ex corde, ut omnium corda ſint altaria thymiamatum, per cœleſtia deſideria, aurea, per liberalitatem erga pauperes, accenſa per caritatem, ornata per gratiam, munda per caſtitatem, fragrantia per devotionem & ferventes preces. Talia corda amat parvulus de Bethleem: Ab hoc pendet, ut annus hic novus nobis ſit ſanctus & fortunatus: Contigit ſubinde conſecratas Hoſtias, dum Communicantibus diſtribuerentur converti in ſpecioſiſſimum Puerum: Vidit Perſona ſancta, quorundam linguis imponi talem Infantem invitum & renitentem; aliorum ora & corda ingredi cum quodam appetitu & deſiderio, cum amabili riſu & ingenti deſiderio. Hunc Infantem, cupio præter altare præſepii eſſe ſtrenam ſacerdotum & Cleri, tales ſpero fore hoc anno omnes, ut Jeſulus libenter cum illis moretur. Quod ſi fiat, annus hic 1666. erit omnibus fortunatiſſimus.

§ 4. *Nobilitati, tanquam regium currum.*

Tertio! Interpretes aliqui S. ſcripturæ & Concionatores præſepio parvuli de Bethleem applicant verſum 9. ex cap. 3. Canticorum: *Ferculum ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum.* His verbis depingitur pretioſiſſimus & elegantiſſimus currus Regis Salomonis. Utuntur hodie ſimilibus rhedis Principes & Imperatores. Omnibus ego præfero præſepe parvuli de Bethleem, non video aurum, non argentum, non gemmas, non purpuram, ſed paleas, ſtramen, fœnum & paniculos; quia tamen in illo quievit cœleſtis Salomon; quia JESULUS in illo jacuit, merito appellare poſſumus reclinatorium aureum, & purpureum, ob pretioſiſſimas

imas

mas guttas ex ſanguine circumciſionis, quæ ex divino vulnere in panniculos, in paleas & præſepe dufluxerunt. Sanguinei Jeſuli currus, & reclinatorium fuit præſepe. Parvulum de Bethleem ſanguineum, cum præſepio, veluti aurea rheda, pro ſtrena offero Nobilitati hujus urbis, præſertim in aula Illuſtriſſimi Principis. Rotas cupio eſſe quatuor Cardinales virtutes, Prudentiam, Religionem, Fortitudinem, Temperantiam, columnas argenteas, fidem Catholicam & conſtantiam pro fide, Cæſare & Imperio; aſcenſum purpureum, Chriſtianam patientiam. Hic eſt currus, in quo Nobiles, ſi glorioſo curſu Majorum & Parvuli de Bethleem ſanguinea veſtigia premere velint, veræ nobilitatis metas attingent, & hic annus illis erit fortunatiſſimus, quod ex animo precor. Hoc moneo & rogo, ut Nobilibus Matronis, Viduis & Virginibus in hoc curru gloriæ & honoris debitum locum concedant. Sed quia ſum pauper, huic currui equos addere non poſſum, de illis ipſi ſint ſoliciti.

§. 5. *Iuris peritis, Doctoribus, Conſiliariis, Iudicibus tanquam Cathedra.*

Quartò Præſepium fuit veluti cathedra Jeſuli, tanquam ſapientiſſimi Magiſtri, quod elogium fundamentũ habet in v. 8. cap. 23. l. 2. Regum, *Sedens in cathedra ſapientiſſimus Princeps, ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus.* Vermiculum ſe ipſe deinde vocavit, *Ego ſum vermis*: ob profundiſſimam humilitatem: Hanc eximiam virtutem nos docet Jeſulus ex ſuo præſepio, veluti de cathedra: Cathedræ apparatus, fœnum, ſtramen, panni, docent paupertatem, mundi contemptum, Patientiam, ſimilesq; virtutes. In cathedra depingi ſolet JESULUS duodennis, cum aureo libro, cujus titulus eſt liber vitæ. Juris peritos, Doctores, Principum Conſiliarios, Judices, Advocatos, ſapientiſſimos Juſtitiæ adminiſtros, Viri graves, vocarunt Regulos. Regulis, adminiſtratoribus Juſtitiæ, Judicib. Conſiliariis, Juriſperitis in hac urbe Bambergenſi, pro ſtrena, in ſignũ devotiſſimi affectus, quo ſingulis & omnibus annum hunc novum apprecor feliciſſimum, offero præſepium tanquam cathedram ſapientiæ, cum Parvulo de B. in cujus manibus eſt liber vitæ. In hoc libro legere poterunt; ex hac cathedra audient Chriſtianas & Catholicas maximas & regulas, juxta quas ſi ſua conſilia in adminiſtratione Juſtitiæ dirigant, ipſis & toti huic urbi annus hic erit fortunatus: Nulla reſpublica eſt felicior, nullum regnum fortunatius, nullus principatus beatior, quàm in quo juſtitia omnibus bene adminiſtratur.

§. 6. *Magiſtratibus tanquam ſcrinium, cum nobili gemma & emblemate Caroli V.*

Quinto. Non diſplicet mihi, qui præſepe vocavit pretioſum ſcrinium, in quo jacet pulcherrima gemma, cui inſculptus eſt parvulus cum Emblemate potentiſſimorum Cæſarum Caroli V. & Maximiliani II. fulmen involutum foliis Olivæ, cum hac inſcriptione, *fortiter & ſuaviter.* Inſtruit hæc pictura Magiſtratus alicujus urbis, ut cum ſubditis bonis agant ſuaviter, contra malos fortiter. Boni recreandi ſunt oliva; mali terrendi fulmine Boni remunerandi, mali plectendi & caſtigandi. Parvu-

vulum deBethleem cum oliva & gladio, in tam precioſo ſcrinio, in præſepio pro ſtrena offero, urbis hujus Magiſtratibus. Ut hic annus ſit fortunatus, neceſſe eſt, ut contra blaſphemos, contra detractores, verbo, contra peccata publica, utantur gladio, ut agant fortiter. Cum pauperibus, cum viduis, cum pupillis, quæſo ſuaviter. Suaviſſimus Parvulus de Bethleem hoc à vobis exigit. Humanitate & ſuavitate, maximæ reſpublicæ continentur, & bene adminiſtrantur.

§. 7. *Conjugatis tanquam floridum lectulum.* Sexto. Præſepio Bethleemitico aliqui Patres pulchrè applicant verba illa ſponſæ Cant. 1. v. 16. *Lectulus noſter floridus eſt.* id eſt, licet præſepium ſit ex ligno, licet inſtratum ſit fœno & paleis, & vilibus panniculis, eſt tamen floridus lectulus, quia quieſcit in illo, qui de ſe ait Cantic. 3. v. 7. *Ego flos campi & lilium convallium.* En lectulum Salomonis, *ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël.* Salomon cœleſtis, pro lectulo elegit præſepium quod Cherubini & Seraphini cingunt cum ſuaviſſima Muſica: *Gloria in excelſis Deo.* Inter roſas, lilia, narciſſos, quibus ſubinde præſepe Parvuli de Bethleem ornari ſolet, reperi pulchrum infantulum, qui manu præfert duo corcula, pulchro & aureo funiculo colligata, cum inſcriptione, *dilectus meus mihi, & ego illi.* Hæc corcula, hunc funiculum, præſepium floridum pro xenio offero omnibus conjugatis. Si illorum corda vinculo caſti & conjugalis amoris ſint colligata, ſi animæ conglutinatæ, ſi lectulus ſit inſtratus liliis, ſi abſint ſpinæ, adſint roſæ, ſi lectulum illum ambiant Angeli, non Venus & Cupido, ſi peregrini non irrepant ſerpentes, annus hic illis erit feliciſſimus. Addo adhuc pro xenio, parvulum geſtantem orbem, plenum roſis, quas de ſpineto ſanguineis manibus decerpſit, cum his voculis, *Patientia colligit roſas.* Spinetum eſt ſtatus matrimonii, creſcunt tamen roſæ lætitiæ & amoris, ſi in patientia ſe ſupportent invicem.

Septimo. l. 2. Par. c. 4. v. 6. ait textus, *Fecit quoque Salomon in templo conchas aureas, quæ implebantur aqua, ut lavarentur ex illis omnia, quæ in holocauſtum erant offerenda, agni, vituli, arietes.* Quis impediet quò minus præſepe parvuli de Bethleem appellem auream & ditiſſimam concham, repletam non aquis, ſed multis lacrymulis, quas vagiens Puer in præſepio effudit, omnibus unionibus mundi precioſiores. Ipſe fuit agnus, immolandus aliquando in ara crucis in holocauſtum pro redemptione generis humani: in præſepio veluti concha ſe lavit lacrymis, ut Patri cœleſti gratior eſſet victima. Præſepium veluti auream concham cum lacrymulis Jeſuli pro ſtrena offero viduis, præſertim illis, quibus malè eſt, & quas mundus perſequitur. Cogitant lacrymas quas effundunt, ſi illas miſceant cum lacrymis parvuli de Bethleem eſſe balneum, quo mundantur, ut Deo juxta & in altari S. Crucis ſint gratum & ſuaviſſimum ſacrificium. Pro ſolatio addo parvulum ex cera, ex cujus manibus & pedibus ſuper floridum montem pulcherrimi

§. 8. *Viduis tanquam auream concham cum lacrymis Jeſuli.*

ſali-

Digitized by Google

ſaliunt rivuli, in fontem, qui eſt fons vitæ, & omnis gaudii. Quarto, viduæ, cùm vobis eſt tam malè, ad præſepium contendite, ad parvulũ de Bethleem; hic eſt fons vitæ & veri ſolatii.

§. 9. *Juventuti tanquã areolam florum.*

Octavo. Appellabo præſepium Areolam pulcherrimorum florum in horto ſponſi: quid dico florum? ſufficit unicus flos campi, jacens in præſepio, ut reddat illud floridum. In manibus formoſiſſimi parvuli, qui inter lilia & roſas obambulat, video floſculum, qui vocatur Pyragnus. Creſcit in ignivomis montibus inter cineres & prunas, quæ floſculi pulchritudini & vitori non nocent: quidam pictor has voculas appoſuit: *Æternum virens.* Præſepium & Parvulum cum hoc floſculo pro ſtrena offero, Bambergenſi Juventuti: adoleſcentibus & Virginibus. Non deſunt montes, qui ſpuunt ignes, non deſunt, qui ſpargunt cineres & prunas, non deſunt occaſiones periculoſæ. Opto, ut hoc anno omnium caſtitas & virginitas ſit in manibus Jeſuli, Pyragnus, ſemper virens, cui flammæ non noceant. Parvulus de Bethleem mirum in modum hoc floſculo delectatur: non dubito, adoleſcentibus & virginibus, illo ornatis, largietur annum felicisſimum, quod ex animo precor

§. 10. *Divitib. tanquam auream urnam cum manna.*

Nono. Sancti Patres præſepium vocant *Arcam fœderis*: in hac aſſervata fuit aurea urna: in præſepio jacet aureus & dulcisſimus puer. Aureum puerum, cum urna aurea pro xenio dono divitibus: non ut aurum pretioſisſimum & dulce manna ſibi ſolis aſſervent in ciſtis clauſis, ſed aperiant quandoque, ut ex illis ſuper pauperes decidat manna miſericordiæ. Liberalitas divitum erga egenos, veluti aurea catena ſecum trahit annum fortunatum.

§. 11. *Pauperibus, tanquam auream menſam.*

Decimo. Pauperibus offero præſepium veluti menſam, ex l. 1. Paral. c. 28. v. 6. *menſam auream*, ex c. 24. 31. Levitici, *menſam puriſſimam*, alii, *pretioſiſſimam*, ex cap. 23. Ezech. *Menſam ornatam*, ex cap. 59. v. 15. Iſaiæ *Menſam fortunæ.* Adeſte pauperes: vos invito ad hanc menſam. Non tamen in ſtabulo, juxta præſepium expectare vos volo panes aureos, quales ſubinde Imperatores ſuis convivis appoſuerunt, non aureos vel argenteos ſcyphos plenos vino Hiſpanico. Talia vina, tales cibos vobis Parvulus de Bethleem non apponit, ſed ſe ipſum in cibum & potum. Divites & felices ſatis eritis hoc año, ſi Jeſulus vos paſcat.

§. 12. *Peccatoribus tanquam aureum propitiatorium.*

Undecimo. In l. Exodi cap. 25. figura præſepii fuit propitiatorium aureum, ſuper arcam, ex auro mundisſimo, cum duobus aureis Cherubinis, qui expasſis alis Oraculum operuerunt, ex qua ſede Deus per Angelum ſuo populo loquebatur. In præſepio nobis adeſt puer, ſed qui Deus eſt: Puer miſericordisſimus. Ad auream hujus ſedem, ad præſepium, invito omnes peccatores, hic peccatorũ veniam invenit & hoc modo & ipſis hic novus annus erit felicisſimus.

§. 13. *Hoc anno morituris tanquam cervical aut lectulum.*

Denique duodecimo Cùm probabile ſit, aliquos ex his præſentibus hoc anno morituros, his quoque offero ſtrenam. S. Hieronymus non tantùm multis annis vixit in Bethleem juxta præſepium, ſed denique ibi

 ani-

Digitized by Google

animam ſuam reddidit in manus Creatoris. Præſepium fuit veluti mortualis lectulus, vel pulvinar in agone ſanctiſſimi viri. Itaque hoc anno morituris, pro ſtrena offero hunc lectulum præſepii. In ultima lucta, in ſupremo agone, quieſcent dulciſſimè, ſi illis adſit parvulus de Bethleem. Volo dicere, Annus hic 1666. morituris erit fortunatiſſimus, ſi moriantur amatores & amici Jeſuli. Cogitate vos juxta præſepe in ſtabulo, vos videre unum ex parvulis, quales tunduntur ex cera, vel ſcinduntur ex marmore, cum calvaria & clepſydra, cui inſcriptæ binæ voculæ: *Neſcis quando.* Binas has voculas geſtemus domum cordibus noſtris altè inſcriptas, & per ſanctam præparationem ad mortem, annus hic erit feliciſſimus: exordium anni beatiſſimi, qui durabit in omnem æternitatem!

§. 14 *Cordiale votum ut Ieſulus aſperſione ſui ſanguinis omnibus hunc annum faciat fauſtum & fortunatum.*

Sed quid hoc? in fine Concionis modo adverto, principalem thronum, quem obtuli Illuſtriſs. Principi aſperſum eſſe guttis ſanguinis: eâdem purpurâ rubet ſtrena Cleri, aureum altare. Purpurat ille cruor in argenteo curru Nobilitatis, in cathedra Doctorum, in libro vitæ lego ſanguineos characteres. In florido lectulo, inter roſas & lilia radiant carbunculi, toti ſanguinei. In aurea concha inter lacrymas idem innatat cruor. Pulcherrimus floſculus Pyragnus, in manibus adoleſcentum & virginum eſt totus rubicundus. Ex aurea arca, ex aureo propitiatorio ex parvulo de Bethlehem divinus ſtillat ſanguis. Non terreamini Auditores; guttæ ſunt illius ſanguinis quem octavo die effudit in circumciſione. Hinc cruor omen & præſagium eſt anni feliciſſimi. Eja! O divine! O cruente puer! paucas guttulas ſuper illuſtr. Principem, paucas guttulas ſuper Clerum, ſuper Nobilitatem, paucas guttulas ſuper omnes magiſtratus, &c. & annus hic 1666. omnibus erit fortunatiſſimus: Arbori, quam in horto rigat hortulanus, quidam inſcripſit, *Hinc viror.* Cupio ego hodie corda meorum Auditorum rigari pretioſo ſanguine parvuli de Bethleem; hinc viror, hinc vigor, hinc omnis anni ſequentis felicitas.

CON-

CONCIO LXII.

FESTO EPIPHANIÆ.

Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum, Matth. c. 2. v 3.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRæſens Concio eſt catena elogiorum de ſtella, quæ tres Reges duxit ad præſepium; potiſſimùm ex ſanctis Patribus.

§. 1. *Stella hac fuit ſidus boni ominis.*
§. 2. *In illa ſtella agnoverunt Magi, natum eſſe Regem Judæorum.*
§. 3 *In itinere Magorum fuit Comes & Dux, vel potius infans in illa apparens.*
§. 4. *Stella hac fuit quædam maſſa lucis, efformata ab Angelis.*
§. 5. *Elogia varia ex S. Leone, præſertim de ſtellæ pulchritudine.*
§. 6. *Alia ex S. Bernardo, præſertim, quod hac ſtella cauſarit ingentem lætitiam.*
§. 7. *Quantæ jucunditatis ſit hodiernum feſtum: ex revelatione S. Brigittæ.*

§. 1. *Stella hac fuit ſidus boni ominis.*

SOlis æterni & immenſi, antequam in utero Virginis per incarnationem & aſſumptionem humanæ naturæ, antequam in ſtabulo per lætiſſimam Nativitatem mundo oritur, Phoſphorus, ſtella matutina, prodromus & præcurſor fuit S. Joannes Baptiſta: Heſperus verò & veluti pediſequus fuit, nova in cœlis ſtella, quæ admirabili luce fulgida, inſolenti curſu, inſolenti aſcenſu & deſcenſu, motu recto & obliquo, cum curreret, jucunda mora cum ſtaret, cum Chriſtus in ſtabulo naſceretur, in Oriente Gentilibus apparuit. Veluti novus Cometa, ſed ſine feriali barba, ſine fulminantibus comis, ſine terribili cauda: tam ſerenus, tam innocens, ut etiam Dynaſtæ, Magi, Aſtrologi & Reges illum conſpexerint ſine metu; in ejus exortu & pulchritudine Regis Regum, ſive

Digitized by Google

ſolis Juſtitiæ ortum & Redemptoris mundi jucundiſſimam Nativitatem agnoverint. Sidus planè pacificum, ſtella fauſtiſſimi ominis, quæ non aëri peſtem, non mari & aquis tempeſtates & naufragia, non terræ motus & concuſſiones, non fluminum exundationes, non urbium incendia, non horrida bella, non Regum interitus, non regnorum ruinas (ut funeſtiſſima alias phœnomena, vel terribiles cometæ facere aſſolent) ſed felicitatem, pacem & gaudium magnum, cum Angelis Orienti, & toti mundo annuntiavit. Spero auditoribus meis non fore injucundum, audire ex SS. Patribus varia ſtellæ hujus elogia, quæ jam jam vobis enarrabo.

§. 2. *In illa ſtella agnoverunt Magi, natum eſſe Regem Iudaeorum.*

Eadem feliciſſima nocte, qua Filius Dei natus ex Maria Virgine, in ſpelunca Bethlemitica, in ſtabulo, in præſepio, ſub paleis immenſam ſuam majeſtatem, veluti abſcondit: Pater æternus, ut agnoſcereturà paſtoribus: per Angelos, illos vocavit ad præſepe, per ſtellam verò eò traxit Magos ex Oriente, ut eundem adorarent. Muta, ſed ignea, novelli ſideris lingua, naravit Regibus, quod Angeli cecinerant ad Paſtores: Natum eſſe Salvatorem mundi, hoc illis fore ſignum, inventuros parvulum jacentem in præſepio, involutum pannis: quod & contigit. Nam pulcherrimo ſideri, Angelorum opera & arte venuſtiſſimè architectato; ſolis auro, lunæ argento, aſtrorum gemmis illuſtrato, rerum omnium artifex, ſiderum Conditor Deus, occultam vim ac penetrabilem, in pectora, etiã Regum, indidit, & potentes radios; quibus illuminati natum in terris Deũ quæſiverunt. Veluti feliciſſimi Aſtronomi, ſtatim in Lucifero agnoverunt Solem. Veluti Magi ſapientiſſimi, adhuc ignotum humanis oculis. Verbum in cœleſti hieroglyphico legerunt: Veluti Reges, ex aureo, legati ſideris, ore, intellexerunt Regum omnium Regem natum eſſe in Judæa, & proinde ſtatim arduam longamque peregrinationem ſunt aggreſſi.

§ 3. *In itinere Magorum fuit Comes & Dux, vel potius infans & ſtella ap. parens.*

Et adverterunt cum ingenti admiratione, præire in aëre ſtellam, veluti viæ tenendæ ducem peregrinantium comitem, & nuntium ſuo ſervitio planè mancipatum. Ambulante Mago, ſtella ambulabat, ſtante Mago, ſtabat. Præibat radiis, quaſi apprehenſâ manu illos trahens, & rutilante viam, noctes dieſquè demonſtrans. S. Chryſoſtomus in opere imperfecto in cap. 2. S. Matth. ait, in ſtella apparuiſſe jucundiſſimum phœnomenon, nimirum ſpecioſiſſimam virginem, amplectentem inter brachia venuſtiſſimum infantulum, cujuſque aſpectu recreati Magi ſtellam ſequebantur, quocunque illa pergeret. Fortaſſis ideo dixit S. Auguſtinus, *In præſepio jacebat Parvulus, & Magos ab Oriente ducebat.* Idem: *Hæc ſtella ſupra omnes alias coruſcavit, & præter internam Spiritus S. illuminationem Deum ipſum infantem ſuâ luce, Regum oculis. quodammodo objecit.* Et S. Maximus: *Quis enim dubitet, iſtam ſtellam lætioribus & fulgentioribus radiis coruſ-*

ruſcaſſe, quæ cœli, terraque Lumen humanis oculis ingerebat. Prudentius in ſacro hymno ait; *quod angelicâ architectura fabricata ſuperant ſuis ſplendoribus ipſum ſolem: quæ ſolis rotam, vincit decore & lumine.* De quo non dubito, ſi puer tam formoſus, divinus puer, in illa ſtella Regum oculis pulcerrimam ſui ſpeciem præſentavit.

§. 4: *Stella hæc fuit quædam maſſa lucis, efformata ab Angelis.*

Aliud addit S. Auguſtinus lib. contra Fauſtum; poſtquam monuit, hoc novum ſidus, non fuiſſe ex illis ſtellis, quæ ab initio conditi mundi fuerunt creatæ; neque ex numero ſtellarum fixarum in firmamento, quarum mille viginti duæ ſpectabiles ab Aſtronomis numerantur, & multo minus ex errantibus, quas vocamus planetas; ſed fuiſſe corpus quoddam aëreum, ex divino imperio operâ Angelorum conflatum, quaſi in maſſam quandam lucis illuſtrem, & more ſiderum vel ſtellarum undequaque radiantem; addit S. Auguſtinus, forte Spiritum S. ut deinde in baptiſmo Chriſti in ſpecie columbæ, in Pentecoſte vero in forma ignearum linguarum ſe mundo exhibuit, & ſecundum aliquorum mentem quondam electo populo in columna ignis per deſertum; ita in Chriſti Nativitate illuſtraſſe peculiari luce & lumine Magos, mediante hac ſtellâ. Hoc ſenſu ipſe Spiritus S. per lucem & radios ſtellæ, Magos illuminaſſet: probabilius eſt, aliquem Angelum vel Archangelum, aut ex altiori ordine Spiritum fuiſſe motorem hujus ſtellæ; proinde ſicut per militiam cœleſtis exercitus ad ſtabulum & præſepe, vocati fuerunt ex campis Paſtores, ita per eoſdem ex Oriente, ex gentilitatis tenebris admiſſi fuerunt Magi, Sapientes, & Reges! Proinde hæc ſtella ex mente ſancti Maximi, fuit, *tantorum myſteriorum conſcia, & miniſtra*; ſer. 2. *Nuntius cœleſtis, Legatus cœli*, qui feliciſſimum ortum ſive lætiſſimam Nativitatem Salvatoris mundi, ſive quod Angeli Paſtoribus, ipſa Regibus annuntiavit; Quod Angeli jucundiſſima Muſica cecinerunt, hoc ſtella pulcerrimis radiis ipſa indicavit; Natum eſſe Salvatorem mundi!

§. 5. *Elogia varia ex S. Leonis ſer. 2. de ſtella pulcritudine.*

Jam tunc ergo (ut ſacerdotes hodie legerunt in horis ex S. Leonis ſer. 2. de Epiphania) *cœli enarraverunt gloriam Dei, & in omnem terram ſonus veritatis exivit*: *Pſ.* 18. *v.* 1. quando & Paſtoribus exercitus Angelorum Salvatoris editi annuntiator apparuit, & Magos ad eum adorandum prævia ſtella perduxit; ut à ſolis ortu uſque ad occaſum, veri Regis generatio coruſcaret, cum rerum fidem, cum tanta myſteria, & regna Orientis per Magos diſcerent, & Romanum Imperium non lateret: Mox ab omnibus voluit agnoſci, qui dignatus omnibus naſci: Tribus igitur Magis in regione Orientis, ſtella novæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior cæteris, pulcriorque ſideribus, facile in ſe intuentium oculos, animoſque converteret, & confeſtim adverterent, non eſſe otioſum, quod tam inſolitum videbatur. Dedit aſpicientibus intellectum, qui præſtitit ſignum: & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & ſe inveniendum obtulit requiſitus.

Digitized by Google

tus. Sequuntur tres viri, ſuperni luminis ductum, & prævii fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes ad agnitionem veritatis gratiæ ſplendore ducuntur. Nova claritas ſtellæ illuſtrioris, intuentium animos, ita admiratione ſui ſplendoris implevit, ut nequaquam ſibi crederent negligendum, quod tanto nuntiabatur indicio.

§. 6. Alia, ex S. Bernardo præſertim quod ſtella illa cauſarit ingentem lætitiam.

Mellifluus S. Bernardus in ſer. 1. hod. feſti in laudem ſtellæ ſic diſcurrit, poſtquam multas quæſtiones admiratione plenas propoſuit: v. g. *Quid facitis O Magi, quid facitis? Lactentem puerum adoratis, in tugurio vili, in vilibus pannis: Ergone Deus eſt iſte? Deus certe in templo ſancto ſuo, Deus! in cælo ſedes ejus; & vos eum quæritis in ſtabulo, in Matris gremio*. His quæſtionibus & affectionibus reſpondet: *Profecto, qui illos adduxit, ipſe & inſtruxit, & qui per ſtellam foris admonuit; ipſe in occulto cordis edocuit*; hunc puerum in ſtabulo, in præſepio eſſe DEUM: Iterum quærit Sanctus Bernardus. *Quid facitis O Magi, quod & aurum offertis; ergo Rex eſt ipſe? Et ubi aula regia, ubi thronus, ubi regalis frequentia? Nunquid aula eſt ſtabulum, thronus præſepium, curia frequentia Joſeph & Maria? Quomodo ita inſipientes facti ſunt viri ſapientes; ut adorent Parvulum deſpicabilem; Nonne timendum erat, ne ſcandalizarentur viri iſti, & illuſos ſe crederent, cùm tanta indigna viderent: A regia civitate, ubi Regem quærendum eſſe conjectabant, ad parvulam Bethleem diriguntur: ingrediuntur ſtabulum, inveniunt involutum pannis Infantulum; non illis ſordet ſtabulum, non pannis offenduntur, non ſcandalizantur lactentis infantia, procidunt, venerantur ut Regem, adorant ut DEUM! Et quis talia non miretur?* Reſpondet Sanctus Bernardus: *Profecto qui illos adduxit, ipſe & inſtruxit: & qui per ſtellam foris admonuit, ipſe in occulto cordis edocuit: Magi adorant novum Virginis partum ſequentes novi ſideris ductum: Ruunt coram præſepio ingenua Reges: ſequentes novi ſideris ductum: aperiunt theſauros, aurum, thus & myrrham, ſequentes novi ſideris ductum.* Itaque ſtella hæc hodiernam diem clarificavit, & devotam nobis fecit, atque venerabilem! Iterum miratur S. Bern. *Adorant Magi & offerunt munera, adhuc ſugenti Matris ubera, ſed ubi eſt O Magi, ubi eſt purpura Regis hujus? Nunquid viles panni iſti, quibus eſt involutus? Si Rex eſt, diadema ejus ubi eſt? Sic vos non offendit vilis habitatio ſtabuli, non pauperies præſepii, non vos pauperis Matris præſentia, non lactentis infantia ſcandalizat.* Iterum reſpondet mellifluus doctor, *Ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, ſtella vocavit, ſtella illos deduxit, & dum tandem ſtetit ſupra ſtabulum, intrantes domum invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum.* Deniq; ſtellæ appartionem vocat *dulciſſimam*, puto propter illa verba: *Videntes illam Magi gaviſi ſunt gaudio magno valde.* Intrarunt deinde ſtabulum, cum dulciſſimo gaudio: Viderunt Puerum & Matrem cum dulciſſimo gaudio: Oſcula-

Oſculati ſunt pedes & manus, cum dulciſſimo gaudio. Ad tantam dulcedinem, & tanta gaudia, illos deduxit ſtella.

§. 7. *Quanta jucunditas ſit hodiernum feſtum, ex revelatione S. Brigittæ.*

Elogium hodiernæ diei, quo ob ſtellæ apparitionem, & Magorum adorationem, à S. Bernardo vocatur *dies dulciſſima*, id eſt, lætiſſima, jucundiſſima; probari poteſt ex revelatione factâ S. Brigittæ, cui Virgo Puerpera hodierno feſto dixit: *Filia mea, ſcias, quod quando tres Magi venerunt ad ſtabulum, & adoraverunt filium meum, quando ſtella tam coruſca ſtetit ſupra caput ejus, tunc filius meus exultavit, & præ gaudio faciem tunc oſtendit & habuit longè hilariorem, in pulcerrimis ocellis fuit major jucunditas, in genis, in labiis admirabilis quædam ſuavitas. Ego etiam*, ait B. Virgo, *nimis gaudebam & lætabar, mirabili gaudio exultationis, in mente mea, attendens ad verba eorum & actus* (fiat elegans deſcriptio Regum) *conſervans ea, & conferens in corde meo.* Ipſi verò Magi præ gaudio & jubilo cordis planè exultarunt, dum in gremio Matris, veluti in throno gratiarum, & paradiſo deliciarum, infantem JESUM adorarunt; dum pulcerrima Virgo, Parvulum illorum brachiis exhibuit, contrectandum manibus, ſuaviandum oſculis, ſtringendum ulnis, fovendum amplexibus. O ſuavitates! quæ in immenſum creverunt, dum cœleſtis Magiſtra, Dei Mater novis diſcipulis arcana cœleſtia aperuit, de Incarnatione Verbi, de Infantis divinitate, & ſimilia myſteria. O ſuavitates! dum beatiſſimi Reges inexplicabili ſenſu, ſenſerunt, ſe ſuis manibus attrectare Deum Infantem, ſe ſuaviari oſculis, cœlitum paradiſum, terrarum delicias, amores Univerſi: Puto interim lucidiſſimam ſtellam, ſtantem ſupra ſtabulum, muta voce: id eſt, pulcerrimis ſuis radiis exclamaſſe ad Reges: O Reges, quæritis paradiſum? hic eſt: Quæritis theſauros & divitias? hic ſunt: Quæritis ſapientiam? hic Incarnata jacet in gremio Matris. Quæritis delicias? hic ſunt: Quæritis amores? hic ſunt: Quæritis quietem, gaudium, amœnitatem, felicitatem, beatitudinem. Omnia hic ſunt in parvo puero: Omnia hæc hodie Magi, Stella Duce, invenerunt in ſtabulo: Sequamur & nos ductum ejuſdem ſtellæ, ingrediamur ſtabulum, adoremus parvulum, offeramus ei theſauros; & videbimus & guſtabimus, quam ſuavis & dulcis ſit hodierna dies.

NB. Concio hæc ornari & dilatari poteſt pulcris dictis SS. PP. ex Officio Divino; præſertim, lectione 3. Nocturni 2. ipſo feſto. Et lect. 1. Noct. 3. Die 2. intra Oct. Item lect. 1. Noct. 2. Die 4. infra Oct.

CONCIO LXIII.

FESTO PURIFICATIONIS B. V.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ, ſecundum legem Moyſi, Luc. 2. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VIrgo & Mater puriſſima, nullius indiga purgationis, legem tamen adimplevit, ut ſic ſuſciperet (verba fermè ſunt S. Ambroſii) obedientiam & humilitatem, nobileſque has virtutes in nos transfunderet: Afferuntur multa in laudem præcipuè Humilitatis, quâ Virgo effecta eſt pulchrior, quâ ſublimius fuit exaltata, qua DEUM inamoravit, & cor ſponſi vulneravit.

§. 1. *In eclipſi Sol tamen lucidus eſt, licet imperitis videatur niger: & B. V. in purificatione eſt puriſſima, legi tamen ſe ſubjecit, ex motivo nobilium virtutum.*

§. 2. *Eſſentia legis Moſaicæ de purificatione puerperarum: quomodo Beata Virgo illam adimpleverit.*

§. 3. *Ut ſuſciperet obedientiam: ex cujus motivo hodie in re difficillima, ſuam voluntatem conformavit divinæ.*

§. 4. *Subjecit ſe legi, ex profundiſſima Humilitate.*

§. 5. *Humilitas ſummum eſt ornamentum pulcherrimæ Virginis.*

§. 6. *Quo ſenſu B. Virgo nigra ſit & formoſa.*

§. 7. *Per radicem humilitatis excrevit in arborem, quæ ramos gratiæ & gloriæ erigit, ſupra Seraphinos, ad thronum uſque DEI, cui eſt viciniſſima.*

§. 8. *Humilitate humillima Virgo, vulneravit Cor ſponſi, & Deum inamoravit.*

§. 9. *Humilitas eſt odoratiſſima nardus.*

§. 10. *Quomodo B. Virgo à ſponſo dicatur bis pulchra.*

§. 11. *Aliqui gryphi de B. V. quàm coruſca ingreſſa ſit templum.*

Quod

Digitized by Google

§. 1. *In eclipſi ſol tamen lucidus eſt & B Virg. in Purificatione puriſſima. Legi tamē ſe ſubjecit ex motivo nobilium virtutum*

QVod imperitis vulgo accidere ſolet, ut ſolis obſcurati aſpectu territi, dū inſolitæ umbræ, quam per orbem longè lateque nigrum ſidus diffundit, cauſam non penetrant, ſolem ipſum denigrari, deficere ac emori, errore ducti judicent: idipſum hodierna die, excæcatis Judæorum oculis in templo Jeroſolymitano, paucis exceptis, eveniſſe puto, dum denigratam putarunt ſe videre Lunam, id eſt, viderunt venientem ad templum Matrem Mariam cum Puero, ſubjicientem ſe legi purificationis, quaſi in partu ſordes vel impuritatem, ut aliæ matres, contraxiſſet, ob quam indigeret purificatione: ſic Umbram viderunt fœcunditatis purgatæ, ſed ſplendorem neſciverunt virginitatis inviolatæ. Dum hodie Virgo templum, quaſi purganda ingreditur, dum ſacro ſe ſiſtit Antiſtiti, dum Filium conſecrat Numini, dum hoſtias & lytrum defert, turtures, communi eam cæterarum matrum luſtratam ſacrificio, communi puerperarum omnium infectam crediderunt nævo, cujus tamen partus, quia partus fuit Virginis, prorſus fuit immaculatus, nulla indigens purificatione, nulli legi ſubjectus. In hoc ſole, in hoc ſpeculo, in hoc fonte, in Virgine, in illa nive, in illo auro, in illa gemma, in Maria nulla, nulla fuit macula, ob quam opus fuerit, illum ſolem, illud ſpeculū, &c. purificari, umbra aliqua, nigredo aliqua, ſuſpicio nocui externis aliqua eclipſis aſpectantium oculis objecta fuit, dum Matrem cum prole maſcula, legi Purificationis ſe ſubjicientem conſpexerunt. Verum re ipſa fuit, puriſſima Virgo, & Mater illibata. Ante partum, in partu, poſt partum, fuit ſol ſine umbra & nigredine, Luna, tota pulchra, ſtella, ſidus, lux ſine omni macula. Ex variis cauſis, ob quas puriſſima Virgo & Mater legi Purificationis paruit, unam aut alteram, nimium eximias & excellentes Magnæ Matris virtutes, hac panegyri proponam: Dicam aliqua in laudem Marianæ puritatis, quorum ſi deinde in recitatione Litaniarum de Loreto, recordari volueritis, ſemper cum tenera devotione, & ſuaviſſimo affectu dicetis; *Virgo puriſſima, Ora pro nobis.*

§. 2. *Eſſentia legis Moſaica de purificatione puerperarū. Quomodo B. V. illam adimpleverit.*

Hæc fuit ſubſtantia, Levit c. 12. v 3. legis apud Judæos de purificatione puerperarum: 1. ut mulier quæ peperiſſet maſculum maneret domi, immunda quadraginta diebus. Ut puriſſima Mater DEI hanc legem impleret, tot diebus manſit in ſtabulo Bethlemitico, abſtinuitque ab ingreſſu in templum. 2. præcepit Deus in illa lege, ut mater pro purificatione, ſi dives eſſet, offerret Agnum, ſi pauper, par turturum; aut duos pullos columbarum, hos obtulit Virgo, paupertatis amans; niſi dicere velimus, quod offerendo filiolum, obtulerit Agnum, de quo poſtea dixit Sanctus Joannes Baptiſta, Joan. 1. verſ. 17. *Ecce Agnus DEI qui tollit peccata mundi:* Agnum, qui deinde in ſacrificio veſpertino, in ara Sanctæ Crucis oblatus fuit DEO, hoſtia

Ooo 2 & vi-

Digitized by Google

& victima: in odorem Suavitatis. Et offerendo Filium Deo per manus ſacerdotis, adæquatè ſatisfecit legi, quæ inſuper præcepit, ut proles maſcula & primogenita in templo ſiſteretur DEO, offereturque veluti victima, quæ tamen paucis nummis à matre redimebatur! quod etiam hodie contigit in oblatione filioli Beatæ Virginis: in quo aliqui SS. Patres advertunt infinitam bonitatem Patris cœleſtis; Filium ſibi oblatum, quem ex infinitâ dilectione gratis dederat mundo per Mariam; per eandem illi oblatum, & quaſi redditum, hodie mundo per Mariã rurſum vendidit, adeo ut poſtea à Juda paucis argenteis ſuis hoſtibus vendi potuerit: In his itaque omnibus, manendo quadraginta diebus in ſtabulo extra templum; offerendo deinde in templo par turturum, & filiolum ſiſtendo Domino, illum redimendo, puriſſima Virgo, illam legem perfectè adſimplevit, ut qui talia viderunt, merito cogitare potuerint, eſſe fœminam de numero reliquarum matrum; in qua hominum opinione conſiſtit illa umbra, nigredo, macula eclipſis, quam in hoc ſole, in hâc lunâ, in hâc luce fuiſſe innuit vocula Purificationis.

§. 3. Ut ſuſciperet obedientiam ex cujus motivo hodie, in re difficillima, ſuam voluntatem

Cauſæ, ob quas ſapientiſſima DEI Mater, non ignara, ſe lege illâ non obligari, tamen illi ſatisfacere voluit, fuerunt excellentiſſimæ virtutes, quas ad imitationem nobis propoſuit, & conſequenter deſiderium placendi Deo, cui placere ſciebat illas virtutes. Ex mente Sancti Ambroſii, ſuſcepit ipſa obedientiam, ut nobis eam transfunderet: Legi fuit obediens: ut *con-for- mavit divinæ.* diſcamus & nos præceptis divinis obtemperare. S. Angelo Gabrieli, quamprimum agnovit, eſſe Dei voluntatem, ut fieret Mater Dei, prompta reſpondit; Lucæ 1. v. 38. *Ecce ancilla Domini! fiat mihi ſecundum verbum*; quibus verbis, omnium judicio erupit in actum perfectiſſimæ obedientiæ, offerendo Deo omnem ſuam voluntatem, imò ſanguinem ad efformationem divini corporis Filii Dei neceſſarium. Hodie Mater amantiſſimi Filii, agnoſcit ex Simeone non tantùm ab illa exigi, ut in templo Cœleſti Patri offerat ſuum Filium, ſed ut deinde contenta ſit, ut hic amantiſſimus Filius affigatur Cruci, ut graviſſima patiatur tormenta; ut conſenſum præbeat, ut effundatur pretioſiſſimus Sanguis ſui Filii; Pie meditantur SS. Patres, intellexiſſe hæc clarè Dei Matrem, vidiſſe quaſi in ſpeculo futuram Filii Paſſionem; nihilominus, flexis genibus coram altari, dum Filiolum tradidit manibus ſacerdotum repetiiſſe eadem verba, *Ecce Ancilla Domini! fiat mihi ſecundum, verba Simeonis.* Minatur gladium! ecce cor meum, ecce animam, ecce omnia viſcera, ut funeſtus gladius illa pertranſeat: Sic in re plane arduâ & difficili ſuam voluntatem conformavit Divinæ, in quo perfectio obedientiæ conſiſtit: Itaque *ſuſcepit ipſa obedientiam, ut nobis eam transfunderet*: Hæc ratio placuit S. Ambroſio.

Simili modo dicere poſſumus: *§. 4. Subjecit ſe legi ex*

ſuſ-

profundiſſima humilitate. ſuſcepit ipſa humilitatem, ut nobis eam transfunderet: A prima infantia ſanctiſſima puella excelluit humilitate: toto tempore quo à tertio ætatis anno vixit in templo, fuit humilis, fuit in Incarnatione, dum ſe ancillam appellavit, cum audiret ſe fore Matrem Dei, humilitate traxit filium Dei de cœlis in virginalem uterum, humilis fuit in Nativitate filii in ſtabulo; humilis in Filii circumciſione, humilis in adventu Regum, dum hodie ingreditur templum, ut ſatisfaciat leg. Purificationis, & propterea non dicendo tantum, ecce ancilla ſum, ſed ecce peccatrix ſum! ecce indigeo purificatione, ut aliæ matres; in hoc fuit humillima: Longiſſimè tamen abeſt, ut hæc humilitas ejus immenſæ puritati, & pulchritudini obfuerit, ſed profuit: Humilitas, excellentiſſimum Virginis & Matris fuit ornamentum.

§ 5. *Humilitas ſummum eſt Ornamentum pulcherrima Virginis.* Placetne vobis ut hodie pulcherrimam Virginem in umbra purificationis, nihilominus vocetis Solem, cui tantum ineſt lucis, tantum fulgoris, tantum nitoris, ſolem, lucidum, nitidum, purum, ſplendidiſſimis undiq; radiantem radiis. Placet & mihi encomium, ſed radius omnium pulcerrimus hodie in hoc ſole; eſt humilitas. Placetne ut hodierno feſto luminum, in umbra legalis purificationis, Virginem, nihilominus appelletis lumen, facem, lucernam ardentem & igneum cereum: quales hodie geſtamus in Proceſſionibus, inquit Durandus: *ad oſtendendam Virginis puritatem, ne quis audiens ejus purificationem, credere poſſit eam purificatione indiguiſſe. Virgo beata purificatione non indiguit, ſed tota fuit rutilans, tota ſplendens.* Placent mihi hæc encomia, ſed addo: Hoc lumen, hanc lucem, hunc cereum ardentem amore Dei, hodie ornavit Humilitas, flamma, fulgor, ſplendor hujus ſolis, hujus lucis, flammicat, fulget, ſplendet adhuc magis, in umbra tantæ humilitatis. Placetne vobis ut hodie in tenebris purificationis, Virginem tamen nominetis, Carbunculum, vel Smaragdum, puriſſimo virore conſpicuum, vel Amethyſtum variis auratis ſtellulis illuſtrem? placent & mihi amœniſſimæ hæ gemmæ, carbunculus eſt Maria, Smaragdus eſt, amethyſtus eſt, ſed ſtellula omnium lucidiſſima, ſed viror elegantisſimus, ſed purpura elegantisſima, in Virgine, eſt tanta ejus humilitas. Placetne tandem ut Virginem, inter purificationis ſpinas nihilominus cogitetis, & pronuntietis, eſſe roſam & illibatum lilium, recreantur mei oculi aſpectu horum florum, & ego frequenter cogito; Roſa eſt Maria! lilium eſt: ſed addo: lilii hujus candor, lilii hujus aurea corona; roſæ hujus pulchritudo, & fragrans atque ſuavisſimus odor eſt humilitas. Quod itaque puriſſima Virgo hodie venerit ad templum, quod ſe & Filium obtulerit D. quod adimplendo legales cæremonias ſe ex profundisſima humilitate, expoſuerit ſuſpicioni de neceſſitate purificationis, immenſæ ejus puritati, huic ſoli, huic luci, huic Smaragdo, huic lilio, &c. hæc inquam omnia

non obfuerunt, ſed profuerunt. Ingens Virginis puritas, pulchritudo, in aureo annulo humilitatis, radiat magis.

§. 6. *Quo ſenſu B.V. nigra & formoſa ſit.*

Quo ſenſu ſapientiſſimus Salomon acutiſſimè Mariam in perſona ſuæ ſponſæ, vocavit *nigram*, ſed *formoſam*: quaſi nunquam fuerit pulcra & formoſa, niſi quando fuit nigra, hoc eſt, tum ſponſa placuit ſponſo, quando ſe humiliavit. Magna Mater velut vulgarem quandam coinquinatam, ſordidam, corruptam & peccatricem, munditiæ indignam hodie ſe exhibuit mulierem, quo eodem tempore fuit ipſiſſima ſanctitas, ipſamet innocentia & puritas. Semper fuit venuſta Virgo, ſed longè venuſtior, cùm ſimul nigra viſa fuit, quando ſe demiſit & humiliavit, ut bene dixerit Richardus de S. Laurentio, lib. 7. de laudibus Mariæ: *Nigredo humilitatis excellentiſſima eſt virtus, quæ animam candidam à ſanctitate & gratia, pulcherrimè exornat, quemadmodum candidiſſima prorſus charta, nigredinem ſuſcipit, id eſt, characteres atramento formatos, ſed ſimul decorem.* Sic Maria, *charta diviniſſima*, laborata, dealbata à Spiritu S. (ſic illam appellavit S. Baſilius Diaconus) *nigredinem ſuſcepit*, (nigri characteres fuerunt, Ecce ancilla! quod mater ſit filii circumciſi, nigra vocula, eſt purificatio) his coloribus denigrata fuit illa diviniſſima charta, ſed ad decorem! ad majorem pulchritudinem & elegantiam! Nunquam formoſior eſt Maria, quàm cùm ſimul eſt nigra: nunquam apparet venuſtior, quàm cum depingitur vel conſideratur ut humilis, ut hoc titulo eſſet formoſa, legi purificationis ſe ſubjecit.

§ 7. *Per radicem humilitatis, excrevit in arborē, quæ ramos gratia & gloria erigit ſupra Seraphinos ad thronum u quo Dei, cui B V eſt viciniſſima.*

Eccl. 24. ipſa Virgo ſibi gratulatur de immenſa excellentia ſub ſymbolo & analogia excelſæ & pulcherrimæ arboris, v. g. Cedri, vel palmæ, vel platani, & terebynthi, ſed ſimul addit, cit. c. v. 16. *Radicavi in populo honorificato*: & quis ille populus? reſpondet S. Antonius p. 4. tit. 15. cap. 44. §. 5. *Populus maximè honorificatus eſt cœtus Angelorum & Sanctorum: Radix autem eſt principium arboris. Imaginemur ergo ſummitatem perfectionis gloriæ Sanctorum eſſe in Seraphim, ordine ſupremo: & ibi incipit perfectio gratiæ & gloriæ Virginis, extendens ſe ad Filium Incarnatum.* Ubi Seraphini, ut ſic loquar, in gloria collocant caput ſuum, ipſa ſuas incipit explicare radices, quæ in cedrum, in palmam, in olivam excreſcunt, tam altè, ut ramos, folia & apicem erigat ad thronum gloriæ Filii Dei ſedentis ad dexteram Patris. Sed unde tanta arboris hujus ſublimitas? ex non minori humilitatis ſuæ profunditate. In tantum arbor dicitur ſuum verticem in altum erigere, in quantum radices ejus in terram immittuntur: & ideo, quia ſanctiſſima Virgo, ſe ſuper omne id, quod imaginari nobis poſſumus, demiſit & humiliavit: Ideo in cœlo in gloria, tantopere ſe extulit & evexit, ut ſupra omnes Sanctos ſit exaltata, exaltata eſt ſuper Seraphinos, exaltata eſt ſuper Cherubinos, &c. ſeque Deo reddidit viciniſſimam Quam ſubli-

Digitized by Google

ſublimitatem miratus S. Bernardus ſer. 2 de Adventu ſic eam affatur; *In quam ſublimitatem, verticem ſanctum erigis? uſque ad ſedentem in throno, uſq; ad Dominum Majeſtatis: Neque id mirum, quoniam in altum mittis radicem humilitatis.* Si enim quævis creatura, quantoplus erigitur, Deoque omnis pulchritudinis fonti vicinior efficitur, tantò pulchrior & venuſtior redditur, ut Theologis & doctis per omnes ſpiritualium creaturarum gradus, manifeſtum eſt: conſequens eſt, ut Deipara, quæ præ omnibus Angelis & Seraphinis ſublimior, Deoque vicinior exiſtit, eiſdem quoque longè comperiatur eſſe pulchrior & ſpecioſior, ſed merito eximiæ ſuæ humilitatis, quæ ſeſe demittentes tantò altius extollit: Hanc humilitatem hodierno feſto Virgo in ſe ſuſcepit, ut nobis eam transfunderet, ut ab illa diſcamus; quam viam tenere debeamus ad excelſum gradum ſanctitatis, quam radicem ingentis gloriæ ponere debeamus.

§. 8. *Humilitate humillima Virgo vulneravit cor ſponſi & Deum inamoravit*

Dei Mater tam fuit pulchra, ut cœleſtis Sponſus Cant. 4. v. 9. fateatur, ab illa pulchritudine fuiſſe vulneratum cor ſuum, vel ſe ab illa fuiſſe excordificatum, vel raptum ſibi fuiſſe cor, à ſpecie incredibilis pulchritudinis. Verba enim illa ſponſi, *vulneraſti cor meum.* Alii legunt, *excordificaſti me.* Myſtici, conjicientes oculos in pulchritudinem animæ internam, hic quærunt, quænam ex omnibus virtutibus Dei Matrem reddiderit tam ſpectabilem atque conſpicuam, ut vulnerare & deprædari potuerit cor atque oculos Altiſſimi, & reſpondent, fuiſſe humilitatem: poſtquam enim ſponſus dixiſſet, *vulneraſti cor meum*, mox ſubjungit, *In uno crine colli tui*, id eſt, inquit Rupertus l. 3 c. 4. in Cant. *In nimia humilitate cordis tui.* Licet enim B. Virgo, ſemper & in omnibus placuerit Deo, eo tamen tempore, quando ſe humiliavit, v. g. quando in Incarnatione dixit, *Ecce Ancilla Domini*! quando hodiè ſe ſubjecit legi purificationis, tam grata, diviniſque oculis fuit pulchra, ut cor ejus vulnerare, faſcinare, & veluti deprædari videretur, ut bene dixerit S. Bernardinus t. 2. ſer. 48. art. 2 c. 10. *Dum Virgo Maria amplius à Deo exaltatur, magis in ſpiritu humiliatur, ampliuſque Dominus inamoratur*, & conſequenter magis etiam in Virgine delectatur. Et S. Laurentius Juſtinianus de vita ſolitaria cap. 14. ſuper verba Virginis, Lucæ 1. v. 18. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, ait: *Non reſpexit virginitatem, non innocentiam, & cæteras virtutes, ſed humilitatem tantùm, ut manifeſtaret, quantum præemineret reliquis quantumq; Deo placeret humilitas:* ut eo momento, quando dixit, *Ecce ancilla Domini! inclinarit cœlos atque diſruperit, & Filius Altiſſimi deſcenderit in illam*, ait citatus ſupra Richardus: Cœlum deſeruit, ſed aliud invenit in terris, in utero humillimæ virginis.

§. 9. *Humilitas eſt odoratiſſima nardus.*

Cant. 4. v. 13. dum ſponſus varias laudat arbores, & herbas odoriferas, nardum bis nominat. *Emiſſiones tuæ paradiſus, malorum punicorum, cum pomorum fructib. cypri cum nardo, nardus & cro-*

Digitized by Google

& crocus fiſtula & cynnamomum. Quia humilitas, inquit Rupertus l. in Cant. per nardum, herbam humilem & exilem ſignificata, inter omnes alias virtutes, animatum virginis paradiſum honorantes, Deo maximè placet. *Nardus bis prædicari & numerari meretur: nam ipſa eſt humilitas, quæ valdè oblectavit Altiſſimum.* Et ſponſa de hoc ſibi gratulatur Cant. 1. v. 11. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum*: quæ verba ſic explicat Rupertus: *Dum eſſet in ſinu vel corde Patris, de altiſſimis reſpexit humilitatem meam.*

§. 10. *Quomodo B. V. à ſponſo dicatur bis pulchra.* Uno adhuc elogio deprædicabo virginis humilitatem, & deinde finiam præſentem panegyrin: ſuper verba illa ſponſi Cant. 4. v. 1. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* quærit Philippus Abbas l. 2. c. 13. in Cant. *Quid ſibi vult pulchra & pulchra?* nonne ſufficiebat ſemel illam appellare pulchram, deinde reſpondet: *Nonnulli ajunt, ideo eam virginem pulchram, bis dixiſſe, ut eam deſignaret duplicem pulchritudinem habuiſſe, quod concipiens & pariens, Virgo mirabiliter perſeverat, & in tanta prærogativa humilem ſe veraciter aſſeverat. Igitur pulchra, quam nulla integritatis læſio deturpavit & iterum pulchra, quam incomporabilis humilitas honeſtavit.* Itaque hodierna præſertim feſtivitate, ſub eclipſi legalis purificationis, fuit tamen Maria puriſſima Virgo, fuit lucidiſſimus ſol: in illa umbra & nigredine, ſive æſtimatione hominum indiguiſſe purificatione, fuit formoſiſſima, fuit pulcherrima luna, fuit ſereniſſima ſtella.

§. 11. *Aliqui gryphi de B. Virgine, quàm curioſe ingreſſa ſit templum.* Ut ſine cauſa Alphonſus, Toſtatus Abulenſis de B. Virgine hos gryphos propoſuerit. *Fuit vas clauſum, non clauſum: parvum & non parvum: luminoſum, & non luminoſum.* Fuit enim vas electionis, vas ſpirituale, &c ſed clauſum ob inviolatam virginitatem: non clauſum, quia peperit Filium. Fuit B. Virgo parva in ſui æſtimatione, magna in oculis Dei. Fuit vas non luminoſum ob umbram vel larvam alicujus impuritatis in Filii circumciſione, & hodierna purificatione, ſed tota luminoſa, tum ob internam animæ puritatem, tum externam corporis pulchritudinem. Ideoque Simeoni & Annæ viduæ, viſa fuit virgo ingredi templum ſpargens undique radios, inſtar alicujus ſolis, quod nemini mirum videri debet, quia ſolem portavit in ulnis. Alii dicunt, Templum ab ingrediente Virgine fuiſſe illuminatum, quaſi à cryſtallino vaſe, pleno radiis Solis Juſtitiæ. Mihi certum eſt, talem ſolem, lucem, lampadem, &c. non indiguiſſe purificatione, ſed adimplendo legem, ſuſcipit obedientiam & humilitatem, ut tam eximias virtutes in nos trans-funderet.

CON-

CONCIO LXIV.

FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, Matth. *11*. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit ex Sacra Scriptura, & aliquot myſteriis Paſſionis, quàm ſit grave onus peccati mortalis, ſub quo ipſe Filius Dei corruit in terram.

§. §. *Suavi Dei Providentia Iudæ ſubſtitutus fuit S. Matthias.*

§. 2. *Declaratur ſimili, quomodo pondus peccati mortalis, impium reddat inquietum.*

§. 3. *Nulla quies eſt in hoc mundo. (Ex Seneca) ſine peccato.*

§. 4. *Quanto minus cum peccato in corde impii?*

§. 5. *Impii ſunt pondus, quod terra ferre non potuit.*

§. 6. *Circumſtantia una infeliciſſima mortis Abſolonis.*

§. 7. *Acris Apoſtrophe S. Chryſoſtomi ad Abſolonem, & quemvis obduratum impium.*

§. 8. *Ex lapſibus Chriſti Salvatoris, in myſteriis paſſionis oſtenditur, gravitas ponderis peccati mortalis.*

§. 9. *Proſecutio.*

§. 1. *Suavi Dei Providentia Iuda ſubſtitutus fuit S. Matthias.*

BEne advertit & monuit S. Bernardus ſermone de diverſis, *Nuſquam eſt ſecuritas! neq; in cœlo, neque in paradiſo, multò minus in mundo in cœlo n. cecidit Angelus ſub præſentia Divinitatis, Adã in paradiſo de loco voluptatis, Judas in mundo, in ſchola Salvatoris.* Sed, O ſuaviſſimas & admirabiles diſpoſitiones Divinæ Providentiæ! & bonitatis! & miſericordiæ! ubi cœleſtis aulæ Principes ſive Angeli, adhærentes anteſignano ſuo Lucifero, turpiſſimè à Deo Creatore apoſtatantes, ex ſummo cœli empyrei domicilio, in profundiſſimam terræ abyſſum, in barathrum, deturbati ſunt, ſuavi Numinis Providentia homines à Deo ſubſtituti ſunt, qui eorum ruinas reſarcirent: juxta vaticinium Regii Pſaltis; Pſalm. 109. v. 6. *Implebit ruinas*: addit Hugo Cardinalis, *Angelorum.* & S. Bernardus ait: *Propter hoc enim & ipſe creavit homines, qui ſupplerent*

Digitized by Google

locum illorum & ruinas. S. Bonav. refert, Seraphicum ſanctum Franciſcum, divina revelatione cognoviſſe, aſſervari ſibi ſplendidiſſimam ſedem Luciferi. Adamus ob lapſum in peccatum exturbatus fuit è paradiſo: ſed ô ſuavem Providentiam! ô felicem lapſum, canit Eccleſia, qui talem ac tantum meruit habere Redemptorem. Lapſus etiam fuit turpiſſimè nefarius Judas, vendendo ſuum magiſtrum: ex deſperatione laqueo ſe ſuſpendit. O ſuavem iterum providentiam, quæ, ne duodecimus locus in Apoſtolico Collegio vacaret, Judæ, cœleſti ſorte ſubſtituit Matthiam. Sed peccatum! de cœlo dejecit Luciferum, ex paradiſo expulit Adamum, ex ſchola Chriſti Judam deturbavit, & depreſſit in infernum! tantum pondus & onus eſt peccatum mortale, quod oſtendam hâc Concione, ut ſi qui ſentiant ſe illo oneratos, confugiant ad Chriſtum Dominum ſuaviſſimis verbis dicentem, Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos.* Ni faciant, niſi à Chriſto Salvatore ab hoc onere liberentur, ab eo in profundum inferni uſque deprimentur; quod malum bonus DEUS à me & omnibus auditoribus meis avertat. Jam pergo in nomine Domini.

§. 2. *Declaratur ſimili, quomodo pondus peccati, impium* Immane pondus eſt peccatum mortale: agnovit & ſenſit David, cùm Pſalm. 6. v. 7. ſub illo clamavit, *Laboravi in gemitu meo: lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum rigabo.* Hos gemitus ex regio pectore, has lacrymas ex regiis oculis, hæc ſuſpiria ex humilitate & contrito corde, expreſſit pondus & onus adulterii atque homicidii, ſub quo jacebat. *reddat inquietum* Clarius ſenſum ſuum expreſſit Pſalm. 37. v. 5. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave, gravatæ ſunt ſuper me.* & Pſalm. 50. v. 5. fatetur peccatum ſuum fuiſſe contra ſe, id eſt, onus peccati, dies & noctes animum Regis reddidit inquietum: Thren. 1. v. 14. *Vigilavit jugum iniquitatum ejus*, quo diebus & noctibus impeditus fuit, ne quieſceret: ut faſſus fuit Pſ. 37 v. 4. *Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.* Quæ enim pax, quæ ſanitas, quod gaudium, quæ quies eſſe poteſt impio, qui gemit ſub gravi pondere peccatorum? conſiderate machinam alicujus horologii: quamdiu illius funem trahit appenſum pondus, ſaxum aliquod vel plumbeus aut ferreus globus, moventur continuò rotæ, donec elapſa hora magno ſtrepitu, elevetur malleus, qui percuſſione campanæ numerū horarum ex turri, ubi ſignificat, & hoc iterum, iterumque, quamdiu pondus trahit funem, pondus eſt, quod horologium inquietat: illud tolle & quieſcent rotæ. Et ſi tandem pondus in profundū venerit, terramque tetigerit, ſtant rotæ: ſed ſecuræ non ſunt; veniet enim paulo poſt director & præſes horologii, qui retrahet in altum funem cum pondere, & redit rotarum inquietudo, labor, motus. Tale horologium eſt conſcientia impii. Peccatum eſt pondus quoddam

dam, trahens ad terram & in infernum: funis eſt, peccandi conſuetudo: rotæ ſunt, cogitationes de morte, de judicio, de inferno, quem impius ſcit ſe eſſe promeritum: Abulenſis in lib. Reg. quæſt. 12. *Nam licet actus peccati ſit breviter tranſiens: memoria tamen ſceleris ſemper manet, quæ hominem torquet*: hæc memoria rotat rotas conſcientiæ, hæc memoria pondus eſt, quo qui premitur, quies vel pax illi eſſe nō poteſt. Vis, ut triſtes cogitationes te non accuſent, ut conſcientia non murmuret, non lancinet, non flagellet? tolle pondus peccati, incide funes malarum conſuetudinū, & erit quies. Et licet ſubinde quidam ſint peccatores, qui peccatis ita aſſueverunt, ut ſtimulum ſtimulantis conſcientiæ non ſentiant, vocem ejus non audiant, qui jam quaſi in profundum venerunt, & terram contingunt, ut rotæ horologii videantur non moveri, juxta illud Eccleſiaſtici, *Peccator cùm in profundum venerit, contemnit.* Securi tamen non ſunt, ſæpe adeſt horologii director, & cordium inſpector Deus, qui attrahit funem, movet pondus, proponite oculis malitiam peccati: vel, adeſt mors, apparet ſeverus Judex, infernus aperit os ſuum, proponitur conſcientiæ æternitas! hinc timor, pavor, metus, motus, inquietudo: verbo, ſub pondere peccati animus impii, quietus eſſe non poteſt.

§. 3. *Nulla eſt quies in hoc mundo. Ex Seneca.* De omnibus hominibus ait Seneca, in Hercule furente: *Novit paucos ſecura quies!* ſecuram quietem optare & quærere poſſumus; ſed non facilè invenimus. Imò vix fieri poſſe videtur; ut quis in mundo, & vitâ ſecuram quietem inveniat. Hic enim mundus in quo vivimus, continuo motu & rerum viciſſitudine rotatur (quaſi aliquod horologium) id quod ipſi cœli, elementa, animantes omnes, & germina terræ, non tantum quotidiana; ſed etiam horaria experientia teſtantur. Sol, luna, ſtellæ, nunquam interrupto motu feruntur: oriunturque & occidunt: hinc perpetua diei, noctiſque viciſſitudo, hinc momentaneus temporis fluxus. Nubes & aër continuam habent peregrinationem: aquam natura deorſum detrudit: Ignis inquietiſſimum in terris eſt ingenium: Annus quotidiè, & per horas fugit, germina terræ naſcuntur, virent, florent, fructificant, occidunt. Hominis porro propria deſcriptio eſt, quam deſcribit Job cap. 14. v. 1. *brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Ex quibus omnibus apparet, quàm difficile ſit, ut homo in hoc mundo, & hac mortali vitâ ſecuram quietem inveniat, nam, ut ait S. Auguſtinus, Lib. 4. confeſ. cap. 12. *Non eſt requies, O mortales! ubi eam quæritis! vitam beatam quæritis in regione mortis! non eſt ibi, quomodo enim beata vita, ubi nec vita eſt?*

§. 4. *Multo minus in corde impii.* Adverto ego, in his omnibus nullam factam eſſe mentionem peccati? ſine peccato, invenire tamen non poſſumus ſecuram quietem, quomodo illam inveniet impius ſub pondere peccati? ſine peccato, homo pius, juſtus, tamen rotatur, veluti rota, velut globus, tanta rerum viciſſitu-

 dine,

dine, quomodo fieri poterit, ut impius, DEI inimicus non rotetur? ſine peccato; homo repletur multis miſeriis, & nunquam permanet in eodem ſtatu: qua ratione fieri poterit, ut in beato ſit ſtatu, qui ſimul repletur plurimis graviſſimis peccatis & horrendis ſceleribus. Plerumque impii, ab irato & juſto DEO ponuntur *ut rota*, ex pſ. 82. & ſicut ſtipula ante faciem venti: ſicut ignis eſt illorum conſcientia, urens, comburens: perſequitur illos Deus in tempeſtate, & in irâ ſuâ turbat eos: implet facies eorum ignominiâ, erubeſcunt, conturbantur, confunduntur, pereunt. Et quomodo pax eſſe poterit impiis? inquieta ſunt horologia? pondus eſt peccatum mortale.

§. 5. Impii ſunt pondus quod terra ferre non potuit.

Quã grave illud ſit, ex c. 16. 23. l. Numerorũ intelligere poſſumus: ait ibi Dominus ad Moyſen, *Præcipe univerſo populo ut ſeparetur à tabernaculis Core, Dathan & Abiron* Suppono vos ſcire, fuiſſe illos qui peccarunt, quia contra Moyſen & Deum murmuraverunt: Poſtquam hoc factum fuit; *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantia eorum: deſcenderuntque vivi in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* ait hic S. Ambroſius: *Hiatu terræ ob ſeditionem ſorbentur*: Scio Interpretes in conſideratione hujus loci, advertere, quomodo conſpirent etiam irrationales creaturæ, cœlum & omnia elementa, ut puniantur impii, ut vindicent injurias Creatori ſuo illatas: Cum enim terra ſub pedibus eorum diſrupta fuit, verſu 35. *& ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros*: Philo ait. *Exurens eos fulminibus imbris in morem denſis, & crebro micantibus*: & paulò poſt addit, *finis autem, & abſorptorum, & exuſtorum idem fuit; nam utrique diſparuerunt: alteri operti ſolo, alteri abſumpti fulmineis ignibus:* unde patet, ignem, aërem, terram, & alias creaturas eſſe ſatellites Divinæ Juſtitiæ, ut ſe arment & pugnent contra impios, quam veritatem alibi proſequor. Pauca alia verba Philonis, præſenti meæ materiæ de pondere & gravitate peccati mortalis, peculiariter inſerviunt, ait enim præter alia: *Terra deducens ſe, ut abſorberet inutilia terræ pondera*, tam grave nimirum onus eſt impius, ut terra ferre non poſſit. Suntne fortaſſis inter præſentes meos Auditores aliqui, gravati pondere peccati mortalis? ah! animæ piæ, fugite! diſcedite, ſeparate vos: timendum eſt ne terra ſub pedibus veſtris dirrumpatur; ne aperiat os ſuum, & devoret inimicos Dei, periculum eſt: ne egrediatur ignis à Domino, & interficiat atque exurat ſcelerata capita: fierent hæc omnia hoc momento, niſi divina Miſericordia impediret. Totius mundi machina aliquando diſſolvetur, quia impios ferre non poterit: Cogitent, qui hoc pondere ſe ſciunt oneratos, an non habeant cauſam, ut in tanto periculo conſtituti, confugiant ad Chriſtum Salvatorem, qui in hodierno Evangelio tam ſuavibus verbis omnes ad ſe vocat, *Venite ad me omnes, &c.*

Memi-

Digitized by Google

§. 6.
Circumſtantia una infeliciſſimæ mortis Abſolonis.

Meminiſtis hauddubie infeliciſſimæ mortis, quâ ſceleratus Abſolon fuit punitus, manſit ſuſpenſus ex arbore, medius inter cœlum & terram; quam circumſtantiam eleganter, ut ſolet, expoſuit Sanctus Chryſoſtomus in Pſalm. 3. *Cœlum eum noluit admittere, ſi enim primum ejecit inſurrectorem diabolum, quomodo inſurrectorem ſecundum admiſiſſet? terra eum averſabatur, non ferens pollui paſſibus parricidæ.* Itane? *O terra, terra, terra, audi ſermones meos*, ut loquar cum Propheta Jeremia cap. 22. v. 29. noluiſti pollui paſſibus unius parricidæ; quomodo hodie pateris, ut tot blaſphemi, tot detractores, tot ſcelerati peccatores, tot, non alicujus Regis, ſed Regis Regum Chriſti Jeſu, parricidæ ſuis paſſibus te polluant & commaculent? cur non diſrumperis? quare non aperis os tuum? quomodo non abſorbes inutilia pondera? Piiſſimus & longanimis Jeſus ſic vult; quia expectat, ut convertantur, & pœnitentiam agant: hoc fine ait, *Venite ad me omnes*: Niſi hoc acceptabili tempore quadrageſimæ pœnitentiam egeritis; veniet hora, qua non terra tantùm, ſed infernus aperiet os ſuum, & interficiet vos, & exuret vos.

§. 7.
Acris Apoſtrophe S. Chryſoſt. ad Abſolonē, & quemvis obduratum impium.

Si quis adſit tam ſceleratus, ut his minis & tragicis hiſtoriis ex ſacra ſcriptura non terreatur, hujus auribus inſuſurrabo verba, quibus idem S. Chryſoſtomus ſer. 2. de Abſolone, eundem fuit allocutus, jam pendentem ex arbore inter anguſtias mortis: *Reſpice jam ſceleſtiſſime hoſtis ac nefande, jam reſpice parricida, reſpice inquam uſquequaque in te converti: reſpice, contra te ab ipſa natura pugnari: Et quamvis contra te dimicet cœlum, moveatur terra, exercitus pugnet, tamen aliud te, ignotum & inopinatum ſuſtinet bellum: aliud tibi jam paratum prælium eſt, quod fugientem excipiet, properantem interimet, feſtinantem occidet:* mox enim aderit tibi amiciſſimus Joab, qui triplici haſta configet cor tuum: Joab te interficiet. Hæc conſiderate, impii, reſpicite ſceleſtiſſimi hoſtes divinæ Majeſtatis: reſpicite parricidæ, rei ſanguinis Filii Dei; veniet hora, qua omnes creaturæ in vos convertentur: tota natura contra vos pugnabit, & quamvis contra vos dimicabit cœlum, quamvis terra aperietur, ut vos devoret, quamvis ignis ex inferno egrediatur, ut vos exurat, aliud malum, ingens! horribile perpendite! in vos tandem lanceam fatalis ſententiæ torquebit ſeverus judex qui hodie ſuaviſſimè ait, *Venite, &c.* horribili voce tonabit, Matth. 25. v. 41. *diſcedite maledicti*, tum momento diſrumpetur terra, & inutilia pondera abſorbebit infernus, ibi æternum urentur, ſed non exurentur. Per æternitatem, per inferni pœnas vos rogo, dum tempus eſt, venite ad Jeſum, ut liberet vos à tam immani pondere & onere, quod hactenus tot milliones hominum demerſit in barathrum.

§. 8.
Ex lapſib. Chriſti ſalvatoris in myſteriis Paſſionis oſtenditur

Non poſſum, quia, antequam finiam, hoc ſancto tempore quadrageſimæ mentionem faciam Paſſionis Chriſti Salvatoris noſtri: in variis illius myſteriis, veluti ſpeculis intueri nobis licet, quàm grave onus ſit

Digitized by Google

gravitas ponderis, peccati mortalis. ſit, peccatum mortale. Sæpius in Paſſione Chriſtus D. lapſus fuit in terram. Marc 14. dicitur procidiſſe in horto ſuper terram in faciem: & ſic jacens, quaſi ſub immani pondere, oravit, flevit, gemuit, factus in agonia ſanguinem ſudavit: cauſam præcipuam habemus in c. 53. v. 6. Iſaiæ, *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm*: peccata noſtra fuerunt immane illud onus, quod Filium Dei, qui omnia portat verbo virtutis ſuæ, uſque ad terram inclinavit, & ſanguineum ſudorem expreſſit. Milites, qui in horto vincula illi injecerunt, in terram proſternere & pedibus conculcare non potuiſſent, niſi ſimul in ejus humeris jacuiſſent omnes iniquitates noſtræ. Rogo vos, *filiæ Sion*, ut hoc tẽpore Paſſionis, inter varia myſteria, peculiari devotione, & tenero compaſſionis affectu conſideretis triſtiſſimam & ſanguineam viam, per quam, onus Crucis portans in humeris ſuis pervenit ad montem Calvariæ: cum in domo Pilati, poſt latam ſententiam mortis lignum crucis illi fuit impoſitum, ingemuit & tremuit ſub pondere, ut ſancti aliqui Patres aſſerant ipſum corruiſſe in genua, ſimul cum ſuavi oſculo flexis genibus excepiſſe crucem: nunquam tamen onus Crucis tam fortes humeros incurvaſſet, niſi D. cum cruce iniquitates noſtras ipſi impoſuiſſet: Vix nonaginta paſſus fuit progreſſus, cum prima vice immani lapſu corruit cum cruce in terram & faciem: mox iterum poſt ſaxaginta paſſus & unum, in occurſu & amplexu afflictiſſimæ Matris, & deinde aliquoties, donec ad radices montis pervenit: qui exterioribus oculis hos triſtes lapſus contemplantur, cauſam aſcribunt tam gravi & ponderoſæ cruci, vel crudelitati militum, trudentium, trahentium, impellentium, oculi mentis ſimul intuentur, graviſſimum pondus peccatorum, ſub quo corruit, qui globos cœli & terræ appendit & ſuſtentat tribus digitis. Tulit autem ipſe hoc pondus, ut nos ab illo, ſi velimus, liberari poſſimus: quam gratiam tam ſuavibus verbis nobis offert in hodierno Evangelio, *Venite ad me omnes, &c.*

§. 9. *Proſecutio.* Pia & affectuoſa pictura finem imponet huic Concioni: in illa agnoſcetis, quàm grave onus ſit peccatum mortale. Depictus in illa eſt, Chriſtus D. Salvator noſter, totus ſanguineus, ex ſanctiſſimis quinque Vulneribus ſaliunt quinque cruenti rivuli: ſed capiti & dorſo Salvatoris incumbit Crux, veluti forte torcular: quod Chriſti corpus comprimit, quam maturum botrum de Cypro; hinc copioſus effluit Sanguis. Sed præter Crucem, longè majus pondus fuit peccatum mortale! noſtra ſuperbia fuit torcular, quod ſanguinem expreſſit ex benedicto vertice. Luxuria fuit pondus & torcular, quod ſanguinem expreſſit ex lacero corpore ad columnam: Ira, invidia, odia, blaſphemiæ, fuerunt graves clavi, & torcularia, quibus manus & pedes compreſſi fuerunt, ut copioſus cruor effluxerit: Peccata cordis, occulta, abſcondita, compreſſerunt benedictum Cor Chriſti.

(Poteſt

(Poteſt ex his fieri affectuoſus Epilogus & ſuavis invitatio ex themate Concionis, ut onerati hoc onere accedant & veniant ad Chriſtum, qui ſolus ab hoc pondere nos poteſt liberare.)

CONCIO LXV.

FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRG.

Ego quaſi plantatio Roſæ in Jericho, Eccleſ. 24. v. 18.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Variis titulis, comparat Mariam cum Roſâ.

§. 1. *Hic paragraphus variis ſymbolis B. Virginis, præſertim arboribus, præfert Roſam.*

§. 2. *Fabula Poëtarum de ortu Roſæ, videtur deſumpta ex hiſtoria de diluvio, ex libro Geneſis.*

§. 3. *Roſa eſt veluti quinta eſſentia omnium florum & odorum: roſa orbi reſtituit pulchritudinem.*

§. 4. *Multò magis Maria.*

§. 5. *Variæ analogiæ inter Roſam & Mariam.*

§. 6. *Verbo* Fiat, *mundus à Deo fuit creatus, eadem vocula à B. Virgine fuit reparatus.*

§. 7. *Encomia Roſæ à Rhetoribus conglobata, applicantur Roſæ Myſticæ ſive Beatæ Virgini, præſertim in myſterio Incarnationis.*

§. 8. *Bina alia analogia inter Roſam & Mariam: cui ineſt omnis pulchritudo.*

§. 9. *Symbolum Margaritæ Reginæ Navarræ: cum ſuavi ſalutatione ad Roſam Myſticam, ſive*

§. 10. *B. Virginem.*

§. 1. *Hic paragraphus variis ſymbolis B. Virginis, præſertim arboribus, præfert Roſam.*

ADſum, Domina Patrona noſtra Auguſtiſſima, adſum ſuburban⁹ Bambergæ Hortenſius, ut ex eloquentiæ meæ hortulo, menſæ, auguſtiſſimæ cellæ, in qua hodierna luce Filium DEI in virginali utero concepiſti, calathum pulcherrimis roſis amœnum

num, imponam, niſi fortaſſis Auditores mei mavelint, ut venuſtiſſimæ Virginis caput hoc flore ſive roſeo ſerto à me coronetur. Poſtulabat equidem hodiernæ feſtivitatis ſplendor, in qua, una Puella Divinum Amorem inauratis injectis catenis, quibus illum de cœlis in hanc lacrymarum vallem detractum, captivum duxit in triumphum, ut ad portas Nazarethicæ cellulæ, æternaturam è Libano Cedrum in arcum triumphalem ſinuarem, exigebat myſterii hodierni magnitudo, ut Magnæ Dei Matris nomen; quod eſt Maria, immortali è mõte Sion Cypariſſo inſculperem, decebat, ut Mulierem, quæ infernalis Serpentis caput contrivit, victrici è Cades palma coronarem: debuiſſem fateor, neglecta roſa, ad virginalis domunculæ limina, umbroſam plantare Platanum, aut Olivam ſpecioſam è campis: ſed quis mihi det, ut tranſcendam Libanum, & ſumam Cedros? ut aſcendam montem Domini, & tollam Cypariſſos? ut ſtem in loco ſancto ejus, in Cades, & auferam palmas? quis cœleſtem mihi dabit Platanum, vel ramos & folia de Oliva Specioſa è campis cœleſtis Jeruſalem: Angelorum id hodiernâ die munus erit; ſinuate Angeli è lignis voluptatis, in arcus, Cedros, erigite Cypreſſos; coronate Virginem palmâ, obumbrate Platano, redimite ramis Olivæ. Cedrus enim eſt Maria, Cypreſſus eſt, Palma eſt, eſt Platanus, eſt Oliva ſpecioſiſſima! Ego hodie ad pedes magnæ Dei Matris deponam è villâ Roſam: Quã dum florida Panegyri, veſtra Auditores benevolentia comite, cum Maria, concipiente Filium Dei, comparo, latiſſimus mihi undique in laudes Virginis excurrendi campus aperitur: Intra certos tamen terminos ſermonem meum ita includam, ut intra dimidiæ horæ ſpatium intelligatis, idem eſſe plane, Roſam & Mariam: Dicetis cum cœleſti Paranympho, Lucæ 1. v. 28. *Ave Maria!* addam ego, Ave Roſa ſine ſpinis. Audietis mellifluas aërii legati voces, *Ave gratia plena*: adjungam meas; Ave Roſa omnium gratiarum. Pergit Archangelus Gabriel, *Ave, Dominus tecum*; pergam ego, Ave Roſa, divino rore fœcundata! ſi ſubjungere placet ſuaviſſimam Eliſabethæ ſalutationem, ibid. 42. *Ave, benedicta in mulieribus*, cujus fructus Jeſus millies benedictus, ſubjungam ego, Ave Roſa cui benedixit Dominus. Verbo ſenſum meum explicabo, Ave Roſa SS. Trinitatis.

§. 1. *Fabula Pœtaru[m] de ortu roſa, v[i]detur d[e]ſumpta ex hiſto[-] ria d[e] d[i]l[u]vio, ex [li]bro Gen[...]*

De ortu Roſæ talia referunt Poëtæ. Funerarat, ruptis cœlorum catarrhactis, vindice aquarum cataclyſmo, ultor ſcelerum Deus, omnem carnem, computruerat in aquis ultricibus omnis creatura, imbiberat purciſſimam putrefactæ carnis luem infeliciſſima tellus. Sacer textus ait, Gen. 7. v. 23. *pluit Dominus ſuper terram, & delevit omnem ſubſtantiam, quam fecit, de ſuperficie terra, aqua praevaluerunt nimis, conſumptaq; eſt omnis caro, qua movebatur ſuper terram, universi homines, & cuncta in quibus erat ſpiraculum vita, mortua ſunt*: hinc terra rerum fa-

facies, & ante fœcunda tellus, repente improba, nil aliud niſi monſtra progignere; teterrimam ſpirare mephitim, aſtra ipſa, peſtifera lue afflare: Quid facerent paucæ reſiduæ Nymphæ, quid ageret reliquum mortale genus? Ad quem fugerent poſtulaturæ auxilium, & medelam? A Naturâ? fruſtrà; quippe corrupta erat & illa: Ad ipſum cœli terræque Principem accederent? Ultricem enim verò ille adhuc extendebat dexteram: Acceſſerunt tamen, & cum magno gemitu poſtularunt tanti mali remedium. Tonans, ut vidit vultu mœſtas, corpore marcidas præter omnem expectationem, miſeratus grande malum, dandum quoque grande levamen ait. Videntur Poëtæ talia hauſiſſe ex c. 9. v. 9. Gen. in quo Deus ait, *ſtatuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam interficietur ultra omnis caro aquis, neque erit deinceps diluvium diſſipans terram: Arcum meum ponam in nubibus & erit ſignum fœderis inter me & terram.*

§. 3. *Roſa eſt veluti quinta eſſentia omnium florum & odorum: Roſa orbi reſtituit pulchritudinem.*

Mox Jupiter ab occiduis oris accito Zephyro, mõſtra omnia, putremque luem ſub ſtygis antra diſflare jubet, ſiccare terram, mundare ſuperficiem, purgare aëra; poſt, odoratas univerſi orbis adire plagas; odorataſque florum herbarumque reliquias conquirere, ut hoc pacto ſævi odoris, gratus odor fiat antidotum: Explicat Zephyrus ſuas alas, tranat nubila, circumvolat orbem, deturbatiſque ſub Phlegethonta noxiis, quæ terram occuparant monſtris, diſſipato odore tetro, ad colligendos pleno ſinu odores ſe ſe applicat: Regiones hoc dulci Zephyri afflatæ ſuſurro, & excitæ, ſuam quæque offert ſportulam: Engaddea vallis, opobalſamum: Libanus medullam Cedri, Phœnicia myrrham probatiſſimam, Sabæi thus, Medi citreum liquorem, Aſſyrii cinnanomum, Hymethus thymum, regiones aliæ, lilia, violas, narciſſos, Calthas, omnis generis flores. Jamque ventivolum impleverat Zephyrus gremium ſuaviſſimis odoribus, illoſque ſuper aſtra facili remigio revectus, coram Tonante effuderat, qui illo imperio, quo cuncta juſſerat fieri ex nihilo, illos divino afflavit halitu, atque in ſuaviſſimum reſolutos rorem, in ſubſtratam tellurem imperat deſcendere: deſcendit ros, irrorat terram, mox; mira narro! quid cenſetis? dicam: mox tellus floreo hoc rore quaſi ſemine cœleſti fœcundata pulcherrimam protruſit Roſam; malorum remedium, levamen putoris, antidotum peſtis, medicinam luis, Roſa; vix nata, adeo candidiſſimum Nympharum cœtum recreavit, ut certatim prono in terram vultu, genibus affuſæ, illam & Reginam adorarint, ut ſervatricem coluerint, ut reparatricem prædicarint: Prô ſtupendam roſæ dignitatẽ! adeone nullum aliud orbi perdito remedium, niſi à Roſa? nullum. Illane ſola extinctum aquis, mundi vigorem reſtituere, terram peſtem pellere, Nymphas & reliquum mortale genus recreare? Sola Roſa id potuit.

§. 4. *Multò magis Maria.*

Sancti patres ex Prophetarum oraculis ſic loquuntur: Gemebat mũdus

& totum humanum genus ſub gravi jugo dæmonum, jacebat denſiſſimis inſepultum tenebris, ubiq; graſſabatur infamium ſcelerum lues & peſtis, ſine omni ſpe alicujus auxilii vel remedii, ſuſpirabant Patriarchæ, Prophetæ, Reges, Iſaiæ 45. v 8. *Rorate cœli deſuper & nubes pluant juſtum; aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Sed prius aperta terra protulit Roſam ſine ſpinis, cum nata fuit Maria; dum verò hodie eadem cœleſti fœcundata ſemine, obumbrante Spiritu Sancto, divinum excepit rorem, ſubitò Mater Filii Altiſſimi, ipſa mundo univerſo intulit, malorum omnium remedium, levamen putoris, antidotum peſtis, medicinam luis, pulcerrima & ſaluberrima Roſa: ideoque flos Meridianus eſt Roſa.

§. 5. *Varia analogia inter Roſam & Mariam.*

Roſa in funerati mundi levamen fuit nota; Maria in hominum juvamen data. Roſa oriens, monſtra fugavit; Maria ſtygem ipſum, victrici pede calcavit, protrivit. Roſa, divino Numinis anhelitu crevit, Maria ex ore Altiſſimi prodiit: Roſa, ope Zephyri fuit præparata; Maria ope Spiritus S. omni gratiarum & virtutum ornamentis fuit exculta. In Roſa, cæterorum florum, ſeu deliciæ, ſeu divitiæ collectæ; uni Mariæ, Dei Matri omnes cœli prærogativæ communicatæ: In Roſa zephyrus ſuavitatem balſami, cedri medullam, myrrhæ liquorem, cinnamomi odorem, croci oſtrum, liliorum candorem, violarum purpuram, thymi gratiam, coſti fragrantiam, cæterorumque florum illecebras admiratus eſt: in Maria Abraham fidem, Iſacus obedientiam, David manſuetudinem, Ezechias juſtitiam, Joſias pietatem, Prophetæ ſpem, Apoſtoli fervorem, Matyres invictum robur, Confeſſores caritatem, Virgines caſtitatem, Conjuges fœcunditatem, Viduæ pudicitiam venerantur. Roſa à Nymphis adoratur Regina, ſervatrix ſalutatur, reparatrix nuncupatur. Mariam Angeli adorant Imperatricem; peccatores ſuſpiciunt originem vitæ, omnes, humani generis reparatricem, illam venerantur: ob pauculas voces, quibus ore roſeo, cœleſti reſpondit Legato, Luc. 1. v. 38. *Ecce Ancilla Domini! fiat mihi ſecundum Verbum tuum.*

§. 6. *Verbo fiat, mundus à Deo fuit creatus, eadem vocula à B. Virgine fuit reparatus.*

Fiat! & in cujus mentem, hæc vocula, ore virgineo prolata, ſuaviſſimum quendam voluptatis ſenſum non infundit? cui, in memoriam non revocat prima naſcentis mundi exordia & miracula? ait Dominus cap. 1. v. 3. 6. 14. Gen. *fiat lux, & facta eſt lux.* Dixit Deus, *fiat firmamentum, & factum eſt ita.* Dixit; *Germinet terra herbam virentem; & factum eſt ita: dixit? fiant luminaria in firmamento cœli, ut luceant, & illuminent terram, & factum eſt ita. Fecit Deus duo luminaria magna, Solem & Lunam, & ſtellas.* Intra dies ſex, hoc verbo *fiat*, totum creationis opus fuit abſolutum. Verùm antiqua hæc ſunt, hodiernâ luce Virgo Parens, Dei Mater majores ingentis admirationis, eadem voculâ ponit cauſas. Neque enim mihi hodie lubet admirari, Spiritum Domini, quon-

quondam ſuper aquas latum, dum hodie ille Spiritus Sanctus in Maria (in Mariam volebam dicere) ſupervenit, & ita obumbravit, ut in ejus utero Deus ſit factus homo, *& Verbum caro*, Joan. 1. v. 14. Non obſtupeſco ad unum loquentis Dei Verbum, *fiat*, repente cœlos conſtitiſſe, dum ad tuum auguſtiſſima Virgo *fiat* nova Divinitatis ſedes momento fuit fabricata. Non admiror, ad illas geminas Verbi Divini ſyllabas *Fiat* produxiſſe terram, herbam virentem, dum ad geminas Mariæ ſyllabas de Virginea terrâ prodivit flos, ſive Roſa campi: Jeſuli amœniſſima Roſula, de pulcherrima Roſa. Non obſtupeſco ad illud verbum, *fiat*, Phaëtontem ſive Phœbum lucidiſſimo ſuo curru, & aureâ quadrigâ incepiſſe decurrere per cœleſtium globorum ſpatia; non obſtupeſco apparuiſſe in firmamenti theatro lunam, ſtellarum comitatam choris, quando hodie pulcherrima Aurora, purpureis redimita roſis, eodem verbo mundo ſtitit ſolem Juſtitiæ, intulitque lucem, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. v. 9. Prætereo ſimilia portēta. Miraculū miraculorū eſt, à Virgine, uno verbo *fiat*, eductam fuiſſe illam ſtupendam hominis cum Deo, & Dei cum homine unionem, ſacro potius ſilentio, quàm verborum multitudine venerandam. Hæc ingens admirationis noſtræ eſt materia, Deum roſeo halitu mundum creaſſe, ſed perditum, eodem volente, virgineo ore & roſea vocula, à Roſa, à Maria fuiſſe reparatum & reſtauratum. Vireat, floreat Roſa noſtra myſtica Maria, quæ odore ſuo mortuis reſtituit vitam, cæcis lumen, ægris ſanitatem, triſtibus gaudium, afflictis ſolatium, peccatoribus veniam, toti mundo lætitiam & ſalutem, ſaluberrima, pulcerrima roſa.

§. 7. *Encomia Roſæ à Rhetoribus conglobata, applicantur Roſæ myſticæ ſive B. Virgini, præſertim in myſterio Incarnationis.*

In ipſo ſuo ortu pulcerrima hæc roſa panegyrin meam diutius detinuit: à Poëtis devenio ad Rhetores & Oratores, qui excellentiam Roſæ ſatis depredicare non poſſunt. Nuncupant enim hunc florem, Nectaream roris & mellis officinam, effloreſcentem naturæ theſaurum, roſeas agrorum gazas, ſuaveolens Choridis monile, Floræ ſertum, ſcintillantem, areolarum in hortis pyropum, florum Auroram, ſtellam odoriferam, aſtrum terreſtre, hortorum ſolem, ſedem gratiarum, nympharum amorem, amœnitatem denique animatam. Profanos oratores, in commendatione Roſæ myſticæ longè ſuperant & excedunt ſacræ eloquentiæ Principes & Doctores. Non roris & mellis, ſed Verbi Incarnati, hodierna die, Maria facta eſt officina; Roſa divina! Ita S. Bern. *Non petra, ſed roſea labia Mariæ, hodie fluunt melle.* ita Andreas Hieroſol. *Non florum, ſed divini Solis, Aurora hodie facta eſt, Roſa myſtica Maria.* Ita ſponſus. *Amœnitas, amor, lætitia, gratia, honor, gloria, theſaurus cœli & terræ, amœnitatis, amoris, lætitiæ, gratiarum, honoris, gloriæ, theſaurorum, in cœlis & in terris, copia, abundantia, affluentia, abyſſus, pelagus, hodie eſt, una Roſa myſtica, Maria!* ita S. Chryſ. Methodius, *Si cella*

Digitized by Google

Nazarethica hodie fuit hortus? horti ſol & roſa fuit Maria. Dicetis domum Lauretanam fuiſſe areolam: dicam ego, areolæ pyropum ſive Roſam fuiſſe Mariam. Pronuntiabitis beatiſſimam illam aulam, fuiſſe quoddam in terris cœlum; Pronuntiabo ego odoriferam ſtellam, ſive roſam fuiſſe Mariam. Affirmabitis locum, in quo Virgo Deum concepit, fuiſſe Paradiſum voluptatis: affirmabo ego Paradiſi decus & ornamentum præcipuum fuiſſe roſam ſive Mariam. Aſſeretis illud conclave fuiſſe amoris cœleſtis, tanquam Regis Regum Regiam & ſedem. Aſſeram ego Reginam; amoris delicias, & roſeum thronum, fuiſſe Roſam, ſive roſeum & virginalem uterum Mariæ: Non Floræ vel Chloridis, non Veneris aut Cypriæ prolis, ſed Regis Regum, ſed Cœleſtis Cupidinis, ſertum, monile, floſculus & Roſa myſtica eſt Maria! imò ipſa eſt cœleſtis Chloris & Flora; cujus ſponſus, non Zephyrus, qui fabuloſam Floram, ſuo ſpiraculo imprægnatam fœcundat; ſed Flamen illud divinum, Sp. S. quo hodiernâ die obumbrata Maria, floſculum delicatiſſimum Jeſum benedictum fructum ventris ſui concepit ut roſa, roſam.

§. 8. *Bina alia analogia inter Roſam & Mariam: cui ineſt omnis pulchritudo.* Si qui amatores hujus pulcherrimi floris glorientur, quod ſupremus rerum omnium molitor Deus, in cæteris floribus ad delicias exornandis fuerit effuſus, in unam vero roſam effuſiſſimus: ego laudem hanc illi non invideo; ſed idem potiori jure aſſero de roſa myſtica, de Maria; in qua exornanda, quidquid divitiarum ſtellata cœlorum palatia, quidquid jucunditatis, circumfluus aër, quidquid pulchritudinis terra, & univerſæ creaturæ comprehenderunt, impendit Deus. Ut Archangelus Gabriel florem tam pulchrum meritò exornarit hoc lemmate ſive elogio, *Gratia plena* Roſa, plena decore, plena odore, plena cœleſti ſucco & virtute. Si Roſa ſimulacrum quoddam eſt Pandoræ, in quam Charites venuſtatem & gratiam, Veneres, leporem & riſum, Nymphæ pulchritudinem & decorem, aſtra lucem, & elegantiam, Flora purpuram, cumulatè congeſſerunt; non abnuam, ſed addam, Dei Matrem eſſe illud divinum ſimulacrum, illam cœleſtem Pandoram, illam Roſam myſticam, in qua Deus omnium florum & gemmarum pulchritudinem conjunxit. In Roſa, jucundiſſimo oculorum faſcino floret viror, viret nitor, nitet ſplendor, ſplendet candor, candet rubor, rubet oſtrum, fragrat odor, flagrat decor, micat jubar, ridet forma, fulgent comæ, vernat decus. In roſis rubeſcunt hyacinthi, albicant lilia & Narciſſi, flavet crocus, pallent violæ, flammicant amethyſti, ſcintillant carbunculi, ardent pyropi: dicam breviter, omnium colorum elegantia ineſt roſis. Iterum Roſa eſt Maria, in qua, dum hodierna die fit Mater Dei, floret illibata virginitas, viret humilis demiſſio, nitet culta modeſtia, ſplendet radiata fides, ardet igneus amor, rubet virgineus pudor, fragrat honeſtum exemplum,

plum, flagrat ardens fervor, micat firma ſpes, fulget ingens meritum, vernant innumerabiles virtutes! Si vultis, caſtiſſimæ cellulæ limina Parthenijs ſodalibus intrare fas eſt, ut prope, cum cœleſti Paranympho virgini dicamus, *Ave gratia plena*! ſed videtis frontem & collum? ut candicat roſa cum liliis, videtis genas? ut in illis rubeſcunt roſæ cum hyacinthis! videtis labia! & pallent roſæ cum violis! videtis oculos: ut ſcintillulant roſæ cum carbunculis: videtis comas: ut flavent roſæ cum croco. Dicam iterum breviter, florum, gemmarumque omnium, omnium virtutum elegantia ineſt Mariæ, tota eſt roſea, tota Roſa.

§. 9. Symbolũ Margarita Regina Navarræ: cum ſuavi ſalutatione ad Roſã myſticam ſive B. Virginem.

Margarita Regina Navarræ aureum lilium, ego Roſam, candidiſſimâ ornabo margarita, addito hoc lemmate, *Mirandum naturæ opus.* Sic illa, ego dicam, non naturæ, ſed gratiæ, non gratiæ tantùm, ſed totius ſanctiſſimæ Trinitatis mirandum opus, eſt Roſa myſtica Maria, è cujus roſeo collo poſt paucos menſes, pulcerrima pendebit Margarita, Divinus Puſio, quem hodie in virginali utero concepit, facta Mater Filii Altiſſimi: Hoc Emblema, hanc roſam, roſeam meam Panegyrin, O Virgo tibi hodie, tanquam Matri amanter, tanquam Dominæ ſubmiſſe, tanquam hoſpitatrici devotè; triumphanti gratulabundè, dico, dedico, conſecro. Roſam, mei in te affectus & amoris roſeum anathema, ad tuos pedes depono; Roſa flos amoris eſt; offero illam meo amori, ſive Mariæ, quam amo. Dum finire volo, incido ſuaviſſimâ cogitatione in labyrinthum, quem olim in æmœniſſimo horto vidi plantatum ex roſis. O Roſa: O roſee labyrinthe: O roſea virgo: in te, in ſinu tuo, in corde tuo, felix ego Theſeus, meos oculos, præcordia mea, pectus meum, cor meum, mentem meam, omnia mea, feliciſſimâ jacturâ libentiſſimè pendam. Ingredimini mecum, ſodales Parthenici hunc Roſeum labyrinthum voluptatis; errabimus, non aberrabimus; jucundiſſimò vagabimur errore, neque egebimus Ariadna, quæ nos errantes educat, donec ipſa roſea Ariadna, roſea Virgo, Mater pulchræ dilectionis, ex labyrintho hujus mũdi, nos inferat paradiſo, ut aſpectu roſæ myſticæ recreemur æternùm; quod, O Maria, à tuo Filio per te, amanter, quod ſubmiſſe, quod fiducialiter petimus & obſecramus.

CON

Digitized by Google

CONCIO LXVI.

FERIA II. PASCHATIS.

Aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum,
Lucæ 24. v. 31.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVomodo Chriſtus D. glorioſè reſurgens à mortuis vicerit potentiſſimos hoſtes, Judæos, diabolum & mortem, cum variis elogiis diei Paſchatis ex SS. Patribus.

§. 1. *Lignum crucis tulit fructum ſuum. Per crucem Chriſtus D. vicit ſuos hoſtes.*
§. 2. *Jeſus reſurgens à mortuis Rex eſt.*
§. 3. *Regnavit à ligno.*
§. 4. *Suis hoſtibus terribilis.*
§. 5. *Ne quicquam frendentibus Judæis.*
§. 6. *Victoria Gedeonis contra Madianitas.*
§. 7. *Varii modi, quibus Chriſtus D. ſuos hoſtes debellavit, præſertim diabolum.*
§. 8. *Alii modi ex S. Paulo.*
§. 9. *Chriſtus Dominus devicit mortem.*
§. 10. *Elogia ſanctorum Patrum de die Paſchatis.*
§. 11. *Proſecutio.*
§. 12. *Proſecutio.*

§. 1. *Lignum crucis tulit fructũ ſuum. Per crucem Chriſtus D. vicit ſuos hoſtes.*

IN glorioſa Chriſti Domini Reſurrectione impletum eſt cap. 2. v. 22. Joelis: *Lignum attulit fructum ſuum.* Tertullianus contra Judæos. *Non illud lignum in paradiſo quod attulit mortem; ſed lignum Paſſionis Chriſti, unde vita!* & S. Chryſoſtomus apud Gretſerum. *Lignum & mors, cladis noſtræ fuerunt ſymbola, ſed attende, lignum & mors victoriæ ſymbola extitere:* nam loco ligni ſcientiæ boni & mali, lignum crucis in monte Calvariæ fuit plantatum: morti Adami ſucceſſit mors Chriſti; Et vides? eum, per eadem, per quæ vicit, victum eſſe. *Circa arborem proſtra-*

Digitized by Google

proſtravit diabolus Adamum; *Chriſtus D. circa crucem debellavit diabolum.* Si itaque lignum crucis palma eſt; curre ſponſa, aſcende in hanc palmam: *Lignum attulit fructum ſuum:* vide & guſta, quam ſint ſuaves. Si lignum crucis, Pomus eſt; curre, quieſce ſub umbra ejus, & decident dulciſſima poma ſuaviſſimi amoris, fructus ejus dulces erunt gutturi tuo. Si lignum crucis vitis eſt; *attulit fructus ſuos*; & quidem ſuaviſſimas uvas, ex quibus torcular crucis expreſſit vinum, quo inebriata ſponſa exclamavit, Cant. 3. v. 10. *Vulnerata caritatis ego ſum.* Palmæ SS. crucis cogitate inſcriptum illum verſum ex Apoc. 5. v. 5. *Vicit leo de tribu Juda.* In pomis amoris legetis hanc voculam, *Victoria*! In foliis vitis, Triumphus crucis & Chriſti D. glorioſè reſurgentis à mortuis! De quam potentibus hoſtibus, & quibus modis triumpharit, hâc concione vobis proponam. Tantæ victoriæ, tanti triumphi præcipuus fructus eſt pax, quam Chriſtus D. nobis hodie apprecatur.

§. 2. *Ieſus reſurgens à mortuis Rex eſt.*

Glorioſa Chriſti D. Reſurrectio probat & demonſtrat, veritatem tituli, qui juſſu Pilati poſitus fuit ſupra caput pendentis in cruce. *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.* Rex eſt, qui tam fortiter pugnavit, Rex eſt, qui tam glorioſè vicit potentiſſimos hoſtes; Euthymius. *Hactenus hoc eſt, uſque ad crucem, diabolus & peccatum regnaverunt!* hodie jubilamus cum regio Pſalte, Pſalm. 95. v. 3. *Cantate Domino omnis terra, annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis, mirabilia ejus!* quam gloriam? quænam mirabilia? *Dicite*; non Judæis tantùm, non tantùm Synagogæ, non ſoli Jeroſolymæ, ſed, *in gentibus*, quia Dominus *regnavit à ligno.* Tertullianus: l. 15. contra Mar. *Non quod lignarius aliquis Judæorum Rex ſignificetur, ſed Chriſtus, qui à paſſione ligni, ſuperata morte regnavit. Si enim mors per lignum ab Adam regnavit uſque ad Chriſtum: cur Chriſtus non regnare dicatur à ligno, ex quo, in ligno crucis mortuus, regnum mortis excluſit.*

§. 3. *Regnavit à ligno.*

Et hanc victoriam Chriſtus Dom. obtinuit ligno; tam vili inſtrumento? ad majorem ſcilicet hoſtium confuſionem. Cum Judic. 15. v. 16. Samſon mandibulâ aſini, quam caſu in via repererat, circumventus à Philiſtæis, omnes conjeciſſet in fugam, & mille viros interfeciſſet, cum riſu & cachinno gloriabundus dixit, *In mandibula pulli aſinarum delevi eos.* Et quibus armis cœleſtis Samſon devicit tam potentes hoſtes? Diabolum! ligno crucis. Mortem! ligno crucis. Judæos & ſynagogam! ligno crucis! S. Auguſtinus Serm. 137. de tempore. *Domuit orbem, non ferro, ſed ligno.* Euthimius in Pſ. *Rex gloriæ! Dominus virtutum, forti in prælio, tyrannum devicit, & cruce, quaſi haſtâ, & arcu jaculatus, transfixit.* In glorioſa Chriſti Domini Reſurrectione impletum eſt vaticinium Regis Davidis, Pſal. 2. v. 28. *Adorabunt in conſpectu ejus univerſa familiæ gentium*, & illud S. Pauli ad Philip. cap. 2 v. 10. *In nomine Ieſu omne genu flectitur, cœleſtium, terre-*

ſtrium

ſtrium & infernorum. Quoniam (pergit Pſal. 2.) Domini eſt regnum. Hactenus regnum fuit diaboli, ſed, S. Hieronymus, Diaboli regnum cecidit, & Chriſti regnum advenit. Hactenus regnavit mors; ſed ſtimulus ejus confractus eſt, Chriſtus, qui confregit, regnat & imperat.

§. 4. Suis hoſtibus terribilis.

S. Auguſtinus in cit. Pſ. 2. *Nunquid non fremuerunt gentes? nunquid non populi meditati ſunt inania? nunquid illi tauri pingues non circumdederunt eum? nunquid non leo ille rugiens fremuit ſuper illum? & intrans in corda ſævientium exclamavit, Crucifige, crucifige? quaſi ille iſto fremitu terreretur, pugnavit cum illo, & occubuit, ſed occumbendo vicit; dum hodie leo ille redivivus & exſurgens è cubili ſuo, glorioſè reſurgit à mortuis, ecce! commovetur à facie ejus univerſa terra.* Rupertus l. 13. in c. 26. S. Matth. *Sicut fremitus leonis, ita ira ejus; Cui? nonne inferno, & ſempiternæ morti, & diabolo tenebrarum Principi? talem fremitum tanti leonis, quomodo ſenſerunt Spiritus illi, quandoquidem terra inſenſibilis & inanimata ſenſit?*

§. 5. Nequicquam frendentibus Iudæis.

Reluctantur quidem Judæi, nolentes credere illum reſurrexiſſe à mortuis; *nam excæcavit Deus oculos eorum*, Iſ. cap. 6. v. 10. *induravit cor eorum, ut non videant oculis, ut audeant, & non intelligant.* Sanct. Cyrillus, tr. 12. in Joan. 31. *ſtabile, ac ſupra columnam, eſt Chriſti Regnum.* Fecit Deus quod prædixit per Davidem, Pſal. 131. v. 18. *Inimicos ejus induam confuſione; ſuper ipſum autem, efflorebit ſanctificatio mea.* S. Hieron. legit, *Florebit diadema ejus.* Pagninus. *Super eum florebit corona ejus.* P. Lorinus in hunc Pſalmum. *Confuſione magnâ induti ſunt illi ipſi, qui ſpinis Chriſtum Dominum coronaverunt; videntes paulò poſt ex ſpinis flores, & propter paſſionem mortis, cùm gloria & honore coronatum. Viderunt cum ingenti ignominia, lignum crucis converſum in palmam victoriæ.* Figura fuit, ſicca virga Aaronis, quæ tamen repente floruit, Num. 17. v. 8. de qua Hugo Card. ait, *Amygdalum crux; cortex, amaritudo Paſſionis; truncus, fortitudo patientiæ; nucleus, dulcedo glorificationis, & gloria reſurrectionis.* Eccleſiaſtici cap. 24. v. 32. *Flores ejus, fructus honoris & honeſtatis.* Cum ingenti hoſtium confuſione, qui de hac gloria nihil volunt audire.

§. 6. Victoria Gedeonis contra Madianitas.

Accidit Judæis, quod olim accidit Madianitis c. 7. v. 16. Jud. Gedeon contra illos pugnaturus, juſſit omnes milites accipere vaſa fictilia, & in illis portare accenſas lampades. Sic armati, nocte irruerunt in caſtra Madianitarum; & cùm contritis teſtis fulgor lampadum emicuit, omnes territi fugerunt: ad quod alludit Iſaias: cap. 10. v. 33. *Ecce Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, & excelſi ſtatura ſuccidetur, & ſublimes humiliabuntur.* Vaſa illa fictilia fuerunt ſymbolum ſanctiſſimæ Humanitatis Chriſti, & mortalis corporis, quod Filius Dei ex Virgine pro nobis ſuſcepit; ſcitis, quàm hoc vas ante triduum, flagris, ſpinis, clavis, malleis, cruce, lanceâ fuerit contritum, ſed hodie in glorioſa

rioſa reſurrectione tantum erupit jubar: tantus fulgor, tanta lux divinitatis, Abacuc. c. 3. 4. *Cornua in manibus eius.* Alii legunt, *Splendor in manibus ejus.* Splendor in facie, ſplendor in oculis, &c. Ut hoſtes potentiſſimi Diabolus, Mors, peccatum, Synagoga fugiant, induti confuſione: De Juditha dicitur; Una mulier Hebræa confuſionem fecit in exercitu Aſſyriorum; idem fecit Sanctiſſimum lignum Crucis, & vermiculus qui illi affixus fuit.

§. 7. *Varii modi quibus Chriſtus D. ſuos hoſtes debellavit: præſertim diabolum.*

Hanc potentiſſimorum hoſtium fugam, terrorem & confuſionem prævidit David, cùm cecinit Pſalm. 67. v. 2. *Diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus ſicut deficit fumus, deficiant*: Hæc verba ſacri textus pulcrè exponunt modos, quibus Chriſtus D. de hoſtibus ſuis triumphavit: *Diſſipentur*, ait Pſaltes. Diſſipare propriè ſignificat hoſtes ſuos enervare, quando ſcilicet viribus ſuis, & animoſitate deſtituuntur. Alia litera habet, *Confringantur inimici ejus*; tum verò aliquid frangitur, quando ipſo in eſſe ſuo remanente, vires illius pereunt: Hoc modo vicit Jeſus; non ſuſtulit, non annihilavit, non redegit in nihilum, diabolũ vel mortem, ſed vires eorum confregit & enervavit: de quo Job quærit: cap. 40. v. 24. *Nunquid illudes ei* (diabolo) *quaſi avi, aut ligabis eam ancillis tuis*: latet pulchrum ſimile: Inter voraces aves excellit vultur; habens terribiles ungues, & forte roſtrum: Ut capiatur, auceps in fruſto carnis abſcondit fortem funem, quem dum cum præda auffert, & vorat, ab eodẽ capitur, fitque luſus & riſus puerorum; vultur eſt, rapax eſt volucris; ſed quia ligatus eſt, viribus ſuis uti non poteſt, neque nocere: Idem contigit diabolo; & morti, devorarunt dulcem eſcam, corpus & carnem Chriſti Jeſu: ſed ſimul ab hamo divinitatis capti, alligati ſunt ad Crucem, ut non niſi volenti damnum inferre poſſint. D. Gregorius, *Diabolus: Quaſi more avis illuſus, divinitatis laqueũ pertulit, dum Humanitatis ejus eſcã momordit*: mox rugiens & fugiens ad cavernas inferni, exclamavit; Fugite ſocii, adeſt, Rex virtutum! ſed fruſtra; momento, quo Chriſti D. Victrix Anima ad inferos deſcendit, gemens ululavit infernus, cum Rex ille fortiſſimus, pede conculcans tartara, *ſolvit à pœnâ miſeros*, ut canit Eccleſia, & diabolus aliquando faſſus fuit S. Antonio. *O Antoni! an ignoras à Chriſto moriente & Reſurgente vires mihi colliſas, nec aciem gladii mei, ut ſolebat eſſe præacutam, ſed omnino hebetatam? Jam dudum retuſa eſt, & confracta: nec ſum, qui fui; nam ligatus ſum, & irretitus, & confractus, morte & Reſurrectione Salvatoris ingemiſco.* Subdidit ex pſ. 9. v. 7. *Inimici defecerunt in finem*, ſive in *Victoriam Chriſti.*

Hunc modum vincendi his verbis explicat *S.* Paulus ad Coloſſ. 2. v. 15. quod *expoliarit Principatus & poteſtates*, id eſt, dæmones, ſua poteſtate, dominio & tyrannide in homines ſibi peccati chirographo obligatos & ſubditos. 2. quod *traduxerit*, & circumduxerit illos in triumpho uti triumphatores ſolent ſuos hoſtes & prædã in triumpho circumducere, oſten- §. 8. *Alii, ex S. Paulo.*

oſtentare & omnibus ſpectanda exhibere: Ideo Origenes Crucem vocavit *currum triumphalem*, in cujus ſumma parte ſedet Chriſtus Dominus triumphans, & in parte ima trahitur diabolus alligatus, & oſtentatur quaſi in pompâ. 3. fecit hæc omnia Chriſtus Dominus *in ſemet ipſo*, id eſt, per ſe ipſum, per ſuam virtutem & victoriam; non ab angelis, ſed à ſe, & ſuis viribus partam. Si conſideremus à quàm potentibus hoſtibus Chriſtus Dominus nos liberaverit, dicemus cum Sancto Hieronymo; *Gratias tibi Salvator agimus, quod tam potentem adverſarium noſtrum occideris, dum occidiſti.*

§. 9. *Chriſtus D. devicit mortē.* Simili planè modo glorioſus Victor triumphavit de morte: *mortis confractis viribus.* Manet quidem mors, ſed non pollet viribus; neminem unquam electorum deglutire poterit; omnes quidem mori debent, ſed ut ad vitam beatam reſurgant, adeo ut mors viris ſanctis ſit in votis, ut cum S. Paulo cupiant diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: ut mori, ſit illis lucrum. Mors victa eſt! carcer mortis apertus eſt; etſi morituri ſimus, in morte tamen non manebimus. Mors victa eſt! occidere nos poteſt; occiſos tenere non poteſt: Etſi umbram & carcerem mortis ingreſſi fuerimus; ex illo tamen in felici reſurrectione carnis liberabimur, & tráſibimus tantum per eum ad veram vitam: Caput noſtrum Chriſtus jam tranſiit, & portas ejus confregit: nos quoque membra ejus tranſibimus poſt illum. O admirabilis conſolatio omnibus nobis morituris: Chriſtus reſurrexit! vivemus in Chriſto; & non timebimus mortem; vivimus in Chriſto? ergo morti inſultare poſſumus, & cantare; *Ubi eſt mors ſtimulus tuus? ubi eſt mors victoria tua?* abſorpta eſt mors in victoria! Chriſtum noſtrum deglutiit, ſed reddere debuit: nos quoque glutiet, ſed nos reddet & quidem Chriſto, & gloriæ æternæ. Hæc eſt promiſſio Chriſti Joan. cap. 11. v. 26. *Ego ſum reſurrectio, & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet: Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æterum.* O conſolatio mira Chriſtianorum; ſi in Chriſto vivamus, etiamſi moriamur, tamen in æternum non moriemur, ſed rurſus vivemus. Hæc fuit conſolatio Jobi extremè afflicti; ſcio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum: hæc fuit conſolatio Pauli, inter mille pericula conſtituti; ſcio, cui credidi, & quia potens eſt, depoſitum meum ſervare in illum diem: & Timotheum diſcipulum ſuum ad tolerantiam laborum his verbis adhortatur 2. Tim. 2. v. 8. *Memor eſto Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis.* Hæc eſt ſpes & vera conſolatio Chriſtianorum. *Chriſtus reſurrexit.*

Ideo SS. Patres, cum agunt de die Reſurrectionis Chriſti Domini, ejus diei, & myſterii laudibus ſatiari non poſſunt: S. Gregorius Naz. or. 2. in Paſchate ait: *Utinam vocem Angelica parem accipiam, omnesque orbis terra fines circumſonantem! Paſcha Domini, Paſcha! iterumque Paſcha-* §. 10. *Elogia SS. PP. de die Paſchatis.*

ſcha-

ſcha dicam in honorem Trinitatis. Hæc vobis feſtivitatum feſtivitas, & celebritatum celebritas, tantò cæteris omnibus, non ſolùm humanis, ſed iis etiam quæ ipſius Chriſti ſunt, & propter ipſum celebrantur, antecellens, quantò Sol ſtellas antecellit: S. Gregorius Nyſſ. or. 1. in Paſch. *Vultis exponam verbis, quid ipſe de die hac ſentiam? hac eſt dies illa quam fecit Dominus, à diebus illis longè diverſa, qui mundi procreationis initio conſtituti ſunt: Hæc dies quietis eſt; cui Dominus ſupra omnes alios dies benedixit.*

§. 11. Proſecutio. S. Auguſtinus Ser. 1. in die Paſch. *Non queo*, inquit, *quod mente concipio, ore proferre, & cordis mei lætitiam lingua non explicat: Videtur mihi hac dies, cæteris diebus eſſe lucidior, hac eſt Dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Quomodo Maria, Virgo Mater Dei, inter omnes mulieres principatum tenet, ita & inter cæteros dies hæc omnium dierum mater eſt: Rem novam dico, ſed quæ ſcripturarum vocibus comprobatur. Hæc dies una de ſeptem, & extra ſeptem eſt; hæc dies, quæ appellatur octava, in hac Synagoga finitur, & Eccleſia naſcitur: Et quid neceſſe eſt infinita explicare? dies me deficiet, ſi omne diei hujus exponere voluero Sacramenta.

S. Chryſoſtomus hom. de reſurr. mort. *Hæc dies, in his, quæ fidei ſunt, nos dirigit; vitam componit, & divinam Providentiam ab omnibus calumniis vindicat*; Ser. 34. de div. Angeli Sancti, & ipſe Angelorum ac hominum Dominus, nobiſcum Paſchale feſtum celebrant: S. Thomas in illud; *Hæc dies, quam fecit Dominus, &c. Dies Paſchæ*, ait, *eſt admirabilis! quia hoc cœli enarrant, terra demonſtrat, inferi clamant!* Eſt amabilis! quia in ea mors ſuperatur, vita reparatur, aditus æternitatis aperitur. Eſt deſiderabilis! cœlis, ut reparentur; terris, ut illuminentur, mortuis, ut reſuſcitentur. Reſurrectio Chriſti, omnium peccatorum, infirmorum, captivorum, afflictorum, deſperatorum, vulneratorum, morientium & mortuorum, ſumma eſt conſolatio, Chriſtus reſurrexit! paſſim occurrunt ſimilia SS. Patrum elogia, ex quibus pulcer fiat epilogus, cum hilari exhortatione, ad Paſchale gaudium, quod eſt Chriſtus Jeſus, glorioſe reſurgens à mortuis, cui ſit laus, honor & gloria, in ſæcula, Amen. §. 12. Proſecutio. S. Chryſoſt.

CONCIO LXVII.

FERIA III. PASCHATIS.

Venit Ieſus, & ſtetit in medio, Joannis 20. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de ineffabili gaudio, quo Beatiſſima Dei Mater, MARIA, in Reſurrectione Filii delibuta fuit.

§. 1. *Ieſus redivivus à mortuis, ſtetit in medio Apoſtolorum, cum ingenti lætitia Matris.*

§. 2. *Quibus deſideriis Beata Virgo deſideravit Reſurrectionem Filii.*

§. 3. *Et ante omnes alios apparuit illi Chriſtus D.*

§. 4. *Probatur figurâ ex V. Teſtamẽto.*

§. 5. *Qualem viderit Filium ſuum in Reſurrectione.*

§. 6. *Inter Patriarchas, Prophetas & ſponſum ſuum S. Ioſephum.*

§. 7. *An fuerit deoſculata glorioſa Filii Vulnera.*

§. 8. *Memoria gaudiorum B. Virginis eſt ipſi gratiſſima.*

§. 9. *In qua cantica, & quas laudes, atque gratulationes eruperit B. Virgo.*

§. 10. *Glorioſiſſima Matri accinuerunt Angeli,* benedicta tu inter mulieres.

§. 11. *Fuit enim magis benedicta, quàm Jahel.*

§. 12. *Et Judith.*

§. 13. *Et Abigail.*

§. 1. *Ieſus redivivus à mortuis ſtetit in medio Apoſtolorũ, cum ingẽti lætitia Matris.* *Luc. 2. v. 12.* *Ion. 6. 10.*

QVi in præſepio jacuit, in paleis & fœno; qui juxta fontem fatigatus ſedit; qui ſub oratione, in horto Oliveti ſe proſtravit in faciem ſuam; qui ſub pondere Crucis, tempore Paſſionis corruit in terram; ſub jugo iniquitatum noſtrarum; Hodie in glorioſa reſurrectione ſtat, in medio diſcipulorum; ſtat in medio, veluti Paſtor inter Oviculas, ut illas defendat & ducat ad pinguia paſcua; ſtat in medio, veluti belli Dux inter ſuos milites, illos animans ad prælium: Stat, veluti Victor, victricibus pedibus conculcans ſuos hoſtes; ut dicere poſſit cum Michæa cap. 7. v. 8. ad Synagogam: *Ne læteris inimica mea, ſuper me, quia cecidi; conſurgam: cùm ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt; iram Domini portabo donec cauſam meam judicet, educet me in lucem & aſpiciet*

inimica

Digitized by Google

inimica mea, (aſpicient Phariſæi & pontifices, &c.) *oculi mei videbunt in eam* (in eos) *& erit hoc, in conculcationem.* Stat itaque redivivus à mortuis Jeſus! ſub ejus pedibus mors conculcata gemit: Sub glorioſis pedibus infremit devictus tartarus: ſubjugati jacent omnes hoſtes Chriſti: cum jubilo cœli & terræ, cum lætitia univerſæ creaturæ; & præſertim feliciſſimæ Matris, cui ante diſcipulos Chriſtus ſuſcitatus à mortuis, in immenſa gloria ſe ſe ſpectandum præbuit: De ineffabili gaudio, quo in myſterio hoc delibuta fuit, aget hæc Concio; ut quantum fieri poteſt, ejusdem nos reddamus participes.

§. 2. *Quibus deſideriis B. V. deſideravit, Reſurrectionem Filii.*

P. Ludovicus de Ponte l. 5. in Cāt. exhort. 30. ſuper illa verba, *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis*, putat Beatiſſimam Virginem, totâ illâ nocte, quæ Reſurrectionem Chriſti D. præceſſit perſeveraſſe in ardentiſſimis deſideriis, vidēdi Filium ſuſcitatum à mortuis, præſertim ex Pſalmis, forte ingemuit ex pſ. 107. v. 3. *Exurge jam gloria, exurge pſalterium, & cythara.* Exurge, O fili, qui es gloria, decor & pulchritudo mea; & totius mundi ſplendor, gaudium, & lætitia: ſonet ut pſalterium & cythara, vox tua, & ſonus tuus in auribus meis, quia dulcis eſt, & jucundus, gaudiumq; annuntiabit univerſo mundo. Ex c. 2. v. 7. Cant. dixit; *Revertere, ſimilis eſto dilicte mi, capreæ, hinnuloq; cervorū, ſuper montes Bethel.*

§. 3. *Et ante omnes alios illi apparuit Chriſtus D.*

Inter hæc ſuſpiria, ante Virginis faciem & oculos, momento ſtetit Jeſus Chriſtus glorioſè ſuſcitatus à mortuis. Teſtantur, ſuffragāte communi fidelium conſenſu, graviſſimi Patres, Virginem fuiſſe primam, quæ illum vidit in glorioſo corpore. Fuit ultima, juxta Filium morientem, ultima cæteris abeuntibus adhæſit ſepulcro: prima ſpectare debuit reſurgentem: Simon de Caſſia, *Virgo prima fuit, quæ vidit, & adoravit Chriſtum natum: conveniens erat, ut prima videret eum renatum, & reſuſcitatum.* Sanctus ambroſius: *Prima vidit.* Sanctus Antonius ait: *Licet in Evangelio non habetur, quod ante omnes primò apparuit Maria Matri ſuæ, ut quæ plus omnibus doluit, citius & magis conſolaretur; & quia plus hæc meruit, cùm omnibus aliis deficientibus in fide firma fuerit; & hæc eſt cauſa, quare non ivit ad monumentum.*

§. 4. *Probatur figura ex V. Teſtamento.*

Neque deeſt pulchra figura ex ſacris literis; cùm Samſon in ore leonis inveniſſet favum mellis, ante omnes matri ſuæ guſtandum præbuit; & Chriſtus Dominus cœleſte illud mel gloriæ reſurrectionis, quod reperit in ore leonis infernalis, quem baculo Crucis interemit, in ore immanis belluæ, ſive mortis, quam dilaceravit, cujus ſtimulos confregit; non alii prius, ante benedictam Matrem offerre voluit: Viderat ſuum filium juxta Crucem, virum & filium doloris, par erat ut die Reſurrectionis prima eundem videret, virum & filium, dexteræ, gaudii, & gloriæ, ſine dubio, cum ingenti jubilo, ut putem illam ingemuiſſe cum Jacob Gen. 45. v. 28. *ſufficit mihi ſi adhuc Joſeph*, ſi iterum, filius meus Jeſus, *vivit!*

§. 5. *Qualem viderit Filium*

Qualem illum viderit, pulcrè exponit citatus Lud. de Ponte, l. 5. in Cant. exhort. 30. *Audivit Filius precationem Matris, & ſubito die tertiâ*

Digitized by Google

ſuum in Reſurrectione. *apparuit illi diluculo, oſtenditque ei faciem glorioſiſſimam, vultumque ſplendidiſſimum, totum corpus pulcerrimum, & quinque Petra foramina, ſapphyris pretioſiora, & fulgentiora carbunculis.* Itaque (ait Rupertus lib. 7. de div. off.) *Perpendere geſtit Chriſtiana devotio, quantus torrens gaudii repente inundans, locaque vulnerum in corde virgineo replens, & animam Simeonis gladio confoſſam, inebriarit, cùm redivivus, Filius illi, ante omnes mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam ſuam annuntiavit:* Similia habet Amod. Lauſanus hom. 6. de Deip. *Surrexit, & erexit animum Matris ſua: Jacebat illa velut in quodam vaſtiſſimo mœroris tumulo, donec Dominus jacuit in ſepulcro; illo namque reſurgente, revixit ſpiritus ejus, & quaſi de gravi ſomno evigilans ſolem Juſtitia, & radios reſurgentis in luce matutina reſpexit: Intuita eſt ortum ſurgentis Aurora, & pracedentem in Filio futuram carnis Reſurrectionem. Paſcebatur oculis in carne fulgida Reſurgentis, & mente cernebat gloriam Divinitatis, ut intus & foris egrediens, & ingrediens frueretur paſcuis vera ſempiternaque felicitatis. Facta igitur extra ſe, ſuique oblita pra gaudio, adhaſit corde dulciſſimo Patri Spirituũ, & conglutinatâ Deo in illum tota efferebatur, & ejus amoris immenſitate, tota refundebatur.* Pſalm. 93. v. 19. *Secundum multitudinem dolorum ejus, in corde ſuo; conſolationes latificarunt animam ejus.* Amantiſſimus Filius, qui pendens de Cruce, fuit faſciculus myrrhæ inter ubera Matris: in Reſurrectione fuit botrus Cypri, continens in ſe vinum jucunditatis & lætitiæ. Pſal. 17. ad veſperum flevit: ad matutinum hodierna die, lætitia in corde Virginis. Abraham, Joan. 8. v. 28. exultavit ut videret diem Salvatoris, vidit, & gaviſus eſt. Multò magis exultavit Maria, cum filium ſuum JESUM vidit redivivum à mortuis; Maria! cujus oculos beabat ſuaviſſimus aſpectus magni Triumphatoris: aures, dulciſſimus cœli terræque applauſus, nares ſuaviſſimus odor, exhalans ex corpore, ſole illuſtriore, tot aſtris, quot vulneribus radiato. Maria Mater! cujus Filius laureatis cœli Proceribus ſtipatus, Divinitatem undique ſpirabat; & flore gratiarum omnium vernans, ſpecioſus forma præ filiis hominum, & formoſiſſimus in ſtola ſua, nimirum in gloria immenſa, quam jam mortalis induerat, ab illa ſpectabatur. Ut bene dixerit Sanctus Anſelmus de excell. Virg. cap. 6. *Nolo, hanc immenſitatem gaudii, penetrare, quis laboret: quoniam qua ipſis Angelis Dei eſt admiranda, & impenetrabilis, non facile crediderim, quod cuivis homini mortali poſſit eſſe penetrabilis.*

§. 6. Inter Patriarchas, Prophetas & ſponſũ ſuum S. Ioſephũ.

Immenſum incrementum ſumpſit gaudium Virginis in prima Filii apparitione, cum primum vidit Parentem Adamum, & Evam, Abrahamum, Iſaac, Jacob, Davidem, cæterosque antiquos Patres, ſumma cum lætitia intra ſuum cubiculum, qui omnes ante Dominam ſuam proſtrati, laudibus illam celebrarunt, dicentis illud Judith c. 15. v. 10. *Tu gloria*

gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri : Tu fons totius gloriæ noſtræ, lætitiæ, & honoris. Et probabile eſt, ab hac triumphali ſalutatione non fuiſſe excluſum S. Joſephum Virginis ſponſum, qui omnes alios Patriarchas, ut probat Carthag ti. l. 4. hom. 9. longè præceſſit excellentia meritorum, cùm præſertim id in honorem Mariæ cederet, ejuſque gaudia cumularet. *Legimus*, inquit Joannes Gerſon ſer. de Nat. M. *multa corpora Sanctorum reſurrexiſſe, & veniſſe in ſanctam civitatem, apparuiſſe multis*: recogitet, oro, pius animus, ſi juſtus Joſeph unus ex illis putandus eſt, qui apparuerit cariſſimæ ſponſæ, & conſolatus eſt eam. Et hoc multò certius eſt, ſi verum eſt, quod S. Bernardinus Sen. Patavii clamavit in publica Concione; *In anima & corpore S. Joſeph in cœlis glorioſus eſt.* Quanto gaudio Virginis?

§. 7. *An fuerit deoſculata glorioſa Filii vulnera.*

Piiſſima quæſtio eſt, an ſacra vulnera glorioſi corporis fuerit exoſculata, de quibus de fide certum eſt, illa Chriſtum D. retinuiſſe. Unicum affero Rupertum, l. 7. de div. off. c. 25. ut quæſtioni reſpondeat. *Pulcrè & laudabiliter piis majoribus traditum eſſe ſcribitur, ut religioſi quidam cunctis per annum Dominicis diebus, ac præſertim ſacro die Paſchatis, Beatæ Genitricis Dei Memoriam celebrent ſingularem, & Eccleſiaſticam ideircò inſtituant Proceſſionem; Mariam enim Deiparam eſſe, cui ante omnes alios redivivus Filius ſuam victoriam annuntiavit, & dulcia carnis ſuæ vulnera, quam illa, veram de cruce ſua carnem conceptam pepererat, præbuerit deoſculanda.* Et certè ſi incredulo Thomæ, benigniſſimus Salvator, ad agnitionem veritatis & conſolationem, dixerit, ut dixit; *Infer digitum tuum huc & vide manus meas, & affer manum tuam in latus meum*: quod fecit, tanto fructu, ut mox exclamarit, *Dominus meus & Deus meus*! quantò magis putandum eſt, eadem, ad majus gaudium, & uberiorem lætitiam, dicta fuiſſe ad Matrem. Et quis explicet, quo jubilo inter illos amplexus & oſcula exclamarit. Deus meus! filius meus! Jeſus meus! dulcedo mea! gloria mea! & cur quæſo, Dei Matri, hæc oſcula, ſummi amoris, inconcuſſæ fidei, altiſſimæ demiſſionis, piæque venerationis argumenta negabimus? Conſonant his ea, quæ ipſa B. Virgo, S. Brigittæ revelavit l. 7. c. 94. his verbis: *Mihi, quæ ſum Mater Dei, cùm poſt ejus mortem, incomprehenſibili dolore mœſta eſſem, apparuit idem Filius meus, prius quam abiis, & palpabilem ſe oſtendit mihi, conſolans me, & commemorans, ſe viſibilem aſcenſurum ad cœlum, &c.*

§. 8. *Memoria gaudiorũ B. Virginis eſt ipſi gratiſſima.*

S. Thomas Cantuarienſium Epiſcopus, cum in ſingulos dies ſeptenis Angelicis ſalutationibus coleret ſeptem gaudia B. Virginis, quibus in hoc mundo delibuta fuit, nimirum in annuntiatione, in viſitatione, in nativitate Chriſti, in adoratione Magorum, in inventione Filii in templo, in Reſurrectione ejuſdem & Aſcenſione, B. Virgo illi apparens dixit, mirificè ſe delectari his ſalutationibus; & monuit, ut eandem devotionem

nem aliis ſuaderet. Scio, hoc paſchali tempore animas pias peculiari devotione ferri erga glorioſas cicatrices; ſcio aliquos ex vobis memores eſſe illius ſuſpirii, quod Chriſtus D. docuit S. Gertrudem, & ego alias vobis inſinuavi, ut dicatis frequenter & devotè, *Gloria ſit SS. Trinitati per roſea vulnera Jeſu reſurgentis à mortuis*: ut his affectibus ſimul oblectemus Dei Matrem, addamus ſubinde hilari corde, paſchali gaudio recitemus ſalutationem Angelicam in honorem & memoriam illius gaudii, quo animus virginis inundatus fuit in Reſurrectione Filii, cum manibus palpavit, & ore oſculata fuit cicatrices glorioſiſſimi corporis. *Ave Virgo millies! gaude! Regina cœli, lætare, Alleluja.*

§. 9. *In qua cantica & quas laudes, atque gratulationes erumperit B. Virgo.*

Sed quis comprehendet, in quæ Cantica, inter hæc gaudia, eruperit dulciſſima lingua ſuaviſſimæ Virginis? Ut primùm ver appropinquat avia tunc reſonant, avibus virgulta canoris; & prima, amœniſſimi temporis nuntia, Luſcinia ſuaviſſimo cantu replet aëra, ſi fortaſſis Chriſto D. inter alia cum ſponſo Matri ſuæ dixit; jam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit; revixit flos campi, candicat lilium convallium, rubet roſa, de Jericho, ſurge amica, ſurge mater, & vide ego ſum Joſeph è carcere exaltatus in ſolio gloriæ, ego Daniel, redux ex lacu leonum, ego Jonas, ejectus ex ventre ceti, &c. ego ſum Filius tuus Jeſus! quâ voce, quo jubilo, quo mentis exceſſu cogitatis ceciniſſe cœleſtem luſciniam; *Magnificat anima mea Dominum!* Cùm Maria ſoror Moyſis vidit ſubmerſum Pharaonem, Exod. 15. v. 1. ſumpſit tympanum in manu ſua, & cecinit, *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt.* David Deum laudaturus, *tollebat cytharam, & percutiebat manu ſuâ.* Judith hymnum Deo cantatura ſic exorditur c. 16. v. 2. *Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi pſalmum novum, & exaltate nomen ejus. Dominus conterens bella, Dominus nomen eſt illi.* In celebri victoria Davidis, cæſo Goliath, egreſſæ mulieres de univerſis urbibus Iſraël, cantabant & choros ducebant, in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris l. 1. Reg. c. 18. Tympanum, cythara, cymbalum lætitiæ, ſiſtrum exultationis, fuit anima B. Virginis, imò tota Maria fuit cythara, cantans in exultatione ſpiritus, *Magnificat anima mea Dominum.* O SS. Patriarchæ: cantate illi; O SS. Prophetæ, cantate illi! ſponſe dilectiſſime Joſeph, canta filio noſtro Jeſu; modulamini cantica nova; Filius meus Jeſus, conterens bella! conterens capita draconum, jugulans mortem, Dominus nomen eſt illi!

§. 10. *Glorioſiſſimæ Matri accinuerunt Angeli: Benedicta tu inter mulieres.*

Idem in cubiculo B. Virginis puto feciſſe choros SS. Angelorum, in cœleſtibus Tympanis & organis laudantium Jeſum reſurgentem à mortuis; ſed dubium non eſt, cœleſtes hos Muſicos ſubinde ſe convertiſſe ad B. Matrem, & repetiiſſe lætis vocibus ſalutationem Gabrielis, *Ave gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres.* Quæſo animæ piæ, ſumite tympana, arripite cytharas,

ras, his voculis ſalutare Mariam, ***Benedicta tu inter mulieres.***

Inter mulieres benedictas primo loco ſe offert Jahel nobilis heroina, quæ Siſaram ducem, hoſtem populi Dei interfecit, adacto clavo per caput dormientis, quem illa clavum, malleo percuſſum per cerebrum defixit uſque ad terram, iſque ſopori mortem conſocians defecit & mortuus eſt. Jud. 4. v. 21. Quod heroicum facinus celebrans Debbora, ſic ait Jud. 5. v. 24. ***Benedicta inter mulieres Iahel, uxor Haber, Cinai, & benedicatur in tabernaculo ſuo.*** Aquam petenti Siſaræ lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum. Siniſtram manum ſuam miſit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitq; Siſaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans. Inter pedes ejus ruit: deficit & mortuus eſt: volvebatur ante pedes, & jacebat exanimis & miſerabilis. Hactenus elogium Jahel. Verior Jahel, benedicta inter mulieres eſt Maria ſuperbenedicta, cui palmam cedunt omnes mulieres benedictæ. Jahel Latinis eſt aſcenſio. An non Mariæ convenit aſcenſio & elevatio ſuper omnes creaturas? quæ Seraphinis eſt illuſtrior. Jahel Siſarã interfecit, Maria dæmonis caput trãſfixit; Clavus & malleus, fuit Deus Verbum, quod caro factum eſt ex Virgine. Clavus fuit ſãctiſſima crux, in qua ut moreretur filius, ultro conſenſit. Lac & butyrum deſignant Incarnationem Chriſti, vel humanam naturam, quâ deceptus & ineſcatus diabolus victus eſt, ignorans ibi abſconditam Divinitatem. Gaude Virgo! tuus filius in capite Luciferi, in capite mortis, &c. invenit vulnerum locum; defecit Sathan, mortua eſt mors; jacent omnes hoſtes ad pedes Victoris exanimes & miſerabiles.

§. 11. ***Fuit enim magis benedicta, quàm Iahel. Iud. 4. v. 21.***

2. Benedicta Heroina fuit Judith, Holofernis potentiſſimi hoſtis famoſiſſima interfectrix, quam à cæde reducem, univerſi ita ſalutarunt cap. 13. v. 22. ***Benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros.*** Et Ozias Princeps populi. ***Benedicta es tu filia, à Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram.*** Et Achior v. 31. ***Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob.*** Denique benedixerunt eam omnes, unâ voce, dicentes; ***Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi, & ideo eris benedicta in æternum.*** Quis in hac benedicta fœmina non videt expreſſam ideam Matris, Victoris Jeſu reſurgentis à mortuis? hæc eſt verior Judith, cujus auxilio tam potentes hoſtes ſunt interfecti, &c. O ſi benedicta Virgo hoc paſchali tempore viſitaret nos, in benedictionibus dulcedinis, & benedicat nos in omni benedictione ſpirituali, donec in cœlis nobis oſtendat glorioſum fructum ventris ſui, benedictum Jeſum in gloria!

§. 12. ***Et Iudith.***

Tertium locum inter benedictas mulieres ſibi vendicat Abigail, mulier ſpecioſa, prudens & facunda, cui David dixit; lib. 1. Reg. 25. v. 33. ***Benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem & ulciſcerer me manu meâ.*** David cum viris 400. armatus ibat, ſpirans minarum & cæ-

§. 13. ***Et Abigail***

Digitized by Google

& cædis in ingratum Nabal, &c. At ecce furenti venit obviam Abigail, & Davidis iras convertit in manſuetudinem, ex leone fecit Agnum, & miſericordiam obtinuit. Videor hic mihi videre graphicam ideam Dei, ſceleribus noſtris irati, pœnaſque peccatoribus intentantis, præſertim illis, qui etiam paſchali tempore de pœnitentia & ſeria confeſſione nihil volunt audire, ſed perſeverant in malo ſuo, illis verbis Pſalmi; *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & paravit illum.* Et in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit, &c. Non miſeros, niſi irato hoſtium ſuorum Victori, occurrat Abigail, dulcis, clemens, ſuavis Virgo Maria, niſi ipſa Filii advoluta genibus, interponat ſe, & amputet impetum; ne pereamus. Ut faciat, hoc paſchali tempore facillimè obtinebimus à Matre miſericordiæ, ſi per glorioſam Filii ſui reſurrectionem, per virginei pectoris gaudia, modo quo decet, hanc gratiam ab illa efflagitemus.

CONCIO LXVIII.

FESTO SS. APOST. PHILIP. & JACOBI.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, Joan. 14. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Memoria & deſiderium cœleſtis gloriæ, conſolantur nos in omni tribulatione; glorioſe Chriſti pugiles, ſancti Martyres, ſuſpicientes cœlum, in tormentis permanſere invicti.

§. 1. *Palma inferius horrida, ſuperius formoſa arbor, eſt ſymbolum crucis.*

§. 2. *Et animæ juſtæ in tribulatione, vel Martyris in martyrio, v. g. S. Philippi.*

§. 3. *Chriſtus Dominus in ſuis concionibus frequenter fecit mentionem cœleſtis gloriæ.*

§. 4. *Dictum Tertulliani:* nihil crus ſentit in nervo, cùm animus eſt in cœlo.

§. 5. *Confirmatur ex S. Hieronymo & S.*

Digitized by Google

& S. Bernardo.

§. 6. *Sancto Paulo, in omni adverſitate, memoria Chriſti & cæleſtis gloriæ, fuit ſolatio.*

§. 7 *Cur ſupra caput S. Philippi, pendentis in cruce pingantur duo Angeli cum corona.*

§. 8. *Elegans juſtorum & Martyrum deſcriptio ex S. Gregorio Nazianzeno.*

§. 9. *Alia ex Apponio,*

§. 10. *Cur Ezechieli in monte monſtrata fuerit pulcerrima civitas.*

§. 11. *Heroica dicta invictiſſimarum Heroinarum.*

§. 12. *Magna gratia & gloria eſt pro Chriſto pati.*

§. 1. *Palma inferius horrida arbor; ſuperius formoſa, eſt ſymbolum crucis.*

CAnt. 7. cap. v. 7. cœleſtis Sponſus, ſponſæ ſive animæ victorioſæ, ait; *ſtatura tua aſſimilata eſt Palmæ.* Et cum myſterio, quod venerabilis Beda advertit: *Statura ſponſa aſſimilatur Palmæ, quia Palma in inferioribus aſpera videtur; in ſummo autem pulchritudinem & fructus ſuavitatem oſtendit.* Ob recentem memoriam, hinc Paſſionis, hinc glorioſæ reſurrectionis Chriſti D. multi forte cogitant; itaque palma eſt ſymbolum SS. crucis; in paſſione, quàm fuit ſpinoſa, aſpera & horrida Palma? in reſurrectione quàm eſt pulcra, dulcis, plena ſuaviſſimis fructibus? quàm ſanctiſſima crux fuit palma glorioſa & victorioſa, ob Chriſti D. reſurgentis, tum pulchritudinem, tum nobiliſſimos triumphos contra potentiſſimos hoſtes: & ideo fortaſſis in variis picturis Chriſtus reſurgens præfert unâ manu Vexillum crucis, in altera ramum triumphatricis palmæ.

§. 2. *Et anima juſta in tribulatione: Martyrio v. g. S. Philippi.*

Alia explicatio placuit venerabili Bedæ cum ait: *Merito ſtatura palma aſſimulatur Eccleſia, ſive anima cujusque fidelis, quæ aſperos pro Domino portat in terra labores. Aſpera eſt palma juxta terram, quia perſecutionem patiuntur propter juſtitiam electi: pulchra & dulcis in ſummo, quia gaudent in preſſuris, & exultant; ſcientes quoniam merces eorum eſt copioſa in cælis.* O pulcræ animæ! O invicti Athletæ Chriſti ſub vexillo crucis! quanti ſunt veſtri labores, quot perſecutiones, quot preſſuræ, quæ vos veluti palmas premunt? verè converſatio veſtra in terris eſt aſpera, & vita veſtra judicio hujus mundi, infelix & miſerabilis. Sed in alto, in culmine palmæ, ubi folia & fructus, cogitationes & opera veſtra dirigitis in altum, verſum cœlum; quanto in vobis eſt exultatio; converſatio & vita veſtra, quàm eſt ſuavis & jucunda! Itaque, cui diſplicebit, ſi hodiernâ die glorioſum meum Patronum S. Philippum, vocem talem Palmam; Palmam aſcendit, cum pro Chriſto fuit cruci affixus. In hac vita, in agone crux illi fuit aſpera & horrida; in alto, in cœleſti gloria, eadem crux fuit illi ſcala ad pulchritudinem & ſuavitatem fructuum cœleſtis gloriæ. Quandoquidem noſtra quoque vita in hoc mundo aſſimilatur inferiori parti palmæ; ne in tribulationibus & laboribus ſuccumbamus,

ne opprimamur; in verticem palmæ, in manſiones cœleſtis gloriæ oculos noſtros debemus erigere.

§. 3. *Chriſtus D. in ſuis concionibus frequenter fecit mentionem cœleſtis gloriæ.*

Conſideratione dignum eſt, Chriſtum Dominum dum Apoſtolis ſuis viam proponere voluit ad celſiſſimam perfectionem per labores, per adverſitates, per perſecutiones, per tormenta, per crudeles neces, verbo, per viam crucis: item, ut eos animaret ad eximiam & heroicam virtutem, ad excelſas cogitationes filiorum Dei, quibus pro ejuſdem gloria multa agere, & multa pati deſiderant: frequentiſſimè coram illis in ſuis concionibus propoſuiſſe mercedem cœleſtis gloriæ: in hodierno Evangelio, poſt longum diſcurſum, de fletu, de lachrymis, de triſtitia, de perſecutionibus ait ad Philippum. ***In domo Patris mei manſiones multa ſunt. Mirum principium, fratres, doctrinæ cœleſtis,*** (ait S. Gromatius Epiſt. Aquil. cond. 1. in cap. 5. S. Matth.) ***non à terrore incipit, ſed à beatitudine: non terrorem faciens, ſed potius deſiderium Vice enim Agonotheta vel munerarii, certatoribus in hoc ſtudio ſpiritali, præmium grande proponit; ut dum aſpiciunt præmium, nec labores timeant, nec pericula perhorreſcant.*** Verſus ille Virgilii lib. 5. Æneidos, ***Munera principio ante oculos, circoque locantur***, innuit in circis & ſtadiis in ornata menſa, poſitas fuiſſe coronas, ſerta, præmia, quorum intuitu, honoris candidati, ſummopere ad curſum & pugnam animabantur; Hoc intendit Chriſtus D. propoſuit Apoſtolis coronam gloriæ, ut pericula non horrerent.

§. 4. *Dictum Tertulliani. Nihil crus ſentit in nervo, cujus animus in cœlo eſt.*

Cum Tertullianus invictos Martyres ſui temporis in graviſſimis tormentis vellet conſolari, his ferè verbis illos fuit allocutus: ***O beati Chriſtiani! membra veſtra ligata ſunt catenis, ſed ſpiritus veſter eſt liberrimus! jacent corpora in carceribus, in equuleis, in tenebris, ſed mentes veſtras nil poteſt conturbare: hoc tantùm agite; aſcendite cogitationibus veſtris in palmam, conſiderate pulchritudinem & ſuavitatem cœleſtis gloriæ: vagamini per pulcerrimas manſiones, quas Chriſtus D. ait eſſe in cœlis. Quoties,*** ait, ***eas Spiritu deambulaveritis, toties in carcere non eritis. Nihil crus ſentit in nervo, cujus animus in cœlo eſt.*** Alligatur S. Philippus pedibus in cruce! non ſenſerunt pedes. Alligatur manibus, erigitur in altum; & jam propior cœlo, in apice palmæ ſanctiſſimæ crucis, non curat tormenta, nec mortem: mori illi dulce eſt; quia animus eſt in cœlo, & apud Chriſtum in paradiſo. Animæ electæ! O Chriſtiani, ſi & vos, veſtros dolores, veſtras afflictiones, &c. non nimium vultis ſentire! ut lachrymæ ſint dulces, ut ſpinæ, ſint roſæ, ut fel vertatur in mel, erigite oculos; videte pulcerrimas manſiones, quas Chriſtus D. nobis paravit. Si animi noſtri ſint in cœlis; nihil ſentiet corpus. In terris vita noſtra erit horrida, ſed in cœlis converſatio dulciſſima.

§. 5. *Confirmatur ex S. Hieronymo & S. Bern.*

Eadem videtur fuiſſe mens S. Hieronymi, cum ad Heliodorum ſcripſit, cui vitam ſolitariam in eremo ſuadere volebat; ***Infiniti eremi vaſtitas te terret? ſed in Paradiſum mente deambula: quotieſcunque illuc cogitatione.***

tione conſcenderis, toties in eremo non eris. Seraphicus S. Franciſcus in acerbiſſimis doloribus dexteri oculi, ſimili cogitatione ſe conſolans, totus lætus dicere ſolitus fuit, tantum eſt præmium, quod expecto, ut omnis pœna me delectet. Sancto Bernardo pœnæ graviſſimæ & acerbiſſimi dolores hujus mundi, viſi fuerunt tam leves, ut dixerit, ſer. de nim. fall. *Guttatim pœna bibitur, liquando ſumitur, per minutias tranſit.* Videntur viro eloquentiſſimo deeſſe verba, quibus explicet tenuitatem illarum rerum, quæ corpori ſunt moleſtæ; ſed cauſam mox addit: *In remuneratione torrens eſt voluptatis, & fluminis impetus; torrens inundans lætitia, flumen gloriæ, flumen pacis. Flumen vocatur, non quod tranſeat, vel pertranſeat, ſed quod abundet, & æternum abundet.* In conſideratione hujus cœleſtis gloriæ, omnes mundi tribulationes, nihil ſunt, vel leves. Crux S. Philippo fuit palma; juxta terram aſpera, horrida! ſed in alto habet pulchritudinem & ſuavitatem gloriæ. Et vos animæ piæ, quoties in paradiſum mente deambulaveritis, quoties illuc conſcenderitis, non eritis in cruce.

§. 6. *S. Paulo in omni adverſitate, memoria cœli, fuit ſolatio.*

Cap. 2. ad Eph. Apoſtolus Paulus pulcherrimis verbis inſinuat, memoriam cœli, fuiſſe ſibi ſummo ſolatio in graviſſimis adverſitatibus: v. 4. enim ait: *Deus qui dives eſt in miſericordia, &c. convivificavit nos in Chriſto, & conreſuſcitavit nos, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu.* Quomodo? S. Paulus nunquid adhuc vivit in terris, an non tenetur captivus in carcere corporis ſui? & quomodo ait ſe jam cum Chriſto ſedere in cœleſtibus? imò S. Gregorius ait l. 31. mor. c. 19. *Tunc Paulus fortaſſe in carcere verſabatur, cum ſe conſedere Chriſto in cœleſtibus teſtaretur*: Sed quomodo hæc conveniunt, jacere in carcere & ſedere in cœlis? quæſtioni reſpondet appoſitiſſimè idem S. Gregorius: *Sed ibi erat, ubi ardenter mentem fixerat; non illic ubi illum neceſſariò pigra adhuc caro retinebat*: Paulus non tam erat, ubi corpus jacebat in carcere, in vinculis, in catenis, in ſqualore, in fame, in ſiti, in nuditate, quàm ibi, ubi mens ejus converſabatur, in cœlis, cum Chriſto: ob contẽplationem cœli, dulcis illi fuit carcer: ligati in cippis pedes, deambulabant nihilominus per pulcerrimas manſiones cœli; & ideo ſcribit ad Cor. ep. 2. c. 4. v. 2. *Non deficimus; ſed licet is qui foris eſt, noſter homo corrũpatur: tamen is qui intus eſt, renovatur de die in diem.* (iterum advertite myſterium, de quo paulò ante egi, eundem hominem ſuo ſenſu poſſe eſſe in terris, & alio in cœlis) addit cauſam: *id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Hodie in martyrio S. Phil. v. g. exterius videmus crucẽ, vincula, catenas, mortem, &c. Sed omnia illa fuerunt temporalia, tranſiverũt: Gloriã verò quã S. Philip. fruitur in gloria, laureolam, quã per mortẽ Crucis obtinuit, coronam, quã juſtus judex illũ coronavit,

diadema ſplendidum, & ſtolam jucunditatis quâ indutus eſt; omnia hæc non videntur, & tamen æterna ſunt; contemplantibus verò illa oculo mentis, leve eſt omne tribulationis pondus; neque ſub illo deficiunt, quod verbum pulcre explicuit S. Thomas; *non deficimus: Intendit Apoſtolus oſtendere, quod ſanctorum Patientia eſt invincibilis: nam deficere idem eſt, quod ferre non poſſe*: *Cujus patientiæ cauſa eſt* (ex mente ejuſdem doctoris Angelici) *recogitatio præmii, quæ eſt efficaciſſima*; *quaſi dicere voluerit Apoſtolus: Nihil ſunt tribulationes, quas hic patimur, ſi reſpiciatur ad gloriam, quam ex eis conſequimur.* S. Petrus Damianus de S. Barthol. *Quidquid intolerabile puſillanimitas aſſerit, hoc leve ac facile ſpes remunerationis oſtendit*: Iterum S. Thomas: *Quod grave eſt corpori, ſpiritui caritate ferventi, leviſſimum: quia ſicut S. Auguſt. dicit, Omnia gravia & immania, facilia & prope nulla facit amor, & deſiderium cœli.*

§ 7. *Cur ſupra caput S. Philippi, pendentis in Cruce, pingantur duo Angeli cum Corona.*

Laudo pictores, qui ſupra caput S. Philippi pendentis in Cruce, pinxerunt duos Angelos, cum floridâ coronâ, quæ morientis Martyris imminet capiti: ego addo lemma, quo in ſimili materiâ uſus fuit Sanct. Chryſoſtomus hom. 8. de pœnit. *Oſtenderunt Angeli bravium, & deſudantem conſolati ſunt*: In Cruce, in tribulationibus electi filii Dei ſunt beati & pleni cœleſtibus ſolatiis. S. Wenceslaus Rex Bohemiæ, victus in prælio ab hoſte dejectus fuit in tetrum carcerem: cum quidam ex amicis, infelicem, ut putabat Regis ſtatum multis lacrymis deploraret, Rex piiſſimus illi dixit: *Pone lacrymis modum, & ſi ſapis novum agnoſce genus proſperitatis: tot inter ærumnas nulla vexor calamitate: imò geſtientis animi efferor voluptate: etenim qui Deo cor ſacravit:* (cujus mens eſt cum Chriſto Domino in cœleſtibus) *in captivitate quidem compedibus detineri poteſt, non deturbari de culmine felicitatis*: De S. Agnete de Politiano ait Bulla Canonizationis: *Ejus pallium roris candidi guttis, quæ Crucis effigiem ſingulæ referebant, reſpergebatur.* Hoc contingit filiis Dei; reſperguntur de cœlo cruculis: ſed Cruces, in conſideratione cœleſtis gloriæ ſunt dulciſſimus ros & ſuaviſſimum manna.

§. 8. *Elegans juſtorum deſcriptio ex S. Gregorio Nazianzeno.*

S. Gregorius Naz. orat. 1. contra Julianum. *Videſne hos pauperes victu, hos humiles, hos terrenos, & ſupra terrena: qui inter homines verſantur, & rebus humanis ſunt ſuperiores: qui vinculis preſſi & liberi ſunt: qui nihil in mundo habent, & omnia habent, qui mundo ſuperiores ſunt: hos inquam, propter mortificationem immortales: quorum eſt abjici, & ſimul ſuper thronos ſedere, qui nudi ſunt, & incorruptibili veſtiuntur indumento: qui in ſolitudine hujus ſæculi frequentia ac celebritate fruuntur; qui voluptates abjiciunt, & tamen perpetuam, atque inexplebilem animorum oblectationem habent*: &c. eò, quod converſatio illorum in cœlis ſit: quod in hoc mundo jam ſedeant cum Chriſto in cœleſtibus: Memoria & ſpes bravii, illos ſolatur deſudantes. Lippomanus, pii, etiam intra calamitates hujus mundi, maxime quietis & tranquillis

quillis cordibus Patri miſericordiarum adhærent, freti plena fide in Deum: ſcientes omnia ad Dei laudem & gloriam, quam unicè cupiunt, devolvi.

§ 9. *Alia ex Apponio.* Elegantiſſime rem hanc deſcribit Apponius l. 3. in Cant. *Caſtatæ quippe, & diverſarum pœnarum tormenta, impiis ignominioſa & deteſtabilia: Martyribus deliciarum gaudia, & quieti lectuli deputantur. Ubi pro ludibrio arrident incendia, ubi amphiteatra convertuntur in paradiſum: craticulæ & ſartagines in molliſſimam plumam, flammarum globi, in gratiſſimos flores, liquefactum plumbum in balſamorum unguenta; flagellorum, virgarumque laniena, in delicias: Ipſa quoque mors pro Chriſto ſuſcepta, omni gaudio, & omni pretioſiſſimo lapide pretioſior anteponitur*: dum vident, per hanc viam ſe venturos ad Chriſtum, & æternam gloriam; etiam carbones, talibus præſtant refrigerium: Crux, vincula, catenæ, baculi, lapides, vulnera S. Philippo fuerunt roſæ; has illi monſtraverunt Angeli, & deludantem conſolati ſunt.

§. 10. *Cur Ezechieli in monte monſtrata fuerit pulcerrima civitas.* Gemebat & flebat populus electus ſub jugo captivitatis Babylonicæ; miſſurus illis Deus Ezechielem ad conſolandum illos, prius Prophetam educit in altum montem; ubi illi oſtendit pulcerrimam civitatem in quadro poſitam, cum auguſtiſſimo templo, quod plenum fuit Cherubinis, ornatiſſimum palmarum ramis, florumque faſciculis: Viſa fuit hæc civitas Ezechieli, quidam locus deliciarum: tum Deus illi admirabundo ait, cap. 43. v. 10. *Et tu fili hominis, oſtende domui Iſraël domum,* (alii legunt *templum.*) *& ceſſabunt à peccatis ſuis; & viſionem ejus, & diſpoſitionem illius, & ipſi ſuſtinebunt tormentum ſuum.* S. Hier. *Ipſa autem domus talis eſt, ut qui eam mente conſpexerit, ceſſet ab iniquitatibus, & ſuſtineat tormentum.* Idem hoc facit, in hodierno Evangelio Chriſtus D. loquitur Apoſtolis de triſtitia, &c. ut non timeant, oſtendit illas manſiones cœleſtes, quæ tales ſunt, &c. S. Aug. *Si vis ſuſtinere laborem, attende mercedem.*

His cogitationibus S. Felicitas animavit ſuos filios ad certamen; *O chara Matris pignora! mentem, oculoſque ad cœlum erigite, ibi vos expectat Chriſtus cum Sanctis ſuis.* S. Dorothea contempſit dolores omnes, recordatione futuræ gloriæ (Surius 6. Febr.) quæ in corpore ejus revelanda eſſet: S. Dymna Virgo & Martyr, filia Regis Hyberniæ, imperterrito animo, Parenti, cum ad idololatriam filiam ſolicitaret, promitteretque facturum ſe, ut adoraretur ut Dea; ipſa dixit: *Tuas regales delicias tota mente contemno, & illas promiſſiones Domini mei Jeſu Chriſti, quæ cuncta ſuperant deſideria, jam totis viſceribus concupiſco. Pro Dea haberi reſpuo, & honorem ſtatuæ vilipendo.* Summa gloria erit, pro Chriſto mori, & deinde æternum cum illo vivere. Menodora, Metrodora, Niſondora (Metaphraſtes in vita) tres ſorores, in martyrio ſociæ, & invictiſſimæ heroinæ tyranno promittenti divitias & delicias, generoſo animo dixerunt: *Vanitas eſt omnis mundi gloria!* *quam* — § 11. *Heroica dicta invictiſſimarum Heroinarum.*

Digitized by Google

quam libenter contemnimus: Porro præſens corporis afflictio, omnis tormentorum rabies, quam minaris, brevi admodum tempore definitur, & certas æternaſque gloriæ coronas nobis conciliat: Nullum ornamentum, nulla monilia, vel gemmæ, ita noſtra exornabunt corpora, ut tuæ plagæ, tua flagella, quæ nos jam dudum propter Chriſtum, & æternæ gloriæ bravium deſideramus. Minæ tuæ, ſemina nobis ſunt, unde immortalitatem, perpetuaque gaudia metamus. Mater S. Symphoriani, filium in tormentis, his affectuoſis & efficacibus verbis fuit allocuta: *Nate Nate Symphoriane! memento Dei vivi! concipe fili, concipe animi conſtantiam: ſurſum fili erecto corde, aſpice illum, qui regnat in cœlis, & cum quo æternum regnabis.* Invictum animi robur, vivam cœleſtis gloriæ memoriam ſpirant ultima verba S. Sophiæ, ad tres filias, Fidem, Spem, Caritatem; cum enim ducerentur ad ſupplicinm, illas fuit allocuta: *O dilectiſſima pignora! ecce adeſt hora, quâ egredimur ad conflictum! precor vos, ſic agite, ut videam fructum mei laboris, quo intendi, vos Virgines caſtas & ſine macula exhibere Chriſto; Date hoc Matri eclectiſſimæ, ut in gravi ſenio ſpectet veſtras victorias: eſtote conſtantes! & dico, ſuſpicite quæſo cœlum, oculoſque ad immortalia illa præmia erigite.* Prudentis enim anima eſt, parvis permutare maxima, fluxis & perituris, æterna: & pauco denique ſanguine, immortale regnum mercari: Loquatur denique iterum Mater Machabæorum ad filiolum natu minimum; *Fili mi miſerere mei, quæ te in utero novem menſibus portavi, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem iſtam perduxi. Peto nate, ut aſpicias ad cœlum, &c. ita fiet, ut non timeas carnificem iſtum: Si rogum lictores accendant! aſpicias ad cœlum; ſi in equuleo delicata membra extendant, &c. aſpicias ad cœlum:* Hoc modo puto ego patronum meum S. Philippum pependiſſe in Cruce, inter lapidum torrentes, erectis in cœlum oculis; ſi muta ejus imago, ſi Crux, in qua pependit, ſi lapides, quibus lapidiatus eſt, nobis loqui poſſent, haud dubie dicerent: Imitatores Chriſti! amatores Crucis! Nati Crucifixi! in adverſitatibus, concipite conſtantiam! ſurſum erecto corde aſpicite illum qui regnat in cœlis (ex dictis hoc modo poterit fieri affectuoſa Apoſtrophe ad Auditores.)

Finio Concionem verbis Chriſti D. ex hodierno Evangelio; *Non turbetur cor veſtrum; in domo Patris mei manſiones multæ ſunt*; quæ verba S. Auguſt. ſic exponit: *ſic à turbatione recreantur electi, ac fidentes etiam, per pericula, ſed apud Deum cum Chriſto eſſe manſuros ſperant bravium, & gravia ſunt levia; amara, dulcia.* Cum Maximinianus tyrannus (Metaph. 27. Jul.) Sanct. Pantaleoni minaretur atrociora tormenta, generoſus pugil reſpondit: *Quid aliud? quàm ipſi quoque majores conſequar remunerationes. Etenim,* (S. Chriſoſtomus) *gravia verè maxima, dignum cenſeri, propter Chriſtum aliquid pati, & corona vere perfecta, & merces, futurá retributione non minor. Martyres cum vocamus Beatos, ex vulneribus primû beatificamus* (hodie S. Philippum, ex laboribus, ex perſecutionibus, ex cruce, ex lapidibus

§. 12. *Magna gratia & gloria eſt, pro Chriſto pati.*

bus

bus, ex morte pro Chriſto obitâ) & *tunc ex præmiis: ex plagis*, (ex ſanguine fuſo) & *mox ex coronis repoſitis*. Et nobis coronæ repoſitæ ſunt in pulcerrimis manſionibus: & jam paratæ ſunt, prædeſtinatione (Hugo Cardin.) ſed tamen adhuc parandæ ſunt, januæ apertione, & meritoria operatione, aurea clavi ſanctæ Crucis ut prius cū Chriſto patiamur; ne jugum Crucis ſit nimis grave, aſpiciamus cœlum.

CONCIO LXIX.

FESTO ASCENSIONIS CHRISTI DOMINI.

Videntibus illis elevatus eſt, Actorum 1. cap. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicat immenſum gaudium Virginis Matris, in glorioſa & admirabili Aſcenſione Filii ad cœlos.

§. 1. *Geſtit animus Auctoris, penetrare gaudium & gloriam Virginis & Matris in Filii glorioſa Aſceſſione.*

§. 2. *Aliud auctoris deſiderium.*

§. 3. *Filius quadraginta diebus inter Reſurrectionem & Aſcenſionem Matri ſæpius apparuit.*

§. 4. *Immenſum gaudium Matris in Reſurrectione Filii, aliquo modo explicant ſponſus & ſponſa, in cap. 1. Canticorum.*

§. 5. *Item in capite 2.*

§. 6. *Et ſequentibus.*

§. 7. *Ex rationibus, ob quas Ieſus in glorioſo Corpore retinuit cicatrices SS. Vulnerum, urgetur illa, ut Matri eſſent fontes immenſi gaudii.*

§. 8. *Aſcenſioni Chriſti Dn. interfuerunt, B. Virgo, Apoſtoli, Diſcipuli & piæ fœminæ.*

§. 9. *Obſequia ſanctorum Angelorum in Chriſti aſcenſione.*

§. 10. *Suprema Chriſti D. benedictio; & ſuſpiria Matris.*

§. 11. *Quanti gaudii cauſa Matri fuerit, Gloria Filii!*

§. 12. *Feliciſſimus obitus viri religioſi in monte Oliveti.*

§. 13. *Beata Vulnera, vulnerati cordis ab amore Ieſu.*

§. 1. Geſtit animus Auctoris, penetrare gaudium & gloriã Virginis & Matris in glorioſa Filii Aſcenſione.

HOdierno lætiſſimo feſto Aſcenſionis Chriſti Salvatoris noſtri; perpendere geſtit meus animus, ut cùm Ruperto loquar, quantus gaudii torrens repente inundans animam Virginis Matris, tempore Paſſionis, præſertim ſub cruce, doloris gladio trãsfoſſam; in glorioſa filii Reſurrectione, & ejuſdem ad cœlos aſcenſione; quantus inquam tum gaudii torrens Animam & dulciſſimum Cor Virginis inebriarit, occupaverit, & totum penetraverit, vel cum Filius ejus tertia die redivivus in glorioſo & pulcerrimo corpore illi apparuit; vel dū hodie

Digitized by Google

hodie magnus triumphator, inter montis Oliveti palmas & cedros, lauros & Olivas, vidente Matre, aſpectantibus Apoſtolis, in nube gloriæ elevatus eſt in cœlum. Quis deſcribere poterit, qua glorioſus Filius Matrem abyſſo lucis exceperit, quo alluerit diluvio gaudiorum, quo incendio, quibus flammis & ignibus ejus amores accenderit; quo bearit torrente voluptatis; quàm pleno alveo illi infuderit Paradiſum deliciarum. Virgineis oculis fuit abyſſus lucis, fuit diluvium gaudii, fuit Paradiſus, illos paſcere exteriori ſpecie pulcherrimi & glorioſi corporis. Major torrens inundavit mentem & intellectum, quo ejus intuebatur & contemplabatur divinitatem: Sic intus in anima, in intellectu, in volũtate, in deſideriis & affectibus, foris in oculis, in auribus, in omnibus ſenſibus corporis, admirabile quoddam Virgo ſenſit gaudium: Virginis, ut dixi, oculos beabat amœniſſimus ſpecioſiſſimi Filii aſpectus, aures titillabant lætiſſimæ accinentium Angelorum voces; *Regina cœli lætare, Alleluja:* nares implebat Nazarenus, divinitatem undique ſpirans, & omnium deliciarum odoribus vernans: inter ſuaviſſimos amplexus, & caſtiſſima oſcula. Verbo, totam Virginem in corpore & anima oblectavit totus Jeſus, totus Nazarenus, totus floridus, totus pulcer, totus ſpecioſus, totus glorioſus. Antequam abyſſo hujus gaudii me profundius immergam; memor eſſe volo, moniti Sancti Anſelmi, cum ait: *Nolo hanc immenſitatem gaudii ejus penetrare quis laboret; quoniam quæ ipſis Angelis DEI, eſt admiranda & impenetrabilis, non facilè crediderim, quod ulli homini mortali poſſit eſſe penetrabilis.* Proinde & ego, hac panegyri, illam lætitiam, cujus fons in corde Virginis Matris fuit, glorioſa Filii ad cœlos aſcenſio, non penetrare, ſed delibare tantum conabor. Quod dum facio, ut dictionem meam ſolita & benevola attentione, proſequamini, enixè rogo, ſic ſpero ex illo fonte, ex illo mari & Oceano Virginalis & Materni gaudii, aliquot rivulos, vel guttas ſaltem in corda noſtra derivando, ut & nos hodie cum gaudio glorioſam Chriſti Aſcenſionem contemplemur.

Hoc opto ex viſceribus cordis, in hodiernâ Aſcenſionis ſolennitate, ut dulciſſimum Virginis Matris cor, in ſuaviſſima gaudia eliquatum; ingenti gaudiorum mole oppreſſum, in delectabilis ecſtaſis deliquio languidum, fulcitum floribus, ſtipatum malis, coronatum roſis; cœleſtium ſolatiorum rore reſperſum; tantorum gaudiorum nos reddat participes: ut noſtra quoque corda ex aſpectu Chriſti glorioſe aſcendentis ad cœlos dulci quodam voluptatis ſenſu liquefiant, cœleſti rore, & amœniſſimis roſis cupio hodie aſpergere meos Auditores. §. 2. *Aliud Auctoris deſiderium.*

Aurei, mellei, lætiſſimi Magnæ Matri fuerunt illi quadraginta dies, quos inter Reſurrectionem & Aſcenſionem Chriſti D. numeramus: certum enim eſt, quod toto hoc tempore, redivivus à morte Filius, in decore §. 3. *Filius, quadriginta diebus inter Reſurrectionem & Aſcen-*

ſionem, Matri ſæpius apparuit.

core & pulcritudine ſua, ſe Matri, mirabilibus & ſuavibus modis ſpectandum, ſæpius exhibuerit: cœleſtes verò delicias quibus interim cor Virginis exundavit, quis comprehendet? Quos Matri aſpiraverit odores, ille Nazarenus, iis vernans & floridus roſis, quarum quælibet integrum exhalat paradiſum, quarum quælibet reliquos cœleſtis Jeroſolymæ odores longè excedit. Quis explicet cœleſtium donorum pretiſioſos theſauros, quibus Filius Matrem ſuam cumulavit? quis exprimat, quàm Filius arcana cœli penitiora, totumq; ſe, imò ipſa adyta glorioſiſſimi ſui pectoris & cordis patefacta, per adytū lateris, per illud oſtium amoris reſeraverit? Quis enarrabit, quo jubilo, quo mentis exceſſu Dei Mater hanc cellam vinariam, hanc aulam amoris, hoc palatium deliciarum intraverit? quam ſuaves amores in corde Virginis accenderit, illa amoris Ætna, illa caritatis Vulcania & Officina, ipſum glorioſiſſimum Cor Jeſu? quis dicet, quàm amabiles ſpecies & formas, virgineæ ceræ candidiſſimi cordis impreſſerit, illud ſigillum, venuſtiſſimi vultus? quàm ſuaves pietatis ſenſus moverit, mellea ſponſi lingua, & vox ejus reſonans in auribus Matris: *Gaude Virgo, gaude Mater! quem meruiſti portare,* qui his diebus mortuus fuit in Cruce, *reſurrexit! Alleluja.* Sic exſtaſin & deliquium doloris, quod ſtans juxta crucem in Calvario perpeſſa fuit; excepit quies amoris & gaudii, in quo poſt & ob Filii reſurrectionem dixit ad Angelos, *Fulcite me floribus, ſtipate malis, quia amore langueo;* Cant. 2. 5. In monte Calvariæ fuit vulnerata gladio doloris, deinde fuit vulnerata ſuaviſſimæ caritatis.

§. 4. *Immenſū gaudium Matris in reſurrectione filii, aliquo modo explicant ſponſus & ſponſa in c. 1.*

Sponſus & ſponſa in Canticis diverſiſſimis modis loquendi, conati ſunt exprimere gaudia cordis in ſpōſo, ob præſentiam ſponſæ; in ſponſa verò ob ſuaviſſimam converſationē cum ſuo dilecto, cap. 1. v. 1. *Per oſculum oris, per ubera turgentia vino, fragrantia unguentis optimis. Per oleum effuſum, per odorem unguentorum.* Ut ſponſus dicat. *Exultabimus & lætabimur in te.* Per nardum & faſciculum myrrhæ, de quibus ſponſa ait: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuavitatis. Faſciculus myrrha dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* In fine hujus capitis v. 16. conſpirant, ut exprimāt mutuum gaudium, & concinunt, *Lectulus noſter floridus eſt.* Sponſus pergit, *Ecce tu pulcra es.* Sponſa verò, *Ecce tu pulcer es, dilecte mi!* Tale ego mihi imaginor fuiſſe colloquium inter Matrem, & Filium reſurgentem à morte, dum illi apparuit; forte Mater dixit; O fili! vidi te his diebus deformem, quaſi leproſum. Ecce, hodie, tu pulcer es! dedi ante triduum oſcula tuis vulneribus; hodie oſculare me oſculo oris tui. Fuiſti ante triduum faſciculus myrrhæ; ecce hodie nardus es, trahe me in odorem unguentorum tuorum. Nolo inhærere ſuaviſſimis compellationibus, quibus Filius ſine dubio Matrem ſuam compellavit. Modo eò collimo ut ingens Matris gaudiū nonnihil explicē.

§. 5. *Item in capite 2.*

Cap. 2. v. 3. Cant. ait Sponſa; *Sub umbra illius quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.*

Lava ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Jam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit, flores apparuerũt; oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Colliqueſco gaudio, cum video umbram crucis eſſe converſam in ſereniſſimam lucem, in qua Filius ſuæ Matri apparuit. Colliqueſco gaudio, cum quaſi video amplexum inter Filium & Matrem. Glorioſa brachia Filii circa collum Matris, & Matris, ſub humeris Salvatoris. Omnino, poſt hyemem paſſionis, Matri apparuit flos, cum Filius in tanta gloria ſe illi ſtitit: voce dulci, & facie decorâ.

§. 6. *Et ſequẽtibus v. 11. cap. 4. v. 11. cap. 5. v. 6. cap. 6. v. 10. cap. 7. v. 12. cap. 8. v. 2.*

Caput 3. hos dies vocat *dies lætitiæ cordis.* Dies deſponſationis. Caput 4. mentionem facit favi, diſtillantis mel & lac; horti concluſi, veluti paradiſi, fontis & putei aquarum viventium, montis Libani, collis thuris, in quibus creſcunt nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum, myrrhæ & aloë cum omnibus unguentis. Cap. 5. fatetur ſponſa, liquefactam eſſe animam ſuam, ut locutus illi fuit dilectus ejus. Cap. 6. Sponſus ſponſam comparat florenti vineæ, & germini malorum punicorum. Cap. 7. Amœniſſimæ villæ in jucundiſſimo agro. Cap. denique 8. laudat poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum, ex vinaria cella amoris. Hoc vino, hoc muſto, hoc poculo, hoc favo, hoc melle, hoc lacte, his aquis, his odoribus, his pomis, his malogranatis, his fructibus à Filio exhilarata fuit Mater, in die lætitiæ cordis, & deſponſatione, in glorioſa reſurrectione; Omnes hĩ modi loquendi in Canticis, omnes allatæ metaphoræ, omnia laudata ſymbola aliquo modo nobis exprimunt illa gaudia glorioſiſſimæ Virginis.

§. 7. *Ex rationibus, ob quas Ieſus in glorioſo corpore retinuit cicatrices vulnerũ, urgetur illa, ut Matri eſſent fontes imměſi gaudii.*

Admirabile fuit conſilium Chriſti à morte reſurgentis, quod in glorioſo corpore, vulnera crucis, & propudioſos ignominioſæ mortis characteres, ſive ſigna clavorum retinere voluerit. Ipſis Angelis hoc viſum fuit tam mirabile, ut Zachariæ 13. cap. v. 6. quæ ſiverint, *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Omiſſis modò plurimis & pulcherrimis reſponſis; ſentio cum multis ſanctis Patribus & Doctoribus, ſervatas fuiſſe in corpore glorioſas cicatrices, ut inde ſanctiſſimæ Matri ingens gaudiorũ ſeges & meſſis pullularẽt: ut eſſent fontes, ex quibus in gaudio hauriret aquas. Proinde lætiſſima Virgo vulnera Filii diſſuaviata fuit, veluti flores cœleſtis paradiſi, & roſas è beato corpore progerminantes; ut flores, teſte S. Bernardo, *rubentes ſanguine paſſionis*, ardentes igne caritatis, plenas æterni veris odoribus. Inter hos flores, inter has roſas, inter lilia ſine dubio applauſit ſibi Virgo, dicens cum ſponſa; *Jam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit, flores apparuerunt* in glorioſa terra Humanitatis Filii mei, Teſte Doctore Angelico obſtupuit B. Virgo inter hæc gaudia, ob Beatorum vulnerum ſplendorem quendam immenſum, & decorem infinitum, ac divinum; cum ingenti cumulo gloriæ & lætitiæ; nam in locis clavorum, ſpecialis quidam

decor apparuit; Et ſi vera ſunt verba piſſimi Bloſii, etiam in cœlis, glorioſiſſimæ hæ cicatrices, plus pulchritudinis, decoris & claritatis conferunt univerſæ Curiæ cœleſti, quàm omnia alia, quæ ibi, exceptâ Divinitatis viſione, habentur. Quantam itaque pulchritudinem, quantum decorem, quantam claritatem putamus illa contuliſſe Mariæ? mihi non eſt dubium repetiiſſe illam millies in aſpectu ſanctiſſimorum vulnerum, *Magnificat anima mea Dominum*; *Et exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.* Fortaſſis uſa fuit illis verbis Abacuc; *Gaudebo in Domino, gaudebo in Jeſu meo*, vel, ut alia habet lectio, *in factore redemptionis meæ*: vel, *In vulneribus filii mei.* q. d. ah dolores, quibus his diebus aſpexi vulnera Crucifixi: hodie in illis gaudeo & exulto. Abiit dies triſtitiæ, modo eſt tempus lætitiæ. Exultamus nos præ gaudio cordis, cum nobis piâ fiduciâ perſuademus, ſponſum ſanguinum deſcripſiſſe nomina noſtra, in aureis & hyacinthinis manibus ſuis: O favum! O mel & lac! O jubilum! O paradiſum! O gaudiorum fontem! O poculum & muſtum aromatibus conditum, in corde virginis, in ejus oculis! cùm in benedicto vulnere lateris, veluti libro vitæ, primo loco, in capite Electorum, poſt Filium, nomen Mariæ, purpureis impreſſum characteribus, & ſanguine divino inſcriptum legit. Quid dicam? quid cogitabo de illo amoris & infiniti gaudii oſculo, quo benedictùm & glorioſum Filii latus ſalutavit. Piè & acutè, piiſſimus & acutiſſimus Orator, oſcula ſacro libata lateri, ingens nutrici pretium rependerunt, dum Mater *Deum Uberum* adultum & glorioſum, id eſt, fontem dulcedinis exſugit, quem ipſa lacte virgineo lactavit naſcentem & lactentem.

§ 8. *Aſcenſioni Chriſti D. interfuerunt B. Virgo, Apoſtoli, Diſcipuli & piæ fœminæ.*

His inquam gaudiis B. Virgo quadraginta dierum ſpatio inter diem reſurrectionis & aſcenſionis ex apparitione & viſitatione Filii frequẽter delibuta fuit. Illuxit tandem lætiſſima dies, divino in cœlos aſcenſui, & glorioſiſſimo triumpho deſtinata. Orto ſummo mane in clivum Oliveti aſcendit Aurora, ſive Maria, in illius comitatu ibidem ſe ſtitit, ſtellarum ſive Apoſtolorum, Diſcipulorum & piarum fœminarum chorus. Juxta auroram, ad latus Mariæ, inter ſtellas comparuit formoſiſſimus Jeſus, aſcenſurus in cœlum. Ecce Filium cum Matre! Regem cum Regina! Sponſum cum ſponſa, Magiſtrũ cum diſcipulis, Fratrem cum Fratribus, Paſtorem cum oviculis! neque enim decebat, ut cum Filius conſummare vellet opus, quod dederat illi Pater, abeſſet Mater, tanti operis prima cooperatrix; Cum Pater Filio imponere voluit *coronam exultationis*, Eccleſ. 1. v. 11. *Coronam pulchritudinis*, Ezech. 16 v. 12. *Coronam vitæ*, Apoc. 2. v. 11. *Coronã juſtitiæ*, 2. ad Timoth. 4. v. 8. æquum fuit, ut Virgo, veluti Mater, veluti Regina, veluti Sponſa tantorum gaudiorum eſſet, fieretque particeps. Eandem felicitatem, Doctor diſcipulis, Frater fratribus, Paſtor oviculis, Jeſus Apoſtolis, diſcipulis, & piis fœminis, paſſio-

paſſionum ſociis voluit communicare. In omnium præſentia voluit cœlos conſcendere. Itaque primùm Matrem, deinde reliquos omnes præſentes; mox iterum, iterumque Matrem ſuaviſſimâ allocutione, dulciſſimis verbis fuit ſolatus; ultimùm! in terris ſacroſancta vulnera oſculis & amplexibus præbuit, Magdalenæ & piis fœminiis pedes; Apoſtolis manus, Matri benedictum latus & cor, denique verbis ſuavisſimis, refertisſimum cœleſtibus theſauris, lætumque *Vale* impertiit.

§. 9. *Obſequia SS. Angelorum in Chriſti aſcenſione.* Effuſi interim de cœlis in clivo oliveti comparuerunt Angelorum, cœleſtiumque Spirituum legiones; in pulcerrimos choros diſtributæ, inſtar exercitus bene ordinati, ad obſequium tanti Victoris. Accurrit patefacto empyreo, quâ data porta tota cœleſtis aula. Pars aëris alis ſuſpenſa in nubibus beatisſimo ſpectaculo vacavit: pars ad obſequia venerabunda in terras uſque convolavit. Alii cœleſtes architecti ex puriſſimis vaporibus & elementorum flore, curulem nubem fabricarunt, ſive triumphalem currum, ſuperinfuſis empyreæ lucis radiis, radiantem thronum, tanto ſeſſore dignum. Bootes aurato currui aureas & cryſtallinas conceſſit rotas; ignivomos equos dedit aurora; igneas habenas Phœbus. Mox ut triumphator in aligero curru conſedit, alii, magno oneri, leves Atlantes ſuccollantes, inter ſummos honores duxerunt, aurigari Divinitati, & totam DEI molem ſuis humeris deferre decorum illis fuit. Alii prævolantes ſuavisſimum concinuerunt melos; Pſalm. 23. v. 7. *Attollite portas, elevamini portæ æternales, introibit Rex gloriæ.* Percontantibus aliis; *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* in tubis, in ſiſtris, in cymbalis, in organis beneſonantibus integri reſponderũt chori in organis, in cymbalis, in tubis, *Dominus virtutum, Victor mundi, Triumphator mortis & diaboli, ipſe eſt Rex gloriæ.* Angeli alii, cœleſtibus ſphæris, illuſtribusque ac ſplendidis illarum inquilinis, ſive lucidisſimis aſtris, Soli, Lunæ, Planetis dixerunt; *Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum. Currus verò DEI,* Pſalm. 67. v. 18. ſive nubes Deifera, in qua Chriſtus Dominus elevatus fuit, *decem millibus fuit multiplex.* S. Hieronymus vertit, *Currus Dei, innumerabilia millia Angelorum.* Paraphraſtes Chaldaicus, *Currus Dei veri ardentes, duo millia Angelorum ducunt illum, Divinitas DEI ſedet ſuper illos.* Monet tamen S. Bernardus, Angelici comitatus obſequio; non verò fultus auxilio, currus ille vehebatur. Propriâ virtute Chriſtus Dominus fuit elevatus, *Interim tamen,* (B Petrus Damianus) *toto illo decurſu, à clivo Oliveti per aëra, per cœleſtes ſphæras, ad cœlum uſque empyreum; deinde ab introitu Empyrei per omnes Angelorum ordines, Chriſti D. Humanam Naturam cum ipſo aſcendentem conſpicientes, ſummâ admiratione perculſi, ſine ulla intermiſſione laudes ejus celebrarunt.*

§. 10. *Suprema Chriſti D. benedictio* Tandem itaque, poſt iteratum *Vale*, gratulante naturâ, plaudente cœlo, ſolo auguſtioribus radiis coronato

& ſuſpiria Matris. nato, cum elementorum tripudio, in jubilo, in exultatione, in magnificentia, in voce tubæ; cum oculis, animiſque ſpectatorum Chriſtus D. in aëra ſe ſe elevavit; cum deinde paulatim nubes glorioſiſſimum ejus corpus, B. Virginis & Apoſtolorum oculis inciperet abſcondere, levatâ iterum victrici dexterâ, ad imaginem crucis decuſſata, ſuis ultimum benedixit. Hic puto, benedictam Matrem, ut tandem ad illam revertar, ſuſpiraſſe cum ſponſa, Cantic. 8. v. 14. ***Fuge, fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnuloq; cervorum ſuper montes Bethel.*** Vel cum regio Pſalte. 56. v. 6. ***Exaltare ſuper cœlos Deus***, fili mi! in ***omni terra gloria tua***, vel cum Jobo, cap. 40 v. 4. ***Si habes brachium ut Deus, aut ſimili voce tonas, circumda tibi decorem, & in ſublime erigere, & eſto glorioſus.*** Quis rurſum exprimat, quibus amoris & deſideriorum alis, Mater fuerit ſecuta Filium? Quis iterum explicet, quam jucundis radiis, jam intra nubem ſe ſe occultantis Filii aſpectus virginis oculos & cor perſtinxerit? Semper puto Matrem cum jubilo cordis aſpexiſſe in terris Filium; ſed præſertim hodie, cùm formoſus in ſtola ſua, & gradiens in multitudine virtutis ſuæ, elevatus fuit in cœlum. Neque ignorabat Virgo, cum Filio ex hoc mundo avolare omnes ſuos amores, & omnia in terris gaudia extingui; ſed mœſtam ſolabatur tanta gloria Filii, quem ſciebat, conſtitutum ad dexteram Patris, in cœleſtibus, ſuper omnem Principatum & Poteſtatem, & Virtutem, & fortitudinem, & omne nomen quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.

§. 11. *Quanti gaudii cauſa Matri fuerit, Gloria Filii.* Itaque tanta gloria Filii hodie aſcendentis ad cœlos, fuit Matris cor, anima, ſpiritus, halitus, reſpiratio, aſpiratio, inſpiratio, deſiderium, raptus, ecſtaſis, deliquium, ſomnus, quies, ſuavis contemplatio. Gloria Filii aſcendentis in cœlos, Matri fuit conſolatio, gaudium, voluptas, jubilum, canticum, melos, exultatio, gloria, felicitas, beatitudo. Quia & nos ardenter amavimus Chriſtum Crucifixum, noſtra quoque hodie conſolatio, gaudium, &c. eſt Jeſus glorioſè aſcendens in cœlos. Gloria Filii Matri fuit, mel, favus, nectar, ambroſia, cibus, potus, guſtus, ſapor, dulcedo, ſuavitas, ſatietas. Quia & nos Jeſum amamus, & noſtrum mel, noſtrum nectar, &c. eſt glorioſa ejus aſcenſio. Gloria Filii Matri fuit ineffabilis gaudii ſcaturigo, vena, fons, puteus, riv⁹, fluvius, torrens, mare, pelagus, Oceanus, Abyſſus. Nobis quoque, &c. Gloria Filii Matri fuit hortus, paradiſus, vinea, cœlũ, divitiæ, theſaurus, abundantia, pax, centrũ, meta, ſcopus, finis, magnes, & dulciſſimus labyrinthus. Gloria Filii! Matri fuit vinculũ, fortiter, ſed ſuaviter ligans! unio, vehementer, ſed blandè uniens! flam̃a, ardenter, ſed amoroſè urens! telũ, fortiter, ſed delectabiliter ſaucians! Seraphicus carbo, fortiter, ſed Seraphicè incendens. Pondus premens, ſed onere amabili. Motus fortiter impellens, ſed ad centrũ quie[illegible] Brevi ſeptuaginta ferè vocularum & mataphorarũ conglobatione, totidẽ im̃enſi Mariani gaudii fontes, in hodierni feſti ſolennitate vobis oſtendi. ***Itaque gaude O Regina cœli!*** (ait Amedeus

deus Lauſanenſis.hom. 6. de Deip.) *Tu glorioſa, natum aſcendentem ad cœlos vidiſti! tu ejus gloriam beatiſſimis oculis aſpexiſti, liquefacta es, ut vocem dilecti tui ultima loquentis audiviſti. Verbum ejus fuit velut ignis flammigerus in oſſibus tuis. Ergo tota effecta es ignis, teq́; ſuaviſſimum holocauſtum Deo obtuliſti.* Sic eſt: facta extra ſe, & ſui oblita, præ gaudio adhæſit Filio lætiſſimo corde, & conglutinata Deo, in ullum tota efferebatur, in cujus amoris immenſitatem tota refundebatur.

§. 12. Feliciſſimus obitus viri Religioſi in monte Oliveti.

Referunt hiſtoriæ rem miram de viro religioſo. Hic obitis locis ſanctis, ubi ad veſtigia Chriſti aſcendentis ad cœlos in monte Oliveti pervenit, inter illorum oſcula tanti amoris telo fuit ſauciatum cor ejus, ut ſubitò ſuaviſsimè expirarit. Aperto pectore, cordi hæ voculæ fuerunt inſcriptæ, *Amor meus Jeſus*! Beatiſſima Virgo hodiernâ die in monte Oliveti non expiravit, cùm vidit Filium elevari in cœlos; arbitror, tamen ſtetiſſe immotam veluti columnam, circumfuſam Oceano cœleſtium gaudiorum. O ſi virgineum cor inſpicere licuiſſet; has ego voces puto aureis literis fuiſſe inſcriptas, *amor meus: gaudium meum: voluptas mea: Jeſus meus*: Utinam ego hodie hæc eadem cordibus veſtris aliùm poſſim imprimere: *Amor noſter*, &c.

§. 13. B. vulnera vulnerati cordis ab amore Ieſu.

Cœleſtis ſponſus vel Chriſtus Dn. olim apparuit Virgini cum aurea ſagitta in manu, quâ cor ejus percuſſit triplici vulnere. Ex primo ortum fuit ingens tædium & nauſea omnium creaturarum. Ex ſecundo, deſiderium ardens uniendi ſe Chriſto: Ex tertio, tanta ſuavitas, ut beatiſsima illa anima videretur ſibi immergi cuidam Oceano cœleſtis amoris & dulcedinis (Ex his poterit fieri affectuoſus Epilogus)

FINIS Partis Tertiæ.

ALVEI

ALVEI SECUNDI,
Sive
CONCIONUM
IN
Omnia Feſta à Pentecoſte uſque
ad Adventum,
PARS IV.

CONCIO LXX.

FERIA II. PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum, Joannis 3. cap. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit quinque graves rationes, vel cauſas, ob quas adventus vel deſcenſus Spiritus Sancti Apoſtolis planè fuit neceſſarius.

§. 1. *Liberaliſſimus Deus amplius dat, quàm petamus.*

§. 2. *Probatur ex S. Chryſoſtomo, & cap. 45. Geneſis.*

§. 3. *Vita Apoſtolorum fuit ardua, & laborioſa: proinde neceſſarius illis fuit Spiritus Confortator.*

§. 4. *Ob eandem cauſam, nos gratia illius indigemus.*

§. 5. *Non prædicaſſent efficaciter myſterium Crucis, ſine auxilio Spiritus Sancti.*

§. 6. *Probatur ex capite* 10. *Actorum.*

§. 7. *Et capite* 16. *S. Joannis.*

§. 8. *Illuminari debuerunt à Spiritu Sancto, ut myſteria tam obſcura congruè proponerent.*

§. 9. *Digreſſio ad concionatores, ut invocent Spiritum Sanctum.*

§. 10. *Spiritus Sanctus Apoſtolis debuit eſſe teſtis infallibilis auctoritatis.*

§. 11. *Proſecutio. Et quantum fuerit miraculum, Apoſtolos convertiſſe Orbem.*

§. 12. *Declaratur hoc amplius ex S. Chryſoſtomo.*

§. 13. *Proſecutio.*

§. 14. *Proſecutio.*

§. 15. *Quare & nobis neceſſarius ſit Spiritus S.*

§. 16. *Spiritus S. Apoſtolis fuit neceſſarius ad Operationem: quod probatur ex Sancto Bernardo,*

§. 17. *Confirmatur ulterius ex Sanct. Bernardo.*

§. 18. *Spiritus Sanctus eſt pignus ſalutis æternæ.*

Cla-

§. 1. *Liberaliſſimus Deus amplius dat, quàm petamus.*

CLariſſima voce, & cum jubilo cordis, repeto, quod in heſternæ concionis exordio inſinuavi. *Quàm munificus, quàm liberalis eſt Deus noſter*, dum longè plus tribuit, quam nos deſideramus & petimus, imò petere cogitamus vel audemus! Breviter, ſed eleganter, ut ſolet, Petrus Abbas Cellenſis; lib. 3. Epiſt. 4. *Nihil infra votum*: q.d. quæcunque vovemus, optamus, petimus, deſideramus, rogamus, obſecramus, obteſtamur à Deo, ſi ad Dei gloriam, & noſtram ſalutem conducant, obtinemus. Nihil infra votum: non dat Deus minus, quam petamus, ut addere poſſimus, Omnia ſupra votum: Deſideravit mundus videre Chriſtum, petevit Meſſiam ſive Salvatorem, & venit! nihil infra votum! Chriſtum D. petere auſi fuimus, quia neceſſitas nos coegit: Et dedit Pater; *ſic dilexit mundum*! Spiritus Sancti verò deſcenſum, & modo tam mirabili, quis mortalium petere auſus fuiſſet: tamen & hunc mundo dedit liberalis Deus: ſupra votum! Munificentia Dei noſtri, non fuit contenta, ut daret Salvatorem, ſed etiam addere placuit Conſolatorem; ut non tantùm ad neceſſitatem, ſed ad ſolatium & voluptatem nobis abunde proſpiceret.

§. 2. *Probatur ex S. Chryſoſt. & c. 45. v. 28. Geneſ.*

Advertite hoc in ſuaviſſima hiſtoria ex cap. 45. v. 28. Geneſis: id quod & ante me obſervavit Sanctus Chryſoſtomus hom. 36. in cap. 46. Gen. *Iacob cùm audivit vivere filium ſuum Ioſeph, primum à Pharaone in Egypto*, dixit Geneſ. *Sufficit mihi, ſi adhuc Ioſeph filius meus vivit; vadam & videbo illum antequam moriar*. Amantiſſimus pater nil deſideravit aliud, quàm ut filii poſſet frui conſpectu: Nec dubito, quin affectuoſe à DEO, & ardentibus ſuſpiriis id petiverit: At DEUS quid? *Deſcende, ait, in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi*: D. Chryſoſtomus, *Vide, quomodo ea, quæ juſtus ille deſiderabat, ea illi Deus pollicetur: imò & multò majora; liberalitate enim ſua noſtras petitiones tranſcendit*: tantùm videre Joſeph, erat Jacobo in votis: hoc non ſolùm Deus conceſſit, ſed addit; *Ego deſcendam tecum illuc, Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos tuos; cùm ibis ad patres tuos*, quod ſolatium antiqui valde expetebant, ut ſcilicet cariſſimi adeſſent morientibus, & clauderent oculos: ſed hoc modo tantum adverto: Deus non ſolùm conceſſit Jacobo, ut videret filium ſuum, ſed hunc eundem voluit eſſe Patri Conſolatorem: Plus dedit, quàm ille petiverat: Et nos deſideravimus videre Jeſum, Pater cœleſtis exaudavit preces noſtras. Sic dilexit mundum, &c. Et plus dedit, dum hodie in mundum miſit ſuum Paracletum. Verùm hæreo diutius in ſuaviſſimâ materiâ, & ipſo exordio; ipſam itaque aggredior concionem, in qua quinque exponam cauſas, ob quas Spiritus Sanct. Apoſtolis, ad prædicationem Evangelii planè fuit neceſſarius. Colligemus ex iiſdem cauſis, quàm & nobis adventus ejuſdem Spiritus ſit proficuus & utilis.

§. 3. *Apoſtolorũ*

Primò, Chriſtus D. elegit ſuos Apoſtolos

Vita fuit ardua & laborioſa: proinde neceſſarius illis fuit Spiritus Conſortator.

ſtolos ad prædicandum Evangelium per totum mundum, & proinde ſimul illos vocavit ad vitam laborioſam, ad arduos labores, denique crudelem mortem. Petrus fuit affixus Cruci: Andreas ſimiliter; & S. Philippus excoriatus, alius gladio cæſus, alius ferro trajectus. Vitam illorum paucis deſcribit S. Paulus: 1. Cor. 4. v. 11. *Uſque in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus. Sive, ſtabilem domum non habemus.* Quid ergo defuit ad vitam laborioſam? non habuerunt victum, non potum, non veſtem, non domum: inſuper raptati ſunt ad carceres, contumeliis affecti ſunt, cæſi ſunt, &c. adeo ut S. Paulus dixerit, 2. Cor. 1. v. 8. *gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.* In prima converſione ſtatim Paulo oſtendit Deus *quanta pro nomine ejus oporteret illum pati*, Actor. 9. v. 16. Omnia ſuis Apoſtolis ipſe Chriſtus D. prædixit Joan. 16. v. 2. *Abſque ſynagogis facient vos, & omnis qui interficiet vos, putabit obſequium ſe præſtare Deo.* Non opus eſt deducere ampliſſimam materiam; ſolent id facere Concionatores in feſtis Apoſtolorum, cum agunt de illorum laboribus & heroicis virtutibus. Hanc modò deduco ſequelam. Neceſſe ergo fuit, inter tot, tantaſque tribulationes ac labores, Conſolatorem illis adjungere, qui eos animaret, erigeret atque foveret: quod Chriſtus D. aſcendens ad cœlos fecit, cum illis hodie miſit Spiritum Sanctum, de quo iterum S. Paulus ſupra: *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*; per Spiritum Sanctum, quem Chriſtus D. miſit in hunc mundum.

§. 4. *Ob eandē cauſam, nos gratia illius indigemus.*

Cùm noſtra quoque vita, ſi Chriſtum D. ſequi velimus, ſit valde laborioſa; cum & nos oporteat multa pati, juſtiſſimam quoque cauſam habemus, ut ardenter petamus, ut Spiritus Sanctus nos viſitet, & corda noſtra repleat: Si vita hominis eſt paupertas, Spiritus S. eſt dator munerum. Si moleſtiſſima vita noſtra eſt triſtitia, fletus, tædium, labor; ipſe eſt conſolator optimus, dulcis hoſpes animæ, fons omnis gaudii. Si vita noſtra nox eſt & caligo, & umbra mortis; Spiritus Sanctus eſt lucis æternæ radius, eſt lux beatiſſima, replens cordis intima. Si vita hominis ob cōtinuas adverſitates eſt veluti accenſa fornax; ſi nos urit ignis adverſitatis; Spiritus Sanctus dulciſſimus ventus eſt, & dulce refrigerium. Si hic mundus in quo vivimus, & flemus, eſt lacrymarum vallis; Spiritus S. eſt vera quies. Ecce cauſas, ut dicamus ardenter, & frequenter, hymnum *Veni S. Spiritus.*

§. 5. *Non prædicaſſent efficaciter myſteriũ Crucis ſine auxilio Spiritus S.*

2. Prædicatio myſteriorum vitæ Chriſti, Apoſtolis impoſita, fuit difficillima, ob ſcandalum crucis: quomodo enim credibile eſſe potuit Judæis illum eſſe Filium Dei, quem ſuis oculis conſpexerant affixum fuiſſe Cruci? Quam difficultatem Sanctus Paulus agnovit. 1. Cor. 2. v. 1. *Et cum veniſſem ad vos fratres, non in ſublimitate ſermonis & ſapientiæ, annuntiavi vobis teſtimonium Chriſti*; paula-

tim

tim explicat, & proponit quid debeat, & quid velit annuntiare: *Non enim judicavi, me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum.* ſtatim ſubjungit: v. 2. *Et ideò in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* Cur hoc? quia quod ipſe prædicabat, ita abſconditum erat à ſenſibus hominum, ut vix in alicujus mentem venire poſſet, Deum eſſe Crucifixum. Quis quæſo auſus fuiſſet petere à Deo, ut daret filium ſuum ad mortem, & talem mortem? Unde hæc ſapientia Dei, & admirabilis inventio redemptionis humanæ, hominibus fuit ſcandalum: adeò, ut niſi veniſſet Spiritus Sanctus & per Apoſtolos nos docuiſſet, impoſſibile fuiſſet, hoc credere. Quod cognoſcens Sanctus Paulus manifeſtè dixit, ſuum ſermonem & prædicationem non *in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ conſtitiſſe verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis.* Ubi Origenes lib. 6. contra Celſum. *Hæc verba, quid aliud ſibi volunt, quàm non ſatis eſſe; ut verum ſit & notum ad movendos animos hominum, quod dicimus; niſi Doctori divinitus conceſſa ſit, vis quædam, & dictis ejus adſit gratia cœleſtis energia, ut in Paulo; & hoc eſt illud, quod ait* David pſ. 67. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.* Scilicet per Spiritum S. ergo ad ſonum verborum, ad tubam prædicationis, ut corda penetraret, ut homines crederent, hominem illum Crucifixum eſſe Deum; adjungendus erat Spiritus S.

§. 6. *Probatur ex cap. 10. Actuum.* Patet hoc ex cap. 10. v. 34. Act. *Aperiens Petrus os ſuum dixit; Viri fratres, nobis præcepit Dominus prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe* (Crucifixus) *eſt, qui à Deo conſtitutus eſt judex vivorum, & mortuorum.* Non tamen ideo ait textus, factum fuiſſe aliquem motum animorum, aliquos credidiſſe, &c. Mox autem, adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes, qui audiebant Verbum, & obſtupuerũt: Tunc ait Petrus: *Nunquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui acceperunt Spiritum Sanctum?* & juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti: quod ſine adventu Spiritus Sancti non contigiſſet.

§. 7. *Et cap. 16. S. Ioan.* Imò, ipſis Apoſtolis, licet coram agerent cum Chriſto, licet verba ejus audirent; tamen myſteria prædicanda, tam fuerant illis difficilia, ut Chriſtus D. dixerit, Joan. 14. v. 26. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo:* quando ergo? *Cùm venerit Paracletus, ille docebit vos omnia.* Didymus Alex. t. 1. B. P. de Spiritu S. *Multa, edocenda, Jeſus in futurum tempus diſtulit, quæ ſine diſciplina Spiritus S. ſcire non poterant:* & S. Paul. cit. Nobis autem revelavit Dominus, per Spiritum ſuum: quia Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis negabit, & nobis, qui tam difficilia credere debemus, ſi ſalvi eſſe volumus, neceſſarium eſſe Spiritum S.?

§. 8. *Illuminare debuerunt à Spiritu S. ut myſteria tam obſcura congruè proponerent. Ioan. 14. v. 6.* 3. Doctrina ab Apoſtolis prædicanda erat planè obſcura, latens ſub figuris, occultata promiſſis, æquè obſcuris. Itaque opus habebant Spiritu Veritatis, qui illis talia explicaret, & ipſi alios illuminarent: Variant Doctores in aſſignandâ ratione,

 quare

Digitized by Google

quare Tertia Perſona SS. Tr. vocetur, Spiritus Veritatis. S. Cyrillus ait, *quia procedit à Filio, qui de ſe dixit, Ego ſum Veritas.* Juſtinus. *Quia unius eſt eſſentiæ, cum Filio, qui eſt Veritas.* S. Baſilius, *quia Chriſtum manifeſtat, qui eſt Veritas.* Optimè Sanctus Chryſoſt. *quia figuras & umbras antiquæ legis declarat & enucleat*: Et quomodo rudes piſcatores, illas explicare potuiſſent, niſi Chriſtus Dn. illis miſiſſet Spiritum S. Ad aſſentiendum prædicationi Evangelicæ, ad imbuendos animos hominum tam novis & miris Maximis, non certe externa adhibenda fuerunt argumẽta, ſed interna: non humana, ſed divina, quæ Spiritus Sanct. illis ſuggeſſit.

§ 9 *Digreſſio ad Concionatores, ut invocent Spiritum Sanct.* Advertant hæc omnia mecum, Verbi Dei præcones, ut prima illorum cura ſit, implorare gratiam Spiritus Sancti: ſine hâc enim inanis erit illorum labor, inane ſtudium, inanis lectio, inanis fatigatio memoriæ, inanis è ſuggeſtu vociferatio, inanis omnis conatus. Spiritus S. eſt, qui librorum donat intelligentiam, qui fructuoſam lectionem Scripturæ: Spiritus S. eſt, qui ingenii vires acuit; qui conceptus populo ſalutares ſuggerit: Spiritus S. eſt, qui voluntatem inflammat, qui linguam in cœleſtem ſolvit eloquentiam. Spiritus S. eſt, qui memoriam juvat, qui dictionem igne ſuo divino inflammat.

§ 10. *Spiritus S. debuit illis eſſe teſtis infal-libilis auctoritatis.* 4. Difficultas in prædicatione tam mirabilium teſtimoniorum orta fuit, ex imbecillitate teſtimoniorum: cum enim res tam arduæ proponendæ eſſent, neceſſarium erat, ut credi poſſent, eos proponere, teſtes, qui magnæ eſſent auctoritatis. Et quam habere poterant rudes piſcatores? ad rem quippe magnam teſtandam, non ſolùm multi, *ſed graves debent eſſe teſtes*, inquit Socrates; Ergo ex hoc capite neceſſe etiam fuit novis Prædicatoribus adjungere Doctorem, qui tantæ eſſet auctoritatis, quantæ ipſe Deus. Hic fuit Spiritus Sanctus, qui à Patre Filioque procedens ejuſdem eſt naturæ cum ipſis, & æqualitatis in auctoritate, & impoſſibilitate errandi, vel fallendi.

§. 11. *Proſecutio: & quantum fuerit miraculum, Apoſtolos convertiſſe Orbem pulchre demonſtrat S. Chryſoſt. homilia 2. in Epiſt. ad Rom.* Unde licet piſcatores rudes, peregrini, advenæ, abjecti Hominem Crucifixum proponerent eſſe adorandum, hoc tamen etiam à ſapientibus mundi, creditum eſt, ob teſtimonium Spiritus S. quod allegabant, & qui illos regebat, perque illos interius etiam teſtimonium perhiberet veritati. Quod miraculum ſummopere extollit S. Chryſoſt. Non diſplicebit vobis aureus diſcurſus, ideo nolo omittere. Inprimis gloriatur: *Quoniam fides noſtra annuntiatur per univerſum mundum. A Solis ortu, uſque ad occaſum. Conſidera prædicationis Evangelicæ vim, ut brevi tempore publicatur, ac piſcatorum operâ, in ipſum urbium caput invaſerit, ut homines Syri, Romanorum præceptores, atque inſtitutores extiterint; qui faſtu multo turgebant, tanquam Orbis Domini, in deliciis, ac divitiis vitam degentes. Evangelium autem ipſum, piſcatores Judæi ferebant, ex gente quam oderant & abominabantur: quin & Crucifixum adorare jubebant; jam &*

unà

unà cum ipſo dogmate, duram vitam agendam præſcribebant, &c. Adde quod, qui hanc annuntiabant, pauperes erant & privati; ignobiles, &c. Sed tamen nihil horum impedivit Sermonis Evangelici curſum. *Tanta erat Crucifixi, & Spiritus Sancti potentia.*

§. 12. *Declaratur hoc amplius ex S. Chryſoſtomo.* Bene ponderanda ſunt hæc verba S. Chryſoſt.; continent enim præcipuas difficultates Evangelicæ prædicationis 1. ex parte ipſius objecti, quod prædicabatur. 2. ex parte eorum, qui prædicabant. 3. ratione illorum, quibus talia annuntiabant: Si prædicationem aſpicias, continet illa duo duriſſima, Myſterium Crucis, ſive adorationem Chriſti Crucifixi, & ſimul duriſſimam vitam carni planè contrariam: Si prædicatores aſpicis, fuerunt Judæi; ex illis non ſcribæ, non Doctores, ſed piſcatores. Si Auditores conſideras, fuerunt Romani, Orbis dominatores, omnium deſpectores, ſuperbi, idololatræ, homines carnales, ſenſuales.

§. 13. *Proſecutio.* Deus Sancte! quales difficultates! & tamen tales viri, talibus viris prædicantes, Cruci eos ſubegerunt, & omnem mundi ſapientiam, ſtultitia Crucis ſuperantes eam humiliaverunt, hominemque crucifixum adorare, & quod caput eſt, imitationem ejus arripere, compulerunt; vitam commutantes delicioſam in aſperam, divitem in pauperem; Illi tanti viri! ſapientes, ſuperbi, potentes, deinde mori maluerunt, quàm deſerere doctrinam, quam illis ſemel viles Magiſtri prædicaverant. Quid mirabilius? nunquid talia Apoſtoli præſtare potuiſſent, niſi in oſtenſione Spiritus S. virtutis? *Ubi nomen Athenarum?* quærunt S. Chryſoſt. & S. Cyrillus Catech 17. *ubi ſunt Græciæ faſtus? ubi Philoſophorum deliramenta? Verum hæc mutatio dexteræ Excelſi.*

Atque illud adhuc mirabilius, pergit S. Chryſoſtomus, *quod Apoſtoli nudo corpore conſiſtebant, adverſus armatos, adverſus Principes; imperiti, & elingues, atque ſimplices idiotæ, adverſus impoſtores & circumventores; adverſus Sophiſtarum, Rhetorum ac Philoſophorum turbam, qui in Academia Platonis & Ariſtotelis in ambulationibus exercitati depugnabant. Vicerunt tamen Apoſtoli, triumpharunt in oſtenſione Spiritus S. & virtutis; induti, confortati, animati robore ex alto.* Sed ante neceſſe fuit, talem ſpiritum illis adjungere, qui talia ac tanta patraret; cujus auctoritas, quia irrefragabilis eſt, omnem humanum vinceret intellectum. §. 14. *Proſecutio.*

Facile advertere poteſtis cauſas, ob quas & nobis quotidie neceſſarius ſit Spiritus S. Idem Chriſtus Crucifixus nobis eſt adorandus. Eadem vita, aſpera, ſpiritualis, cœleſtis nobis eſt amplectanda; eadem perſuadere debemus aliis, ut à vanitate deducamus ad Chriſtum; è tenebris ad lucem, à vitiis ad virtutes. Quid facto opus? *Veni Sancte Spiritus!* tuam hic imploramus opem, tuam gratiam invocamus, ad tuam confugimus clementiam, tuum hoc opus eſt, non noſtrum; tua hæc eſt virtus, tua potentia non noſtra. Tu igniculos frigidis §. 15. *Quare & nobis neceſſarius ſit Spiritus S.*

gidis

Digitized by Google

gidis ſubjice cordibus, & mox flammam tui amoris concipient.

§. 16. *Spiritus S. Apoſtolis fuit neceſſarius, ad operationem: quod probatur ex S. Bernardo.*

5. Apoſtoli, legem Chriſti, non tantùm prædicare debuerunt verbis, ſed ipſo opere illa, quæ annunciarunt, exercere; quod ſine peculiari aſſiſtentia Spiritus S. præſtare non potuiſſent. Non ſatis eſt, ut Divinus hic Spiritus inflammet corda, ut accendat voluntatem, ut illuſtret intellectum, ſed inſuper robur largiri debet ad opus: ut fortia & ardua agamus ad Dei gloriam. Quod S. Bernardus obſervavit ſer. 1. in Pentecoſte, quare Spiritus S. deſcenderit in igne; *In igne*, inquit, *apparuit Apoſtolis, propter lumen pariter & ardorem: quos enim repleverat, ut veritatem agnoſcerent; fecit & Spiritu fervere*; ut etiam manus applicent operi. Hi ſunt effectus Spiritus S. in anima hominis; facit cognoſcere veritatem, ſive illuminat intellectum, & ideo deſcendit in luce; ſed hoc non eſt ſatis, venit quoque cum ardore, ut in opere ardeamus.

§. 17. *Confirmatur alterius ex S. Bernardo. Luc. 24. v. 32.*

Iterum utrumque effectum ſuaviter conjungit S. Bernardus hom. de duobus diſc. euntibus in Emaus, ſuper illa verba, *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis?* ita habet: *O dulcis arbor! dulcis ſplendor! dulcis amor! ſplendor illuminans! amor inebrians! quàm mirabiliter ſplendes! quàm ſufficienter totum cor hominis imples!* Ecce ſuaviſſimos effectus Spiritus S. præſertim hodie in animis Apoſtolorum! quàm illuſtres virtutum radios undique diffuderunt? quàm clarè emicuit illorũ zelus? quàm nitidè eluxit illorum in Deum amor? quàm conſtanti luce virtus illorum radiavit? O dulcis ſplendor! quam ardentes illorum erant coram Tyrannis atque Præſidibus ſermones! quàm inflammata verba! O dulcis ardor! quàm gaudentes ibant à conſpectu concilii, quàm intime lætabantur, quòd digni habiti eſſent, pro nomine Jeſu contumeliam pati: O dulcis amor! quàm citò, quàm potenter, quàm feliciter cœcos illuſtrarunt populos: O ſplendor illuminans: quàm cœleſtia illorum erant colloquia: O amor inebrians: ſed ô S. Spiritus: tua hæc fuit virtus, tuus hic partus, tua iſta potentia. Unde hunc diſcurſum S Bernard. his verbis concludit, *O ardor confortans, quàm dulciter ardes*: O utinam omnes experiamur: Experiemur, ſi igne S. Sancti ardeamus intus in cordibus & foris in operatione. Omnia, cor, lingua, intellectus, voluntas & manus debent ardere.

§. 18. *Spiritus S. eſt pignus ſalutis æternæ.*

Tum non opus eſt, ut de abſentia Chriſti murmuremus, vel triſtes ſimus; miſit enim nobis Spiritum Paracletum, qui nobis donat pignus ſalutis (ſunt ferè verba S. Bernardi) & robur vitæ. pignus ſalutis: quia Spiritus S. reddit ſpiritui noſtro teſtimonium, quod ſimus filii Dei, & certiſſima ſigna prædeſtinationis noſtræ imprimit cordibus noſtris. Hoc pignore, quiſquis eſt deſtitutus; hoc Sancto Spiritu, quiſquis reperitur vacuus, quodnam is obſecro ad cœleſtem beatitudinem jus poterit pretendere? Ah infelicem me: ſi mihi vel ullo vitæ momento, hoc tam pretioſo ſalutis æternæ pignore carendum

dum foret; ſi illud vitæ Chriſtianæ robur, me quandoque deficeret. Agite itaque mecum auditores, ut cætera perdamus univerſa, ne hoc animæ robur, ne hoc ſalutis noſtræ certiſſimum pignus, ne hunc conſolatorem, in adverſis, Doctorem in ſublimibus, hanc lucem in tenebris, Spiritum Sanctum amittamus; ne ab eo ullo unquam tempore ſeparemur, ne benigniſſimos illius favores, quos nobis ultrò ſæpiſſime offert, contemptui habeamus, ſummo ſemper ſtudio intenti, vigilemus.

CONCIO LXXI.

FERIA III. PENTECOSTES.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant, Joannis 10. cap. v. 8.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit quatuor ſymbola Spiritus Sancti; Ventum, Linguas, Ignem & Aquam.

§. 1. *Chriſtus Dominus dedit nobis vitam: Spiritus Sanctus abundantius dedit.*

§. 2. *Supponit hæc Concio aliquam notitiam de Spiritu S.*

§. 3. *Prima cauſa, ob quam Spiritus Sanctus ſupra Apoſtolos venit cum Vento.*

§. 4. *Altera cauſa analogia inter Ventum & Spiritum S. cum pulchra figura ex cap. 10. Exodi.*

§. 5. *Spiritus Sanctus purgat mentem à vitiis.*

§. 6. *Cur vento permixtus fuerit vehemens ſonus.*

§. 7. *Timidus Petrus, poſt adventum Spiritus S. fuit vir fortis.*

§. 8. *Quare Spiritus S. in linguis igneis deſcenderit.*

§. 9. *Figura fuit Iſaias, cujus linguam ardenti carbone tetigit Seraph.*

§. 10. *Apoſtoli fuerunt viri ignei.*

§. 11. *Quare deſcenderit in forma Ignis.*

§. 12. *Aqua quoque eſt ſymbolum Spiritus S.*

§. 13. *Sine pluvia & aquis miſera eſt terræ facies.*

Digitized by Google

§. 14. *Quod terra arida eſt aqua: hoc animæ eſt Spiritus Sanctus cum variis elogiis.*

§. 15 *Expertus fuit Samſon: experimur & nos.*

§. 16. *De abundantia donorum Spiritus S.*

§. 17. *Vt aqua; ſic Spiritus S. extinguit ſitim.*

§. 1. *Chriſtus D. dedit nobis vitam, Spiritum S. abundantius dedit.*

VOcula, *abundantius* ex hodierno Evangelio, iterum confirmat meam propoſitionem, quam hoc biduo, initio mearum concionum vobis propoſui, & eſt talis: quàm munificus, quàm liberalis eſt Dominus Deus noſter, non eſt alia natio tam grandis, quæ talem habeat Deum! Elucet infinita ejus liberalitas præcipuè in hoc, ut dixi, quod longè plus det, quam nos vel petamus, vel petere audeamus. Nihil infra votum: potius ſupra. Votum humani generis fuit, videre Chriſtum Salvatorem, ut mortuis vitam daret. Spiritus S. fuit ſupra vota noſtra, tamen & illum liberalis Deus nobis dedit, ut vitam quam habeamus à Chriſto, abundantius habeamus, per Spiritum Sanctum: qui ſuâ virtute & gratia totum terrarum orbem implevit. Multa vobis hoc biduo, de excellentia hujus doni, multa de infinita virtute & perfectione hujus Spiritus, expoſui: reſtant adhuc complura, è quibus iterum aliqua tantùm hâc concione proponam, quæ deſiderium Spiritus S. obtinendi, quod hoc biduo jam concepimus, adhuc magis, ut ſpero, in cordibus noſtris accendant atque inflamment. Ut Spiritus S. neceſſariam ad hoc gratiam, mihi & vobis largiatur, ex animo precor. Quare dicite iterum unà mecum, *Veni S. Spiritus!*

§. 2. *Supponit hac concio aliquam notitiam de Spiritu Sancto.*

Non putem meos auditores dicturos, quod Epheſii reſponderunt S. Paulo, Act. 19. v. 2. cùm enim Apoſtolus illos interrogaret, *Si Spiritum S. accepiſtis credentes?* illi dixerunt, *ſed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus.* Interrogationem S. Pauli alibi vobis propono: reſponſionem non ſpero cadere in meos Auditores, cùm jam hoc biduo à me audiverint, Spiritum S. eſſe Spiritum intelligentiæ, à quo omnis ingenii vis atque acumen, omnis fons ſapientiæ proficiſcitur: eſſe Spiritum Sanctum, velut Oceanum, cui qui non immerſus eſt, vitam degit flagitiis atque ſceleribus infamem; eſſe ſalutis noſtræ pignus, quo eos, qui cœlum ſperant, ante omnia inſtructos eſſe, neceſſe eſt; eſſe robur vitæ Chriſtianæ, ſine quo infauſtum militia noſtra, quam adverſum innumeros animæ hoſtes gerimus, exitum ſortietur: eſſe ſpiritum diſertum, qui cœleſtem diſcipulis ſuis Rhetoricam momento quaſi infundit, qui eos in negotio ſalutis reddit fœcundiſſimos; eſſe ſpiritum lucentem, ardentem, ſuavem, inebriantem. Omitto ſexcenta alia, quæ vel protuli, vel proferri poſſent, Spiritus S. elogia: ad majorem tamen notitiam, pauculas modò quæſtiones placet de eodem Spiritu proponere.

Et prima ſit: quomodo deſcendit Spiri-

Spiritus S. Reſpondet S. Lucas Act. 2. v. 2. *Cùm eſſent Apoſtoli congregati, factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam Spiritus vehementis; & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum.* In tribus ergo ſymbolis involutus deſcendit, in vento, in linguis & igne. Deſcendit Spiritus Sanctus emittens ventū, diſpertiens linguas, infundens ignem; ſed quid vento, quid aëri, cum Spiritu S.? Multùm profectò. In vento venit, quia citò venit. Chriſtus Dominus ſuis Apoſtolis Spiritum S. promiſerat; neceſſe ergo fuit, ut veniret citò, ut ſumeret pennas venti, quæ magna perfectio eſt divinæ liberalitatis, ut quod promiſit, illico impleat. Quam in dando celeritatem deprædicavit David Pſal. 103. v. 1. 2. *Benedic anima mea Dominum qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Ubi S. Auguſtinus quærens, *cur ambulat Dominus ſuper pennas venti*, reſpondet, *quia velociter currit ſermo ejus, citò implens, quidquid vult.* Talia locutus fuerat Chriſtus Dominus, *Mittam vobis Spiritum S. à patre meo: cùm venerit Paracletus, &c.* quæ locutus fuit, citò voluit impleri. Adeſt ergo Spiritus S. cum vehementi & celerrimo vento.

§. 4. *Altera cauſa analogiæ inter ventum & Spiritū S. cum pulcra figura ex cap. 10. Exodi.*

Capite 10. v. 13. Exodi, invenio alteram cauſam, & nobilem figuram, quare Spiritus S. deſcenderit in hunc mundum, ut vehemens ventus. Peſtilens aër impleverat Ægyptum innumerabili copia locuſtarum, quæ omnia devaſtarunt. *Induxit enim Dominus ventum urentem,* & cum illo illas beſtias. Mox tamen; orante Moyſe per alium ventū fugatæ ſunt de facie terræ; ait enim textus cit. cap. *Oravit Dominum Moyſes, qui flare fecit ab Occidente ventum vehementiſſimum! & arreptam locuſtam projecit in mare rubrum, non remanſit, nec una quidem in cunctis finibus.* Singula ſunt ponderatione digna. Ad petitionem Moyſes flavit ventus, Spiritus S. deſcendit ad petitionem Chriſti Domini. *Ego rogabo Patrem, &c.* Ventus flavit, non quilibet, ſed vehementiſſimus: in vento quoque venit Spiritus S. non leni & molli, ſed vehementi & forti, adeo ut ingentem ſonum ediderit; *factus eſt de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus* (ſive venti) *vehementis.* Flavit ille ventus ab Occidente; & Spiritus quoque Sanctus non veniſſet in terras, niſi Chriſtus D. ante occubuiſſet in cruce. Joan. 16. v. 7. *Niſi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Per ventum locuſtæ projectæ ſunt in mare rubrum: quid per locuſtas melius intelligere poſſumus, quàm peccata hominum, & per mare rubrum, pretioſiſſimum Chriſti ſanguinem, in quo ſubmerſa & delata ſunt.

§. 5. *Spiritus S. purgat mentem à vitiis ut pulcre declarat S. Gregorius.*

Videntur hæ analogiæ placuiſſe S. Gregorio M. lib. 2. cap. 2. in l. 2. Reg. c. 2. cùm ait; *Cum per gratiam ſuam Spiritus S. electorum corda viſitat, ab omni peccatorum immunditia potenter purgat. quia ut ſe menti infuderit, eam protinus in vitiorum odium, & in virtutum amorem infallibiliter excitat: facit enim ſtatim odiſſe, quod amabat, & quod odio habuerāt, ardenter diligere. Quis enim audet dicere, licet omnimodâ peccatorū ſarcinâ prægravetur, quod perire poſſit aliquis viſitatus gratiâ*

Digitized by Google

Spiritus Sancti? Veni itaque O S. Spiritus! imple tuorum corda fidelium, nam & nos, peccatorum ſarcinâ, heu dolor! prægravati ſumus, ſed perire nolumus! hinc tuam invocamus clementiam; vexant nos ſcelerum locuſtæ, quæ ex infelici fonte proſilierunt. Fons ille hic mundus eſt, turbidis, & peſtilentibus undis ſcaturiens; peſtilens fons eſt caro & ſenſualitas noſtra, &c. hic tuo opus eſt flamine & vento, O Sancte Spiritus; tu vitiorum monſtra, tu infernales illas locuſtas, tuâ potes præſentiâ diſpellere; tuo nutu arcere, veni itaque S. Spiritus!

§. 6. *Cur vento permixtus fuerit vehemens ſonus.*

Ventus, in quo deſcendit Spiritus S. adjunctum habuit ingentem ſonum, veluti tonitruum, per quod totus terrarum orbis fuit concuſſus. Prædixit hoc cap. 1. l. 2. v. 10. Regum. *Dominum formidabunt adverſarii ejus.* Impleta fuit hæc prædictio feſto glorioſæ reſurrectionis Chriſti, quæ contigit formidante totâ ſynagogâ, & cum terrore totius populi Judaici. Formidarunt tantum ac talem Dominum, adverſarii ejus: & hodierno feſto Pentecoſtes, cùm terribilis ſonus de cœlo, timore concuſſit totam Jeroſolymam. Hic idem ſonus fecit deinde ſonare & tonare Apoſtolos totumque mundum, terrore quodam concutere. Hic ventus, hic ſonus, cum quo in mundum venit Spiritus Sanctus, Apoſtolos fecit fortes & terribiles omnibus hoſtibus crucis. S. Baſilius ſuper illa verba, *Verbo Domini cæli firmati ſunt; & ſpiritu oris ejus, omnis virtus eorum,* ſic ait: *Spiritu itaque Sancto firmata eſt omnis virtus cœleſtis, hoc eſt, firmitatem, ſoliditatem ac confirmationem in ſanctitate, & omni virtute, quæ ſacras doceant poteſtates.* Item omne robur quo electi indigent ad opera ardua, & ad ſuperandas inimici tentationes, *ex Spiritus S. auxilio habent.*

§. 7. *Timidus Petrus poſt adventum Spiritus S. fuit vir fortis.*

Eleganter quoque D. Chryſoſt. hom. 5. in Acta cap. 2. v. 14. ſuper illa verba, *Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem ſuam. Jam mihi Petrum conſidera, ac reputa: timidus ille, adeoque timidus, ut nec mulierculæ vilis percunctationem tulerit, quis vir factus ſit?* quem nulla amplius terrere potuerunt pericula; cujus animum nulla vitæ mortiſque diſcrimina, labefactare; cujus conſtantiam nullus tyranni furor infringere; cujus robur nulla hoſtilium fluctuum tempeſtates, cohibere. Vir factus eſt, qui & tonare poſſet, & fulgurare; & Principibus, & Regibus, & ſummis, & infimis, ſine ullo metu, audactiſſimè Chriſtum Crucifixum prædicare, nimirum, *poſt acceſſionem, & largam ſuppeditationem Spiritus S.* Perpendite; ſi Spiritum S. accepiſtis: ego pergo ad alterum ſymbolum.

§. 8. *Quare in linguis igneis deſcenderit. Act. 2. 3.*

Apparuerunt eis diſpertitæ linguæ. Inter linguas & quidem igneas, & Spiritum S. pulchra eſt connexio. Advertit illam S. Bernardus ſermo. 1. in Pent. *Venit ſupra diſcipulos in linguis ignitis, ut verbis igneis loquerentur, & legem igneam igneâ linguâ prædicarent.* Et quomodo Apoſtoli ignea reddidiſſent corda credentium, ſi linguas non habuiſſent ignitas? quomodo ignem illum, quem Chriſtus venit mittere in terram, in cordibus morta-

mortalium accendiſſent, niſi verba eorum fuiſſent ignita, niſi faces & linguæ eorum arſiſſent ut faculæ. Luc. 24. v. 32. Chriſtus D. accendit corda eorum euntium in Emaus, ut dicerent, cap. cit. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis*, ſcilicet ignea linguâ caritatis. Poſt Aſcenſionem Apoſtoli miſſi ſunt in mundum univerſum, ad annuntiandam novam legem Chriſti, & annuntiarunt; ſed Spiritus S. prius igneas linguas illis ſubminiſtravit.

§. 9. *Figura fuit Iſaiæ, cujus linguam ardenti carbone tetigit Seraph.* Cùm Iſaias ad unicam gentem fuit miſſus, ut ferventer prædicaret pœnitentiam, prius à Seraphino ejus lingua, calculo ignito fuit tacta; & factus fuit quaſi igneus Propheta: multò magis decebat, ut cum Apoſtoli miſſi ſunt, in univerſum terrarum orbem, ad prædicandum Evangelium, ſupremus dator munerum, linguis ipſos inſtrueret ignitis, quibus gentiles & barbaros, & illuminarent ad agnitionem Chriſti, & accenderent ad ejusdem amorem. Quam operationem Spiritus S. ſic expoſuit S. Ambroſius. *Implet igitur Spiritus Sanctus organum ſuum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei, corda Sanctorum; qui ideò, cum die Pentecoſtes in Apoſtolos, plebemque credentium, ſicut à Domino fuerat promiſſus, influeret; in ſpecie apparuit linguarum ignearum, ut dubium non eſſet, per ipſius inſpirationem, utilem affectum, rationabilemque ſermonem, animabus fidelium miniſtrari.* Proinde etiam Spiritus Sanctus in Apoſtolis non fuit otioſus, ſed foras prorupit, per illos, urens & accendens corda hominum, affectuſque inflammans. Apoſtoli igneos ſermones proferabant, auditores illis accenſi, eoſdem recipiebant. Sed audiamus Chryſoſtomum, qui eleganti rem in ſimili exponit hom. 5. in Acta.

§ 10. *Apoſtoli fuerunt viri ignei.* Ait enim, Apoſtolos igneis linguis à Spiritu S. accenſos, ſic fuiſſe conſtitutos in mundo, præcipuè inter certamina cum Synagoga & gentilitate, quaſi igneos homines, inter ſtipulas campi. Mira ſed apta ſimilitudo; qui enim prius abſente Spiritu S. fuerant timidi, timore trepidantes, quaſi Agni inter lupos; poſtea accenſi igneis linguis, & repleti Spiritu Sancto, quaſi ignis exiterunt inter ſtipulas, inflatas & ſuperbiſſimas gentes, reducentes in cinerem: Verba viri Sancti ſunt hæc: *quemadmodum enim igneus homo, ſi in medias incidat ſtipulas, nihil lædetur; ſed magis vim exeret ſuam: nec enim ille quidquam patitur mali, ſed qui reluctantur, ipſi ſe ipſos perdunt*: Ita nunc evenit: Facti ſunt ignei homines Apoſtoli, ſic eos incendit, ſic inflammavit ipſe, qui totus pariter ignis eſt, Spiritus S. Inciderunt in medias ſtipulas, in ſiccos atque aridos animos gentilium, in mentes ſuperbiâ tumidas: hic vim ſuam exerere, hic undequaque flammas diſpergere, hic incendere frigida corda, hic omnes ſuis ignibus involvere, hic totum terrarum orbem felici huic incendio ſubjicere, inceperunt; Et quid mirum? viri erant toti, quanti, quanti, igniti! ardebat eorum lingua, ardebant ſermones, ardebat vultus, ardebant oculi, arde-

bant manus, ardebat intellectus, ardebat voluntas, ardebant venæ, ardebant pedes, ardebat ſanguis ipſe; omnia in illis accendit igneus ille Spiritus.

§. 11. *Quare deſcenderit in forma ignis.*

Inadvertenter delabor ad tertium Symbolum, in quo deſcendit Spiritus S. nimirum, in igne; cui proprium eſt, per colliquefactionem, efficere transformationem alicujus rei in aliam: quia itaque Apoſtoli in alios erant transformandi viros, in forma ignis ſupra illos venit Spiritus S. Quod aureis verbis deſcripſit Sanct. Chryſoſtomus hom. 74. in cap. 3. S. Joan. *Qui enim prius timebant ac formidabant, poſt Spiritus S. acceptionem in medium proſiluerunt*, (ut ante dixi) *viri igniti, & per ferrum, ignes, beſtias, pelagus: & ad omnem calamitatem intrepidi ſe expoſuerunt: Et illiterati, idiotæ, audenter diſputabant, ita ut auditores in admirationem adducerent, ex luteis, ferreos, & in cœlum erigens, nulli humano affectui ſubjectos.* Talis fuit illa gratia, quâ illos replevit Spiritus S. de quâ S. Baſilius libro de Sp. S. intellexit illum verſum cap. 3. ep. 2. v. 18. ad Corinth. *Gloriam Dei ſpeculantes, in eandem imaginem transformatur, à claritate, in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.*

§. 12. *Aqua quoque eſt Symbolum Spiritus S.*

Verùm de hac transformatione, & cur in igne Spiritus S. deſcenderit, alibi frequenter ago. Hæc quæſtio mihi modo enodanda reſtat, cur Spiritus qui ignis eſt, etiam ſub ſymbolo aquæ, Eccleſiæ à Deo fuerit promiſſus. v. g. Iſaiæ 44. cap. v. 3. *Effundam aquas ſuper ſitientes, & fluenta ſuper aridam*: quæ verba ipſe Propheta mox explicat; *effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum.* Clarius Joël c. 2. v. 28. & Ezechiel c. 36. v. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam.* Et Chriſtus D. Joan. c. 7. v. 27. *Si quis ſitit, veniat ad me, fluent flumina de ventre ejus.* addit Evangeliſta; *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant*: Ob plurimas cauſas Spiritus comparatur cum aqua, aliquas tantum inſinuo.

§. 13. *Sine pluvia & aquis, miſera eſt terræ facies.*

Miſerrima eſt facies terræ aridæ: revertitur prope in cinerem, ſiccantur flores, decidunt folia, marceſcunt fructus, jacet omnis camporum decor, evaneſcit hortorum venuſtas. Deus bone! qualis ubique languor, quale floſculorum deliquium; qualis mors fructuum, qualis camporum ſcena! quàm triſtis! quàm pallida! quàm abjecta. Sed age pluviam expecta, hæc ubi delapſa fuerit, jam ſuus campis nitor, jam ſua floſculis venuſtas, jam ſuus fructibus decor, jam ſuus arboribus ſuccus, jam ſua hortis vita, jam ſuus ſylvis riſus & viror, jam ſua ſtirpibus plantiſque pulchritudo redit & renaſcitur.

§. 14. *Quod aridæ terræ eſt aqua: hoc animæ eſt Spiritus S. cum aliis variis elogiis.*

Eadem in aridâ hominis alicujus animâ efficit gratia Spiritus S. Non poſſum hoc deſcribere elegantius, quàm fecerit S. Chryſoſtomus Ser. de Spiritu S. *Ipſe eſt Spiritualium oculorum noſtrorum ſol, interni noſtri hominis Lucifer, Lucifer in pectoris cœlo: ipſe opulentia filiorum DEI; ipſe æternorum bonorum theſaurus; ipſe potus, aqua, pluvia*: ipſe potum ſitientibus arvis ſubminiſtrat, ipſe aquas, quibus univerſa velut natura, reficiatur, demittit, ipſe fœcundas diſtillat pluvias & triſtem cordium ſterilitatem in fœcun-

fœcundiſſimos virtutum, cœleſtiumq; gaudiorum partus transmutat: Nitor, venuſtas, decor, ſuccus, vita, viror, pulchritudo, & theſaurus gratiæ, ſi illa eſt in cordibus noſtris; eſt à Spiritu S.

§. 15. *Expertus fuit Samſon. Experimur & nos.* Samſon in prælio fatigatiſſimus Judicum 15. cap. v. 19. putabat ſe moriturum, ſed Deus dedit illi fontem, bibit, & refocillavit Spiritum, *& vires recepit*; LXX. legunt, *Revertit Spiritus ejus, & revixit*: Quoties nos Auditores, quoties inquam in prælio noſtro, quo cum mundo, Carne ac Dæmone nobis eſt colluctandum defatigamur! quoties ſuccumbimus miſeri! quoties victi proſternimur in terram! quoties de tali etiam vulnere ſauciamur! quoties eæ nos calamitates obruunt, ut jam jam velut animam acturi videamur; Quid igitur? O ſi Samſonis fortuna nos complecteretur! *Revertit Spiritus ejus, & revixit*: Revertere O Sancte Spiritus, revertere, tu animæ meæ robur, tu præſidium, tu ſolatium, tu Vita: te ſine, vitam omnem acerbam duco; te ſine, ad mortem properamus æternam; Sine tuis aquis ſitiemus æternùm. Fons aquæ ſalientis in vitam æternam eſt Spiritus S.

§. 16. *De abundantia donorum Spiritus S.* Deſcendit præterea Spiritus S. ut aqua, ad demonſtrandam abundantiam donorum, quibus replevit Apoſtolos. S. Hieron. ep. ad Edibiam; ſuper verba Joëlis; *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem terram: Verbum effuſionis ſignificat gratiæ largitatem, & idipſum ſonat, quod Dominus repromiſit, vos autem baptizabimini Spiritu S.* Alia litera habet, *Immergemini*: tam copioſe liberalis Spiritus dat dona ſua, & ita effundit, ac ſi eſſent aqua, & liquores. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* ad Rom. 8. v 5. S. Chryſoſtomus hom. 9. *Non dixit, data eſt, ſed effuſa, largitatem oſtendens, quod enim maximum erat donũ, hoc dedit, non cœlum, non terram, &c. ſed Spiritum Sanctum. Et hunc dedit, non ſenſim ac pedetentim, ſed cumulate ac plenâ manu bonorum fontem effudit*: Non ſatis fuit Chriſto D. de SS manibus in Cruce effundere ſanguinem ſuum, ſed poſt Aſcenſionem eadem dextera, plena gratiarum effudit Sp. S. *Talis eſt Deus noſter*, (S. Chryſoſt.) *ut largus dona ſua nobis eroget*; ut ſic abundantius vitam habeamus.

Deſcendit præterea Spiritus S. in ſymbolo aquæ; ut enim hæc ſitim extinguit; ita Spiritus S. animas noſtras exſatiat, ut nihil ſitiamus de mũdo. Rupertus l. 1. in cap. 1. Cant. in illa verba: *Meliora ſunt ubera tua vino, &c. Quid per ubera niſi dulcedinẽ Dei intelligimus? Et quid eſt dulcedo ejus, niſi Spiritus S. qui dum animæ infunditur, illico res hujus mundi faſtidit.* Auditores mei, dulciſſimus, imo omnis fons dulcedinis eſt Spiritus S. meliora ſunt ubera ejus vino, meliora ejus ſolatia omnibus mundi deliciis, dulciora omni melle & ſaccharo ejus eloquia. Utinã ego, utinam plena ſuper vos manu effundere poſſẽ hunc ſuavitatis Oceanũ, hunc Spiritũ dulcedinis, Sp. S. O Veni S. Spiritus; veni animæ noſtræ belliſſimum bellariũ, ſuaviſſimum condimentum, dulciarium & confectura amantium te cordium! veni dulcis hoſpes animæ, veni acerbitatis noſtræ lenimentum; veni S. Spiritus; veni, ah veni! §. 17. *Ut aqua, ſic Spiritus S. extinguit ſitim.*

Con-

Digitized by Google

CONCIO LXXII.

FESTO CORPORIS CHRISTI.

Caro mea vere eſt cibus, Joannis 6. v. 56.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit, Euchariſtiam eſſe ſacramentum admirabile; cum duabus cauſis, ob quas SS. Hoſtia, in publicis Proceſſionibus adoranda circum fertur.

§. 1. *Chriſtus Dn. ſemper dulcis; præſertim in inſtitutione Euchariſtiæ.*

§. 2. *In omnibus mirabilis eſt Deus: mirabilior in SS. Euchariſtia; ob plurima ejus miracula, & mirabilia.*

§. 3. *Quomodo David pſal.* 102. *oſtendat ſe prædiviſſe hæc mirabilia.*

§. 4. *Proſecutio.*

§. 5. *Invitatio omnium creaturarum, ut laudent Chriſtum in Euchariſtia.*

§. 6. *Prima cauſa, ob quam SS. Sacramentum cum tantâ pompa circumfertur; eſt, ut Chriſtus in Euchariſtia laudetur.*

§. 7. *Altera: ut nos repleamur cœleſti benedictione.*

§. 8. *In Euchariſtia ſunt divitiæ Amoris Ieſu; ut viciſſim illum amemus.*

§. 9. *Invectiva in illos, qui cum irreverentia comitantur Proceſſiones, in quibus Venerabile circumfertur.*

§. 10. *Euchariſtia eſt Sacramentum admirabile, ob mirabilem Unionem, quæ illo mediante fit inter Chriſtum & Hominem.*

§. 11. *Verba illa Adami*, duo erunt in carne una, *pulcre explicat S. Hieronymus.*

§. 12. *Aurea monita S. Auguſtini, congrua feſto Corporis Chriſti.*

§. 1. Chriſtus D. ſemper dulcis præſertim in inſtitutione Euchariſtiæ.

CUm mellifluus S. Benardus tr. de paſſ. cap. 12. perpendiſſet ſuaviſſima illa verba S. Joannis, cap 13. Cùm Jeſus dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos, exclamavit: *Cùm in ſummâ Ieſus eſſet amaritudine, nihil exivit de ejus corde, niſi dulce.* Idem dixit ſponſa, Cant. 1. v. 12. de ejus linguâ, licet paulò ante eum vocaſſet *faſciculum*

lum myrrha, tamen ait, *mel ſub lingua ejus.* Fortaſſis jam aliqui ex vobis, aſſueti ſanctis cogitationibus, cogitant, Sanctum Bernardum hæc verba dixiſſe in conſideratione dulciſſimorum verborum, quibus pius Jeſus in horto inter anguſtias mortis, Judam proditorem ſuum fuit allocutus; Math. 26. v. 50. *Amice, ad quid veniſti?* Alii fortaſſis, qui peculiari devotione feruntur erga ſeptem Verba, in Cruce à Domino prolata, dicent: cum Jeſus eſſet in ſummâ amaritudine, trihorio Crucis; tamen, ex corde, & hiantibus toto corpore Vulneribus, manuum pedumq; ſanguineis fontibus, *nihil exivit, & fluxit, niſi dulce.* Laudo piiſſimas cogitationes. Verùm Sanctus Bernardus locutus fuit de inſtitutione Venerabilis Sacramenti, in ultima Cœna. Jam tum Cor Jeſu plenum erat amaritudine, erat fons triſtitiæ, ex quo tamen effluxit ſumma ſuavitas & dulcedo; mel & lac, & vinum germinans Virgines. An non ex ore mellea prodierunt verba: *Hoc eſt Corpus meum*, quibus panem convertit in Carnem ſuam: An non voces ſuaviſſimæ, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*: quibus vinum tranſſubſtantiavit in Sanguinem: Eodem veſpere diei Jovis Sancti, quo Sanctiſſimum Sacramentum Altaris inſtituit, oportuiſſet nos magnâ ſolennitate tantam feſtivitatem celebrare; niſi ob juſtiſſimas cauſas placuiſſet Eccleſiæ, illam in hodiernam diem, in primum Jovis poſt SS. Trinitatem transferre. Utinam ergo viciſſim hodie è cordibus noſtris erga Sanctiſſimam Euchariſtiam exeat, & prodeat, ſeque oſtendat ſuaviſſima quædam & tenerrima devotio, cùm impetu & torrente quodam ſuaviſſimorum affectuum amoris, & gratitudinis, erga illum, qui ſic nos dilexit, & diligit, ut in hoc mundo etiam, in SS Sacramento nobiſcum manere velit, uſque ad conſummationem ſæculi; ut hoc obtineam, hac Concione vobis proponam.

§. 2. *In omnibus mirabilis eſt Deus: mirabilior in SS Euchariſtia. Ob plurima ejus miracula.*

In conſpectu Sanctiſſimi Sacramẽti Euchariſtiæ, ſoleo frequenter exclamare cum S. Bernardo, *O Sacrum! cæleſte! & admirabile myſterium! O inſigne Spectaculum!* neque proinde miror, hodiernâ die, in honorem tanti Sacramenti, inſtitui tam ſolennes Proceſſiones: non miror tantâ pompâ per compita circumferri, populiſque adorandam proponi Sanctiſſimam Hoſtiam: non miror etiam Reges & mundi Monarchas ruere in genua, ut Dominum Deum ſuum, ſub illis ſpeciebus latentem adorent: *O Solenne miraculum! Deus apparet mirabilis in omnibus, ſed mirabilior creditur, dum mirabilia operatur in Euchariſtiâ.* Paucis verbis Chriſtus Dominus, & iiſdem quivis ritè ordinatus Sacerdos, ſubſtantiam panis convertit in ſubſtantiam Corporis Chriſti, & vinum in Sanguinem: S. Ambroſius; *Quod ante conſecrationem erat panis; jam C rpus Chriſti eſt, poſt conſecrationem.* Nunquid hoc eſt mirabile? an non talis converſio eſt miraculũ, & abſconditum myſterium? Dividitur una conſecrata Hoſtia in mille particulas, millies ibi eſt Caro & Sanguis Chriſti! S. Chryſoſtomus in Canonem: *In ſingulis portionibus totus eſt*

Digitized by Google

quare Tertia Perſona SS. Tr. vocetur, Spiritus Veritatis. S. Cyrillus ait, *quia procedit à Filio, qui de ſe dixit, Ego ſum Veritas.* Juſtinus. *Quia unius eſt eſſentiæ, cum Filio, qui eſt Veritas.* S. Baſilius, *quia Chriſtum maniſeſtat, qui eſt Veritas.* Optimè Sanctus Chryſoſt. *quia figuras & umbras antiquæ legis declarat & enucleat*: Et quomodo rudes piſcatores, illas explicare potuiſſent, niſi Chriſtus Dn. illis miſiſſet Spiritum S. Ad aſſentiendum prædicationi Evangelicæ, ad imbuendos animos hominum tam novis & miris Maximis, non certe externa adhibenda fuerunt argumēta, ſed interna: non humana, ſed divina, quæ Spiritus Sanct. illis ſuggeſſit.

§ 9 *Digreſſio ad Concionatores, ut invocent Spiritum Sanct.*

Advertant hæc omnia mecum, Verbi Dei præcones, ut prima illorum cura ſit, implorare gratiam Spiritus Sancti: ſine hâc enim inanis erit illorum labor, inane ſtudium, inanis lectio, inanis fatigatio memoriæ, inanis è ſuggeſtu vociferatio, inanis omnis conatus. Spiritus S. eſt, qui librorum donat intelligentiam, qui fructuoſam lectionem Scripturæ: Spiritus S. eſt, qui ingenii vires acuit; qui conceptus populo ſalutares ſuggerit: Spiritus S. eſt, qui voluntatem inflammat, qui linguam in cœleſtem ſolvit eloquentiam. Spiritus S. eſt, qui memoriam juvat, qui dictionem igne ſuo divino inflammat.

§ 10. *Spiritus S. debuit illis eſſe teſtis infallibilis auctoritatis.*

4. Difficultas in prædicatione tam mirabilium teſtimoniorum orta fuit, ex imbecillitate teſtimoniorum: cum enim res tam arduæ proponendæ eſſent, neceſſarium erat, ut credi poſſent, eos proponere, teſtes, qui magnæ eſſent auctoritatis. Et quam habere poterant rudes piſcatores? ad rem quippe magnam teſtandam, non ſolùm multi, *ſed graves debent eſſe teſtes*, inquit Socrates; Ergo ex hoc capite neceſſe etiam fuit novis Prædicatoribus adjungere Doctorem; qui tantæ eſſet auctoritatis, quantæ ipſe Deus. Hic fuit Spiritus Sanctus, qui à Patre Filioque procedens ejuſdem eſt naturæ cum ipſis, & æqualitatis in auctoritate, & impoſſibilitate errandi, vel fallendi.

§. 11. *Proſecutio: & quantum fuerit miraculum, Apoſtolos convertiſſe Orbem pulchre demonſtrat S. Chryſoſt. homilia 2. in Epiſt. ad Rom.*

Unde licet piſcatores rudes, peregrini, advenæ, abjecti Hominem Crucifixum proponerent eſſe adorandum, hoc tamen etiam à ſapientibus mundi, creditum eſt, ob teſtimonium Spiritus S. quod allegabant, & qui illos regebat, perque illos interius etiam teſtimonium perhiberet veritati. Quod miraculum ſummopere extollit S. Chryſoſt. Non diſplicebit vobis aureus diſcurſus, ideo nolo omittere. Inprimis gloriatur: *Quoniam fides noſtra annuntiatur per univerſum mundum. A Solis ortu, uſque ad occaſum. Conſidera prædicationis Evangelicæ vim, ut brevi tempore publicatur, ac piſcatorum operâ, in ipſum urbium caput invaſerit, ut homines Syri, Romanorum præceptores, atque inſtitutores extiterint; qui faſtu multo turgebant, tanquam Orbis Domini, in deliciis, ac divitiis vitam degentes. Evangelium autem ipſum, piſcatores Judæi ferebant, ex gente quam oderant & abominabantur: quin & Crucifixum adorare jubebant; jam & unà*

unà cum ipſo dogmate, duram vitam agendam præſcribebant, &c. Adde quod, qui hanc annuntiabant, pauperes erant & privati; ignobiles, &c. Sed tamen nihil horum impedivit Sermonis Evangelici curſum. *Tanta erat Crucifixi, & Spiritus Sancti potentia.*

§. 12. *Declaratur hoc amplius ex S. Chryſoſtomo.* Bene ponderanda ſunt hæc verba S. Chryſoſt.; continent enim præcipuas difficultates Evangelicæ prædicationis 1. ex parte ipſius objecti, quod prædicabatur. 2. ex parte eorum, qui prædicabant. 3. ratione illorum, quibus talia annuntiabant: Si prædicationem aſpicias, continet illa duo duriſſima, Myſterium Crucis, ſive adorationem Chriſti Crucifixi, & ſimul duriſſimam vitam carni planè contrariam: Si prædicatores aſpicis, fuerunt Judæi; ex illis non ſcribæ, non Doctores, ſed piſcatores. Si Auditores conſideras, fuerunt Romani, Orbis dominatores, omnium deſpectores, ſuperbi, idololatræ, homines carnales, ſenſuales.

§. 13. *Proſecutio.* Deus Sancte! quales difficultates! & tamen tales viri, talibus viris prædicantes, Cruci eos ſubegerunt, & omnem mundi ſapientiam, ſtultitia Crucis ſuperantes eam humiliaverunt, hominemque crucifixum adorare, & quod caput eſt, imitationem ejus arripere, compulerunt; vitam commutantes delicioſam in aſperam, divitem in pauperem; Illi tanti viri! ſapientes, ſuperbi, potentes, deinde mori maluerunt, quàm deſerere doctrinam, quam illis ſemel viles Magiſtri prædicaverant. Quid mirabilius? nunquid talia Apoſtoli præſtare potuiſſent, niſi in oſtenſione Spiritus S. virtutis? *Ubi nomen Athenarum?* quærunt S. Chryſoſt. & S. Cyrillus Catech. 17. *ubi ſunt Græciæ faſtus? ubi Philoſophorum deliramenta? Verum hæc mutatio dexteræ Excelſi.*

Atque illud adhuc mirabilius, pergit S. Chryſoſtomus, *quod Apoſtoli nudo corpore conſiſtebant, adverſus armatos, adverſus Principes; imperiti, & elingues, atque ſimplices idiotæ, adverſus impoſtores & circumventores; adverſus Sophiſtarum, Rhetorum ac Philoſophorum turbam, qui in Academia Platonis & Ariſtotelis in ambulationibus exercitati depugnabant. Vicerunt tamen Apoſtoli, triumpharunt in oſtenſione Spiritus S. & virtutis; induti, confortati, animati robore ex alto.* Sed ante neceſſe fuit, talem ſpiritum illis adjungere, qui talia ac tanta patraret; cujus auctoritas, quia irrefragabilis eſt, omnem humanum vinceret intellectum. §. 14. *Proſecutio.*

Facile advertere poteſtis cauſas, ob quas & nobis quotidie neceſſarius ſit Spiritus S. Idem Chriſtus Crucifixus nobis eſt adorandus. Eadem vita, aſpera, ſpiritualis, cœleſtis nobis eſt amplectanda; eadem perſuadere debemus aliis, ut à vanitate deducamus ad Chriſtum; è tenebris ad lucem, à vitiis ad virtutes. Quid facto opus? *Veni Sancte Spiritus!* tuam hic imploramus opem, tuam gratiam invocamus, ad tuam confugimus clementiam, tuum hoc opus eſt, non noſtrum; tua hæc eſt virtus, tua potentia non noſtra. Tu igniculos frigidis §. 15. *Quare & nobis neceſſarius ſit Spiritus S.*

Digitized by Google

gidis ſubjice cordibus, & mox flammam tui amoris concipient.

§. 16. Spiritus S. Apoſtolis fuit neceſſarius, ad operationem: quod probatur ex S. Bernardo.

5. Apoſtoli, legem Chriſti, non tantùm prædicare debuerunt verbis, ſed ipſo opere illa, quæ annuntiarunt, exercere; quod ſine peculiari aſſiſtentia Spiritus S. præſtare non potuiſſent. Non ſatis eſt, ut Divinus hic Spiritus inflammet corda, ut accendat voluntatem, ut illuſtret intellectum, ſed inſuper robur largiri debet ad opus: ut fortia & ardua agamus ad Dei gloriam. Quod S. Bernardus obſervavit ſer. 1. in Pentecoſte, quare Spiritus S. deſcenderit in igne; *In igne*, inquit, *apparuit Apoſtolis, propter lumen pariter & ardorem: quos enim repleverat, ut veritatem agnoſcerent; fecit & Spiritu fervere*; ut etiam manus applicent operi. Hi ſunt effectus Spiritus S. in anima hominis; facit cognoſcere veritatem, ſive illuminat intellectum, & ideo deſcendit in luce; ſed hoc non eſt ſatis, venit quoque cum ardore, ut in opere ardeamus.

§. 17. Confirmatur alterius ex S. Bernardo. Luc. 24. v. 32.

Iterum utrumque effectum ſuaviter conjungit S. Bernardus hom. de duobus diſc. euntibus in Emaus, ſuper illa verba, *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis?* ita habet: *O dulcis arbor! dulcis ſplendor! dulcis amor! ſplendor illuminans! amor inebrians! quàm mirabiliter ſplendes! quàm ſufficienter totum cor hominis imples!* Ecce ſuaviſſimos effectus Spiritus S. præſertim hodie in animis Apoſtolorum! quàm illuſtres virtutum radios undique diffuderunt? quàm clarè emicuit illorũ zelus? quàm nitidè eluxit illorum in Deum amor? quàm conſtanti luce virtus illorum radiavit? O dulcis ſplendor! quam ardentes illorum erant coram Tyrannis atque Præſidibus ſermones! quàm inflammata verba! O dulcis ardor! quàm gaudentes ibant à conſpectu concilii, quàm intime lætabantur, quòd digni habiti eſſent, pro nomine Jeſu contumeliam pati: O dulcis amor! quàm citò, quàm potenter, quàm feliciter cæcos illuſtrarunt populos: O ſplendor illuminans: quàm cœleſtia illorum erant colloquia: O amor inebrians: ſed ô S. Spiritus: tua hæc fuit virtus, tuus hic partus, tua iſta potentia. Unde hunc diſcurſum S Bernard. his verbis concludit, *O ardor confortans, quàm dulciter ardes*: O utinam omnes experiamur: Experiemur, ſi igne S. Sancti ardeamus intus in cordibus & foris in operatione. Omnia, cor, lingua, intellectus, voluntas & manus debent ardere.

§. 18. Spiritus S. eſt pignus ſalutis æternæ.

Tum non opus eſt, ut de abſentia Chriſti murmuremus, vel triſtes ſimus; miſit enim nobis Spiritum Paracletum, qui nobis donat pignus ſalutis (ſunt ferè verba S. Bernardi) & robur vitæ. pignus ſalutis: quia Spiritus S. reddit ſpiritui noſtro teſtimonium, quod ſimus filii Dei, & certiſſima ſigna prædeſtinationis noſtræ imprimit cordibus noſtris. Hoc pignore, quiſquis eſt deſtitutus; hoc Sancto Spiritu, quiſquis reperitur vacuus, quodnam is obſecro ad cœleſtem beatitudinem jus poterit prætendere? Ah infelicem me: ſi mihi vel ullo vitæ momento, hoc tam pretioſo ſalutis æternæ pignore carendum

dum foret; ſi illud vitæ Chriſtianæ robur, me quandoque deficeret. Agite itaque mecum auditores, ut cætera perdamus univerſa, ne hoc animæ robur, ne hoc ſalutis noſtræ certiſſimum pignus, ne hunc conſolatorem, in adverſis, Doctorem in ſublimibus, hanc lucem in tenebris, Spiritum Sanctum amittamus; ne ab eo ullo unquam tempore ſeparemur, ne benigniſſimos illius favores, quos nobis ultrò ſæpiſſime offert, contemptui habeamus, ſummo ſemper ſtudio intenti, vigilemus.

CONCIO LXXI.

FERIA III. PENTECOSTES.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant, Joannis 10. cap. v. 8.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit quatuor ſymbola Spiritus Sancti; Ventum, Linguas, Ignem & Aquam.

§. 1. *Chriſtus Dominus dedit nobis vitam: Spiritus Sanctus abundantius dedit.*

§. 2. *Supponit hæc Concio aliquam notitiam de Spiritu S.*

§. 3. *Prima cauſa, ob quam Spiritus Sanctus ſupra Apoſtolos venit cum Vento.*

§. 4. *Altera cauſa analogia inter Ventum & Spiritum S. cum pulchra figura ex cap. 10. Exodi.*

§. 5. *Spiritus Sanctus purgat mentem à vitiis.*

§. 6. *Cur vento permixtus fuerit vehemens ſonus.*

§. 7. *Timidus Petrus, poſt adventum Spiritus S. fuit vir fortis.*

§. 8. *Quare Spiritus S. in linguis igneis deſcenderit.*

§. 9. *Figura fuit Iſaias, cujus linguam ardenti carbone tetigit Seraph.*

§. 10. *Apoſtoli fuerunt viri ignei.*

§. 11. *Quare deſcenderit in forma Ignis.*

§. 12. *Aqua quoque eſt ſymbolum Spiritus S.*

§. 13. *Sine pluvia & aquis miſera eſt terræ facies.*

Digitized by Google

§. 14. *Quod terra arida eſt aqua: hoc anima eſt Spiritus Sanctus cum variis elogiis.*

§. 15 *Expertus fuit Samſon: experimur & nos.*

§. 16. *De abundantia donorum Spiritus S.*

§. 17. *Vt aqua; ſic Spiritus S. extinguit ſitim.*

§. 1. *Chriſtus D. dedit nobis vitam, Spiritum S. abundantius dedit.*

VOcula, *abundantius* ex hodierno Evangelio, iterum confirmat meam propoſitionem, quam hoc biduo, initio mearum concionum vobis propoſui, & eſt talis: quàm munificus, quàm liberalis eſt Dominus Deus noſter, non eſt alia natio tam grandis, quæ talem habeat Deum! Elucet infinita ejus liberalitas præcipuè in hoc, ut dixi, quod longè plus det, quam nos vel petamus, vel petere audeamus. Nihil infra votum: potius ſupra. Votum humani generis fuit, videre Chriſtum Salvatorem, ut mortuis vitam daret. Spiritus S. fuit ſupra vota noſtra, tamen & illum liberalis Deus nobis dedit, ut vitam quam habeamus à Chriſto, abundantius habeamus, per Spiritum Sanctum: qui ſuâ virtute & gratia totum terrarum orbem implevit. Multa vobis hoc biduo, de excellentia hujus doni, multa de infinita virtute & perfectione hujus Spiritus, expoſui: reſtant adhuc complura, è quibus iterum aliqua tantùm hâc concione proponam, quæ deſiderium Spiritus S. obtinendi, quod hoc biduo jam concepimus, adhuc magis, ut ſpero, in cordibus noſtris accendant atque inflamment. Ut Spiritus S. neceſſariam ad hoc gratiam, mihi & vobis largiatur, ex animo precor. Quare dicite iterum unà mecum, *Veni S. Spiritus!*

§. 2. *Supponit hac concio aliquam notitiam de Spiritu Sancto.*

Non putem meos auditores dicturos, quod Epheſii reſponderunt S. Paulo, Act. 19. v. 2. cùm enim Apoſtolus illos interrogaret, *Si Spiritum S. accepiſtis credentes?* illi dixerunt, *ſed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus.* Interrogationem S. Pauli alibi vobis propono: reſponſionem non ſpero cadere in meos Auditores, cùm jam hoc biduo à me audiverint, Spiritum S. eſſe Spiritum intelligentiæ, à quo omnis ingenii vis atque acumen, omnis fons ſapientiæ proficiſcitur: eſſe Spiritum Sanctum, velut Oceanum, cui qui non immerſus eſt, vitam degit flagitiis atque ſceleribus infamem; eſſe ſalutis noſtræ pignus, quo eos, qui cœlum ſperant, ante omnia inſtructos eſſe, neceſſe eſt; eſſe robur vitæ Chriſtianæ, ſine quo infauſtum militia noſtra, quam adverſum innumeros animæ hoſtes gerimus, exitum ſortietur: eſſe ſpiritum diſertum, qui cœleſtem diſcipulis ſuis Rhetoricam momento quaſi infundit, qui eos in negotio ſalutis reddit fœcundiſſimos; eſſe ſpiritum lucentem, ardentem, ſuavem, inebriantem. Omitto ſexcenta alia, quæ vel protuli, vel proferri poſſent, Spiritus S. elogia: ad majorem tamen notitiam, pauculas modò quæſtiones placet de eodem Spiritu proponere.

Et prima ſit: quomodo deſcendit Spiri-

Spiritus S. Reſpondet S. Lucas Act. 2. v. 2. *Cùm eſſent Apoſtoli congregati, factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam Spiritus vehementis; & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditq́ ſupra ſingulos eorum.* In tribus ergo ſymbolis involutus deſcendit, in vento, in linguis & igne. Deſcendit Spiritus Sanctus emittens ventū, diſpertiens linguas, infundens ignem; ſed quid vento, quid aëri, cum Spiritu S.? Multùm profectò. In vento venit, quia citò venit. Chriſtus Dominus ſuis Apoſtolis Spiritum S. promiſerat; neceſſe ergo fuit, ut veniret citò, ut ſumeret pennas venti, quæ magna perfectio eſt divinæ liberalitatis, ut quod promiſit, illico impleat. Quam in dando celeritatem deprædicavit David Pſal. 103. v. 1. 2. *Benedic anima mea Dominum qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Ubi S. Auguſtinus quærens, *cur ambulat Dominus ſuper pennas venti*, reſpondet, *quia velociter currit ſermo ejus, citò implens, quidquid vult.* Talia locutus fuerat Chriſtus Dominus, *Mittam vobis Spiritum S. à patre meo: cùm venerit Paracletus, &c.* quæ locutus fuit, citò voluit impleri. Adeſt ergo Spiritus S. cum vehementi & celerrimo vento.

§. 4. *Altera cauſa analogia inter ventum & Spiritū S. cum pulcra figura ex cap. 10. Exodi.*

Capite 10. v. 13. Exodi, invenio alteram cauſam, & nobilem figuram, quare Spiritus S. deſcenderit in hunc mundum, ut vehemens ventus. Peſtilens aër impleverat Ægyptum innumerabili copia locuſtarum, quæ omnia devaſtarunt. *Induxit enim Dominus ventum urentem*, & cum illo illas beſtias. Mox tamen; orante Moyſe per alium ventū fugatæ ſunt de facie terræ; ait enim textus cit. cap. *Oravit Dominum Moyſes, qui flare fecit ab Occidente ventum vehementiſſimum! & arreptam locuſtam projecit in mare rubrum, non remanſit, nec una quidem in cunctis finibus.* Singula ſunt ponderatione digna. Ad petitionem Moyſes flavit ventus, Spiritus S. deſcendit ad petitionem Chriſti Domini. *Ego rogabo Patrem, &c.* Ventus flavit, non quilibet, ſed vehementiſſimus: in vento quoque venit Spiritus S. non leni & molli, ſed vehementi & forti, adeo ut ingentem ſonum ediderit; *factus eſt de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus* (ſive venti) *vehementis.* Flavit ille ventus ab Occidente; & Spiritus quoque Sanctus non veniſſet in terras, niſi Chriſtus D. ante occubuiſſet in cruce. Joan. 16. v. 7. *Niſi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Per ventum locuſtæ projectæ ſunt in mare rubrum: quid per locuſtas melius intelligere poſſumus, quàm peccata hominum, & per mare rubrum, pretioſiſſimum Chriſti ſanguinem, in quo ſubmerſa & delata ſunt.

§. 5. *Spiritus S. purgat mentem à vitiis ut pulcre declarat S. Gregorius*

Videntur hæ analogiæ placuiſſe S. Gregorio M. lib. 2. cap. 2. in l. 2. Reg. c. 2. cùm ait; *Cum per gratiam ſuam Spiritus S. electorum corda viſitat, ab omni peccatorum immunditia potenter purgat, quia ut ſe menti infuderit, eam protinus in vitiorum odium, & in virtutum amorem infallibiliter excitat: facit enim ſtatim odiſſe, quod amabat, & quod odio habuerāt, ardenter diligere. Quis enim audet dicere, licet omnimodâ peccatorū ſartinâ prægravetur, quod perire poſſit aliquis viſitatus gratiâ*

 Spiritus

Digitized by Google

Spiritus Sancti? Veni itaque O S. Spiritus! imple tuorum corda fidelium, nam & nos, peccatorum ſarcinâ, heu dolor! prægravati ſumus, ſed perire nolumus! hinc tuam invocamus clementiam; vexant nos ſcelerum locuſtæ, quæ ex infelici fonte proſilierunt. Fons ille hic mundus eſt, turbidis, & peſtilentibus undis ſcaturiens; peſtilens fons eſt caro & ſenſualitas noſtra, &c. hic tuo opus eſt flamine & vento, O Sancte Spiritus; tu vitiorum monſtra, tu infernales illas locuſtas, tuâ potes præſentiâ diſpellere; tuo nutu arcere, veni itaque S. Spiritus!

§. 6. *Cur vento permixtus fuerit vehemens ſonus.* Ventus, in quo deſcendit Spiritus S. adjunctum habuit ingentem ſonum, veluti tonitruum, per quod totus terrarum orbis fuit concuſſus. Prædixit hoc cap. 1. l. 2. v. 10. Regum. *Dominum formidabunt adverſarii ejus.* Impleta fuit hæc prædictio feſto glorioſæ reſurrectionis Chriſti, quæ contigit formidante totâ ſynagogâ, & cum terrore totius populi Judaici. Formidarunt tantum ac talem Dominum, adverſarii ejus: & hodierno feſto Pentecoſtes, cùm terribilis ſonus de cœlo, timore concuſſit totam Jeroſolymam. Hic idem ſonus fecit deinde ſonare & tonare Apoſtolos totumque mundum, terrore quodam concutere. Hic ventus, hic ſonus, cum quo in mundum venit Spiritus Sanctus, Apoſtolos fecit fortes & terribiles omnibus hoſtibus crucis. S. Baſilius ſuper illa verba, *Verbo Domini cœli firmati ſunt; & ſpiritu oris ejus, omnis virtus eorum,* ſic ait: *Spiritu itaque Sancto firmata eſt omnis virtus cœleſtis, hoc eſt, firmitatem, ſoliditatem ac confirmationem in ſanctitate, & omni virtute, quæ ſacras doceant poteſtates.* Item omne robur quo electi indigent ad opera ardua, & ad ſuperandas inimici tentationes, *ex Spiritus S. auxilio habent.*

Eleganter quoque D. Chryſoſt. hom. 5. in Acta cap. 2. v. 14. ſuper illa verba, *Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem ſuam. Jam mihi Petrum conſidera, ac reputa: timidus ille, adeoque timidus, ut nec muliercula vilis percunctationem tulerit, quis vir factus ſit?* quem nulla amplius terrere potuerunt pericula; cujus animum nulla vitæ mortiſque diſcrimina, labefactare; cujus conſtantiam nullus tyranni furor infringere; cujus robur nulla hoſtilium fluctuum tempeſtates, cohibere. Vir factus eſt, qui & tonare poſſet, & fulgurare; & Principibus, & Regibus, & ſummis, & infimis, ſine ullo metu, audactiſſimè Chriſtum Crucifixum prædicare, nimirum, *poſt acceſſionem, & largam ſuppeditationem Spiritus S.* Perpendite; ſi Spiritum S. accepiſtis: ego pergo ad alterum ſymbolum. §. 7. *Timidus Petrus poſt adventum Spiritus S. fuit vir fortis.*

Apparuerunt eis diſpertitæ linguæ. Inter linguas & quidem igneas, & Spiritum S. pulchra eſt connexio. Advertit illam S. Bernardus ſermo. 1. in Pent. *Venit ſupra diſcipulos in linguis ignitis, ut verbis igneis loquerentur, & legem igneam igneâ linguâ prædicarent.* Et quomodo Apoſtoli ignea reddidiſſent corda credentium, ſi linguas non habuiſſent ignitas? quomodo ignem illum, quem Chriſtus venit mittere in terram, in cordibus §. 8. *Quare in linguis igneis deſcenderit. Act. 2. 3.*

morta-

mortalium accendiſſent, niſi verba eorum fuiſſent ignita, niſi faces & linguæ eorum arſiſſent ut faculæ. Luc. 24. v. 32. Chriſtus D. accendit corda eorum euntium in Emaus, ut dicerent, cap. cit. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis*, ſcilicet igneâ linguâ caritatis. Poſt Aſcenſionem Apoſtoli miſſi ſunt in mundum univerſum, ad annuntiandam novam legem Chriſti, & annuntiarunt; ſed Spiritus S. prius igneas linguas illis ſubminiſtravit.

§. 9. Figura fuit Iſaias, cujus linguam ardenti carbone tetigit Seraph.

Cùm Iſaias ad unicam gentem fuit miſſus, ut ferventer prædicaret pœnitentiam, prius à Seraphino ejus lingua, calculo ignito fuit tacta; & factus fuit quaſi igneus Propheta: multò magis decebat, ut cum Apoſtoli miſſi ſunt, in univerſum terrarum orbem, ad prædicandum Evangelium, ſupremus dator munerum, linguis ipſos inſtrueret ignitis, quibus gentiles & barbaros, & illuminarent ad agnitionem Chriſti, & accenderent ad ejuſdem amorem. Quam operationem Spiritus S. ſic expoſuit S. Ambroſius. *Implet igitur Spiritus Sanctus organum ſuum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei, corda Sanctorum; qui ideò, cum die Pentecoſtes in Apoſtolos, plebemque credentium, ſicut à Domino fuerat promiſſus, influeret; in ſpecie apparuit linguarum ignearum, ut dubium non eſſet, per ipſius inſpirationem, utilem affectum, rationabilemque ſermonem, animabus fidelium miniſtrari.* Proinde etiam Spiritus Sanctus in Apoſtolis non fuit otioſus, ſed foras prorupit, per illos, urens & accendens corda hominum, affectuſque inflammans. Apoſtoli igneos ſermones proferabant, auditores illis accenſi, eoſdem recipiebant. Sed audiamus Chryſoſtomum, qui eleganti rem in ſimili exponit hom. 5. in Acta.

§. 10. Apoſtoli fuerunt viri ignei.

Ait enim, Apoſtolos igneis linguis à Spiritu S. accenſos, ſic fuiſſe conſtitutos in mundo, præcipuè inter certamina cum Synagoga & gentilitate, quaſi igneos homines, inter ſtipulas campi. Mira ſed apta ſimilitudo; qui enim prius abſente Spiritu S. fuerant timidi, timore trepidantes, quaſi Agni inter lupos; poſtea accenſi igneis linguis, & repleti Spiritu Sancto, quaſi ignis extiterunt inter ſtipulas, inflatas & ſuperbiſſimas gentes, reducentes in cinerem: Verba viri Sancti ſunt hæc: *quemadmodum enim igneus homo, ſi in medias incidat ſtipulas, nihil lædetur; ſed magis vim exeret ſuam: nec enim ille quidquam patitur mali, ſed qui reluctantur, ipſi ſe ipſos perdunt*: Ita nunc evenit: Facti ſunt ignei homines Apoſtoli, ſic eos incendit, ſic inflammavit ipſe, qui totus pariter ignis eſt, Spiritus S. Inciderunt in medias ſtipulas, in ſiccos atque aridos animos gentilium, in mentes ſuperbiâ tumidas: hic vim ſuam exerere, hic undequaque flammas diſpergere, hic incendere frigida corda, hic omnes ſuis ignibus involvere, hic totum terrarum orbem felici huic incendio ſubjicere, inceperunt: Et quid mirum? viri erant toti, quanti, quanti, igniti! ardebat eorum lingua, ardebant ſermones, ardebat vultus, ardebant oculi, arde-

bant manus, ardebat intellectus, ardebat voluntas, ardebant venæ, ardebant pedes, ardebat ſanguis ipſe; omnia in illis accendit igneus ille Spiritus.

§. 11. *Quare deſcenderit in forma ignis.*

Inadvertenter delabor ad tertium Symbolum, in quo deſcendit Spiritus S. nimirum, in igne; cui proprium eſt, per colliquefactionem, efficere transformationem alicujus rei in aliam: quia itaque Apoſtoli in alios erant transformandi viros, in forma ignis ſupra illos venit Spiritus S. Quod aureis verbis deſcripſit Sanct. Chryſoſtomus hom. 74. in cap. 3. S. Joan. *Qui enim prius timebant ac formidabant, poſt Spiritus S. acceptionem in medium proſilierunt*, (ut ante dixi) *viri igniti, & per ferrum, ignes, beſtias, pelagus: & ad omnem calamitatem intrepidi ſe expoſuerunt: Et illiterati, idiotæ, audenter diſputabant, ita ut auditores in admirationem adducerent, ex luteis, ferreos, & in cælum erigens, nulli humano affectui ſubjectos.* Talis fuit illa gratia, quâ illos replevit Spiritus S. de quâ S. Baſilius libro de Sp. S. intellexit illum verſum cap. 3. ep. 2. v. 18. ad Corinth. *Gloriam Dei ſpeculantes, in eandem imaginem transformatur, à claritate, in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.*

§. 12. *Aqua quoque eſt Symbolum Spiritus S.*

Verùm de hac transformatione, & cur in igne Spiritus S. deſcenderit, alibi frequenter ago. Hæc quæſtio mihi modo enodanda reſtat, cur Spiritus qui ignis eſt, etiam ſub ſymbolo aquæ, Eccleſiæ à Deo fuerit promiſſus. v. g. Iſaiæ 44. cap. v. 3. *Effundam aquas ſuper ſitientes, & fluenta ſuper aridam*: quæ verba ipſe Propheta mox explicat; *effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum.* Clarius Joël c. 2. v. 28. & Ezechiel c. 36. v. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam.* Et Chriſtus D. Joan. c. 7. v. 27. *Si quis ſitit, veniat ad me, fluent flumina de ventre ejus.* addit Evangeliſta; *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant*: Ob plurimas cauſas Spiritus comparatur cum aqua, aliquas tantum inſinuo.

§. 13. *Sine pluvia & aquis, miſera eſt terra facies.*

Miſerrima eſt facies terræ aridæ: revertitur prope in cinerem, ſiccantur flores, decidunt folia, marceſcunt fructus, jacet omnis camporum decor, evaneſcit hortorum venuſtas. Deus bone! qualis ubique languor, quale floſculorum deliquium; qualis mors fructuum, qualis camporum ſcena! quàm triſtis! quàm pallida! quàm abjecta. Sed age pluviam expecta, hæc ubi delapſa fuerit, jam ſuus campis nitor, jam ſua floſculis venuſtas, jam ſuus fructibus decor, jam ſuus arboribus ſuccus, jam ſua hortis vita, jam ſuus ſylvis riſus & viror, jam ſua ſtirpibus plantiſque pulchritudo redit & renaſcitur.

§. 14. *Quod aridæ terræ eſt aqua: hoc animæ eſt Spiritus S. cum aliis variis elogiis.*

Eadem in aridâ hominis alicujus animâ efficit gratia Spiritus S. Non poſſum hoc deſcribere elegantius, quàm fecerit S. Chryſoſtomus Ser. de Spiritu S. *Ipſe eſt Spiritualium oculorum noſtrorum ſol, interni noſtri hominis Lucifer, Lucifer in pectoris cælo: ipſe opulentia filiorum DEI; ipſe æternorum bonorum theſaurus; ipſe potus, aqua, pluvia*: ipſe potum ſitientibus arvis ſubminiſtrat, ipſe aquas, quibus univerſa velut natura, reficiatur, demittit, ipſe fœcundas diſtillat pluvias & triſtem cordium ſterilitatem in fœcun-

fœcundiſſimos virtutum, cœleſtiumq; gaudiorum partus transmutat: Nitor, venuſtas, decor, ſuccus, vita, viror, pulchritudo, & theſaurus gratiæ, ſi illa eſt in cordibus noſtris; eſt à Spiritu S.

§. 15. *Expertus fuit Samſon. Experimur & nos.* Samſon in prælio fatigatiſſimus Judicum 15. cap. v. 19. putabat ſe moriturum, ſed Deus dedit illi fontem, bibit, & refocillavit Spiritum, *& vires recepit*; LXX. legunt, *Revertit Spiritus ejus, & revixit*: Quoties nos Auditores, quoties inquam in prælio noſtro, quo cum mundo, Carne ac Dæmone nobis eſt colluctandum defatigamur! quoties ſuccumbimus miſeri! quoties victi proſternimur in terram! quoties de tali etiam vulnere ſauciamur! quoties eæ nos calamitates obruunt, ut jam jam velut animam acturi videamur; Quid igitur? O ſi Samſonis fortuna nos complecteretur! *Revertit Spiritus ejus, & revixit*: Revertere O Sancte Spiritus, revertere, tu animæ meæ robur, tu præſidium, tu ſolatium, tu Vita: te ſine, vitam omnem acerbam duco; te ſine, ad mortem properamus æternam; Sine tuis aquis ſitiemus æternùm. Fons aquæ ſalientis in vitam æternam eſt Spiritus S.

§. 16. *De abundantia donorum Spiritus.* Deſcendit præterea Spiritus S. ut aqua, ad demonſtrandam abundantiam donorum, quibus replevit Apoſtolos. S. Hieron. ep. ad Edibiam; ſuper verba Joëlis; *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem terram: Verbum effuſionis ſignificat gratiæ largitatem, & idipſum ſonat, quod Dominus repromiſit, vos autem baptizabimini Spiritu S.* Alia litera habet, *Immergemini*: tam copioſe liberalis Spiritus dat dona ſua, & ita effundit, ac ſi eſſent aquæ, & liquores. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* ad Rom. 8. v. 5. S. Chryſoſtomus hom. 9. *Non dixit, data eſt, ſed effuſa, largitatem oſtendens, quod enim maximum erat donũ, hoc dedit, non cœlum, non terram, &c. ſed Spiritum Sanctum. Et hunc dedit, non ſenſim ac pedetentim, ſed cumulate ac plenâ manu bonorum fontem effudit*: Non ſatis fuit Chriſto D. de SS manibus in Cruce effundere ſanguinem ſuum, ſed poſt Aſcenſionem eadem dextera, plena gratiarum effudit Sp. S. *Talis eſt Deus noſter*, (S. Chryſoſt.) *ut largus dona ſua nobis eroget*; ut ſic abundantius vitam habeamus.

Deſcendit præterea Spiritus S. in ſymbolo aquæ; ut enim hæc ſitim extinguit; ita Spiritus S. animas noſtras exſatiat, ut nihil ſitiamus de mũdo. Rupertus l. 1. in cap. 1. Cant. in illa verba: *Meliora ſunt ubera tua vino, &c. Quid per ubera niſi dulcedinẽ Dei intelligimus? Et quid eſt dulcedo ejus, niſi Spiritus S. qui dum animæ infunditur, illico res hujus mundi faſtidit.* Auditores mei, dulciſſimus, imo omnis fons dulcedinis eſt Spiritus S. meliora ſunt ubera ejus vino, meliora ejus ſolatia omnibus mundi deliciis, dulciora omni melle & ſaccharo ejus eloquia. Utinã ego, utinam plena ſuper vos manu effundere poſſẽ hunc ſuavitatis Oceanũ, hunc Spiritũ dulcedinis, Sp. S. O Veni S. Spiritus; veni animæ noſtræ belliſſimum bellariũ, ſuaviſſimum condimentum, dulciarium & confectura amantium te cordium! veni dulcis hoſpes animæ, veni acerbitatis noſtræ lenimentum; veni S. Spiritus; veni, ah veni! §. 17. *In aqua, ſic Spiritus S. extinguit ſitim.*

Con-

Digitized by Google

lum myrrhæ, tamen ait, *mel ſub lingua ejus.* Fortaſſis jam aliqui ex vobis, aſſueti ſanctis cogitationibus, cogitant, Sanctum Bernardum hæc verba dixiſſe in conſideratione dulciſſimorum verborum, quibus pius Jeſus in horto inter anguſtias mortis, Judam proditorem ſuum fuit allocutus; Math. 26. v. 50. *Amice, ad quid veniſti?* Alii fortaſſis, qui peculiari devotione feruntur erga ſeptem Verba, in Cruce à Domino prolata, dicent: cum Jeſus eſſet in ſummâ amaritudine, trihorio Crucis; tamen, ex corde, & hiantibus toto corpore Vulneribus, manuum pedumq; ſanguineis fontibus, *nihil exivit, & fluxit, niſi dulce.* Laudo piiſſimas cogitationes. Verùm Sanctus Bernardus locutus fuit de inſtitutione Venerabilis Sacramenti, in ultima Cœna. Jam tum Cor Jeſu plenum erat amaritudine, erat fons triſtitiæ, ex quo tamen effluxit ſumma ſuavitas & dulcedo; mel & lac, & vinum germinans Virgines. An non ex ore mellea prodierunt verba: *Hoc eſt Corpus meum,* quibus panem convertit in Carnem ſuam: An non voces ſuaviſſimæ, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*: quibus vinum tranſſubſtantiavit in Sanguinem: Eodem veſpere diei Jovis Sancti, quo Sanctiſſimum Sacramentum Altaris inſtituit, oportuiſſet nos magnâ ſolennitate tantam feſtivitatem celebrare; niſi ob juſtiſſimas cauſas placuiſſet Eccleſiæ, illam in hodiernam diem, in primum Jovis poſt SS. Trinitatem transferre. Utinam ergo viciſſim hodie è cordibus noſtris erga Sanctiſſimam Euchariſtiam exeat, & prodeat, ſeque oſtendat ſuaviſſima quædam & tenerrima devotio, cùm impetu & torrente quodam ſuaviſſimorum affectuum amoris, & gratitudinis, erga illum, qui ſic nos dilexit, & diligit, ut in hoc mundo etiam, in SS Sacramento nobiſcum manere velit, uſque ad conſummationem ſæculi; ut hoc obtineam, hac Concione vobis proponam.

§. 2. *In omnibus mirabilis eſt Deus: mirabilior in SS Euchariſtia. Ob plurima ejus miracula.*

In conſpectu Sanctiſſimi Sacramēti Euchariſtiæ, ſoleo frequenter exclamare cum S. Bernardo, *O Sacrum! cœleſte! & admirabile myſterium! O inſigne Spectaculum!* neque proinde miror, hodiernâ die, in honorem tanti Sacramenti, inſtitui tam ſolennes Proceſſiones: non miror tantâ pompâ per compita circumferri, populiſque adorandam proponi Sanctiſſimam Hoſtiam: non miror etiam Reges & mundi Monarchas ruere in genua, ut Dominum Deum ſuum, ſub illis ſpeciebus latentem adorent: *O Solenne miraculum! Deus apparet mirabilis in omnibus, ſed mirabilior creditur, dum mirabilia operatur in Euchariſtiâ.* Paucis verbis Chriſtus Dominus, & iiſdem quivis ritè ordinatus Sacerdos, ſubſtantiam panis convertit in ſubſtantiam Corporis Chriſti, & vinum in Sanguinem: S. Ambroſius; *Quod ante conſecrationem erat panis; jam Corpus Chriſti eſt, poſt conſecrationem.* Nunquid hoc eſt mirabile? an non talis converſio eſt miraculū, & abſconditum myſterium? Dividitur una conſecrata Hoſtia in mille particulas, millies ibi eſt Caro & Sanguis Chriſti! S. Chryſoſtomus in Canonem: *In ſingulis portionibus totus eſt*

Chriſtus; nec per ſingulas minuitur, ſed integrum ſe, in ſingulis præbet: Inſtituuntur hodie Proceſſiones in Italia, in Hiſpania, in Gallia, in Germania, in urbibus, in oppidis, in pagis, in monaſteriis; circumfertur ubiq; S. Hoſtia: & quot Hoſtias hoc momento totus habet mundus: toties Sacramentaliter in mundo eſt totus Chriſtus: A millenis quoq; ſumitur idem Chriſtus, nec tamen conſumitur: cras milleni ſacerdotes iterum conſecrabũt, iterum ſument Chriſtum, & ſic uſq; ad finem mundi: nunquã tamen conſumẽtur. Et ſumunt boni & mali: cùm hac tamen differentia: ut idem cibus & potus, bonis ſit vita: malis mors: his fel, illis mel: his vita æterna, illis condemnatio. Quis non exclamet: *O miracula*! O *mirabilia*! Sublatâ Subſtantiâ Panis & Vini, manent nihilominus illorum accidentia, color, forma, figura, odor, ſapor: ſine ſubjecto: dicite Philoſophi, an non hæc ſunt mirabilia? Sanctus Auguſtinus. *Manducatur, nec occiditur, ſed manet totus, integer in cœlo, totus in corde tuo.* Hugo de S. Vict. *Potuit Deus de Corpore ſuo diſpenſationem facere, pro fidelium utilitate, ut ſimul ſit in pluribus locis: & fecit*: Magiſter ſentent. *Credendum eſt enim, quod Chriſtus in hoc Sacramento, eſt in habitu luminis gloriæ; ſed Speciebus ipſis occultatur.* Ita eſt: hæc & ſimilia, jubet nos credere, Fides noſtra: hæc animoſa nos firmat, ut in rebus tam arduis, quas non capimus, captivemus intellectum in obſequium fidei: ſed eadem nos non impedit, imò jubet ut exclamemus: *O miracula! O mirabilia! O myſteria!* Vel cum S. Thoma, in opuſc, cap. 57. *Admirabile Euchariſtiæ ſacramentum, & omnium miraculorum, ab ipſo factorum maximum!*

§. 3. *Quomodo David pſ. 102 oſtendat, ſe prævidiſſe hæc mirabilia.*

Cum aliquando regius Pſaltes conſideraſſet mirabilia opera, quæ Deus fecit in creatione hujus mundi, in productione tot, & tam excellentium creaturarum: mox eaſdem invitat, ut ſecum laudent ſuum Creatorem, pſ. 102. v. 1. *Benedicite Dn. omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus: benedic anima mea Domino.* Elevans alias mentem ad beneficia ſublimiora, quæ prævidebat exhibẽda humano generi per adventum Meſſiæ, per Incarnationem Filii Dei, de quo in eodem pſalmo ait; v. 3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus: qui ſanat infirmitates tuas; qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Et in conſideratione tantorum beneficiorum, & myſteriorum humanæ Redemptionis, invitat SS. Angelos, ut laudent Deum v. 22. *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, benedicite Domino omnes virtutes ejus, &c.* Pſ. 112. ad hunc eundem finem provocat omnes nationes. *Laudate Dominũ omnes gentes, laudate eum omnes populi.*

§. 4. *Proſecutio.*

Pſalmo 106. inſinuat ſibi à Spiritu S. revelatum fuiſſe, à Filio Dei aliquando inſtituendum SS. Sacramentum Euchariſtiæ, pro cibo & potu hominis: ad literam enim narrat, Judæos fuiſſe eductos ex Ægypto, in eremo fuiſſe eſurientes, & ſitientes; ſed quod bonus Deus illos paverit manna de cœlo, & potaverit aquâ dulciſſimâ fluente de petra; in Spiritu verò agnovit fuiſſe talia figuram & umbram

umbram inſtituendæ Euchariſtiæ, in quâ paſcimur, non manna, ſed pane Angelorum; potamur non lacte vel aquâ, ſed ſanguine Filii Dei. Quæ David prævidens exclamavit, pſ. 106. v. 9. *Satiavit animam inanem; eſurientes ſatiavit bonis.* pſ. 27. v. 27. *Edent pauperes, & ſaturabuntur.* pſ. 77. v. 24 *Pluit illis manna ad manducandũ.* Sed hoc miror; licet David agnoverit beneficii magnitudinem, raritatẽ & excellentiam: tamen ad laudandum propterea Dn. neq; cœlos, neq; creaturas, neq; Angelos, neq; nationes, invitavit, ſed in pſ. 106. quater repetiit hunc verſum; *Confiteantur Dno miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.* Pro aliis beneficiis, pro creatione mundi, &c. putavit Deum laudari poſſe à Creaturis, à ſole, lunâ, ſtellis, elementis, populis & nationibus, ſed pro admirabili beneficio Euchariſtiæ voluit Deũ laudari ab ipſa infinita ejus miſericordia. *Tam enim ſublime eſt Euchariſticum Sacramentũ,* ait Doctiſſimus Sylveria, *ac mirabile, ut non jam creaturæ, ſed ſola Dei miſericordia, quæ tam excellens ſui Amoris Sacramentum invenit, illud poſſit dicere, celebrare ac nobis explicare.*

§. 5. Invitatio omnium creaturarum, ut laudent Chriſtum in Euchariſtia.

Imitemur hodie regium Pſaltẽ Auditores; cum paulo poſt in ſolenni proceſſione comitabimur Venerabile Sacramentũ; fortaſſis ſubinde pios oculos elevabimus in altum, & ſereniſſimam cœlum aſpiciemus: ſed dicamus, O cœli, ſol, luna, ſtellæ, planetæ, aſtra omnia: laudate Deum noſtrum, nobis in terris, in Euchariſtia præſentem. Si fortaſſis per aëra nos comitentur cantillantes aviculæ, dicite; O volucres cœli! laudate Deum veſtrum, & Redemptorem noſtrum in Euchariſtia abſconditum! Videbimus pulcro ordine diſpoſitas arbores, ſolum inſtratum floribus & herbis: audiemus tympana & organa, tubas & cytharas: tum dicamus, arbores, flores, plantæ, tympana, organa, tubæ, cytharæ laudent Dominum. Imò cœlos intremus, ut Angelos quoque, & cœleſtium ſpirituũ choros invitemus, ut hodie nobiſcũ laudent Deũ & Salvatorem noſtrum in Euchariſtia abſconditum. Deniq; ipſum Jeſum rogemus, ut quia ipſe hoc Sacramentum invenit, ipſe quoque laudet ſanctiſſimam Trinitatem, ut hoc modo Deus hodie à nobis laudetur, modo perfectiſſimo.

§. 6. Prima cauſa ob quam SS. Sacramẽtum cum tanta põpa circũfertur. Ut Chriſtus in Euchariſtia laudetur.

Exiſtimo autem, binas præcipuè eſſe cauſas, ob quas hodiernâ feſtivitate per totum mundum ſanctiſſima Hoſtia cum tanta ſolennitate, circumfertur. Utramque invenio apud S. Bonaventuram in Canticum Moyſis, ſic ait: *Elevat Sacerdos Corpus Chriſti in Euchariſtia* (dico ego hodie, Eminentiſſimus Præſul noſter, paulò poſt ipſe per urbem circumferet ſanctiſſimum Sacramentum) quaſi diceret: O fideles Chriſti! gaudete & aſpicite, hic eſt panis Angelorum, quem nobis ad veſcendum, ad adorandũ dedit liberaliſſimus Rex cœlorum! Hoc eſt Corpus Chriſti: quaſi diceret, hic eſt ſanguis ejus, quo nos redemit. Aſpicite, gaudete, ut illum laudetis & ſuperexaltetis. Hæc eſt prima cauſa: vult Chriſtus Dn. in Euchariſtia hodie à nobis laudari.

Ut ita, (in alterã cauſam ſolennitatis

Digitized by Google

§. 7. *2. Vt nos repleamur cœleſti benedicti one.*

tatis hodiernæ) *omni gratiâ & benedictione repleamur.* Septies inter paucas horas nobis datur benedictio cum Venerabili Sacramento: in Templo, antequam exeamus, quater in Proceſſione poſt decantata quatuor Evangelia, item ante Evangelium in miſſa, & fine ejuſdem. Hoc ſemper agamus, ut cum Sacerdos nobis benedicit ceremoniâ exteriori; ita intus in corde Chriſtum adoremus, veneremur, amemus, ut ſepties nos aſpergat guttis pretioſiſſimi ſui ſanguinis; cum pignore gloriæ & benedictionis æternæ. Nam, Olympiodorus in cap. 5. Eccleſiaſt. *Qui manducat carnem Filii hominis, & bibit ejus ſanguinem, hic futuræ felicitatis partem aliquam, fruitionemque accipit.* Beati jam in terris ſunt, qui colunt SS. Sacramentum Altaris, præſertim hodierno lætiſſimo feſto. Expertus fuit S. Hieronymus, dum ſumpturus viaticum exclamavit, *In hac eſca ſacratiſſima, eſt omnis ſuavitas: omne delectamentum: & omnis deſiderii dulcedo. In hoc Sacramento eſt gratioſa præſentia Dei: ibi ſe manifeſtat clementia amoroſi Jeſu: ibi eſt plenitudo omnis gratiarum.* An non æquum eſt, ut & nos hodiernâ die in Proceſſione, & per totam Octavam in Miſſis, in Veſperis, in laudibus libenter Salvatori noſtro ſimus præſentes: ſed & noſtra præſentia debet eſſe amoroſa, ut ſponſum noſtrum ardentiſſimis affectibus amoris & caritatis complectamur.

§. 8. *In Euchariſtia ſunt divitiæ amoris ſui, ut amemus vicissim.*

Aſſuerus cunctis ſuis Principibus fecit convivium *grande, ut oſtenderet divitias regni ſui.* Ecce figuram Convivii Euchariſtici, quod Chriſtus D. inſtituit, non tantùm ut oſtenderet divitias gloriæ & regni ſui; ſed, ut alia habet lectio, *divitias amoris ſui.* Alius ait, *Divitias ſuavitatis & dulcedinis ſuæ.* Viciſſim Mater noſtra Eccleſia à nobis exigit, ut hodiernum feſtum celebremus ſummâ devotione, & ita oſtendamus noſtri amoris divitias; ut ab eo, quem amamus, repleamur omni benedictione, & dicamus cum S. Hieron. *In hac eſca ſacratiſſima eſt omnis ſuavitas, &c.*

§. 9. *Invectiva in illos, qui cum irreverẽtia comitantur Proceſſiones, in quibus Venerabile circũfertur.*

Non poſſum, quin hic acriter reprehendam illos, qui in hodierna, & ſimilibus per annum Proceſſionibus, quibus venerabilis Euchariſtia circumfertur, ſolent ridere, nugari, fabulari. Jerem. cap. 32. v. 33 fatetur Deus, ſe provocatum ad iracundiam, ob hanc cauſam: *Verterunt ad me terga, & non facies.* Non deſunt, qui idem faciant hodie coram SS. Sacramento; ne proinde miremur, ſi Deum provocemus ad iracundiam. Lib. 2. Reg. c. 2. aliquot millia Bethſemidarum perierunt repentinâ morte, *quod vidiſſent Arcam Domini*, nimirum irreverenter. *Ne mireris*, ait Laurentius à Ponte, *ejuſmodi homines, irreverentes erga SS. Hoſtiam, miſerè, & ſæpe repentina morte moriantur.* Attendam diligentiſſimè, in mox inſtituenda Proceſſione; ſi contingat me videre ridentes, nugantes, fabulantes, ludentes oculis: in conſpectu ſanctiſſimi Sacramenti ſtantes, veluti truncos: cogitabo: O miſeri! quàm timeo, ne forte iratus Deus vos puniat, & hoc eodem anno, miſerâ & repentinâ morte, vos tollat è medio.

Ly-

Lyránus cum agit de cauſis, ob quas tot Bethſamidæ fuerunt morte puniti, etiam hanc affert, quod illi fuerint, qui in campis, cum Arca ad Judæos reduceretur, *inaniter & ineptè exultarunt*; fuerunt irreverentes erga figuram SS. Sacramenti: & addit citatus Laur. à Ponte: *Deus bone! ſi hoc verum! mirum quod mundus adhuc duret: ſi quas ineptias, ſi quas diſſolutiones, ſi quas ebrietates, quæ coram ſanctiſſimo nunc fiunt, attendamus.* Sed redeo ad meam materiam, apud illos Auditores, qui hujus culpæ argui non poſſũt: ſed potius laudandi ſunt, quod SS. hoc myſterium omni poſſibili reverentia, honore & amore proſequātur.

§ 10 *Euchariſtia eſt Sacramentũ admirabile propter mirabilem unionem quæ illo mediante fit inter Deum & hominem.*

In elogio Euchariſtiæ; quo SS. Patres illam vocant, *Sacramentum admirabile*. S. Thomas, *Rem mirabilem*, conſideranda potiſſimum eſt admirabilis illa unio, quæ mediante hoc Sacramento fit inter Chriſtum & Hominem. Gen 2 c. v. 23. ex ſomno evigilat Adamus, & dum ante ſe ſtantem vidit Evam, formoſiſſimam fœminam, quam dum dormiret, ex latere de coſta ejus produxerat Dominus, ſtupore plenus exclamavit: *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Non dubitant SS. Patres aliqui, jam tum in prima mundi creatione fuiſſe præfiguratam illam unionem, quæ deinde contigit inter naturam divinam & humanam, inter Filium Dei & hominem: non tantùm in myſterio Incarnationis, in quo utraque natura, realiter, indiſſolubili vinculo unita fuit, cum homo factus eſt Deus, & Deus homo: ſed etiam illam, quæ fit in participatione Sacramenti Euchariſtiæ, inter Chriſtum & hominẽ; inter ipſius carnem & noſtram, ipſius ſanguinem & noſtrum: quapropter S. Paulus exclamavit ad Epheſ. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt.*

§. 11. *Verba illa Adami duo erunt in carne una; pulcrè explicat S. Hieron.*

In hoc fuiſſe illa impleta, quæ Adam cit. loco prædixit, pulcrè advertit S. Hier. in cap. 1. Jonæ. *Quod ſcriptum eſt; relinquat homo Patrem ſuum, referamus ad Chriſtum, ut dicamus, eum in cœlis reliquiſſe Patrem, veniſſe in hunc mundum, ut adhæreret Evæ, ſive naturæ humanæ. Hoc quod ſequitur, Matrem ſuam, quomodo poſſumus interpretari, niſi forte dicamus, reliquiſſe eum cœleſtem Jeruſalem, quæ eſt Mater Sanctorum; vel aſſerere velimus, reliquiſſe Matrem ſuam in terris; cum noſtri cauſâ ivit in mortem.* O admirabilem amorem! O ardentiſſimam caritatem! O Sacramenta & myſteria! contigere hæc omnia, præcipuè in negotio humanæ Redemptionis. Sed aliud adhuc eſt, quod Adam obſtupuit magis, & prædicavit: *Erunt duo in carne una.* Super quæ verba ait S. Laurent. Juſtin. *Dn. Ieſus ſuæ adhæſit uxori, cum in cruce pendens, dato ſanguinis pretio & aqua lavacro, ſibi eam inſeparabiliter copulavit* (adverte, per amorem, per gratiam, per caritatem, per dona Spiritus S. ſed majora, intellige) *cui etiam pro amoris pignore, proque fœdere maritali, Corporis & Sanguinis ſui Sacramenta conceſſit, ut non ſolùm in Spiritu, verum etiam eſſent duo in carne una.* Hæc eſt admirabilis illa unio, ob quam Sacramentũ Altaris, quo mediante illa ponitur, vocatur admirabile, vel res mira.

Digitized by Google

§. 12. *Aurea monita S. Auguſtini. congrua feſto Corporis Christi.* Ex quibus aureas deduxit maximas, S. Auguſt. tr. 2. in Joannem, hodierno feſto congruas. *Fiant fideles Corpus Chriſti, ſi volunt vivere de Spiritu Chriſti. De Spiritu Chriſti non vivit, niſi Corpus Chriſti. Vis & tu vivere de Spiritu Chriſti, in Corpore eſto Chriſti.* O Sacramentum pietatis! O myſterium unitatis! O vinculum caritatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde, & in quo vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Quæ omnia duplici modo fieri poſſunt. Primò, & principaliter, per actualem Communionem: gratulor illis, qui hodierno feſto realiter participarunt de Corpore & Sanguine Chriſti: vivunt in Chriſto, unum ſunt cum illo. Alter modus eſt, ut per fidem, ſpem, caritatem: per devotionem & cultum Venerabilis Euchariſtiæ, tum interiorem, tum externum, uniamur Chriſto, & hoc etiam modo in illo vivamus, unum cum illo. S. Auguſt. *Nemo abhorreat à compage membrorum,* (quæ ſub uno Chriſti Capite unita ſunt) *non ſit putre membrum, quod reſecari mereatur, non ſit diſtortum, de quo erubeſcatur. Sit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum, hæreat corpori, vivat Deo de Deo* (Jeſu de Jeſu) *nunc laboret in terra, ut poſtea regnet in cœlo.* Finio cum verbis S. Hilarii l. de Trinit. *Hæc vita noſtra cauſa eſt, quod in nobis per Carnem præſentem Chriſtum habeamus.* Ex his fiat affectuoſus Epilogus, accommodatus feſto, ut Chriſtum in Euchariſtia amemus & laudemus.

CONCIO LXXIII.

FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Joannes eſt nomen ejus, Lucæ 1. cap. v. 36.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponuntur varia elogia S. Joannis Baptiſtæ, ſub ſymbolo Stellæ matutinæ

§. 1. *Joannis Nativitatem gratia operatur: Natura miratur*

§. 2. *Stella matutina reliquas ſtellas ſplendore ſuo ſuperat: S. Joannes B. omnes Sanctos vincit gratiâ & ſanctitate.*

§. 3. *Quod ſimili declaratur.*

§. 4. *Stella matutina exoriens mundo annun-*

annuntiat ſolem: S. *Ioannes Baptiſta adventum Chriſti.*

§. 5. *Si B. Virgo eſt ſtella matutina : S. Ioannes Baptiſta poteſt dici ejus filius.*

§. 6. *Quare illi impoſitum fuerit nomen Ioannis.*

§. 7. *Ad exprimendã ſublimiſſimam ejus excellentiam in ſanctitate.*

§. 8. *Non enim ſanctus tantùm , & gratioſus , & juſtus : ſed Sanctitas, gratia & juſtitia vocari poteſt ; prout de Chriſto Domino locutus fuit ſanctus Paulus.*

§. 9. *Proſecutio. Et talis fuit in utero! in nativitate.*

§. 10. *Pulcerrimi radii ſtellæ matutinæ, ſive S. Ioannis B. fuerunt eximiæ ejus virtutes.*

§. 11. *Varia ſtellarum elogia applicantur S. Ioanni.*

§. 12. *Emblema Patris Engelgrave.*

§. 1. Ioannis nativitatem gratia operatur, natura miratur.

FEſtivis gaudiis celebramus Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ, de quo Guarricus Abbas, hæres mellifluí Spiritus, dulciſſimi ſancti Bernardi, & nervosè & ſuaviter dixit , ſerm. 1. de Bapt, *Ioannis nativitatem gratia operatur : natura miratur.* Nam ſi illam attentius conſideremus, & admirabiles ejus circumſtantias perpendamus ; inveniemus Naturam ad pulcerrimi hujus operis fabricam, potius obſtupuiſſe, & vires atque vices ſuas ceſſiſſe operationi gratiæ ; quàm quod ipſa admirabilem illam Nativitatem operata fuerit. Alluſit meo judicio, piiſſimus abbas ad Nativitatem Chriſti, ex puriſſimo utero Virginis , de qua canit Eccleſia ; *Tu quæ genuiſti, naturâ mirante, tuum ſanctum Genitorem?* id eſt, in tuo partu, O illibata Virgo ! O fœcunda Mater ! non multo operata fuit natura, ſed totum ferè gratia & obumbratio Spiritus Sancti. Hoc fecit Natura : dum vidit Filium naſci ex Virgine, obſtupuit ! Dum vidit Virginem fieri Matrem, & Virginem permanere, rapta fuit in admirationem. Dum alia talia miracula vidit in ſacratiſſimo partu, hæſit attonita. Idem , ſervatâ debitâ proportione contigit in nativitate ſancti Joannis Baptiſtæ. Concepit mater ſterilis, in ſenectute : infans in utero ſanctificatus exiliit : puer in utero agnovit præſentiam Salvatoris ; Gratia , & Spiritus Sanctus talia fuit operatus : Natura obſtupuit. In Nativitate ſancti Joannis ſolvitur lingua muti Zachariæ : per miraculum puero imponitur nomen Joannis! gratia fuit operata hæc miracula: natura obſtupuit: obſtupere parentes: mirati vicini exclamarunt, Lucæ 1. v 66. *Quis putas puer iſte erit?* omnes agnoverunt hunc partum fuiſſe potius opus cœli, quàm terræ : potius Dei, quàm hominum : potius Gratiæ, quàm Naturæ; potius Spiritus Sancti, quàm parentum. Unde & nomen Joannis, ſive gratiæ illi ab Angelis fuit impoſitum. Dum hodierni Evangelii hiſtoriã perpendo, in tres præcipuè perſonas oculos meos conjicio. In Virginem Matrẽ: in Jeſulũ latentẽ in utero: in natum Parvulũ, in Joannem Baptiſtã. Jeſus Salvator eſt Sol. Virgo Mater, Luna vel Aurora. Joannes Baptiſta in ſuo ortu, ſtella matutina : audietis in hac concione,

ob

ob quas cauſas, elogium ſtellæ matutinæ illi conveniat.

§. 2. *Stella matutina ſive Lucifer reliquas ſtellas ſplendore ſuo ſuperat, S. Ioannes B. Omnes Sanctos vincit gratia & ſanctitate.*

In ſtella noſtra matutina, in S. Joanne Baptiſta, conſidero inprimis, nominum, quibus appellatur, varietatem. Vocatur enim Lucifer, quod luceat præ reliquis ſtellis, quod alias omnes luce ſuâ & pulchritudine vincat atque ſuperet: unde, S. Iſidoro teſte dicitur JUBAR. *Salve pupule hodie nate! Salve parvule Joannes! ſalve ſtella matutina! ſalve formoſiſſime Lucifer!* qui reliquos Sanctos omnes, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres & Confeſſores; ſanctitatis radiis, virtutum luce, gratiæ venuſtate, adeo ſuperat & excedit, ut teſtimonio ipſiusmet æternæ Veritatis, inter natos mulierum, major non ſurrexit. In qua metaphora S. Bernardus S. Joannem Baptiſtam appellavit, *Splendorem Sanctorum omnium.* Cujus elogii excellentiam & venuſtatem, ex hoc ſimili intelligemus.

§. 3. *Quod ſimili declaratur.*

Cogitate vos videre vas aliquod, ex auro vel cryſtallo, ornatum diverſis lapidibus pretioſis, Adamante, Smaragdo, Saphyro, &c. quæri poteſt; quæ gemma ex omnibus ſit pulcerrima? quænam radiet magis? huic placebit viror Smaragdi, huic purpura carbunculi, aliis lux adamantis, vel ſcintillæ ardentis pyropi, &c. Si mihi quæſtio proponatur, reſpondebo, Neque ſolus viror Smaragdi, purpura ſola carbunculi, oculos meos maximè oblectat; ſed confuſa illa venuſtas omnium gemmarum, & decor atque ſplendor ab omnibus procedens; omnium gemmarum illarum lux, radii, ſcintillæ, faciunt pulcerrimum ſplendorem, qui, cujusvis gemmæ excedit pulcritudinem. Pari ratione de quovis Sancto dici poteſt, quod Eccleſiaſticus cap. 43. v. 2. ait de Sole; quod ſit *vas admirabile opus excelſi.* Itaque vaſa pulcerrima in terris fuerunt ſanctiſſimi Patriarchæ, ornati ſmaragdo fidei: Vaſa pretioſa fuerunt ſancti Apoſtoli, & glorioſiſſimi Martyres, ornati purpurâ & carbunculo Martyrii, ardentiſque caritatis. Vaſa candidiſſima fuerunt tot innocentiſſimæ virgines, ornatæ & radiantes adamante lucidiſſimæ virginitatis; ideo ſunt, qui laudent Patriarchas; alii Apoſtolos, alii invictos Martyres; alii alios Sanctos præ reliquis commendant. Laudo, extollo, deprædico, commendo ego hodie ſanctum Joannem Baptiſtam, & voco cum ſanctis Patribus ſtellam matutinam, ſive Luciferum, cum ſancto Bernardo, ſplendorem Sanctorum omnium, cum Chriſto Dn. Lucernam ardentem, quæ omnes Sanctos, luce, pulchritudine, gratia, venuſtate virtutumq; omnium ſplendore ſuperat & excedit. Quid mirum, quod in exortu hujus ſtellæ, hodiernâ die, mundus jubilet, multi exultent, quod ubique ſit gaudium magnum, quod cum jubilo cantemus; *Salve pupule: Salve Joannes Baptiſta: Salve ſtella matutina: Salve pulcerrime Lucifer.*

§. 4. *Stella matutina exoriens, mundo annuntiat*

Notiſſimæ ſunt aliæ, pulcerrimi hujus jubaris, & ſtellæ matutinæ, ſive Luciferi compellationes. Vocatur & Heſperus: quia dum veſperi oritur, nuntiat adeſſe noctem; manè

autem

ſolem. 5. autem exoriens, quia monet adeſſe diem, vocatur ſtella matutina & Venus; non quod cum fabulis putem hanc pulcerrimam ſtellam eſſe Deam amoris, præſertim impuri; ſed quia illos, in quos influit, ſive quibus dominatur, quos ſuâ luce & radiis illuſtrat; facit lætos, & amantes, dum eoſdem flammis caſti & ſancti amoris accendit, atque inflammat. Vultis ut oculis veſtris hodie proponam ſtellam matutinam myſticam in medio nebulæ, ſive denſa caligine? & quid erat hic mundus ante Chriſti adventum, niſi atra, informis, & denſiſſima abyſſus ſpiritualium tenebrarum, in qua plerique jacebant mortalium, turpiſſimis idololatriæ erroribus, ſcelerumque graviſſimorum luto inſculpti. Ex his tenebris convertite oculos, ad natum Puerum, ſanctificatum in utero matris, jam tum repletum Spiritu Sancto; jam ornatum gratiâ & virtutibus; jam radiantem luce divini amoris; & in hoc ſanctiſſimo, gratioſiſſimoque Puero, videbitis exorientem Heſperum, ut jacentes in tenebris mortales conſoletur, & mundo annuntiet, adeſſe tam denſæ noctis finem; adeſſe jam Auroram, cum ſole Juſtitiæ; O felices! quibus hæc ſtella ſalutares ſuos communicat influxus: quibus dominatur; eoſdem enim reddit lætos, & amantes Numinis æterni: eoſdem flammis caſti & ſancti amoris accendit atque inflammat; redditque capaces, ut deinde ſuſcipiant radios ſolis Juſtitiæ, & ab iis illuminentur. Tanti luminis, tantæ lucis, Solis Juſtitiæ prodromus, præcurſor, nuntius, Lucifer, ſive ſtella matutina, fuit S. Joannes Baptiſta.

Ioannes Baptiſta adventū Chriſti.

§. 5. *Si B. Virgo eſt ſtella matutina: S. Ioannes Bapt. poteſt dici ejus filius.*

Niſi forte aliquibus placeat magis, ut ipſam Virginem Dei Matrem, Nativitati S. Joannis præſentem, nomine ſtellæ matutinæ compellem, non reluctabor: ſed tum ego dicam, S. Joannem Baptiſtam fuiſſe ſtellæ hujus Filium. Plinius & alii, dum loquuntur de natura & effectibus hujus ſideris, videntur ſupponere, illam ſubinde depingi in ſpecie & forma, venuſtiſſimæ Virginis; & dicunt eſſe complexionis frigidæ, ſive caſtam; fœcundam tamen, & matrem dulciſſimorum fructuum: addunt, quod Virgo hæc amet elegantes veſtes, quod cum ſummâ oblectatione audiat Muſicam, & dulces cantilenas; aſſerunt, eſſe illam linguam ſuavisſimam, pulcerrimos oculos, amœnam faciem; cor, promptum ad amandum, præſertim objecta pulcra. Non hæc fingunt tales Auctores, quod proprietas talis re verâ inſit ſtellæ matutinæ; ſed quod in hominibus per ſuos influxus illam efficiat, ut recreentur caſto amore, ut oblectentur ſuavi melodia, ut ament pulcra: quomodo de ſapientia dicitur Jacobi 3. quod ſit pudica, pacifica, quia filios & amatores ſuos facit pudicos & pacificos. Jam advertite, quâ ratione conveniant hæc omnia B. Virgini, tanquam ſtellæ matutinæ, & S. Joanni Baptiſtæ, ejus ſecundum gratiam, filio. Maria pudica eſt, talis ejus filiolus Joannes Maria, eſt dulciſſima mater, Joannes dulcis filius. Illa mater amabilis & gra-

& gratioſa; talis quoque natus parvulus, ideo Joannes eſt nomen ejus. Maria tota pulcra eſt, totus pulcer eſt Joannes. Jubilat, gaudet, cantat Maria, *Magnificat anima mea Dominum*: jubilat, ſaltat, tripudiat ejus filiolus. Joannes eſt filius ſtellæ matutinæ.

§. 6. *Quare illi impoſitũ fuerit nomen S. Ioannis.*

De B. Virgine, & nomine ejus Maria, dixit Fulbertus Epiſcopus: *Hæc ergo electa, & inſignis inter filias, non fortuito, aut ſolo parentum beneplacito, ſed divina diſpoſitione nomen accepit*: idem veriſſimè de nato hodie infantulo dicere poſſumus: Hic electus, hic præcurſor Chriſti, hic inſignis inter omnes Sanctos: non fortuito, non quia parentes voluerunt, ſed divina diſpenſatione accepit nomen Joannis, Gratiæ, ſive ſtellæ matutinæ, ad demonſtrandam ſupremam ejus excellentiam, quod inde patebit.

§. 7. *Ad exprimendam ſublimiſſimam ejus eminentiã in Sanctitate.*

S. Paulus, quando eminentiam Chriſti Domini Corinthiis propoſuit non tantùm Sanctum, ſed Sanctitatem illum vocat: *Sanctus eſt, & ipſa ſanctificatio; juſtus & ipſa Juſtitia*, ait Sanctus Anſelmus in citatum caput: inter quæ, hæc eſt differentia. Qui Sanctus eſt, poteſt nihilominus peccare, poteſt per peccatum gratiam perdere: quod quia de Chriſto D. dici non poteſt, quia eſt eſſentialiter ſanctus & impeccabilis: & juſtus: non tantum ſanctus, ſed ſanctitas eſt, & ipſa juſtitia, & ipſa gratia, prout idem Apoſtolus loquitur ad Hæb. cap. 2. v. 9. *Ut gratia Dei, pro omnibus guſtaret mortem: id eſt*, inquit gloſſ. S. Aug. *ut ipſe Chriſtus qui eſt gratia Dei, moreretur*. Et gratia dicitur, in caſu nominativo, quia auctor, & fons, & origo eſt omnis gratiæ: juxta illud Joannis, *Gratia & Veritas, per Jeſum Chriſtum facta eſt*: Vel quia Pater cœleſtis, Filiũ ſuum nobis gratis dedit: juxta illud Iſaiæ cap. 9. *Filius datus eſt nobis*.

§. 8. *Non enim Sanctus tantum, & gratioſus & juſtus; ſed Sanctitas, gratia & juſtitia vocari poteſt: prout de Ch. D. locutus fuit S. Paulus.*

Suppoſito hoc diſcurſu de exellentia & ſumma laude Chriſti Salvatoris noſtri: quæro de ſtella noſtra matutina ſive ſancto Joanne Baptiſta; Quis & qualis fuerit, non tantùm decurſu, & in fine ſanctiſſimæ vitæ: nõn cum ſanguinem pro Veritate dedit, non cum bravium ſuum apprehendit, ſed in primo exortu, in ipſa Nativitate. Quæro: Quis & qualis Puer fuerit? multi dicent: fuiſſe Puerum S. quia antequam naſceretur, in utero matris fuit liberatus à peccato originali, in utero replevit illum Spiritus Sanctus, in utero agnovit præſentiã ſui Creatoris; fuit ergo, & in utero, & in Nativitate, puer gratioſus, & Deo ambilis, quod privilegium Deus pauciſſimis Sanctis conceſſit: Stellæ matutinæ radius pulcerrimus eſt, quaſi anticipato & ante tempus cõmunicata gratia & ſanctitas. In ipſo ortu ſtella matutina lucet pulcerrime, Joannes B. in ſua Nativitate fuit Sanctus.

§. 9. *Profecto. Etta-lu fuit in utero, in Nativitate.*

Verùm ſublimius de illo loquamur, quem Deus ita voluit extollere, & ad illum ſupereminentiæ gradum ſupra reliquos Sanctos elevare, ut pietati & affectui noſtro erga gratioſum puerum loqui liceat, illo modo, illis verbis, illis elogiis, quibus Sanct. Paulus Chriſti D. excellentiam Corinthiis

rinthiis propoſuit: dicamus; S. Joannes B. non ſolum ſanctus eſt, non tãtum gratiâ eſt ornatus, ſed Joannes, ſive, ipſa gratia eſt nomen ejus. Joannes Bapt. eſt gratia, Joannes eſt Sanctitas, Joannes eſt Juſtitia, Joannes eſt amor, Joannes eſt pulchritudo. Joannes eſt gaudium. Joannes eſt caritas & dilectio; quæ omnia nomen gratiæ ſive Joannes ſignificat, & comprehendit: Et talis Sanctus Joannes fuit in utero, talis fuit Puer in Nativitate; talis ſtella, tam pulcra, tam ſpecioſa, tam amabilis in ortu, quis, & qualis erit, cum vivet in deſerto, inſtar terreſtris Angeli? quis & qualis erit, cum prædicabit pœnitentiam, cũ digito monſtrabit Agnum, Joan. 1. v. 29. *qui tollit peccata mundi*? quis & qualis erit in glorioſiſſimo agone, & morte? Itane radiat ſtella matutina in ortu, quomodo radiabit, in aſcenſu, in decurſu, in occaſu? Quis putatis Puer iſte erit? Sanctitas, Juſtitia, gratia!

§. 10. *Pulcerrimi radii ſtellæ matutinæ ſive S. Ioan. B. fuerũt eximiæ virtutes.*

Pulcerrimi quoque radii noſtræ ſtellæ, ſive S. Joan. Bapt. ſunt nobiles & eximiæ virtutes, Virginitas, Humilitas, Obedientia, Patientia, Caritas, quibus Beatiſſimum Puerũ Gratia cœleſtis, pulcerrimè exornavit: ideo quoq; Joan. eſt nomen ejus: fuit Virgo, fuit humilis, patiens, obediẽs, verbo, ſpeculum & exemplar excellentiſſimarum virtutum. Subſtantiã ſtellæ matutinæ, dicũt Aſtrologi, eſſe puram, lucidam, incorruptibilem, & igneã. Talis fuit puritas, caſtitas & virginitas S. Joan. Bapt. puriſſima, luciдиſſima, incorruptibilis; expers omnis maculæ, imò Angelica; ſtellæ ſua magnitudine excedunt molem terræ, & tamen apparent parvæ, imò minimæ: ita, quanto major fuit S. Joan. in gratiâ & ſanctitate, corã Deo & hominibus; tantò fuit minor in humilitate; præſertim in præſẽtiâ Solis, ſive Chriſti Dn. ut dixerit, Joan. 1. 28. *Non ſum dignus ſolvere corrigiã calceamenti ejus.* Stellæ motu ſui ſuperioris, ſive firmamenti, moventur celerrime; qui motus eſt Symbolum Obedientiæ, quæ quoq; in S. Joanne fuit perfectiſſima. Demiq; ſtella matutina eſt ſphærica, rotunda, plena luce ac lumine, naturæ flãmiveræ, quibus perfectio caritatis erga Deum & homines in S. Joanne deſignatur: & ubi eſt perfecta caritas, eſt abundantia donorum Sp. Sancti, cum capacitate maximarum gratiarum, ob quas nati Pueri, nomen eſt Joannes.

§. 11. *Varia ſtellarum elegia applicantur S. Ioan. Baptiſtæ.*

Ab Oratoribus ſtellæ vocantur: ſpecies, decus & gloria firmamenti, lucidæ lampades, naturæ: foculi, noctis oculi, lunæ famulæ, ſolis ſcintillæ & flammulæ. Species, decus, gloria, lampas, focus, oculus, Eccleſiæ tum decertantis in terris, tum triumphantis in cœlis: famulus, ſervus & filius Mariæ, ſolis æterni flammula, lucis æternæ ſcintillula, in hodierna Nativitate fuit, & hodie eſt S. Joannes Baptiſta: ſive, pulcerrimum opus, in quo pulchritudo ſupremi Artificis perfectiſſimo modo relucet. Cùm ſubinde noctu, cœlum ſtellis, quaſi gemmis diſtinctum, & rutilans, intuemur, mente aſſurgimus, ad earũ Opificem Deum Opt. Max. ei cum regio Pſalte pſ. 105. 1. gratulabundi accinimus, *Confitemini Domino, quoniã in æternũ miſericordia ejus, qui fecit luminaria magna; ſolẽ in poteſtatem*

diei; lunam & ſtellas in poteſtatem noctis; quoniam in æternum miſericordia ejus: faciamus hoc multò magis hodie in exortu pulcerrimæ ſtellæ matutinæ: in Navitate S. Joan. Baptiſtæ oritur in medio nebulæ, ut illam pellat: *Confitemini Domino.* Oritur ut mundo jacenti in tenebris annuntiet diem, adventum Auroræ & ſolis: *Confitemini Domino.* Oritur ut pulſis tenebris mundum exhilaret: *Confitemini Domino.* Oritur in montanis Judææ, cum magno vicinorum gaudio: *Confitemini Domino.* Oritur ſtella, ornata pulcerrimis virtutum radiis. Oritur Venus gratiarum; Confitemini Domino. Naſcitur Puer ſanctus, gratioſus, amabilis; naſcitur S Joannes Bapt. *Confitemini Domino*; cujus gloriam & magnificentiam hæc ſtella enarrat, & deprædicat: Benedictus qui fecit ſtellam hanc: in æternum miſericordia ejus.

§. 12. *Emblema Patris Engelgrave.* Valde mihi placet Emblema quod P. Engelgrave præfixit ſuæ concioni hodierno feſto. Humi jacet formoſiſſimus Puer, quem ingens ſerpens ſua cauda involvit, ſed retro arborem ſtat cœleſtis Cupido, qui aureâ ſagittâ transfigit caput venenatæ beſtiæ, ne amabili Puero nocere poſſit. Pro lemmate appoſuit verba illa Virgilii, *Fortunate Puer*! Pulcerrima eſt hæc imago parvuli Joannis Baptiſtæ: jacebat in utero matris, nudus, inermis, ſpoliatus gratiâ, in poteſtate infernalis ſerpentis, ſub peccati Originalis jugo; ſed Cœleſtis Cupido, Divinus Amor, Parvulus Jeſulus ſtans poſt cancellos Virginei Uteri, potenti ſagitta, contregit caput ejus, & Joannem liberavit à peccato Originali: O *Fortunate Puer*! Mox idem Jeſulus illum induit veſte tam pulcra, ut nomen ejus voluerit eſſe Joannem, ſive Gratiam, O gratioſe, O Fortunate Puer! illuſtravit illum inſuper ſol Juſtitiæ illâ ſanctitatis luce, ut in ortu radiet inſtar ſtellæ matutinæ, dicamus cum jubilo, O Fortunate Puer! O pulcerrime Lucifer! lucidiſſimum aſtrum! O ſtella matutina!

CONCIO LXXIV.

FESTO SS. APOST. PETRI & PAULI.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Math. 16. v. 18.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit de ſtabilitate Petræ, cui Chriſtus D. inædificavit Eccleſiam ſuam.

§. 1.

§. 1. Petrarum frequens fit mentio in Sacra ſcriptura.

§. 2. Eccleſia petra inædificata eſt invincibilis.

§. 3. Pharao invanum conatus fuit excindere populum Hebræorum.

§. 4. Idem contigit illis, qui fundamentum Eccleſiæ voluerunt diruere, & Chriſtianos extirpare.

§. 5. Mirabiliter D.us conſervavit Moyſen, contra intentionẽ Pharaonis.

§. 6. Mirabilius hactenus conſervavit Eccleſiam, contra tot hoſtes.

§. 7. Teſtimonia SS. Patrum.

§. 8. Neque hæreſis cum omni aſtutia, quidquam efficere potuit: victa eſt in ſua aſtutia.

§. 9. Confirmantur dicta ex pſ. 87. & variis ſymbolis.

§. 10. Variæ Apoſtrophes ad Diabolum, Hæreſin & tyrannos, quàm fruſtra hactenus oppugnarint Eccleſiam.

§. 1. Petrarum frequens fit mentio in S. Scriptura.

FRequenter in ſacris literis fit mentio petrarum: Libri, Exodi & Numerorum, multa narrant, de admirabili petrâ, quam ſua virga percuſſit Moyſes, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ. Fuit hæc petra figura Chriſti Crucifixi, qui cùm percuſſus fuit virga Crucis, & transfixus clavis, ex fontibus Sanctiſſimorum Vulnerum egreſſa eſt aqua viva, ſaliens in vitam æternam. Guſtarunt illam aquam, glorioſi Apoſtoli Sanctus Petrus, & Sanctus Paulus; vivunt in cœlis. Capite 24. verſ. 21. Num. *laudantur illi, qui in petra ponunt nidũ ſuum*, magis laudandi ſunt, qui cum ſponſa, veluti columbæ, nidum ſuum ponunt in cavernis maceriæ, quæ ſunt eadem Vulnera Salvatoris. Tales columbæ fuerunt Sanctus Petrus & Sanctus Paulus; Cap. 32. *laudat Moyſes, ex qua tranſeuntes potuerunt ſugere mel, & oleum, & rivulos lactis*: hæc quoque petra fuit figura Chriſti Domini ſive illius dulcedinis & ſuavitatis, quam cum Sanctus Petrus guſtaſſet in monte Thabor, exclamavit, Matth. 17. v. 4. *Domine bonum eſt nos hic eſſe, hic faciamus tria tabernacula*. Et Sanct. Paulus, cùm dixit, *Quis nos ſeparabit à caritate?* Dulce, volupe, bonum illis fuit, habitare in hâc petrâ. Regius Pſaltes pſal. 26. v. 6. plenus jubilo ait: *In petra exaltavit me.* pſal. 39. v. 13. *Statuit ſuper petram, pedes meos*, pſal. 103. 10. *Petra, refugium herinaceis*: quæ omnia de Chriſto Domino poſſunt intelligi. Vocantur autem hæ & ſimiles petræ in Sacris literis; Solidæ, duriſſimæ, eminentes, acutæ, præruptæ, immobiles, &c. quas omnes proprietates ego præcipuè convenire puto, illi petræ, de quâ Chriſtus Dominus in hodierno Evangelio ait: Math. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam*: Petra! tam ſolida, tam dura, tam acuta, tam immobilis, ut hactenus nulla Adverſariorum vis, contra illam potuerit prævalere. Quod, in honorem glorioſiſſimorum Apoſtolorum hâc concione declarabo; exemplis & hiſtoriis ex Sacra Scriptura potiſſimum depromptis,

§. 2. *Eccleſia, poſita ſupra petrâ eſt invincibilis.*

Idololatria, Hæreſis, Tyranni, Diaboli, portæ inferni, in vanum conantur ſubvertere fundamenta petræ, cui Chriſtus Dn. inædificavit Eccleſiam ſuam. A mille ſexcentis triginta tribus annis, id docuit multorum ſæculorum ſeries. Tam fortis eſt Chriſtus Dominus, ſponſus ſuæ Eccleſiæ, ut ſuam ſponſam poſſit defendere: tam eſt ſapiens, ut ſciat, illam ſine periculo ruinæ & interitus, dirigere: tam bonus eſt, ut non velit illam ullo unquā tempore perire; uſque ad conſummationem ſæculi; ideoque etiam portæ inferi, & omnes infernales furiæ, contra illam non prævalebunt: Imò, dùm Eccleſiæ hoſtes illam cogitant diruere, & exterminare; per illa media, quibus id putant ſe poſſe efficere; per illa, Eccleſia magis erigitur, & redditur illuſtrior. Irriti ſunt omnes illorum conatus, vanæ omnes machinationes, fruſtranei omnes aſſultus: quod aliquæ hiſtoriæ & exempla ex ſacris literis, clariſſime nobis ponunt ob oculos. De quo regius pſaltes ſibi gloriatur pſ. 134. v. 6. *Omnia, quacunque voluit Dominus, fecit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* Veriſſimum hoc eſt de Eccleſia: Voluit hactenus illam conſervare, & fecit: inter graviſſimas perſecutiones, inter decumanos fluctus; quia ſic voluit, & hoc faciet uſque ad conſummationem ſæculi. Ut dicere poſſimus cum Eſth. c. 13. v. 9. *Dne Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere tua voluntati; ſi decreveris ſalvare Iſrael.* mutemus Iſraël in Eccleſiam & dicere poſſumus *Domine! Domine*, &c. Quod verò Deus decreverit, hoc facere, nobis certum eſt: credimus clariſſimæ promiſſioni æternæ Veritatis; *Tu es Petrus*, &c. Sed venio ad exempla Scripturæ, quorum paulò ante feci mentionem, ex quibus id, quod intendo probare, clariſſimè demonſtrabo.

§. 3. *Pharao in vanum conatus fuit exſcindere populum Hebræorū.*

Statuerat apud ſe Pharao radicitus exſcindere Judæos & Hebræos: ad illum finem intendit ſuum ingenium, impendit cogitationes, exeruit vires, quibus finem ſuum aſſequeretur. Deus, è contrario voluit populum illum conſervare, imò voluit eum creſcere & augeri, multiplicari, ſicut arenas in litore maris, & ſtellas cœli. Pharao itaque coëgit illos ſervire ſervitutem graviſſimam: Obruit illos laboribus; juſſit cædi flagellis, vexari injuriis, fame, inediâ, ſiti; Præfectus operum illis præpoſitus, fuit homo aſper, inhumanus & crudelis, qui nullam in duriſſimis laboribus, permiſit quietem, ut plurimi tantis oneribus ſuccubuerint, triſtiq; fato è medio fuerint ſublati. Nihilominus ait ſacer textus; Exod. 1. v. 12. *Quantò opprimebat eos, tantò magis multiplicabantur & creſcebant*: S. Cyrillus de adoratione. *Cùm Pharao malignitate ſummâ conaretur illius gentis proventū atque incrementum cohibere, &c. hoc ejus conſilium, contrarios eventus habuit,* (obſervate bene omnia verba) *nam ea ipſa, quæ inferebatur vexatio, occaſio illius incrementi fuit, cùm Deus tam rem, ſuâ ſapientiâ moderaretur, & Pharaonis aſtutia ſuam gratiam opponeret.* S. Auguſtinus ait: *Augetur populus, dum opprimitur: & dum putatur minui, quotidie creſcit.* Nihil Pharao illis potuit

Digitized by Google

nocere,quos Divina Majeſtas protegebat: Potuit populus in graviſſimâ perſecutione dicere cum Eſthere, *Domine! Domine Rex omnipotens, &c.*

§. 4. *Idem contigit illis, qui hactenus fundamentũ Eccleſiæ voluerũt diruere.*

Vix Eccleſia à Chriſto Dn. fortiſſimæ petræ fuit impoſita: vix Apoſtoli per orbem terrarum inceperant prædicare Evangelium; exiguus adhuc erat Chriſtianorum & credentium numerus,cum infernalis Pharao, conſpirantibus Idololatriâ & Hæreſi, ſtatuit, hunc populum radicitus extirpare; & cum fundamento diruere atque evertere pulcerrimam molem, elegansque ædificium,à Chriſto Domino ſolidæ petræ impoſitum. Ad hunc finem aſſequendum, quæ non furiæ emiſſæ ſunt ex orco? quos non Tyrannos, crudeles, barbaros, ſanguinarios, Nerones, Decios, Diocletianos,in campum eduxit crudelitas? quæ non excogitata tormenta: rogi, equulei,catartæ, rotæ, &c. ſexcenta talia? ſed quia aliud ſtatuit Dominus; quia Chriſtus Dominus Petro dixit: *Tu es Petrus & ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, nec portæ inferi prævalebunt adverſus eam*: quia Altiſſimus ab æterno ſtatuit ſuam ſponſam protegere, dirigere & conſervare;quantò Idodolatria atrocius,quãto hæreſis aſtutius, quanto diabolus cum omnibus tyrannis crudelius, quantò magis oppreſſerunt populum Chriſtianum, tantò magis ille crevit,& multiplicatus eſt, ut ſtellæ in cœlo,ut arenæ in littore maris. Adverſariorum tot, & tam potentium cogitationes,conſilia, propoſita, decreta, malignitas, verſutia, contrarios habuerunt eventus; perſecutiones, vexationes, tormenta, inſtrumenta crudelitatis, occaſio fuerunt incrementi: Martyrum ſanguis fuit fœcundum ſemen Chriſtianorum. Neque hoc mirum eſt. DEUS ſapientiſſimus, ſapientiâ infinitâ moderatur Eccleſiam: quid poterit contra mundi aſtutia? Viribus Sathanæ, furiis hæreticorum, vi paganorum, crudelitati tyrannorum Deus opponit ſuam omnipotentiam:quis illi reſiſtet? Contrarios hactenus vidimus eventus. Populus Chriſtianus,quem tot hoſtes,de ſæculo in ſæculum oppreſſerunt & vexarunt,auctus eſt, & augetur quotidie, quæ fuit opinio S. Cypriani. *Timendas non eſſe injurias, & pœnas perſecutorum, quia major eſt Dominus ad protegendum, quàm diabolus ad impugnandum: in Exodo declarat D. Scriptura; preſſuris nos potius multiplicari & augeri, dicens: quantoque eos deprimebant,tanto plures fiebãt, & invaleſcebant magis.*

§. 5. *Mirabiliter Deus conſervavit Moyſen, contra intentionem Pharaonis*

Pharao,licet adverteret media ſua exſcindendi populum non procedere;non tamen quievit, ſed præcepit omni populo ſuo dicens, Exod. 1. 22. *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit,in flumen projicite*: Sed! O adinventiones & diſpoſitiones Divinæ Providentiæ! hoc præceptum erit occaſio liberationis populi ex dira ſervitute; occaſio mortis Pharaonis & ruinæ Ægypti. Naſcitur Moyſes,in ciſtula imponitur Nilo,ut ſubmergatur:ſed innatans aquis incurrit oculos filiæ Pharaonis, ad ripã deambulantis,rapitur illa pulchritudine infãtis:jubet aſportari in aulã,ubi tanquã filius ejus fuit educatus. Sacer textus loqui-

Digitized by Google

loquitur, Exod. 2. v. 10. *quem illa adoptavit in locum filii, vocavitq́; nomen ejus Moyſes*, dicens: *quia de aqua tuli illum*. Septuaginta legunt: *factus eſt ei in filium*. *Tantum abfuit* (ait Lippomanus) *ut Moyſes perire potuerit, per Regis crudelitatem, ut ipſumquoq́; intra Regiam aulam ſuam educari oportuerit. Sic parabatur à Rege, contra Regem, volente Deo! Vides quomodo agat Providentia Dei!* Per illud medium, quo Pharao cogitaverat, Hebræorum populum perdere: illud elegit Dominus, ut populus ille liberaretur, & è ſervitute educeretur, creſceretq́; in gentem magnam.

§. 6.
Mirabiliter hactenus conſervata eſt Eccleſia, contra tot hoſtes.

Quoties quæſo Auditores cariſsimi, à mille ſexcentis triginta aliquot annis ſimiles divinæ Providentiæ effectus, erga Chriſti Eccleſiam, cum ſtupore ſpectavit orbis? in Tyrannorũ hæreticorumq́; perſecutionibus? Quæ rabies, quis furor contra Chriſtianos? quales artes, qui doli, quæ fraudes, quæ ſtratagemata, qui cuniculi excogitati non ſunt, ad diſsipandam Eccleſiam, ad ſubruendam ejus petram, cui inſiſtit: ad convellendam crucem Chriſti, ad nomen hoc glorioſiſsimum prorſus abolendum? quæ promiſsiones? quales minæ? qualia tormenta? neces, quàm crudeles? quantus numerus invictiſsimorum Martyrum? ut non Moyſes, ſed navicula Petri inter decumanos fluctus ſubmergeretur? ſed quid vicit divina Providentia! fortior fuit Chriſtus, ad Eccleſiam defendendam; quàm Pharao cum portis inferni, ad illam opprimendam.

§. 7.
Teſtimonia SS. Patrum.

Tertullianus in apol. c. 1. *Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen eſt ſanguis Chriſtianorum.* S. Leo ſer. 15. de SS. Petro & Paulo. *Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur; & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.* S. Proſper l. 2. de vocat. gent. c. 5. *Fremebant gentes, iraſcebantur populi, ſæviebant Reges & Poteſtates, contradicebant ſuperſtitiones, & totius mundi reluctabantur errores. Sed de reſiſtentibus, furentibus, perſequentibus, populum ſuum Chriſtus augebat; & per vincula & ſupplicia, mortemq́; Sanctorum, roborabatur fides, vincebat veritas, perque univerſũ mundum Dominici agri, ſegetis multiplicabatur ubertas.* Tot inſultibus, tot motibus, tot concuſsionibus, tot fluctuum alliſionibus, tot ventorum furiis, Petra, cui Chriſtus Eccleſiam impoſuit, roborata & conſolidata eſt magis; juxta promiſsionẽ S. Petro factã, *Tu es Petra, &c.* & ſic ſtabit, durabit, non cõmovebitur in æternũ. S. Juſtinus M. q. 74. *Enimvero hæc tormenta, quibus uſus eſt gentiliſmus* (idem dicendũ de hæreſi) *ſperans hâc ratione ſe ſe poſſe conſervare integrũ; & gentiliſmum aboleverunt, & Chriſtianiſmum firmius ſtabiliverunt.*

§. 8.
Neque hæreſis cũ omni ſua aſtutia quidquã efficere potuit: victa eſt in ſua aſtutia.

De hæreſi proponi poteſt illa quæſtio, Eccl. 1. *aſtutias illius, quis agnovit?* videtur eſſe alluſio ad ſerpentem, quæ Evam ſeduxit: ut à SS. Patribus aſtutia hæreſis merito vocetur diabolica. Hæc aliquando ſuggeſsit Herodi, ut nece tot, licet innocentium infantũ, *primordia ſuſpecti ſibi Regis extingueret*; ſed Chriſto parvulo nocere non potuit, imo deinde ſuo tempore ipſa mors Chriſti fuit partus

tus

Digitized by Google

tus Eccleſiæ, & ſemen tam copioſæ ſegetis. In ſua aſtutia Herodes fuit deceptus, & ſynagoga in ſuis dolis fuit capta. Idem hactenus contigit tot hæreſiarchis, quis enarrabit aſtutias alicujus Arrii? alicujus Calvini? alicujus Lutheri? fuerunt ſerpentes pleni peſtifero veneno. Evam! carnales, ſenſuales, ventri deditos homines, Lutherus decepit. Arrogantes, ſuperbos, Calvinus: Evæ cœleſti, ſponſæ Chriſti Jeſu, ſive Eccleſiæ, nullum prorſus damnum intulerunt: manſit & manet illa ſemper intacta & illibata Virgo, & ſimul fœcunda Mater. Quantò magis aſtuti hi ſerpentes ſibilant, quanto peſtilentius virus evomunt contra hanc petram, tanto conſolidatur magis, quod Chriſtus D. promiſit S. Petro dicens: *Tu es, Petrus, &c.* nec portæ inferi neque aſtutiſſima hæreſis contra illam prævalebunt.

§. 9. *Confirmantur dicta ex Pſ. 87. & variis ſymbolis.*

Pſ. 87. v. 8. conqueruntur David & Chriſtus D. Ille in perſecutionibus Saulis: hic tempore Paſſionis: his verbis: *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* S. Aug. legit, *Omnes ſuſpenſiones tuas.* Alia verſio habet, *Omnes elationes tuas*: ſive *omnia*, quæ de paſſ. Meſſiæ à Prophetis prædicta fuerunt. Concludo ex his verbis, ſive hoc modo loquendi, quòd impius Saul proſecutus fuerit innocentem Davidem, & Synagoga mundi Salvatorem, quantum potuerunt, excitarint quaſi tempeſtatem cum immanibus fluctibus ad ſubmergendam utriusq; memoriam, quaſi parvulam cymbam. Sed fruſtra. David & Chriſtus D. eo magis fuerunt exaltati, ut ſcitis. Idem hactenus contigit & continget Eccleſiæ. Idololatria, gentes, pagani, barbari, Reges, Imperatores, Tyranni, Hæreſis, Diabolici ſerpentes, dæmones, omnes fluctus induxerunt ſuper naviculam Petri: omnia tormenta excogitarunt ad exſcindendos Chriſtianos: omnes adhibuerunt machinas ad ſubruendam petram Eccleſiæ. Quid profecerunt? quod Saul perſequendo Davidem, quod Synagoga occidendo Chriſtum. Eccleſia eſt arbor, quæ inter ventos, firmatur & viret magis: Eccleſia eſt aquila, quæ inter tonitrua altius evolat. Eccleſia carbunculus eſt, quæ inter tenebras clarius rutilat. Adamas eſt, qui ſub malleorum ictibus, fit fortior. Quercus eſt, quæ permiſſa ventorum flatibus & furiis profundius radices agit. Eccleſia petræ eſt impoſita, quæ ridet iras maris. Omnia hæc promiſit Chriſtus D. S. Petro, his verbis, *Tu es Petrus, &c.*

§. 10. *Variæ Apoſtrophes ad diab. hæreſin, & quã fruſtra hactenus oppugnarint Eccl ſiam.*

Gentiles & Judæi, ut poſt mortem Chriſti tollerent omnem memoriã ligni ſanctiſſimæ Crucis, in monte Calvariæ, ſepelierunt in terram, & eodem loco erexerunt Statuam Veneris, ſtetitq; illa uſq; ad Sancti Conſtantini Magni tempora: donec Mater illius S. Helena divinitus admonita, idolum diruit: inventaq; ſancta Cruce, magnificum ibi erexit templũ in honorem Chriſti & SS. Crucis: cujus honor & gloria mox per totum mundum mirificè fuit propagata. De quo ſibi applaudens S. Ambroſius orat. in obitu Theodoſii ait: *Quid egiſti Diabole? ut abſconde es lignum,* *niſi*

Digitized by Google

niſi ut iterum vincereris. addo ego, niſi ut SS. Crux magis glorificaretur. Hic à mille ſexcentis & amplius annis fuit conatus Diaboli, hæc furia & rabies gentiliſmi, hæc aſtutia hæreſis: hi aſſultus portarum inferni, ſepelire quaſi Eccleſiam Chriſti. Sed! quid egiſti diabole? hoc, ut firmius ſtet petra Eccleſiæ! Crudeliſſime Nero, quid egiſti, Petrum ſuſpendendo in cruce? eidem ligno, veluti patibulo affixa fuit, biceps hydra, idololatria & hæreſis. Quid egiſti, reſecando caput Doctori gentium S. Paulo? hoc, ut reſectum caput, ter claris verbis, alta voce mundo clamarit, *JESUS! JESUS! JESUS!* eodem enſe, quo cecidit Paulus, cecidit etiam gentiliſmus. Et vos infernales furiæ, quid hactenus egiſtis? Quid egiſtis vellicando Aquilam? altius evolat! quid ſolem obducendo nubibus? clarius micat! Quid deprimendo palmam? quid concutiendo quercum? pulchrius virent, fortiores egerunt radices! Quid egiſtis conquaſſando fundamenta Petræ, ut putaſtis: conſolidaſtis. Infernus hactenus decrevit diruere Eccleſiam; Deus ſtatuit illam conſervare; idem promiſit Chriſtus D. S. Petro. Quis vincet? puto fortiſſimum, qui eſt Jeſus Chriſtus, Salvator noſter, cui ſit honor & gloria in ſæcula, Amen!

CONCIO LXXV.

FESTO VISITATIONIS B. VIRG.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, Cant. 6. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

§. 1. *Maria abiit in montana cum feſtinatione.*

§. 2. *Sponſus, Angeli, filiæ Sion, applaudunt feſtinanti Virgini.*

§. 3. *Eiuſdem feſtinationi favent creaturæ irrationales.*

§. 4. *Aurora eſt flos lucis: Maria flos omnis pulchritudinis.*

§. 5. *Conglobatio elogiorum Auroræ: quæ magis debentur Mariæ.*

§. 6. *Alia ſimilis conglobatio.*

§. 7. *Pium deſiderium amandi B. Virgine*

§. 8.

§. 8. *Dulcis, ſuavis, jucunda eſt Aurora: dulcior, ſuavior, jucundior eſt Maria Mater lætitiæ.*
§. 9. *Teſtimonia SS. Patrum.*
§. 10. *Non hominum tantùm, ſed & Angelorum gaudium & lætitia eſt Maria.*
§. 11. *Suaviſſimos Auroræ influxus ſenſit Joannes B.*
§. 12. *Et omnes præſentes.*
§. 13. *Pii affectus ad Beatam Virginem.*

§. 1. Maria abiit in montana cum feſtinatione.

ANgelico Nuntio, ſanctiſſimo Triados legato, beatiſſimo Gabriele, revolante è terris in cœlum, poſt ineffabilia peracta myſteria, in Nazaræo & Virgineo conclavi, quamprimum Virgo jam Mater Dei ſublime iter ad montes Judææ cœpit meditari. Imò ſtatim egreſſa fuit ex ædibus, & cum feſtinatione, ingenti celeritate, virgineis quidem pedibus, ſed ſimul Filii, quem utero portabat, ſed cœli raptu, ſed motu Spiritus Sancti, ſed amoris pennis, ſed greſſibus caritatis, aſcendit montana Judææ. Et licet tenella puella, in utero geſtaret, immenſæ molis gigantem; onus tamen fuit leve, quia ab eodem Atlante ipſa portabatur. Licet eſſet gravida, & Deo prægnans (quid gravius dici poteſt) nihilominus abiit cum feſtinatione: idem Deus, quem portabat, lumen fuit, ſol fuit, cujus leviſſimi radii virgineum uterum onerare non potuerunt. Vis præterea amoris immenſi, fuit quaſi machina, quæ virginem ad altiſſima ſuſtulit: & quò, Deum portans Puella, ardensque divini amoris flamma, contenderet, niſi ad ſublimia? A cœleſti ſponſo, quem utero conceperat, aſſimilata jam capreæ, hinnuloque cervorum ſuper montes Bethel, vel cervæ matutinæ, cujus pedes perficiens Dilectus, ſtatuit illam ſuper excelſa.

§. 2. Sponſus, Angeli, filiæ Sion, applaudunt feſtinationi Virgini.

Quidni ergò hodierna feſtivitate, abeuntem cum feſtinatione in montana Mariam, pio veluti celeuſmate proſequamur cū eodē ſponſo, Cant. 2.13. *Surge, propera amica mea, columba mea.* Quid ni, in ſuavi ſtuporis extaſi ſuſpenſi, quæramus cum ſanctis Angelis, *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora, pulchra ut Luna, electa ut Sol?* Quidni, poſt ſacra, ſi non pedibus, ſaltem veſtigiis Dominæ, libata oſcula, exclamemus, Cant. 7. v. 1. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis Filia Principis.* Quidni applaudamus cum filiabus Sion, ibid. v. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit deliciis affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum, ſole amicta, calceata Luna, ſtellis coronata?* Exſtimulate pedes amoris, Auditores, ſtimulos amoris in pedibus habet Virgo per montana: celeri paſſu properat Maria, in qua nihil eſt, niſi curſus amoris. Et vos currite, & vos amate.

§. 3. Ejuſd. in feſtinationi ſavent creatura irrationalis.

Pergit cum feſtinatione, Vector eſt amor: currus eſt amor, equus eſt amor; ferculum eſt amor: hic vehit, hic portat, hic urget Virginem currentem cum feſtinatione: Præterquam quod feſtinationi faveant omnia; Judææ Sylvæ induentes florem, floridū incedenti Virgini ſubſternunt

 ver;

ver; arida ſaxa emolleſcunt, & ebulliunt in fontes; zephyri ſuavi ſibilo & ſuſurris feſtinantem proſequuntur: Suavi concentu obſtrepunt aviculæ: arridet cœlum, applaudit terra, ſerviunt elementa, comitantur cœleſtes Ephœbi; inter quæ obſequia, gaudia & ſolatia, cur non feſtinaret amor, ſive Virgo, amore plena. Abit denique cum feſtinatione: ſtella eſt! movetur celeriter, ut ſtella matutina: Luna eſt: cœleri raptu volvitur, ut luna. Sol eſt! currit ut ſol inſtar gigantis. Nubes eſt! volat ut nubes. Aquila eſt! ſcindit aëra ut aquila. Aurora eſt! properat ut aurora. Curſum concionis meæ ſiſtit nonnihil hæc vocula, *Aurora*, ut tantùm vos moneam, velle me hac panegyri Mariæ Laudes vobis proponere ſub ſymbolo Auroræ. Sed in materia ampliſſima concionem meam inter certos terminos concludam: Erigam quaſi duas columnas, pyramides vel obeliſcos: uni, aureis literis hoc elogium volo inſcribere: *Lucida, pulchra, formoſa eſt Aurora: ſed lucidior, pulchrior, formoſior, MARIA.* Alterum obeliſcum hac epigraphe exornabo: *Aurora & ſuavis, hilaris & jucunda, Mater lætitiæ, ſed ſuavior & jucundior eſt Maria: Mater, fons & origo omnis lætitiæ.* Dum hoc facio, fave Aurora myſtica! fave Maria! favete & vos Auditores.

§ 4. *Aurora eſt flos lucis: Maria flos omnis pulchritudinis.* Ad commendationem pulcherrimæ Virginis, pulcherrima laudum encomia, mihi ſuppeditat pulcherrima Aurora. Qui venuſtiſſimam hanc Deam, appellarunt *florem lucis*: quod, prima, poſt tenebras, hortis flores, floribus colores; coloribus vitam, campis arbores, arboribus frondes, frondibus virorem, cœlo lucem, aëri ſerenitatem, aquis lucidam cryſtallum, terræ gratiam, pleriſq; creaturis venuſtatem, roſeis manibus diſpenſet: hi potiori jure & titulo Mariam appellabunt Auroram ſive Florem & pulchritudinem lucis. In cœlis, in aſtris, in ſideribus, in ſole, luna & ſtellis, in igne, in aëre, in aquis, in gemmis, in unionibus, in metallis, in vitro, in cryſtallo, quidquid eſt lucis, quidquid decoris, quidquid ſplendoris, radiorum, ſerenitatis, ſcintillationis, fulguris, id totum Deus Opt. Max. perfectiori excellentia, manu liberaliſſima in unam contulit Auroram Myſticam, in Mariam. Lux eſt anima colorum; lux gemmis & floribus tribuit pulchritudinem: à luce ſmaragdus & amaranthus virent: adamas, lilia & Narciſſi albent: hyacinthus & crocus à luce, ab aurora flaveſcunt, pyropi & roſæ purpurant, carbunculi & cariophylli ardent: habet verò hoc Aurora, ſubinde viret, ut ſmaragdus & amaranthus; alias albeſcit ut adamas & Narciſſus, ſubinde flaveſcit, ut crocus, purpurat ut roſæ: ardet ut cariophyllus. Sed amœnius viret, candidius albet: ſuavius flaveſcit, magis purpurat, gratius pallet, pulchrius ardet Aurora Myſtica Maria! lucidiſſima Virgo.

§ 5. *Conglobatio elogiorum Auroræ, quæ magis debentur Mariæ.* Qui auroram ex Poëtarum figmentis vocarunt *primum evigilantis ſolis riſum, Orientis floram, ſerenitatem cœli, blandientis auræ parentem, lucis bajulam, luminis puerperam, ſolis pa-*

paludamentum, illos moneo, ut oculos conjiciant in Auroram Myſticam, præſertim dum hodie progreditur feſtinans per montana Judææ, & mox mecum exclamabunt: O jucundum ſpectaculum! Maria eſt Solis æterni riſus & gaudium; Maria eſt Flora cęleſtis Paradiſi, ipſa eſt ſereniſſimum & animatum cœlum; Parens, Puerpera, Mater, Genitrix, Bajula lucis immenſæ, ſplendor intaminatus, lux æterna, candor immutabilis, fons pellucidus ignis æterni, verbo, Aurora pulcherrima & lucidiſſima.

§. 6. *Alia ſimilis conglobatio.* Et illos, qui Auroram dixerunt eſſe *Deum*, *ideam*, *formam*, *ſtatuam*, *imaginem*, *ſpeculum pulchritudinis & venuſtatis*: qui putarunt Auroram eſſe quandā Pandorā, quæ formoſorū formoſarumq; labris diſpertit roſas, genis corallum, frontib. ebur, collis nivem, comis aurum: oculis ſplendorem, linguis favos & mel, ſupercillis majeſtatem, manibus hyacinthos, omnibus membris gratiam & proportionem, hos rogo, ut vel modicis nictibus Auroram Myſticam contueantur, mox mecum dicent: O formoſiſſimam Puellam! una Maria eſt Dea, idæa, forma, ſtatua, imago, ſpeculum pulchritudinis immenſæ! una Maria, una Aurora myſtica univerſæ venuſtatis eſt ſphæra, circulus, centrum, abyſſus, typus, compendium. *Incomprehenſibilem* Auroræ noſtræ eſſe *pulchritudinem* teſtatur Nyſſenus: *Ineffabilem* profitetur Damianus: *indicibilem* dicit Auguſtinus: *Sublimatam*, nominat Hugo, *gratiarum & pulchritudinis mare*, vocat Damaſcenus: *exhauſtam abyſſum* compellat Epiphanius: Idiota aſſerit eſſe, *Pulcherrimi ſolis pulcherrimam imaginem.* Richardus, *Divinam ſimilitudinem.* Dionyſius, *Deiformem* in pulchritudine. Quærant jam, in Symphoniacum coacti globum, Cœleſtes Genii, Quæ eſt iſta, quæ aſcendit & progreditur per Judææ montes? Reſpondebo: eſt vivum pulchritudinis ſimulacrum, lucis divinæ candor, ſpeculum ſine macula, verbo Aurora, in qua vivaciſſimis coloribus, primi ſolis pulchritudo, divina manu pingitur, & efformatur.

O Pulcherrima & lucidiſſima Aurora! O ſpecioſiſſima, Venuſtiſſima & gratioſiſſima Virgo! quàm amabilis eſt pulchritudo tua! O elegantiſſima Puellarum, quàm claris & caris, radiis vulneras amantium oculos! toto pectore nitoris tui nictib. inflammamur! Sentio! quàm me urit divina tua forma! ſentio! in amabili tantæ pulchritudinis aſpectu, venæ ebulliunt, efferveſcunt medullæ, torretur animus, accenditur ſanguis, inflammantur Spiritus, cor amore liquatum diffluit; in toto pectore gerebatur caſtus ignis, & amabile incendium! totus amico igne involvor. Utinam hac flamma, hoc igne, uramur, accendamur, ardeamus in omnem æternitatdm. §. 7. *Pium deſiderium amandi B. Virg.*

Verùm inter hos ignes, in tam beato incendio, neſcio, quo ſimul gaudio me affici ſentio! neſcio, qua inſolita amœnitate, ceu verna quadam aura perflctur hortus cordis mei! Jucundiſſimi cujuſdam gaudii ſenſus pectori magis, magiſque illabitur: laxat ſe animus, ſerenatur, §. 8. *Dulcis, ſuavis, jucunda eſt Aurora, dulcior & ſuavior eſt Maria Mater lætitiæ.*

Digitized by Google

& gratioſa; talis quoque natus parvulus, ideo Joannes eſt nomen ejus. Maria tota pulcra eſt, totus pulcer eſt Joannes. Jubilat, gaudet, cantat Maria, *Magnificat anima mea Dominum*: jubilat, ſaltat, tripudiat ejus filiolus. Joannes eſt filius ſtellæ matutinæ.

§. 6. *Quare illi impoſitũ fuerit nomen S. Ioannis.*

De B. Virgine, & nomine ejus Maria, dixit Fulbertus Epiſcopus: *Hæc ergo electa, & inſignis inter filias, non fortuito, aut ſolo parentum beneplacito, ſed divina diſpoſitione nomen accepit*: idem veriſſimè de nato hodie infantulo dicere poſſumus: Hic electus, hic præcurſor Chriſti, hic inſignis inter omnes Sanctos: non fortuito, non quia parentes voluerunt, ſed divina diſpenſatione accepit nomen Joannis, Gratiæ, ſive ſtellæ matutinæ, ad demonſtrandam ſupremam ejus excellentiam, quod inde patebit.

§. 7. *Ad exprimendam ſublimſſimam ejus eminentiã in Sanctitate.*

S. Paulus, quando eminentiam Chriſti Domini Corinthiis propoſuit non tantùm Sanctum, ſed Sanctitatem illum vocat: *Sanctus eſt, & ipſa ſanctificatio; juſtus & ipſa Juſtitia*, ait Sanctus Anſelmus in citatum caput: inter quæ, hæc eſt differentia. Qui Sanctus eſt, poteſt nihilominus peccare, poteſt per peccatum gratiam perdere: quod quia de Chriſto D. dici non poteſt, quia eſt eſſentialiter ſanctus & impeccabilis: & juſtus: non tantum ſanctus, ſed ſanctitas eſt, & ipſa juſtitia, & ipſa gratia, pront idem Apoſtolus loquitur ad Hæb. cap. 2. v. 9. *Ut gratia Dei, pro omnibus guſtaret mortem*: *id eſt*, inquit gloſſ. S. Aug. *ut ipſe Chriſtus qui eſt gratia Dei, moreretur.* Et gratia dicitur, in caſu nominativo, quia auctor, & fons, & origo eſt omnis gratiæ: juxta illud Joannis, *Gratia & Veritas, per Jeſum Chriſtum facta eſt*: Vel quia Pater cœleſtis, Filiũ ſuum nobis gratis dedit: juxta illud Iſaiæ cap. 9. *Filius datus eſt nobis.*

§. 8. *Non enim Sanctum tantum, & gratioſum & juſtum; ſed Sanctitas, gratia & juſtitia vocari poteſt: prout de Ch. D. locutus fuit S. Paulus.*

Suppoſito hoc diſcurſu de exellentia & ſumma laude Chriſti Salvatoris noſtri: quæro de ſtella noſtra matutina ſive ſancto Joanne Baptiſta; Quis & qualis fuerit, non tantùm decurſu, & in fine ſanctiſſimæ vitæ: nõn cum ſanguinem pro Veritate dedit, non cum bravium ſuum apprehendit, ſed in primo exortu, in ipſa Nativitate. Quæro: Quis & qualis Puer fuerit? multi dicent: fuiſſe Puerum S. quia antequam naſceretur, in utero matris fuit liberatus à peccato originali, in utero replevit illum Spiritus Sanctus, in utero agnovit præſentiã ſui Creatoris; fuit ergo, & in utero, & in Nativitate, puer gratioſus, & Deo ambilis, quod privilegium Deus pauciſſimis Sanctis conceſſit: Stellæ matutinæ radius pulcerrimus eſt, quaſi anticipato & ante tempus cõmunicata gratia & ſanctitas. In ipſo ortu ſtella matutina lucet pulcerrime, Joannes B. in ſua Nativitate fuit Sanctus.

§. 9. *Profecto. Ita fuit in utero, in Nativitate.*

Verùm ſublimius de illo loquamur, quem Deus ita voluit extollere, & ad illum ſupereminentiæ gradum ſupra reliquos Sanctos elevare, ut pietati & affectui noſtro erga gratioſum puerum loqui liceat, illo modo, illis verbis, illis elogiis, quibus Sanct. Paulus Chriſti D. excellentiam Corinthiis

riuthiis propoſuit: dicamus; S. Joannes B. non ſolum ſanctus eſt, non tãtum gratiâ eſt ornatus, ſed Joannes, ſive, ipſa gratia eſt nomen ejus. Joannes Bapt. eſt gratia, Joannes eſt Sanctitas, Joannes eſt Juſtitia, Joannes eſt amor, Joannes eſt pulchritudo. Joannes eſt gaudium. Joannes eſt caritas & dilectio; quæ omnia nomen gratiæ ſive Joannes ſignificat, & comprehendit: Et talis Sanctus Joannes fuit in utero, talis fuit Puer in Nativitate; talis ſtella, tam pulcra, tam ſpecioſa, tam amabilis in ortu, quis, & qualis erit, cum vivet in deſerto, inſtar terreſtris Angeli? quis & qualis erit, cum prædicabit pœnitentiam, cũ digito monſtrabit Agnum, Joan. 1. v. 29. *qui tollit peccata mundi*? quis & qualis erit in glorioſiſſimo agone, & morte? Itane radiat ſtella matutina in ortu, quomodo radiabit, in aſcenſu, in decurſu, in occaſu? Quis putatis Puer iſte erit? Sanctitas, Juſtitia, gratia!

§. 10. *Pulcerrimi radii ſtellæ matutinæ ſive S. Joan. B. fuerũt eximiæ virtutes.*

Pulcerrimi quoque radii noſtræ ſtellæ, ſive S. Joan. Bapt. ſunt nobiles & eximiæ virtutes, Virginitas, Humilitas, Obedientia, Patientia, Caritas, quibus Beatiſſimum Puerũ Gratia cœleſtis, pulcerrimè exornavit: ideo quoq; Joan. eſt nomen ejus: fuit Virgo, fuit humilis, patiens, obediẽs, verbo, ſpeculum & exemplar excellentiſſimarum virtutum. Subſtantiã ſtellæ matutinæ, dicũt Aſtrologi, eſſe puram, lucidam, incorruptibilem, & igneã. Talis fuit puritas, caſtitas & virginitas S. Joan. Bapt. puriſſima, lucidiſſima, incorruptibilis; expers omnis maculæ, imò Angelica; ſtellæ ſua magnitudine excedunt molem terræ, & tamen apparent parvæ, imò minimæ: ita, quanto major fuit S. Joan. in gratiâ & ſanctitate, corã Deo & hominibus; tantò fuit minor in humilitate; præſertim in præſẽtiâ Solis, ſive Chriſti Dn. ut dixerit, Joan. 1. 28. *Non ſum dignus ſolvere corrigiã calceamenti ejus.* Stellæ motu ſui ſuperioris, ſive firmamenti, moventur celerrime; qui motus eſt Symbolum Obedientiæ, quæ quoq; in *S.* Joanne fuit perfectiſſima. Deniq; ſtella matutina eſt ſphærica, rotunda, plena luce ac lumine, naturæ flammiveræ, quibus perfectio caritatis erga Deum & homines in S. Joanne deſignatur: & ubi eſt perfecta caritas, eſt abundantia donorum Sp. Sancti, cum capacitate maximarum gratiarum, ob quas nati Pueri, nomen eſt Joannes.

§. 11. *Varia ſtellarum elegia applicantur S. Joan. Baptiſtæ.*

Ab Oratoribus ſtellæ vocantur: ſpecies, decus & gloria firmamenti, lucidæ lampades, naturæ: foculi, noctis oculi, lunæ famulæ, ſolis ſcintillæ & flammulæ. Species, decus, gloria, lampas, focus, oculus, Eccleſiæ tum decertantis in terris, tum triumphantis in cœlis: famulus, ſervus & filius Mariæ, ſolis æterni flammula, lucis æternæ ſcintillula, in hodierna Nativitate fuit, & hodie eſt S. Joannes Baptiſta: ſive, pulcerrimum opus, in quo pulchritudo ſupremi Artificis perfectiſſimo modo relucet. Cùm ſubinde noctu, cœlum ſtellis, quaſi gemmis diſtinctum, & rutilans, intuemur, mente aſſurgimus, ad earũ Opificem Deum Opt. Max. ei cum regio Pſalte pſ. 105. 1. gratulabundi accinimus, *Confitemini Domino, quoniã in æternũ miſericordia ejus, qui fecit luminaria magna; ſolẽ in poteſtatem*

diei; lunam & ſtellas in poteſtatem noctis; quoniam in æternum miſericordia ejus: faciamus hoc multò magis hodie in exortu pulcerrimæ ſtellæ matutinæ: in Navitate S. Joan. Baptiſtæ oritur in medio nebulæ, ut illam pellat: *Confitemini Domino.* Oritur ut mundo jacenti in tenebris annuntiet diem, adventum Auroræ & ſolis: *Confitemini Domino.* Oritur ut pulſis tenebris mundum exhilaret: *Confitemini Domino.* Oritur in montanis Judææ, cum magno vicinorum gaudio: *Confitemini Domino.* Oritur ſtella, ornata pulcerrimis virtutum radiis. Oritur Venus gratiarum; Confitemini Domino. Naſcitur Puer ſanctus, gratioſus, amabilis; naſcitur S Joannes Bapt. *Confitemini Domino*; cujus gloriam & magnificentiam hæc ſtella enarrat, & deprædicat: Benedictus qui fecit ſtellam hanc: in æternum miſericordia ejus.

§. 12. *Emblema Patris Engelgrave.* Valde mihi placet Emblema quod P. Engelgrave præfixit ſuæ concioni hodierno feſto. Humi jacet formoſiſſimus Puer, quem ingens ſerpens ſua cauda involvit, ſed retro arborem ſtat cœleſtis Cupido, qui aureâ ſagittâ transfigit caput venenatæ beſtiæ, ne amabili Puero nocere poſſit. Pro lemmate appoſuit verba illa Virgilii, *Fortunate Puer*! Pulcerrima eſt hæc imago parvuli Joannis Baptiſtæ: jacebat in utero matris, nudus, inermis, ſpoliatus gratiâ, in poteſtate infernalis ſerpentis, ſub peccati Originalis jugo; ſed Cœleſtis Cupido, Divinus Amor, Parvulus Jeſulus ſtans poſt cancellos Virginei Uteri, potenti ſagitta, contregit caput ejus, & Joannem liberavit à peccato Originali: O *Fortunate Puer*! Mox idem Jeſulus illum induit veſte tam pulcra, ut nomen ejus voluerit eſſe Joannem, ſive Gratiam, O gratioſe, O Fortunate Puer! illuſtravit illum inſuper ſol Juſtitiæ illâ ſanctitatis luce, ut in ortu radiet inſtar ſtellæ matutinæ, dicamus cum jubilo, O Fortunate Puer! O pulcerrime Lucifer! lucidiſſimum aſtrum! O ſtella matutina!

CONCIO LXXIV.

FESTO SS. APOST. PETRI & PAULI.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Math. 16. v. 18.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit de ſtabilitate Petræ, cui Chriſtus D. inædificavit Eccleſiam ſuam.

§. 1.

§. 1. *Petrarum frequens ſit mentio in Sacra ſcriptura.*

§. 2. *Eccleſia petra inædificata eſt invincibilis.*

§. 3. *Pharao invanum conatus fuit excindere populum Hebræorum.*

§. 4. *Idem contigit illis, qui fundamentum Eccleſiæ voluerunt diruere, & Chriſtianos extirpare.*

§. 5. *Mirabiliter D.us conſervavit Moyſen, contra intentionē Pharaonis.*

§. 6. *Mirabilius hactenus conſervavit Eccleſiam, contra tot hoſtes.*

§. 7. *Teſtimonia SS. Patrum.*

§. 8. *Neque hæreſis cum omni aſtutia, quidquam efficere potuit: victa eſt in ſua aſtutia.*

§. 9. *Confirmantur dicta ex pſ. 87. & variis ſymbolis.*

§. 10. *Variæ Apoſtrophes ad Diabolum, Hæreſin & tyrannos, quam fruſtra hactenus oppugnarint Eccleſiam.*

§. 1. Petrarum frequens ſit mentio in S. Scriptura.

FRequenter in ſacris literis fit mentio petrarum: Libri, Exodi & Numerorum, multa narrant, de admirabili petrâ, quam ſua virga percuſſit Moyſes, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ. Fuit hæc petra figura Chriſti Crucifixi, qui cùm percuſſus fuit virga Crucis, & transfixus clavis, ex fontibus Sanctiſſimorum Vulnerum egreſſa eſt aqua viva, ſaliens in vitam æternam. Guſtarunt illam aquam, glorioſi Apoſtoli Sanctus Petrus, & Sanctus Paulus; vivunt in cœlis. Capite 24. verſ. 21. Num. *laudantur illi, qui in petra ponunt nidū ſuum*, magis laudandi ſunt, qui cum ſponſa, veluti columbæ, nidum ſuum ponunt in cavernis maceriæ, quæ ſunt eadem Vulnera Salvatoris. Tales columbæ fuerunt Sanctus Petrus & Sanctus Paulus; Cap. 32. *laudat Moyſes, ex qua tranſeuntes potuerunt ſugure mel, & oleum, & rivulos lactis*: hæc quoque petra fuit figura Chriſti Domini ſive illius dulcedinis & ſuavitatis, quam cum Sanctus Petrus guſtaſſet in monte Thabor, exclamavit, Matth. 17. v. 4. *Domine bonum eſt nos hic eſſe, hic faciamus tria tabernacula*. Et Sanct. Paulus, cùm dixit, *Quis nos ſeparabit à caritate?* Dulce, volupe, bonum illis fuit, habitare in hâc petrâ. Regius Pſaltes pſal. 26. v. 6. plenus jubilo ait: *In petra exaltavit me.* pſal. 39. v. 13. *Statuit ſuper petram, pedes meos*, pſal. 103. 10. *Petra, refugium herinaceis*: quæ omnia de Chriſto Domino poſſunt intelligi. Vocantur autem hæ & ſimiles petræ in Sacris literis; Solidæ, duriſſimæ, eminentes, acutæ, præruptæ, immobiles, &c. quas omnes proprietates ego præcipuè convenire puto, illi petræ, de qua Chriſtus Dominus in hodierno Evangelio ait: Math. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam*: Petra! tam ſolida, tam dura, tam acuta, tam immobilis, ut hactenus nulla Adverſariorum vis, contra illam potuerit prævalere. Quod, in honorem glorioſiſſimorum Apoſtolorum hâc concione declarabo; exemplis & hiſtoriis ex Sacra Scriptura potiſſimum depromptis,

§. 2. *Eccleſia, poſita ſupra petrã eſt invincibilis.*

Idololatria, Hæreſis, Tyranni, Diaboli, portæ inferni, in vanum conantur ſubvertere fundamenta petræ, cui Chriſtus Dn. inædificavit Eccleſiam ſuam. A mille ſexcentis triginta tribus annis, id docuit multorum ſæculorum ſeries. Tam fortis eſt Chriſtus Dominus, ſponſus ſuæ Eccleſiæ, ut ſuam ſponſam poſſit defendere: tam eſt ſapiens, ut ſciat, illam ſine periculo ruinæ & interitus, dirigere: tam bonus eſt, ut non velit illam ullo unquã tempore perire; uſque ad conſummationem ſæculi; ideoque etiam portæ inferi, & omnes infernales furiæ, contra illam non prævalebunt: Imò, dùm Eccleſiæ hoſtes illam cogitant diruere, & exterminare; per illa media, quibus id putant ſe poſſe efficere; per illa, Eccleſia magis erigitur, & redditur illuſtrior. Irriti ſunt omnes illorum conatus, vanæ omnes machinationes, fruſtranei omnes aſſultus: quod aliquæ hiſtoriæ & exempla ex ſacris literis, clariſſime nobis ponunt ob oculos. De quo regius pſaltes ſibi gloriatur pſ. 134. v. 6. *Omnia, quæcunque voluit Dominus, fecit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* Veriſſimum hoc eſt de Eccleſia: Voluit hactenus illam conſervare, & fecit: inter graviſſimas perſecutiones, inter decumanos fluctus; quia ſic voluit, & hoc faciet uſque ad conſummationem ſæculi. Ut dicere poſſimus cum Eſth. c. 13. v. 9. *Dne Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere tuæ voluntati; ſi decreveris ſalvare Iſrael.* mutemus Iſraël in Eccleſiam & dicere poſſumus *Domine! Domine*, &c. Quod verò Deus decreverit, hoc facere, nobis certum eſt: credimus clariſſimæ promiſſioni æternæ Veritatis; *Tu es Petrus*, &c. Sed venio ad exempla Scripturæ, quorum paulò ante feci mentionem, ex quibus id, quod intendo probare, clariſſimè demonſtrabo.

§. 3. *Pharao in vanum conatus fuit exſcindere populum Hebræũ.*

Statuerat apud ſe Pharao radicitus exſcindere Judæos & Hebræos: ad illum finem intendit ſuum ingenium, impendit cogitationes, exeruit vires, quibus finem ſuum aſſequeretur. Deus, è contrario voluit populum illum conſervare, imò voluit eum creſcere & augeri, multiplicari, ſicut arenas in litore maris, & ſtellas cœli. Pharao itaque coëgit illos ſervire ſervitutem graviſſimam: Obruit illos laboribus; juſſit cædi flagellis, vexari injuriis, fame, inediâ, ſiti; Præfectus operum illis præpoſitus, fuit homo aſper, inhumanus & crudelis, qui nullam in duriſſimis laboribus, permiſit quietem, ut plurimi tantis oneribus ſuccubuerint, triſtiq; fato è medio fuerint ſublati. Nihilominus ait ſacer textus; Exod. 1. v. 12. *Quantò opprimebat eos, tantò magis multiplicabantur & creſcebant*: S. Cyrillus de adoratione. *Cùm Pharao malignitate ſummâ conaretur illius gentis proventũ atque incrementum cohibere, &c. hoc ejus conſilium, contrarios eventus habuit,* (obſervate bene omnia verba) *nam ea ipſa, quæ inferebatur vexatio, occaſio illis incrementi fuit, cùm Deus tam rem, ſuâ ſapientiâ moderaretur, & Pharaonis aſtutiæ ſuam gratiam opponeret.* S. Auguſtinus ait: *Augetur populus, dum opprimitur: & dum putatur minui, quotidie creſcit.* Nihil Pharao illis potuit

nocere

nocere, quos Divina Majeſtas protegebat: Potuit populus in graviſſimâ perſecutione dicere cum Eſthere, *Domine! Domine Rex omnipotens, &c.*

§. 4. *Idem contigit illis, qui hactenus fundamentū Eccleſiæ voluerūt diruere.* Vix Eccleſia à Chriſto Dn. fortiſſimæ petræ fuit impoſita: vix Apoſtoli per orbem terrarum inceperant prædicare Evangelium; exiguus adhuc erat Chriſtianorum & credentium numerus, cum infernalis Pharao, conſpirantibus Idololatriâ & Hæreſi, ſtatuit, hunc populum radicitus extirpare; & cum fundamento diruere atque evertere pulcerrimam molem, elegansque ædificium, à Chriſto Domino ſolidæ petræ impoſitum. Ad hunc finem aſſequendum, quæ non furiæ emiſſæ ſunt ex orco? quos non Tyrannos, crudeles, barbaros, ſanguinarios, Nerones, Decios, Diocletianos, in campum eduxit crudelitas? quæ non excogitata tormenta: rogi, equulei, catartæ, rotæ, &c. ſexcenta talia? ſed quia aliud ſtatuit Dominus; quia Chriſtus Dominus Petro dixit: *Tu es Petrus & ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, nec portæ inferi prævalebunt adverſus eam:* quia Altiſſimus ab æterno ſtatuit ſuam ſponſam protegere, dirigere & conſervare; quantò Idolatria atrocius, quãto hæreſis aſtutius, quanto diabolus cum omnibus tyrannis crudelius, quantò magis oppreſſerunt populum Chriſtianum, tantò magis ille crevit, & multiplicatus eſt, ut ſtellæ in cœlo, ut arenæ in littore maris. Adverſariorum tot, & tam potentium cogitationes, conſilia, propoſita, decreta, malignitas, verſutia, contrarios habuerunt eventus; perſecutiones, vexationes, tormenta, inſtrumenta crudelitatis, occaſio fuerunt incrementi: Martyrum ſanguis fuit fœcundum ſemen Chriſtianorum. Neque hoc mirum eſt. DEUS ſapientiſſimus, ſapientiâ infinitâ moderatur Eccleſiam: quid poterit contra mundi aſtutia? Viribus Sathanæ, furiis hæreticorum, vi paganorum, crudelitati tyrannorum Deus opponit ſuam omnipotentiam: quis illi reſiſtet? Contrarios hactenus vidimus eventus. Populus Chriſtianus, quem tot hoſtes, de ſæculo in ſæculum oppreſſerunt & vexarunt, auctus eſt, & augetur quotidie, quæ fuit opinio S. Cypriani. *Timendas non eſſe injurias, & pœnas perſecutorum, quia major eſt Dominus ad protegendum, quàm diabolus ad impugnandum: in Exodo declarat D. Scriptura; preſſuris nos potius multiplicari & augeri, dicens: quantoque eos deprimebant, tanto plures fiebãt, & invaleſcebant magis.*

§. 5. *Mirabiliter Deus conſervavit Moyſen, contra intentionem Pharaonis* Pharao, licet adverteret media ſua exſcindendi populum non procedere; non tamen quievit, ſed præcepit omni populo ſuo dicens, Exod. 1. 22. *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen projicite:* Sed! O adinventiones & diſpoſitiones Divinæ Providentiæ! hoc præceptum erit occaſio liberationis populi ex dira ſervitute; occaſio mortis Pharaonis & ruinæ Ægypti. Naſcitur Moyſes, in ciſtula imponitur Nilo, ut ſubmergatur: ſed innatans aquis incurrit oculos filiæ Pharaonis, ad ripã deambulantis, rapitur illa pulchritudine infãtis: jubet aſportari in aulã, ubi tanquã filius ejus fuit educatus. Sacer textus loqui-

Digitized by Google

loquitur, Exod. 2. v. 10. *quem illa adoptavit in locum filii, vocavitq; nomen ejus Moyſes*, dicens: *quia de aqua tuli illum.* Septuaginta legunt: *factus eſt ei in filium. Tantum abfuit* (ait Lippomanus) *ut Moyſes perire potuerit, per Regis crudelitatem, ut ipſumquoq; intra Regiam aulam ſuam educari oportuerit. Sic parabatur à Rege, contra Regem, volente Deo! Vides quomodo agat Providentia Dei!* Per illud medium, quo Pharao cogitaverat, Hebræorum populum perdere: illud elegit Dominus, ut populus ille liberaretur, & è ſervitute educeretur, creſceretq; in gentem magnam.

§. 6. *Mirabiliter hactenus conſervata eſt Eccleſia, contra tot hoſtes.* Quoties quæſo Auditores cariſſimi, à mille ſexcentis triginta aliquot annis ſimiles divinæ Providentiæ effectus, erga Chriſti Eccleſiam, cum ſtupore ſpectavit orbis? in Tyrannorũ hæreticorumq; perſecutionibus? Quæ rabies, quis furor contra Chriſtianos? quales artes, qui doli, quæ fraudes, quæ ſtratagemata, qui cuniculi excogitati non ſunt, ad diſſipandam Eccleſiam, ad ſubruendam ejus petram, cui inſiſtit: ad convellendam crucem Chriſti, ad nomen hoc glorioſiſſimum prorſus abolendum? quæ promiſſiones? quales minæ? qualia tormenta? neces, quàm crudeles? quantus numerus inviĉtiſſimorum Martyrum? ut non Moyſes, ſed navicula Petri inter decumanos fluctus ſubmergeretur? ſed quid vicit divina Providentia! fortior fuit Chriſtus, ad Eccleſiam defendendam; quàm Pharao cum portis inferni, ad illam opprimendam.

§. 7. *Teſtimonia SS. Patrum.* Tertullianus in apol. c. 1. *Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen eſt ſanguis Chriſtianorum.* S. Leo ſer. 15. de SS. Petro & Paulo. *Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur; & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.* S. Proſper l. 2. de vocat. gent. c. 5. *Fremebant gentes, iraſcebantur populi, ſaviebant Reges & Poteſtates, contradicebant ſuperſtitiones, & totius mundi reluctabantur errores. Sed de reſiſtentibus, furentibus, perſequentibus, populum ſuum Chriſtus augebat; & per vincula & ſupplicia, mortemq; Sanctorum, roborabatur fides, vincebat veritas, perque univerſũ mundum Dominici agri, ſegetis multiplicabatur ubertas.* Tot inſultibus, tot motibus, tot concuſſionibus, tot fluctuum alliſionibus, tot ventorum furiis, Petra, cui Chriſtus Eccleſiam impoſuit, roborata & conſolidata eſt magis; juxta promiſſionẽ S. Petro factã, *Tu es Petra, &c.* & ſic ſtabit, durabit, non cõmovebitur in æternũ. S. Juſtinus M. q. 74. *Enimvero hac tormenta, quibus uſus eſt gentiliſmus* (idem dicendũ de hæreſi) *ſperans hâc ratione ſe ſe poſſe conſervare integrũ: & gentiliſmum aboleverunt, & Chriſtianiſmum firmius ſtabiliverunt.*

De hæreſi proponi poteſt illa quæſtio, Eccl. 1. *aſtutias illius, quis agnovit?* videtur eſſe alluſio ad ſerpentem, quæ Evam ſeduxit: ut à SS. Patribus aſtutia hæreſis merito vocetur diabolica. Hæc aliquando ſuggeſſit Herodi, ut nece tot, licet innocentium infantũ, *primordia ſuſpecti ſibi Regis extingueret*; ſed Chriſto parvulo nocere non potuit, imo deinde ſuo tempore ipſa mors Chriſti fuit par- §. 8. *Neque hæreſis cũ omni ſua aſtutia quidquã efficere potuit: victa eſt in ſua aſtutia.*

tus

tus Eccleſiæ, & ſemen tam copioſæ ſegetis. In ſua aſtutia Herodes fuit deceptus, & ſynagoga in ſuis dolis fuit capta. Idem hactenus contigit tot hæreſiarchis, quis enarrabit aſtutias alicujus Arrii? alicujus Calvini? alicujus Lutheri? fuerunt ſerpentes pleni peſtifero veneno. Evam! carnales, ſenſuales, ventri deditos homines, Lutherus decepit. Arrogantes, ſuperbos, Calvinus: Evæ cœleſti, ſponſæ Chriſti Jeſu, ſive Eccleſiæ, nullum prorſus damnum intulerunt: manſit & manet illa ſemper intacta & illibata Virgo, & ſimul fœcunda Mater. Quantò magis aſtuti hi ſerpentes ſibilant, quanto peſtilentius virus evomunt contra hanc petram, tanto conſolidatur magis, quod Chriſtus D. promiſit S. Petro dicens: *Tu es, Petrus, &c.* nec portæ inferi neque aſtutiſſima hæreſis contra illam prævalebunt.

§. 9. *Confirmantur dicta ex Pſ. 87. & variis ſymbolis.* Pſ. 87. v. 8. conqueruntur David & Chriſtus D. Ille in perſecutionibus Saulis: hic tempore Paſſionis: his verbis: *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* S. Aug. legit, *Omnes ſuſpenſiones tuas.* Alia verſio habet, *Omnes elationes tuas*: ſive *omnia*, quæ de paſſ. Meſſiæ à Prophetis prædicta fuerunt. Concludo ex his verbis, ſive hoc modo loquendi, quòd impius Saul proſecutus fuerit innocentem Davidem, & Synagoga mundi Salvatorem, quantum potuerunt, excitarunt quaſi tempeſtatem cum immanibus fluctibus ad ſubmergendam utriusq; memoriam, quaſi parvulam cymbam. Sed fruſtra. David & Chriſtus D. eo magis fuerunt exaltati, ut ſcitis. Idem hactenus contigit & continget Eccleſiæ. Idololatria, gentes, pagani, barbari, Reges, Imperatores, Tyranni, Hæreſis, Diabolici ſerpentes, dæmones, omnes fluctus induxerunt ſuper naviculam Petri: omnia tormenta excogitarunt ad exſcindendos Chriſtianos: omnes adhibuerunt machinas ad ſubruendam petram Eccleſiæ. Quid profecerunt? quod Saul perſequendo Davidem, quod Synagoga occidendo Chriſtum. Eccleſia eſt arbor, quæ inter ventos, firmatur & viret magis: Eccleſia eſt aquila, quæ inter tonitrua altius evolat. Eccleſia carbunculus eſt, quæ inter tenebras clarius rutilat. Adamas eſt, qui ſub malleorum ictibus, fit fortior. Quercus eſt, quæ permiſſa ventorum flatibus & furiis profundius radices agit. Eccleſia petræ eſt impoſita, quæ ridet iras maris. Omnia hæc promiſit Chriſtus D. S. Petro, his verbis, *Tu es Petrus, &c.*

Gentiles & Judæi, ut poſt mortem Chriſti tollerent omnem memoriã ligni ſanctiſſimæ Crucis, in monte Calvariæ, ſepelierunt in terram, & eodem loco erexerunt Statuam Veneris, ſtetitq; illa uſq; ad Sancti Conſtantini Magni tempora: donec Mater illius S. Helena divinitus admonita, idolum diruit: inventaq; ſancta Cruce, magnificum ibi erexit templũ in honorem Chriſti & SS. Crucis: cujus honor & gloria mox per totum mundum mirificè fuit propagata. De quo ſibi applaudens S. Ambroſius orat. in obitu Theodoſii ait: *Quid egiſti Diabole? ut abſconderes lignum,* §. 10. *Variæ Apoſtrophes ad diab. hæreſin, & quã fruſtra hactenus oppugnarint Eccl ſiam.*

niſi ut iterum vincereris. addo ego, niſi ut SS. Crux magis glorificaretur. Hic à mille ſexcentis & amplius annis fuit conatus Diaboli, hæc furia & rabies gentiliſmi, hæc aſtutia hæreſis: hi aſſultus portarum inferni, ſepelire quaſi Eccleſiam Chriſti. Sed! quid egiſti diabole? hoc, ut firmius ſtet petra Eccleſiæ! Crudeliſſime Nero, quid egiſti, Petrum ſuſpendendo in cruce? eidem ligno, veluti patibulo affixa fuit, biceps hydra, idololatria & hæreſis. Quid egiſti, reſecando caput Doctori gentium S. Paulo? hoc, ut reſectum caput, ter claris verbis, alta voce mundo clamarit, *JESUS! JESUS! JESUS!* eodem enſe, quo cecidit Paulus, cecidit etiam gentiliſmus. Et vos infernales furiæ, quid hactenus egiſtis? Quid egiſtis vellicando Aquilam? altius evolat! quid ſolem obducendo nubibus? clarius micat! Quid deprimendo palmam? quid concuriendo quercum? pulchrius virent, fortiores egerunt radices! Quid egiſtis conquaſſando fundamenta Petræ, ut putaſtis: conſolidaſtis. Infernus hactenus decrevit diruere Eccleſiam; Deus ſtatuit illam conſervare; idem promiſit Chriſtus D. S. Petro. Quis vincet? puto fortiſſimum, qui eſt Jeſus Chriſtus, Salvator noſter, cui ſit honor & gloria in ſæcula, Amen!

CONCIO LXXV.

FESTO VISITATIONIS B. VIRG.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, Cant. 6. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

§. 1. *Maria abiit in montana cum feſtinatione.*

§. 2. *Sponſus, Angeli, filiæ Sion, applaudunt feſtinanti Virgini.*

§. 3. *Ejuſdem feſtinationi favent creaturæ irrationales.*

§. 4. *Aurora eſt flos lucis: Maria flos omnis pulchritudinis.*

§. 5. *Conglobatio elogiorum Auroræ: quæ magis debentur Mariæ.*

§. 6. *Alia ſimilis conglobatio.*

§. 7. *Pium deſiderium amandi B. Virgine*

§. 8.

§. 8. *Dulcis, ſuavis, jucunda eſt Aurora: dulcior, ſuavior, jucundior eſt Maria Mater lætitiæ.*

§. 9. *Teſtimonia SS. Patrum.*

§. 10. *Non hominum tantùm, ſed & Angelorum gaudium & lætitia eſt Maria.*

§. 11. *Suaviſſimos Auroræ influxus ſenſit Joannes B.*

§. 12. *Et omnes præſentes.*

§. 13. *Pii affectus ad Beatam Virginem.*

§. 1. Maria abiit in montana cum feſtinatione.

ANgelico Nuntio, ſanctiſſimo Triados legato, beatiſſimo Gabriele, revolante è terris in cœlum, poſt ineffabilia peracta myſteria, in Nazaræo & Virgineo conclavi, quamprimum Virgo jam Mater Dei ſublime iter ad montes Judææ cœpit meditari. Imò ſtatim egreſſa fuit ex ædibus, & cum feſtinatione, ingenti celeritate, virgineis quidem pedibus, ſed ſimul Filii, quem utero portabat, ſed cœli raptu, ſed motu Spiritus Sancti, ſed amoris pennis, ſed greſſibus caritatis, aſcendit montana Judææ. Et licet tenella puella, in utero geſtaret, immenſæ molis gigantem; onus tamen fuit leve, quia ab eodem Atlante ipſa portabatur. Licet eſſet gravida, & Deo prægnans (quid gravius dici poteſt) nihilominus abiit cum feſtinatione: idem Deus, quem portabat, lumen fuit, ſol fuit, cujus leviſſimi radii virgineum uterum onerare non potuerunt. Vis præterea amoris immenſi, fuit quaſi machina, quæ virginem ad altiſſima ſuſtulit: & quò, Deum portans Puella, ardensque divini amoris flamma, contenderet, niſi ad ſublimia? A cœleſti ſponſo, quem utero conceperat, aſſimilata jam capreæ, hinnuloque cervorum ſuper montes Bethel, vel cervæ matutinæ, cujus pedes perficiens Dilectus, ſtatuit illam ſuper excelſa.

§. 2. Sponſus, Angeli, filiæ Sion, applaudunt feſtinanti Virgini.

Quidni ergò hodierna feſtivitate, abeuntem cum feſtinatione in montana Mariam, pio veluti celeuſmate proſequamur cũ eodẽ ſponſo, Cant. 2.13. *Surge, propera amica mea, columba mea.* Quid ni, in ſuavi ſtuporis extaſi ſuſpenſi, quæramus cum ſanctis Angelis, *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora, pulchra ut Luna, electa ut Sol?* Quidni, poſt ſacra, ſi non pedibus, ſaltem veſtigiis Dominæ, libata oſcula, exclamemus, Cant. 7. v. 1. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis Filia Principis.* Quidni applaudamus cum filiabus Sion, ibid. v. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit deliciis affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum, ſole amicta, calceata Luna, ſtellis coronata?* Exſtimulate pedes amoris, Auditores, ſtimulos amoris in pedibus habet Virgo per montana: celeri paſſu properat Maria, in qua nihil eſt, niſi curſus amoris. Et vos currite, & vos amate.

§. 3. Ejuſdem feſtinationi favent creaturæ irrationales.

Pergit cum feſtinatione, Vector eſt amor: currus eſt amor, equus eſt amor; ferculum eſt amor: hic vehit, hic portat, hic urget Virginem currentem cum feſtinatione: Præterquam quod feſtinationi faveant omnia; Judææ Sylvæ induentes florem, floridũ incedenti Virgini ſubſternunt

Digitized by Google

paludamentum, illos moneo, ut oculos conjiciant in Auroram Myſticam, præſertim dum hodie progreditur feſtinans per montana Judææ, & mox mecum exclamabunt: O jucundum ſpectaculum! Maria eſt Solis æterni riſus & gaudium; Maria eſt Flora cœleſtis Paradiſi, ipſa eſt ſereniſſimum & animatum cœlum; Parens, Puerpera, Mater, Genitrix, Bajula lucis immenſæ, ſplendor intaminatus, lux æterna, candor immutabilis, fons pellucidus ignis æterni, verbo, Aurora pulcherrima & lucidiſſima.

§. 6. *Alia ſimilis conglobatio.* Et illos, qui Auroram dixerunt eſſe *Deum*, *ideam*, *formam*, *ſtatuam*, *imaginem*, *ſpeculum pulchritudinis & venuſtatis*: qui putarunt Auroram eſſe quandã Pandorã, quæ formoſorũ formoſarumq; labris diſpertit roſas, genis corallum, frontib. ebur, collis nivem, comis aurum: oculis ſplendorem, linguis favos & mel, ſupercillis majeſtatem, manibus hyacinthos, omnibus membris gratiam & proportionem, hos rogo, ut vel modicis nictibus Auroram Myſticam contueantur, mox mecum dicent: O formoſiſſimam Puellam! una Maria eſt Dea, idæa, forma, ſtatua, imago, ſpeculum pulchritudinis immenſæ! una Maria, una Aurora myſtica univerſæ venuſtatis eſt ſphæra, circulus, centrum, abyſſus, typus, compendium. *Incomprehenſibilem* Auroræ noſtræ eſſe *pulchritudinem* teſtatur Nyſſenus: *Ineffabilem* profitetur Damianus: *indicibilem* dicit Auguſtinus: *Sublimatam*, nominat Hugo, *gratiarum & pulchritudinis mare*, vocat Damaſcenus: *exhauſtam abyſſum* compellat Epiphanius: Idiota aſſerit eſſe, *Pulcherrimi ſolis pulcherrimam imaginem.* Richardus, *Divinam ſimilitudinem.* Dionyſius, *Deiformem* in pulchritudine. Quærant jam, in Symphoniacum coacti globum, Cœleſtes Genii, Quæ eſt iſta, quæ aſcendit & progreditur per Judææ montes? Reſpondebo: eſt vivum pulchritudinis ſimulacrum, lucis divinæ candor, ſpeculum ſine macula, verbo Aurora, in qua vivaciſſimis coloribus, primi ſolis pulchritudo, divina manu pingitur, & efformatur.

O Pulcherrima & lucidiſſima Aurora! O ſpecioſiſſima, Venuſtiſſima & gratioſiſſima Virgo! quàm amabilis eſt pulchritudo tua! O elegantiſſima Puellarum, quàm claris & caris, radiis vulneras amantium oculos! toto pectore nitoris tui nictib. inflammamur! Sentio! quàm me urit divina tua forma! ſentio! in amabili tantæ pulchritudinis aſpectu, venæ ebulliunt, effervеſcunt medullæ, torretur animus, accenditur ſanguis, inflammantur Spiritus, cor amore liquatum diffluit; in toto pectore gerebatur caſtus ignis, & amabile incendium! totus amico igne involvor. Utinam hac flamma, hoc igne, uramur, accendamur, ardeamus in omnem æternitatdm. §. 7. *Pium deſiderium amandi B. Virg.*

Verùm inter hos ignes, in tam beato incendio, neſcio, quo ſimul gaudio me affici ſentio! neſcio, qua inſolita amœnitate, ceu verna quadam aura perflatur hortus cordis mei! Jucundiſſimi cujuſdam gaudii ſenſus pectori magis, magisque illabitur: laxat ſe animus, ſerenatur, §. 8. *Dulcis, ſuavis, jucunda eſt Aurora, dulcior & ſuavior eſt Maria Mater lætitiæ.*

Digitized by Google

tur, geſtit, exuberantis lætitiæ ubertatem anguſto ſinu vix capit: innatare videtur cor meum Oceano cujuſdam ſuavitatis: & unde iſti liquidiſſimæ voluptatis fluctus: O pulcherrima Aurora: O venuſtiſſima Virginum: agnoſco tuas vires, & ſuaves influxus, ſuavis, dulcis, jucunda eſt Aurora, Mater eſt lætitiæ, ſurgente Aurora lætantur omnia. Aſtri nullius ortus atque fulgor, æquè recreat & ſerenat Orbem. Te Oriente O Aurora; philomela cantillat, exultant pecudes, rident agri, plaudunt aviculæ, ſuſurrant Zephyri, murmurant venti, ſibilant folia, aperiuntur flores, ſurgunt gramina, germinant frutices, exultant fontes, & puriori argento, imo toti aurei & gem mei, ſupra Pactolum & Gangem, tripudiantibus aquis, ſubſultantibus fluctibus defluunt rivi: Aurora, mater lætitiæ, exhilarat maria & fontes, montes & valles, lætificat campos, recreat hortos, mulcet aves, refrigerat flores, aurora ſurgente, omnia quæ languebant, novæ lætitiæ ſenſu, reviviſcunt: Dulcis, ſuavis, jucunda eſt Aurora, ſed dulcior, ſuavior, jucundior eſt Maria, quæ corda noſtra exhilarat, recreat, lætificat ſuavius, afficit amœnius, mulcet dulcius, dulciſſima Virgo, dulciſſima Mater, dulciſſima Aurora: ut bene obſervarit S. Bonaventura: glorioſiſſimum eſſe Virginis privilegium, quod quid quid poſt Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius eſt in natura gratia & gloria, hoc Aurora noſtra, hoc Maria habet: Poſt Deum, major Angelorum & Sanctorum Omnium, gloria & majus gaudium eſt Maria.

Ideo Sophronius illam compellavit, *Lætitiam inenarrabilem.* B. Ephrem, *Lætitiam Sanctorum.* Andreas Cretenſis. *Lætitiæ inſtrumentum*: Methodius, *Lætitiam indeſinentem*: S. Brigitta, *Lætitiam Cordis noſtri*: Eccleſia in Lit. Lauret. *Cauſa noſtræ lætitiæ.* iterum Methodius, *Gaudium ineffabile.* D. Greg. Naz. *Gaudium mortalium*: S. Bonavent. *Omnium ſupernorum civium ſolatium & gaudium plenum*: S. Bern. *Gaudium amœniſſimum ipſius SS. Trinitatis*: B. Petrus Dam. *Locum voluptatis, in quo ſponſus cumulavit omnes delicias diliciarum Domini: Et quid poteſt* (quærit Guilhelmus) *nubes illa, dulcedine gravida, ſtillare niſi dulcedinem, niſi mel & favum*: adeo, ut etiam ſolum hoc nomen, MARIA, *nec nominari poſſit, quin accendat: nec cogitari, quin recreet affectus diligentium ſe.* Nunquam, nunquam, ſine dulcedine, ſine rore, ſine melle, ſine lacte, ſine nectare: nectarea, lactea, mellea, rorida, dulcis hæc Aurora, memoriæ noſtræ portas ingreditur. §. 9. *Teſtimonia SS. Patrum.*

Imò ipſi Cœlites Auroræ noſtræ pulchritudine & dulcedine exhilarantur: ut à B. Petro Damiano, etiam Angeli pronuntientur felices, quod Auroræ hujus fruant præſentia, ex qua abundantiſſimo rore jucunditatis perfunduntur, ut citatus auctor audeat dicere: Summam Beatorum Omnium gloriam, poſt Deum, ſummam lætitiam, ſummum gaudium eſſe, videre Cœleſtem Auroram, ſive Mariam. Ejuſdem mentis fuit Cæſa- §. 10. *Non hominum tantum, ſed Angelorum gaudium & lætitia eſt Maria.*

ſa-

ſarius cùm ſuaviter dixit : *Sicut in creaturis univerſis, Matre Creatoris, nihil eſt ſanctius, nihil dignius, nihil præcellentius, ita ejus viſione, nulla Sanctorum viſio dignior, nulla jucundior, nulla excellentior*, proinde, *quid putamus* (quærit S. Bern.) *quænam ſit Cœleſtium exultatio, cùm & vocem audire & videre faciem, & beatiſſima aurora hujus præſentia frui merentur.*

§. 11. *Suaviſſimos Auroræ influxus ſenſit Ioannes Bapt.* E cœlo revertor in terras, ut cum Maria Viſitante ingrediar ædes Eliſabethæ: quas Virgo vix ingreſſa, velut Aurora, DEO fœta, tota ſpirans ſolem, per materni Uteri valvas, latentem in illo Infantem, tam beatis irradiavit, & verberavit ſplendoribus, ut intra maternorum viſcerum compedes, liber, mox in utero præ gaudio, in præſentia jucundiſſimæ Auroræ exultarit, totus lætitia geſtiens, toto corpore eloquentisſimus, ſuavisſimus autem lætisſimi & inſoliti tripudii ſtimulus fuit Aurora, ſive præſentia Mariæ. Aurora myſtica, ſuavis, dulcis, in infante nondum nato, præ abundantia gaudii, tripudium hoc excitavit: Et deinde, O lætisſimam Joannis in præſentia Auroræ Nativitatem : Apage Lucina: partui gratioſi Joannis, non illa, ſed divina Aurora, melioribus auſpiciis, & fortunatisſimis initiis præfuit. Lucinam egit Aurora, cui pro genethliaca face luxit, Lux mundi, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* O beatum Puerum! ſub Aurora, ſive in aurea hora natum! cui mox fortunata cunabula, fuerunt, caſtisſimi Auroræ amplexus; Virginales ulnæ, & aureus ſinus, circumvallatus liliis. Uterum Auroræ, Filius Dei infans, cujus brachia implevit Joannes Puer. O iterum ter fortunatum Infantem; ſub Auroræ cœleſtis umbra natum, & adornatum, in hominum Maximum, in ſuperum Primatem, in ſacrum Heroëm, in Verbi Vocem, in gigantem ſanctitatis, in æterni ſolis Phoſphorum, in cœleſtis ſponſi Paranymphum, in Primogenitum gratiæ, in Dei Præconem, in virtutum omnium Coryphæum & exemplar, in hominem Angelum, in Angelum hominem, quo inter natos mulierum non ſurrexit major, talis fuit S. Joannes B. filius Auroræ noſtræ Myſticæ.

Neque in Puero tantùm gaudiorum torrens ab Aurora noſtra effuſus ſe ſe continuit, ſed in plures rivulos ſe dilatavit, quod Patres Concilii Baſilienſis adverterunt, quorum ſuffragio & approbatione feſtum hodiernum Viſitationis fuit inſtitutum, & cœptum eſt celebrari: Seſſ. 43. ait: *Quis tanta myſteria dignis laudibus proſequatur? quis hæc gaudia ſufficienter exponat? dum Joannes nondum natus exultat, Eliſabeth adventu Virginis collætatur, Maria in myſteriis gaudet, clauſus in utero Salvator à ſuo cognoſcitur Præcurſore, lætanturque Angeli, Zacharias ſenex cantat, Benedictus Dominus, &c. cœlum & terra jucundantur, & tota Trinitas novis laudibus glorificatur.* Hæc igitur gaudiorum magnitudo ſpecialibus eſt extollenda præconiis, ſingularibus ſolennitatibus celebranda. Paribus encomiis celebranda & extollenda eſt Maria, Aurora myſtica, gaudiorum omnium & com- §. 12. *Et omnes præſentes.*

Digitized by Google

communis lætitiæ Mater, cauſa, fons & Origo

§. 13. *Pii affectus ad B. Virginem.*

Ut hujus lætitiæ & ego fiam particeps, amabo te impoſterum, O pulcherrima aurora! Aurora! dulcedo mea, te guſtabo. Aurora, Voluptas mea, te fruar. Aurora, ignis meus, hoc igne cupio uri & ardere. Aurora, vita mea! in te vivam: Aurora, beatitudo mea, te amplectar. Aurora, Cynoſura mea, ſtella mea, te ſequar. Aurora, magnes meus, à te cupio trahi. Aurora, lux mea, à te irradiabor, Aurora, quies mea, in te quieſcam: Verbo, amabo, amabo, amabo te O pulcherrima, O ſuaviſſima Aurora.

[*+*]

CONCIO LXXVI.

FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, Lucæ c. 7. v. 44.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVam potentes, efficaces, & ſuaves fuerint lacrymæ Magdalenæ, quibus rigavit pedes JESU.

§. 1. *Qualis lampas fuerit cor S. Mariæ Magdalenæ, in prima ſtatim converſione.*

§. 2. *Suaves effectus lacrymarum declarantur ex hiſtoria Joſephi flentis ſuper fratres.*

§. 3. *Dicta applicantur Mariæ Magdalenæ, quæ lacrymis commovit Cor Jeſu.*

§. 4. *Exandiuntur preces effuſæ cum lacrymis. Lacrymæ ſunt ſacrificium medullatum, & pingue holocauſtum.*

§. 5. *Chriſtus Dn. tribuit flenti Magdalenæ, quidquid petiit.*

§. 6. *Eſau, tandem fletu & lacrymis obtinuit à Patre novam benedictionem.*

§. 7. *Multò magis Magdalena à* Chriſto *Domino: quia ingens eſt efficacia lacrymarum.*

§. 8. *Quare in Evangelica hiſtoria de Magdalena, non fiat mentio, quod aliquid fuerit locuta.*

§. 9. *S. Paulus licet fuerit adamas, tamen fatetur ſe lacrymis fuiſſe commo-*

motum: bonus Jeſus commotus fuit lacrymis Magdalenæ.
§. 10. *Lacrymæ vulnerāt, rapiūt cor ſpōſi*
§. 11. *Lacrymis Gregorii Ep. ſedatur rebellis exercitus: applicatur hiſtoria Chriſto D. & Magdalenæ.*
§. 12. *Lacrymæ S. Magdalenæ fuerunt illi dulces & ſuaves.*
§. 13. *Proinde auctor, non cupit illas abſtergere.*

§. 1. *Qualis lampas fuerit Cor S. Mariæ Magdalenæ in primâ ſtatim conv. Ezech. 18. 21.*

PIiſſimum deſiderium, & ardens ſuſpirium amantis fuit: Inflamma, O ſuaviſſime JESU, cordis tui igne, omnes actus & cogitationes meas, fiatque cor meum quaſi lampas, lacrymis, veluti balſamo & pretioſo oleo plena, quæ JESU amore accenſa ardeat jugiter: & ejus ferventiſſimâ caritate ſuccenſa abſumatur penitus. Tu illud tuis lacrymis lava: tu effuſo Divini JESU Nominis oleo imple: ac immortaliter victuro cœleſtis Altaris igne accende: ut cor meum, ſit cordis tui, coram Chriſti Corde, amore ardentis, exemplo lucentis, vivida per aſſiduam imitationem effigies. Incidi in has inflammati cordis affectus, Amantis animæ, erga ſponſum cœleſtem; cùm mecum perpenderem illa, quæ hodierno feſto S. Mariæ Magdalenæ meis Auditoribus proponere ſtatui, & cogitavi: Tale Cor habuit Magdalena, & quidem à prima ejus converſione; ſtatim ut Chriſtus D. in ferventi Concione cor illius tetigit, factum eſt quaſi lampas, amaris lacrymis, & balſamo oleoque, ſive myrrhâ doloris plena: mox amore JESU ſuccenſa exarſit; Magdalena eandem lampadem cordis ſui lavit lacrymis; Chriſtus Dominus effuſo Divini ſui Nominis JESU oleo, ita implevit: ac immortaliter victuro cœleſtis altaris igne, ita inflammavit, ut Cor S. Mariæ Magdalenæ, coram Corde Chriſti, ardens & lucens, Cordis Chriſti, pulcerrima fuerit effigies. Tale deinde Cor habuit Maria Magd. quamdiu Chriſtum D. concionantem ſecuta fuit, & præſertim cùm hoſpitio excepit: tale cor habuit, triduo Paſſionis; & quidem ſub Cruce, cum in lampadem cordis, pleni lacrymis & oleo nominis Jeſu, guttæ ejuſdem pretioſiſſimi ſanguinis inciderunt: Divinus ille ſanguis jam ardentem flammam, & doloris, & amoris, accendit magis. Tale Cor habuit Magdalena, quàm diu in ſolitudine vixit in eremo. Talis denique lampas fuit cor Magdalenæ cum in antro pœnitentiæ, inter amplexus Crucis ſanctiſſimè expiravit. O beatiſſima pœnitentium! à Cœleſti ſponſo, efficaciſſimis tuis precibus hanc nobis impetra gratiam; ora, obſecra, obteſtare, ut cuivis ex meis Auditoribus, tale Cor largiatur, ut talibus lampadibus inſtructi, aliquando occurramus obviam, cum nos ad cœleſtes nuptias invitabit: Spero non fore vobis injucundum, audire ea, quæ de lacrymis ſum allaturus in medium.

Ordiar concionem verbis S. Gregorii Nazianzeni, orat. 18. *Lacrymis miſericordia rependi ſolet: lacrymæ etiam DEUM movent ad compaſſionem,* §. 2 *Suaves effectus lacrymarum decla-*

rantur ex hiſtoria fletus Joſephi ſuper fratres ſuos

Ezech. 18. v. 21.

ſionem, & clementiam: orat. 17. ait ſuper verba Ezechielis c. 18. *Si impius converſus ad Dominum ingemuerit, tum ſalvus erit: Videtis, quemadmodum ſalus cum gemitu conjuncta ſit: adeò, ut inter petitionem, & rei petitæ obtentionem, nihil intercedat.* ſed videtur S. Greg. loqui de petitione, vel oratione, de qua S. Th. ait: *Duo ſunt neceſſaria oranti, ſcilicet fervens affectio, item dolor, gemitus, & lacryma.* Orationi cum lacrymis rependitur miſericordia, talis oratio Deum movet ad compaſſionem: & obtinet, quidquid petit: Scitis ex lib. Gen. quanta ſeveritate Joſeph. tractarit ſuos fratres, cum venerunt in Ægyptum empturi frumentum: in quantos timores, & quales anguſtias illos conjecerit, tractavit illos ut exploratores, ut fures conjecit illos in carceres. Quid medii, ut mitigetur Joſeph: ut humanius agat cum fratribus, ut ex Judice fiat patronus & amicus? Dolor, gemitus, lacrymæ, ſuſpiria hæc facient: Cum reliqui fratres viderunt, Benjaminum debere conjici in carcerem, illum detinendum captivum, quis explicabit illorum afflictionem? quis deſcribet quomodo ruerint in genua, quomodo ſe abjecerint ad pedes Joſephi, quo clamore? quibus obteſtationibus? quibus ſingultibus? quo gemitu & planctu? quis dicet, quas lacrymas effuderint in conſpectu Joſephi; probabile eſt, omnes pariter fleviſſe ut non tantum aſtantes Ægyptios, ſed etiam lapides ad lugendum provocarent: *Neque Joſeph* (c. 45. Gen.) *ſe potuit ultra cohibere, ſed elevavit vocem cum fletu, & dixit, Ego ſum Joſeph.* S. Ambroſius ep. 43. *Tamen cum advolveretur ad genua ejus, unus ex fratribus Judas, flerentque alii, fraterno victus & compaſſus affectu, diutius tenere non potuit ſimulationem ſeveritatis.* Lacrymis rependitur miſericordia: lacrymæ movent ad compaſſionem: inter petitionem cum lacrymis, & rei petitæ obtentionem nihil intercedit.

§. 3. Dicta applicantur S. Mariæ Magdalenæ, quæ lacrymis ad compaſſionem movit Cor JESU.

Scitis quoque, quam aſperum ſe habuerit Chriſtus D. erga Magdalenam, cum venit ad primam concionem: egit in illa de judicio & æternis ignibus: & quod horribile dictu eſt, dicunt SS. Patres, piiſſimum alias Salvatorem reſpexiſſe mulierem peccatricem illis oculis, illo vultu, quo aliquando in valle Joſaphat terrebit impios; hinc timor, pavor, metus, afflictio, anguſtiæ, in corde Magdalenæ! Quid medii: ut mitigetur iratus Joſeph; ardens Concionator, ſeverus Judex? ut igneus, ardens, terribilis illius vultus, mutetur in ſuavem? dolor, planctus, gemitus, lacrymæ Magdalenæ id facient: Redux ex concione, induta veſtibus pœnitentiæ, currit ad ædes Simonis, irruit in convivium, advolvitur pedibus Salvatoris: quis explicet, quo fletu? quo dolore? quo gemitu? quis dicat, quas lacrymas effuderit: neque bonus Jeſus ſe potuit continere, ſed elevat vocem, ait ſuaviſſimè Lucæ 7. v. 47. *Mulier dimittuntur tibi peccata tua. Vade in pace* Ego ſum Joſeph, ego ſum Jeſus, ego Salvator tuus. Lacrymis Magdalenæ exhibita fuit miſericordia: lacrymis movit Judicem ad clementiam: inter orationem ejus,

Digitized by Google

ejus, inter ſuſpiria cordis, cum lacrymis, inter ardentem ejus affectionem, inter dolorem & veniæ petitæ obtentionem, nihil interceſſit.

§. 4. *Exaudiuntur à Deo preces effuſa cũ lacrymis. Lacrymæ ſunt ſacrificium medullatum & pingue holocauſtum.*

Pſalmo 19. v. 4. ait David, *Memor ſit* (Dominus) *omnis ſacrificii, & holocauſtum tuum pingue fiat: Tribuat tibi ſecundũ cor tuum.* Inſinuat Regius Pſaltes his verbis efficax medium, quo à Deo obtineamus, quod petimꝰ: ſecundum cor noſtrum, id eſt, ſecundum deſideria noſtra: nimirum per pinguia holocauſta, & Deo grata ſacrificia: *Omne verò opus bonum* (ut ait Angelicus Doctor) *eſt ſacrificium, quia omnia debent Deo afferri. Et holocauſtum tuum pingue fiat, id eſt, acceptum Deo.* Ulterius autem advertit S. Greg. hom. 2. c. in Ezech. *Holocauſtum quippe ſiccum eſt bonum opus, quod orationis lacrymæ non perfundunt: holocauſtum verò pingue eſt, quando hoc quod bene agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur*: De tali ſacrificio ipſe Pſalmiſta ait pſ. 65. v. 15. *Holocauſta medullata offeram tibi*: S. Greg. M loco cit. *Quiſquis opus bonum agit: ſed omnipotentis Dei amore, flere neſcit, holocauſtum habet: ſed medullam in holocauſto non habet: Qui verò bona operatur, ſeque ipſum ex amore, quo accenditur, in fletibus, mactat, holocauſta Domino medullata dedit*, & ſacrificia acceptiſſima.

§. 5. *Chriſtus D. tribuit Magdalenæ, quidquid petiit.*

Dixi in exordio, Mariæ Magdalenæ cor fuiſſe lampadem, plenam oleo lacrymarum, & accenſam flammis Divini amoris, dicamus in eodem corde, in eadem lampade, quot ſcintillæ fuerunt cœleſtis ignis, tot in illa arſiſſe ignita deſideria, & ardentes petitiones, obtinendi verum de peccatis dolorem, intenſam contritionem, culparum veniam, & alias gratias ad ſalutem neceſſarias, & abundanter flevit Magdalena, rigavit. Rigare amplius eſt aliquid quàm ligare: quoniam poteſt aliquid in ſuperficie lavari, rigatio vero ad interiora permanat: *quod ſignificat fletum uſque ad cordis intima.* Talis fuit fletus noſtræ pœnitentis. O Magdalena! utinam bonus Jeſus tribuat tibi ſecundum vota cordis tui. Fecit hoc clementiſſimus Jeſus, & tribuit illi quidquid petiit: motus ſacrificiis & medullatis holocauſtis, quæ Maria pœnitens obtulit. Opus bonum fuit, coram Chriſto D. ſe humiliare, ſed idem opus corde humili per lacrymas irrigavit. Opus bonum fuit, oſculari & amplecti pedes Jeſu, inungere balſamo, abſtergere capillis, ſed eadem opera corde humili per lacrymas irrigavit. Magdalena ſe ipſam ex amore, quo accendebatur, in lacrymarum abundantia mactavit hoſtiam, & ſic Chriſto Domino dedit medullata holocauſta Et tribuit ipſi Dominus ſecundum cor ejus. Lacrymis impenditur miſericordia: lacrymæ movent ad clementiam: inter petitionem cum lacrymis, & rei petitæ obtentionem, nihil intercedit.

§. 6. *Eſau tandem lacrymis à Patre obtinuit novũ benedictionem.*

Cum Eſau cap. 27. v. 28. Gen. Iſaac intellexit, ablatam ſibi fraude Patris benedictionem à fratre Jacob, & cum illa jus primo geniture: ardenter ab

Digitized by Google

ab amantiſſimo Parente Iſaac aliam petiit benedictionem: dixit quidem illi Pater; fili mi Eſau, jam fratrem tuum Dominum tuum conſtitui, frumento & vino ſtabilivi eum, & tibi poſthæc, fili mi, ultra quid faciam? Inſtat, urget, obſecrat Eſau, Pater, mihi quoque obſecro ut benedicas. *Cumque ejulatu magno fleret, motus Iſaac dixit ad eum, in pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper, erit benedictio tua.* ubi Oleaſter. *Ecce quid valeant lacrymæ! & importunæ poſtulationes! ut novam benedictionem prodire, ex durâ voluntate faciant.*

§. 7. *Multò magis Magdalena à Chriſto D. quia ingens eſt efficacia lacrymarum.*

Non terrenæ, ſed cœleſtis hæreditatis jus perdiderat Magdalena, per enormia ſua ſcelera. Ut primùm cognovit, quid perdidiſſet, currit ad Chriſtum Dominum in domum Simonis, ut benedictionem, ut peccatorum veniam obtineat; quamprimum cum clamore contriti cordis, & cum fletu, cum lacrymis, hoc petiit, motus Jeſus dixit ad eam, *Remittuntur tibi peccata tua.* Ecce quid valeant lacrymæ & importunæ poſtulationes? ex ore duri, ſeveri, juſtique Judicis fecerunt prodire, rorem divinæ miſericordiæ, & exoptatam benedictionem. O pœnitentes animæ, & vos hodie cum Magdalena probate, quid veſtræ poſſint lacrymæ; plangite, gemite, flete! præcipuè coram aliquo Crucifixo! veſter planctus, gemitus, fletus, lacrymæ, poſtulationes facient, ut ex ſanctiſſimis vulneribus ſuper vos fluat ros cœleſtis benedictionis; facient ut ex aperto ejus corde vobis procedat obviam D. miſericordia, eandem audietis ſententiam, ite, remittuntur vobis peccata veſtra. Ite in pace! Sic dicere poterimus cum S. Petro Damiano, lib. 3. de perfect. monach. c. 12. *Lacrymæ cùm in conſpectu pii Judicis ſupplicant, nihil hæſitant; ſed miſericordiam, tanquam rem quamlibet proprii juris ſibimet vendicant, & impetraſſe ſe, quod petierant, confidenter exultant* juxta illud Eccleſ. 55. v. 17. *Non deſpicies precem pupilli, nec viduam ſi effundat loquelam gemitus.* Videtis Magdalenam jacentem ad pedes Chriſti? videtis ejus lacrymas? aſpicitisne triſtes oculos; major triſtitia latet in corde? auditisne loquelam gemitus ejus? ejus ſuſpiria? Ideò non deſpexit illam Dominus.

§. 8. *Quare in Evangelica hiſtoria de Magdalena non fiat mentio, quod aliquid fuerit locuta.*

Sed quid facio mentionem loquelæ? cùm textus ſacri Evangelii non faciat mentionem, quod verbulum voce protulerit. Ut cognovit Jeſum accubuiſſe menſæ in domo Simonis, eò accurrens, ſtetit retro, ſecus pedes Jeſu, ut illi explicet ardentes affectus, contriti cordis; O Magdalena! cur ergo non loqueris? cur non clamas, Miſericordia! miſericordia! quare non ais: O mi Jeſu peccavi! peccavi! O ſummum bonum te offendi! & quomodo tot tantaque ſcelera perpetrare potui, contra Deum meum! Et quomodo hactenus divina clementia mihi pepercit! heu me! agnoſco; mille inferni non ſufficiunt ſceleribus meis! ſed & hoc ſcio! (ſic meo judicio loqui debuiſſet Magdalena) major eſt bonitas tua, bone Jeſu, quàm malitia: proinde me immergo abyſſo infinitæ tuæ miſericordiæ.

Digitized by Google

dixit, *abyſſus abyſſum invocat. Fili David, propitius eſto mihi peccatrici!* execror, deteſtor, abominor omnia mea ſcelera. Nihil tale protulit voce Maria Magdalena: ſed Lucæ 7. v. 44. *lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Sic gemendo, flendo, plorando plenariam obtinuit indulgentiam omnium peccatorum. S. Ambroſius ſer. de Magd. *Lingua pauca dixit: lacryma Deo* & amantiſſimo Magiſtro ſuo *omnia dixit:* Lacrymæ illius clamarunt miſericordia! lacrymæ clamarunt: peccavi! lacrymæ ejus clamarunt, Fili David propitius eſto peccatrici.

§. 9. S. Paulus licet fuerit adamas, tamē fatetur, ſe lacrymis fuiſſe commotū. Bonus Ieſus commotus fuit lacrymis Magdalenæ.

Tam fortis & conſtans in tribulationibus, in amore Chriſti, in laboribus pro ejus gloria, fuit S. Paulus, ut SS. Patres illum vocarint *fortiſſimum adamantem*: quem non mors, non anguſtiæ, non fames, non gladius, &c conterere potuerunt: ſed videte, quid poſſint lacrymæ, dum ad Coloſſ. ait, *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum?* S. Joan. Chryſoſt. hom. 14. in epiſt. ad Coloſſ. legit, *Conterentes cor meum*, & ait: *Cùm videret quorundam lacrymas, ita perfringebatur, & conterebatur adamas ille, ut animi affectionem non abſconderet, ſed mox diceret: Quid facitis flentes, ac conterentes cor meum. Quid dicis? dic quaſo, Adamantinum animum lacryma conterere poteſt? etiam inquit, nam omnibus reſiſto, una dempta dilectione, illa me vincit ac ſuperat. Abyſſus aquarum ipſum non contrivisset, & modica lacryma contrivit. Multa namque lacryma vis eſt.* S. Joan. Chryſoſt. *Fortior & durior longe eſt animus ſupremi & ſeveri judicis, contra impios.* Sed, O Magdalena! O felix pœnitens! quid fecit, flens & lacrymis rigans pedes Jeſu! ſic contrivit, ſic perfregit cor Jeſu: ut animi affectionem abſcondere non potuerit, ſed mox dixerit. *Mulier remittuntur tibi peccata.* In die aliquando judicii, non Angeli, non impiorum gemitus, non preces Sanctorum, non Mater Miſericordiæ vel minimam miſericordiam obtinere poterunt. Hodie lacryma contriti cordis id poteſt: lacrymæ illum vincunt & ſuperant: lacrymis impenditur miſericordia, &c. Cùm bonus Jeſus vidit lacrymas ejus, tribuit illi omnes petitiones, ſecundum cor ejus.

§ 10. Lacrymæ vulnerant, rapiunt cor Sponſi.

Cant. 4. v. 9 Sponſus ait Sponſæ, *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa*: Alii legunt: *excordaſti me.* Alii: *Vindicaſti tibi cor meum in uno oculorum tuorum*: *Hoc eſt*, ait Rupertus l. 3. in Cant. *in aſſiduis precibus meis vulneraſti cor meum, unde & viſcera mea ſuper te continere ſe non potuerunt.* Cùm Sponſus aliàs Sponſam, præſertim ejus oculos, comparet cryſtallinæ aquæ, alicujus fontis vel piſcinæ, vel oculis turturis, gementis juxta rivulos aquarum; probabile eſt, ſponſam ardentes preces etiam irrigaſſe lacrymis: & his vulneravit cor ſponſi. Omnia hæc præſtare potuerunt lacrymæ pœnitentis Magdalenæ: vulnerarunt cor Jeſu: rapuerunt cor ejus, vindicarunt ſibi miſericordiā ejus; unde viſcera, imò linguā cōtinere nō potuit, quin diceret, *mulier remittuntur tibi peccata tua.* Sic Magdalena clemen-

Digitized by Google

tiam extorſit: Dicamus cum S. Ambroſio: *O beata violentia! quæ non indignatione percutitur, miſericordia condonatur. Qui quis violentior Chriſto fuerit, religioſior habetur à Chriſto.* Cùm Chriſtus Dominus videt lacrymas alicujus pœnitentis, movetur ad miſericordiam: lacrymæ exigunt pietatem & clementiam. *Lacrymis alicujus infantuli frangitur cor Patris.* (S. Petrus Chryſologus 128. ſer.) *Magdalena ſuis lacrymis rigavit pedes Salvatoris, & ſimul fregit cor ejus.*

§. 11.
Lacrymis Gregorii Ep. ſedatur rebellis exercitus. Applicatur hiſtoria Chriſto D. & Magdalenæ.

Videte quid lacrymæ poſſint, cum anno Chriſti 588. teſte Baronio Imperatori Orientis rebellaret exercitus, Gregorius Epiſcopus Antiochenus conatus fuit diſcordes milites reducere ad obedientiam: & ait cit. Baronius: *Hæc cùm dixiſſet Gregorius, magnamque vim lacrymarum profudiſſet, omnium militum mentes, velut divina quadam virtute, momento temporis mutatæ ſunt: in tempore iracundiæ facta eſt reconciliatio, cùm ad perſuadendum uſus eſt, illis potiſſimum locis, ex Rhetorica Chriſtiana petitis, nempe, humilitate ſimul & lacrymis*: his iiſdem mediis in hodierno Evangelio Magdalena immutavit mentem ſeveri Judicis: hæc cum feciſſet Magdalena, cum inunxiſſet pedes Jeſu, &c. præſertim, cum magnam vim lacrymarum profudiſſet, mutatus eſt Jeſus. Qui paulò ante in concione terribili vultu illi metum incuſſerat, mox benigniſſimis oculis illā reſpexit, & ſuavibus verbis dixit, *Mulier remittuntur tibi peccata tua.* De Magdalena affirmare poſſumus, quæ Cæſarius de quodam pœnitente dixit, in oculis lacrymæ, ſuſpiria in pectore, ſingultus erant in gutture: è contra, pietas in oculis Jeſu, ſuavitas in lingua ejus, miſericordia in pectore ejus.

§. 12.
Lacrymæ S. Magdalenæ fuerunt illi dulces & ſuaves.

Cum ingenti Mariæ Magdalenæ ſolatio & voluptate. *Nam,* (S. Baſil.) *& voluptas quædam lugentibus occulte naſcitur, quod ea res, quæ inprimis gravat, per fletum paulatim evacuetur, quod uſus oſtendit*: & quidem in Magdalena, cor ejus aggravabat onus, v. g. ſuperbiæ, per lacrymas illud evocuavit, premebat illam pondus luxuriæ, per lacrymas evacuavit: hinc ingens quædam lætitia in ejus corde enata fuit. S. Auguſtinus de ſe ait: *Solus fletus eſt mihi dulcis! ipſa lux mihi moleſta eſt; & quidquid non eſt Deus, mihi odioſum eſt, præter gemitum & lacrymas. Nam in eis ſolis aliquantula requies.* Eadem contigere Magdalenæ: ut primum cognovit miſerabilem animæ ſuæ ſtatum: ut agnovit & ſenſit peccatorum pondus, ut agnovit ſæculi hujus vanitatem: ſolus fletus fuit illi dulcis: horruit omnia: veſtium elegantia, monilia, annuli, gemmæ, fabulæ, riſus, ſociorum præſentia, &c. omnia illi fuerunt moleſta & odioſa: præter lacrymas! in his alliquantula illi requies: rigare illis pedes Chriſti: hoc illi fuit voluptas. S. Joannes Chryſoſtomus in Pſ. 6. auſus fuit dicere, *admirabilem eſſe lacrymarum voluptatem. Et ſciunt, qui ejus, quod dico, faciunt periculum, quantam lætitiam habeant hi fontes lacrymarum.* (hom. 12. in epiſt. ad Coloſſ.)

Nihil

Nihil eſt hic lacrymis jucundius! Sciunt qui lugent: quoniam res hæc habet conſolationem. O ſi hodie perciperemus, quæ voluptas, quanta conſolatio fuerit in fontibus lacrymarum, quæ fluxerunt ex oculis Magdalenæ! nihil Magdalenæ lacrymis jucundius, jacet ad pedes Chriſti: res hæc magnam habuit conſolationem! plangit gemitus: illius gemitus magnam habuit conſolationem, &c.

§. 13. **Proinde auctor non cupit illi lacrymas abſtergere.** In morte Imperatoris Valentiniani, triſtem ejus uxorem funebri panegyri fuit conſolatus, inter alia dixit: *Illuſtriſſima Domina! Non veſtras ſermonis mei penicillo abſtergam lacrymas, neque enim id facere vellem, etiamſi poſſem. Eſt enim piis affectibus quadam etiam flendi voluptas & plerumque gravis evaporat dolor! Paſcunt lacrymæ, & mentem allevant: fletus refrigerat pectus, & mœſtum ſolatur affectum.* O feliciſſima Magdalena! eadem mihi mens eſt; ut ideo fontes lacrymarum, ſtillantium ex tuis oculis, etiamſi illas abſtergere poſſem, non facerem! Ne miremini animæ piæ! Piis affectibus Magdalenæ, ejus dolori, ejus amori erga Chriſtum, voluptas quædam eſt flere. Dolor triſtiſſimi cordis in Magdalena eſt peracerbus: ſed per lacrymas evaporat! fletu egeritur, ardet ejus mens! per lacrymas refrigeratur. In tanta mœſtitia unum Magdalenæ ſupereſt ſolatium, flere, & lacrymis rigare pedes Jeſu.

***

CONCIO LXXVII.

FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Matth. 20. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Tribulatio electis eſt utilis, neceſſaria, & glorioſa.

§. 1. *Summa gratia & gloria eſt, pati pro Chriſto.*

§. 2. *Poſt flagella Pater Cœleſtis ſuos filios admittit ad oſculum.*

§. 3. *Divina Providentia poteſt mala vertere in bonum: & facit.*

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. *Quomodo impii ſerviant, & proſint bonis.*
§. 5. *Laudanda ideo eſt Divina Providentia.*
§. 6. *Ut gubernator naviculam jactatam in alto:*
§. 7. *Sic Jeſus juſtum, per fluctus tribulationum dirigit ad portum.*
§. 8. *Quare Chriſtus Dominus, dormiens in navi, non impediverit tempeſtatem.*
§. 9. *Famuli Chriſti premuntur, ſed magis aſſurgunt.*
§. 10. *Quare viris bonis accidant mala.*
§. 11. *Diverſus eſt amor Patris erga filium, ab amore Matris erga eundem. Amore Patris, ſuos amat Deus.*
§. 12. *Vir juſtus, afflictus & patiens eſt pulcherrimum ſpectaculum.*
§. 13. *Rationes Senecæ.*
§. 14. *Simile ſumptum à belli Imperatore, qui ad prælium ſeligit milites fortiſſimos.*
§. 15. *Alia ratio, ut viri fortes ſint exemplum patientiæ.*
§. 16. *Alius fructus tribulationum. Per illas anima Deo fit propinqua.*
§. 17. *Ab iiſdem elevatur in altum.*
§. 18. *Heroicum dictum S. Gordii Martyris.*

§. 1. Summa gratia & gloria eſt pati pro Chriſto.

PRo exordio præſentis Concionis, quam paravi in honorem glorioſiſſimi Apoſtoli, S. Jacobi, aurea quædam dicta ſanctorum Patrum mihi occurrerunt, v. g. illud S. Chryſoſtomi hom. de orat. Annæ. *Etenim gratia verè maxima! dignum cenſeri propter Chriſtum aliquid pati! hac corona verè perfecta! & merces futura retributione non minor! Propterea Martyres* Apoſtolos *vocamus beatos*, & inter illos glorioſiſſimum Patronum noſtrum S. Jacobum, pro Chriſto decapitatum, pro Chriſto, ſanguine ſuo purpuratum, ſed & hoc advertendum eſt ex mente S. Chryſoſtomi: *Primùm ex vulneribus beatificamus, & tunc ex præmiis, ex plagis, & mox ex coronis propoſitis.* Primùm ſermo eſſe debet de felle calicis Paſſionis. deinde de melle, & torrente voluptatis in regno cœlorum: primum de cruce, deinde de throno & ſeſſione ad dexteram Regis gloriæ. pſ. 149. v. 9. *Hæc eſt gloria omnibus Sanctis ejus.* quod per multas tribulationes intrarint in regnum cœlorum. Ludovicus Bloſius refert in monili Spirit. c. 10. Chriſtum Salvatorem noſtrum dixiſſe S. Gertrudi: *Pati eſt veriſſimum ſignum divinæ electionis, & quaſi deſponſatio animæ cum Deo.* ut, in tribulatione conſtitutus, in illa patiens & lætus, cum S. Agnete dicere poſſit, & gloriari, *Annulo ſuo ſubarravit me Dominus meus Jeſus Chriſtus, & tanquam ſponſam decoravit me corona.* Hæc eſt corona verè perfecta, pati cum Chriſto. Suaviſſimis quoque verbis tribulatos ſolatur S. Auguſt. in cap. 12. verſ. 13. ad Rom. *Modò labores habemus, fructus poſtea erit, ſed quia & ipſi labores non ſunt ſine gaudio,* pro-

Digitized by Google

propter ſpem: ſpe gaudentes, in tribulatione patientes, modo nos, ipſi labores noſtri jucundant, & lætos faciunt de ſpe. Nunc luctus & lacrymæ, ſed inde gaudium & lætitia.

§. 2. *Poſt flagella Pater cæleſtis ſuos filios admittit ad oſculum.*

Dum juſſu Rebeccæ Jacob Patri Iſaac offert cibos: hic ait, Gen. 27. v. 21. *Accede huc, ut tangam te fili mi.* Accedente Jacobo, ſenex tetigit faciem, collum, brachia, manus, omnem adhibet diligentiam, ut ſciat, quis ſit, qui cibos offert. Poſt aliquod ſilentium, ait Pater, *Da mihi oſculum fili mi.* Oſculum ſubſecuta fuit benedictio, & pinguis hæreditas. *Ecce*, ait Hugo Card. *quomodo Pater cæleſtis tractet ſuos filios*; tactus manuum in S. Script. ſignificat tribulationes, afflictiones, calamitates, Job. 1. v. 11. *Extende paulum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet.* cap. 2. v. 5. *Mitte manum tuam & tange os ejus & carnem.* Myſterium clarius expreſſit S. Paulus ad Hebr. 12. v. 6. *Quem diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Arrigit irata mater virgas, cædit dilectum filium, ſed mox eundem ſtringit & amplexatur tenerrimo amore. *Ita Dominus* (Hugo Card.) *quem tangit per flagella, mox invitat ad oſculum.* Sed nota: quod non ſtatim Jacob receptus eſt ad oſculum Patris; ſed poſt tactum, id eſt patientiam flagellorum. Incepi utiliſſimam materiam, utilem, neceſſariā, glorioſam eſſe tribulationem: Perſequar in nomine D.

§. 3. *Divina providentia poteſt mala*

Advertendum eſt, ait Abulenſis, in variis hiſtoriis S. Scripturæ, præſertim illa de Joſepho vendito à fratribus, miſſo in carceres, deinde ad

ſummum honoris apicem elevato, *quod divinæ Bonitati & Sapientiæ proprium eſt, ut ipſis quoque malis bene utatur. Sola quoque Divina vis eſt,* (teſte Boëtio l. 4. de conſol.) *cui mala quoque bona ſunt, cum eis utendo, alicujus boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab aſſignata ordinis ratione diſceſſerit: hoc idem tamen in alium ordinem relabatur, ne quid in regno Provid. temeritati liceat:* quod idem Joſeph ſuis fratribus expoſuit, notiſſimis illis verbis Gen. 50. v. 20. *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, ſicut in præſentiarum cernitis*, quaſi diceret, nihil mihi obfuit, quod me vendideritis, quod venerim in Ægyptum, quod fuerim mancipium: quod conjectus in vincula, Divina Bonitas & Sapientia, his malis bene uſa eſt: illis utendo, bonos potuit elicere effectus, in regno Divinæ Providentiæ circa me, nihil licuit temeritati, vel veſtro in me odio: Deus omnia vertit in bonum.

vertere in bonum: & facit.

§. 4. *Quomodo impii ſerviant, & proſint bonis.*

Sed, *quo ordine?* quærit S Aug. *illo utiq;* reſpondet, *quo mali ſerviunt bonis, non utiq; obſequendo, ſed perſequendo.* Sive: Quo modo tribulationes poſſūt prodeſſe electis, illo, quo venti proſunt arboribus illarū firmando radices: ignis, limæ, mallei, auro, illud poliendo, & probando, & medicinæ, amari hauſtus, ægro illi reſtituendo ſanitatē, trituratio, ventilabrū, tritico, illud ſeparando à paleis: Saul perſecutus fuit Davidē, quantū potuit, tanto illū reddiditglorioſiorē: Eſau infremuit contra Jacobum, hic nihilominus illi abſtulit primogenita major ſervivit minori: Herodes tyrannus innocentibus, quos ex odio in Chriſtum peremit plus profuit, quàm obfuit. Putavit Tyrannus,

ſe S. Laurentio inferre graviſſimos dolores, illum ponendo in craticula ſuper prunas, ipſum aſſando; ſed invictus heros ait: *Infelix! hoc eſt, quod ſemper optavi, & votis omnibus exquiſivi.* Prunæ, converſæ ſunt in laurum immortalis gloriæ, quo Laurentius æternùm viret.

Propterea laudanda eſt Divina
§ 5. Providentia, cum Landtspergio,
Laudanda ideo eſt Divina Providentia. tantoque magis prædicanda; tantò amanda ferventius quæ malum, quod nobis, aut à diabolo, aut aliquo membrorum ejus, paratur, ſemper, ſi volumus, præſto nobis eſt, ut malum vertat in bonum: Nonne omnes Sanctos ſuis vexationibus fatigavit Diabolus: quid autem obtinuit? nihil profectò: niſi quod glorioſiores, pulcriores, & rutilantiores fecit nos, ut aurum: fabricavit enim eis coronas multas, invitus: quia Deus, quod ille nitebatur illis inferre in malum, vertit in bonum. Laudabilis, ſuavis, amabilis eſt divina Providentia, quæ hoc poteſt, & facere ſolet.

Inter alia ſapientiſſimus Salomon
§ 7. Prov. 30. fatetur ſe ignorare, *Viam navis in medio mari.* Age, aſcende turrim, vel ſcopulum ad littus maris, inde, aſpice in alto jactatam naviculam, verberatam à fluctibus, oppugnatam à ventis, agitatam horribili tempeſtate: videtur momento haurienda & abſorbenda à fluctibus, miſerando proxima naufragio! & ecce momento ſilet mare: quieſcunt venti, ſedatur tempeſtas: navicula felix, læta, proſpero curſu dirigitur in portum; victrix fluctuum & ventorum.

Sic Deus juſtum per fluctus tribulationum, dirigit ad portum.

Res hæc eſt tam prodigioſa, ut vix capi poſſit. Et quænam eſt hæc navis, niſi anima juſti, in gravi tribulatione conſtituti: navicula, contra quam ſpirant mille venti tribulationum! navicula! quam oppugnat diabolus: Navicula! quam opprimere conantur morbi, pauperies, egeſtas, ſexcentæ calamitates: Navicula! cui interitum & naufragium minantur tot perſecutores! præſertim cum Nauclerus, cum Chriſtus D. cum Divina Providentia videntur dormire, ut talis anima cum Davide clamare poſſit ex pſ. 9. v. 22. *Vt quid Domine receſſiſti longè: deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione.*

Mitte querelas, pone luctus mi Chriſtiane! quò longius abeſſe videtur tuus Gubernator, tantò adeſt vicinior, tecum eſt, in medio tribulationum; non ille deſerit ſuam naviculam: quo graviores inſtant perſecutiones, eò illuſtriores erunt tui triumphi: quò atrociora tormenta, eò rutilantiores coronæ, quò acutiores ſpinæ eò pulcriores vernabunt roſæ? eò majora præmia, quò majores afflictiones; licet navicula electorum, quotidie ſæculum iſtud, tanquam aliquod pelagus ſortiatur infeſtum (S. Ambr.) *nunquam tamen eliditur ad ſaxum, nunquam demergitur in profundum.* Sed ingrediens portum non jam queritur cum Davide, receſſiſti à me longè in tribulatione; verum læta cum eodem canit ex pſ. 4. *In tribulatione dilataſti me.* Venti, fluctus, iræ & motus maris propellunt navim ad portum; tribulationes juſtum deducunt § 7.

Sic Deus juſtum per fluctus tribulationum, dirigit ad portum.

ſunt ad gloriam æternam: S. Aug. in illa verba pſ. 68. v. 3. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Nemo poteſt tranſire mare hujus ſeculi, niſi cruce portatus.* Crux eſt navicula, &c.

§. 8. *Quare Chriſtus D. dormiens in navi, non impediverit tempeſtatem.* S. Joannes Chryſoſtomus dum agit de excitata tempeſtate contra naviculam in mari, in qua Chriſtus Dn. dormiebat Math. 8. v. 26. pulcrè quærit hom. 14. in c. 6. Iſaiæ; *nunquid Salvator noſter etiam dormiens tempeſtatem illam potuiſſet impedire?* & reſpondet: *Poterat quidem, & in tranquillo navigare, verum non paſſus eſt gubernator: quo ſimul, & navigantium perſpicias tolerantiam; & gubernatoris prudentiam plenius cognoſcas.* Poſſet omnino Deus infinitæ potentiæ nos liberare ab omni tribulatione; etiam in magna tranquillitate poſſemus per hoc ſæculum navigare ad cœlos; ſed non facit: aliud placet divinæ Providentiæ, vult nos advertere quod Divinæ Bonitati, & ſapientiæ proprium eſt, ut ipſis quoque malis, ut terribili tempeſtate, bene utatur: in regno D. Providentiæ etiam irato mari, nihil licet: ut ſciamus, utiles nobis eſſe tribulationes.

§. 9. *Famuli Chriſti premuntur, ſed magis aſſurgunt.* Dicamuſque cum S. Antonio Abbate, teſte S. Athanaſio in ejus vita. *Nos famuli Chriſti, quo plus premimur, eò magis aſſurgimus & floremus*: videtur vir Sanctus memor fuiſſe v. 13. pſ. 91. *Juſtus ut palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur.* Palma etiam ſaxis & gravi pondere, *Inclinata reſurgit* & amœnius viret: pulcrum emblema viri juſti, vel famuli Chriſti, qui quò plus premitur, eò altius aſcendit: Refert idem S. Athan. Julianum Apoſt. initio non fuiſſe auſum, iras ſuas in Chriſtianos exerere per tormenta; *Sciens ex anterioribus perſecutionibus, victorioſiores, glorioſioreſque ſemper evaſiſſe.* Hinc quoque palmæ in manibus SS. Martyrum depinguntur. Palmæ non nocet, ſed prodeſt, ſi prematur, nec viro forti nocent tribulationes, ſed proſunt, expedit ei, ut affligatur.

§. 10. *Quare viris bonis accidant mala.* Adeſte Chriſtiani Auditores, qui eſtis in tribulatione, qui cum Chriſto bibitis Calicem Paſſionis, Deo ita permittente & volente. Adeſte, aperiam vobis ſcholam gentilis Philoſ. ingredimini, ex ore magni Magiſtri Senecæ Chriſtianam excipietis lectionem, in qua hanc quæſtionem ſuis diſcipulis olim propoſuit, & præſertim amantiſſimo ſuo Lucilio; *Quare bonis viris accidant mala, cùm ſit Providentia?* reſponſio hæc eſt; *Sic inter viros, ac DEUM amicitia eſt, conciliante virtute*: Puto ego virum ſapientiſſimum de eximia virtute, quæ vocatur Patientia, ſive animi conſtantia, qua Dei amorem nobis conciliamus locutū. Verùm de eadē veriſſimum eſt illud dictum, *Marcet ſine adverſario*: ſive, *Avida periculi eſt Virtus.* Vel, *Calamitas Virtutis occaſio eſt*: & illud: quid poſſit vir fortis, quantum Deo placeat, quàm Chriſtianus miles ſit ſimilis Duci ſuo Chriſto: quantum poſſit expectare bravium, *Patientia in adverſis oſtendit*: Et ideo, ut ſuperius inſinuavi, Deus permittit mare turbari, ut navigantium tolerantiam, invictumque animum agnoſcamus.

§. 11. *Diverſus eſt amor Patris erga filium ab amore Matris erga eundē. Amore Patris ſuos amat DEVS.*

Oculis quotidie cernimus, aliter Patres tractare filios quos amant: aliter Matres. Pater vult, ut filius caveat otium, voluptates, epulas: jubet ut filius laboret, ut exerceatur in variis exercitiis, ſi fortaſſis filius miles eſt, gaudet, cum audit illum egregiè pugnaſſe, fuiſſe in prælio vulneratum, fudiſſe ſanguinem, ſed viciſſe hoſtem. Non curat Pater, an filius miles, cubet humi, ſub dio, an ſit in fame, ſiti, frigore. Talia enim viam ſternunt ad honores, ad triumphos. Econtra: Mater aliqua: filiolum quem amat, imponit ſinui, applicat pectori: ſtringit brachiis: gaudium illi eſt, ſi filius ſaltet, ſi rideat, ſi domi maneat, ſi bene veſtiatur, ſi lautè comedat: minimè ſollicita de excelſis filii honoribus: Hoc ſimili ſuppoſito, iterum excipite verba magni Magiſtri Senecæ: *Patrium habet Deus adverſus bonos viros animum, & illos fortius amat*: Talem erga ſuos animum habet Chriſtus Salvator noſter; vult nos exerceri in Gymnaſio Patientiæ: propinat nobis calicem Paſſionis, porrigit ſpinas, & clavos, ut paſſionibus ejus comunicantes, cum ipſo aliquando ſedeamus in regno gloriæ cœleſtis.

§ 12. *Vir juſtus, afflictus & patiens, eſt pulcerrimum ſpectaculum.*

Præterea: Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus: (iterum ſunt verba Senecæ) *Vir fortis, cum mala fortuna compoſitus.* Dicamus nos, Chriſtianus ebibens calicem Paſſionis: vir fortis! alligatus ad columnam vinculis paupertatis: vir fortis! coronatus ſpinis. Vir fortis! cum Chriſto affixus Cruci. *Non video, inquam, quid habeat in terris Jupiter pulcrius: ſi convertere animum velit, quàm ut ſpectet Catonem, ſtantem: inter ruinas, rectum.* Dicamus nos iterum Chriſtiane: Jucundiſſimum Salvatori noſtro in cœlis eſt ſpectaculum, ſi videat, virum fortem, bibentem calicem paſſionis, ſine tædio: Si videat te alligatum columnæ, coronatum ſpinis, affixum Cruci, ſtantem tamen, id eſt, patientem, reſignatum in omnem Dei Voluntatem. Advertendum eſt Auditores, quod Divinæ Bonitati & Sapientiæ proprium eſt, ut hoc calice, hac columna, his vinculis, his flagellis, his clavis, hac cruce, id eſt, ut morbis, ut paupertate, ut doloribus, ut calumniis, ut infamia, ut perſecutionibus, bene utatur.

§. 13. *Rationes Seneca.*

Simile, quod ſuperius inſinuavi, de amore Patris & Matris erga filium, aliis verbis ſic explicat citatus Seneca: *Nos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet* (Pater eſt) *Eos autem, quibus indulgere videtur* (inſtar Matris) *quibus parcere: molles, venturis malis, ervat: Erratis enim, ſi quem judicatis exceptum; Veniet ad illum diu felicem, ſua portio. Quiſquis videtur, dimiſſus eſſe, dilatus eſt*: Proinde jactanti ſuam felicitatem, dixit idem ſapientiſſimus Philoſophus; *Miſerum te judico, quod nunquam fuiſti miſer*: Et, *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam adverſi:* Chriſtiani diſcipuli in gymnaſio Chriſtianæ patientiæ, ſive in ſchola æternæ ſapientiæ ſub cœleſti Magiſtro Salvatore noſtro, ex his pulcerrimas inferunt conſequentias, v.g. felix ergo, qui cũ S. Jacobo bibit calicẽ

paſ-

paſſionis, *beati: qui patiuntur perſecutiones. Beati, qui ſitiunt, &c.* Bonus JESUS, quos amat, exercet in ſtadio patientiæ, in agone Crucis, recognoſcit, an aliquid patiantur, & indurat illos, ut plus pati deſiderent: S. Aug. *Si putas te nondum habere tribulationes, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus.* Quibus indulgere videtur, &c.

§. 14. *Simile ſumptum à belli Imperatore, qui ad prælium ſeligit duces fortiſſimos.* Mi Chriſtiane: quæris, quare viris bonis accidant mala cùm ſit Providentia? quæro ego ex te; Belli Imperator in aliquo exercitu, cùm faciendus eſt imperus & aſſultus in urbem hoſtilem; cum frangendæ ſunt inimicæ phalanges, initio prælii, cum graviſſimum toti exercitui incumbit periculum, ſtrages, cædes, ruina, ut avertatur: quoſnam in hunc finem eligit duces, ductores, & milites? an deſides & ignavos? an timidos, & meticuloſos: imò, fortiſſimos, audaciſſimos, generoſiſſimos. Nec tamen hi queruntur, ſe malè tractari ab Imperatore, exponi ſe periculis, ſed gaudent, gloriantur de tali de ſe Imperatoris ſui judicio; ducunt id ſibi magnæ gloriæ, & generoſi ruunt in hoſtem *Idem dicant* (pergit Seneca) *quicunque jubentur pati, timidis, ignaviſque flebilia: Digni viſi ſumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana Natura poſſit pati.* Nos Chriſtiani addere debemus, adjuta divina gratia. Animæ piæ: ne conquiramini, ſi bonus Jeſus, vobis offerat calicem Paſſionis; vult oſtendere, quantum pati & quantam gloriam obtinere poſſitis. Pater eſt, amat vos, proinde indurat, recognoſcit, exercet: Per morbos, per calumnias, per alias calamitates, idem vult oſtendere, quid pro ipſo, pro cœleſti gloria, pro immarceſſibili bravio pati poſſitis.

§. 15. *Alia ratio. Ut viri fortes, aliis ſint exemplū Patientia.* Quæſtionem hanc, quare viris bonis accidant mala, alio loco Seneca ſic format: *Quare viri boni quædam dura patiuntur?* Et reſpondet: *Ut alios etiam alios pati doceant: Nati ſunt in exemplum.* S. Petrus, S. Andreas, S. Philippus pependerunt in cruce, in exemplum. Alii ſecti, lapidati ſunt, in exemplum. S. Jacobus fuit decapitatus, in exemplum, ut doceant nos pati. de S. Tobia ait Lyranus: *Ut excæcaretur, non videtur fuiſſe ex naturali ſtercoris virtute, maximè cum non ceciderit ſuper oculos ejus apertos, ſed clauſos, ſed ex ordinatione Dei, qui eſt auctor mali pœna, ut ſic Tobias poſteris eſſet exemplar Patientiæ.* Sumpſit Lyranus hæc verba ex textu c. 2. Tobiæ. *Hanc autem tentationem, ideo permiſit Dominus evenire illi, ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus, ſicut & S. Job. Nam cum ab infantia ſua ſemper timuerit Deum, & mandata ejus cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Dominum, quod plaga cæcitatis evenerit ei, ſed immobilis in Deo permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.* Ecce exemplar, quod inſpicere debemus, cum nobis offertur calix paſſionis, cum accidunt dura, cum aſpera ſunt perferenda: bibamus, feramus, ſuſtineamus omnia in patientia, & cum gratiarum actione.

§. 16. *Alius fructus tribulationis.* Ingentem fructum tribulationis, nobis exponit S. Gregorius Naz. orat

tionum Per illas anima Deo ſit propinqua

orat. ad ſuos concives, *Anima*, morbo, v. g. vel alia adverſitate *afflicta*, *Deo propinqua eſt*, neque propterea dolenda nobis eſt, quæcunque afflictio; quam intelligimus Matrem eſſe virtutum. Infirmitas carnis, vigorem mentis excitat, & affectis artubus vires corporis, in virtutes transferuntur animorum. Bleſilla filia S. Paulæ Rom. dedita erat vanitati: afflicta morbo, ſive febri triginta dierum, mox fuit alia: Inter alia ſcribit S. Hieron. epiſt. 19. ad Marcellam; *Bleſilla noſtra, ante moroſius ornabatur, & die tota, quid ſibi deeſſet, quærebat ad ſpeculum. Nunc ad orandum feſtina conſurgit, &c.* Profuit morbus Bleſillæ: afflicta, JESU cœleſti ſponſo appropinquavit: Benedicta ſit millies Divina Providentia! benedicta ejus Sapientia, ſuavitas, & bonitas, qui malis utitur pœnæ, & malũ, vertit in bonum.

§. 17. Ab eiſdẽ eleva- tur in altum.

Iſraelitarum decus Rex David, ait Pſalm. 24. v. 17. *Tribulationes cordis mei, multiplicatæ ſunt*: S. Hieron. ex Hebræo hæc verba ſic transfert: *Tribulationes cor meum ſurſum ferri fecerunt*: Alia lectio ſic habet; *Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt*: Sed quare tribulatio vocatur *excelſa*? quia venit de alto, de manu Dei, quia cor & cogitationes hominis elevat ſurſum ad Altisſimum, quia in homine tribulato generat excelſas & generoſas cogitationes filiorum Dei, quia animam replet meritis, denique ut ait Hugo Card. *Tribulationes dicuntur excelſæ, quia in cœlum elevant*: ut fluctus in mari jactatam naviculam: S. Greg. M. lib. 3. mor. c. 6. *Athleta Dei, unde premitur, inde ſublevatur*: addo ego, inde lætatur, inde ſpem concipit immortalis gloriæ.

§. 18. Heroicum dictum. S. Gordii Martyris.

Teſte illuſtriſſimo Martyre S. Gordio, qui, cum Tyrannus atrocia ei minaretur tormenta, intrepido animo dixit: *Quanto plus mihi tormentorum acceſſerit, tanto plus referam præmiorum.* Res in hac vita adverſæ, nobis ad Deum præparant aditum, (q. d. ſurſum elevantur corda noſtra, cogitationes noſtræ ſunt in cœlis) & ingentem pariunt voluptatem. Minæ veſtræ ſemina mihi ſunt, unde immortalitatem, perpetuaque gaudia, metam. Talia hodierna Concione, in honorem S. Jacobi Apoſt. vobis propoſui, Auditores, ut Sanctorum & invictorum heroum patientia, conſtantia, virtute, *admoniti*, loquor fere cum S. Baſilio l. reg. fuſ. diſp.) *ipſi quoque, ad ſimilis æmulationis fortitudinem incitemur.*

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXVIII.

FESTO SANCTI IGNATII, FUNDATORIS SOC. JESU.

Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Pſalm. 76. v. 36.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EST altera Panegyris glorioſiſſimi Patriarchæ *S.* Ignatii, prior anni ſuperioris egit de prima ejus converſione; hæc ejus acta, in monte Serrato, in antro Manreſano, in itineribus ad terram ſanctam, & reditum in Hiſpaniam, latius deſcribit.

§. 1. *Vulnus à globo bellico, Sancto Ignatio illatum, fuit prima occaſio ejus converſionis, & felix fuit ejus lapſus.*

§. 2. *S. Ignatio novus Antæus, novus Brutus, &c. Et novus Paulus.*

§. 3. *S. Ignatius patriam deſerens venit in montem Serratum.*

§. 4. *Ex monte Serrato, venit Minoreſſam.*

§. 5. *Invitatio Auditorum ad antrum pœnitentis Ignatii.*

§. 6. *Vita S. Ignatii in illo antro.*

§. 7. *Gratiæ S. Ignatio ibi collatæ, Encomium libelli exercitiorum.*

§. 8. *Varia elogia antri Sancti Ignatii.*

§. 9. *Quibus intentionibus Sanctus Ignatius ex ſuo antro prodierit in publicum.*

§. 10. *Octiduana ecſtaſis ejus in templo Manreſano.*

§. 11. *Proſopopœia Cœleſtis Amoris ad Sanctum Ignatium in illa exſtaſi.*

§. 12. *Diſcedens Manreſa ex Hiſpania abit in Palæſtinam.*

§. 13. *Tenera S. Ignatii ibidem devotio.*

§. 14. *Redux Barcinonem fit diſcipulus infimæ Grammaticæ.*

§. 1. Vulnus à globo bellico Ignatio illatũ, fuit prima occaſio ejus converſionis: & felix fuit ejus lapſus.

SUperiori anno, de hoc loco ex me audiviſtis, quàm Deus Optimus Maximus fuerit mirabilis, in prima converſione S. patris noſtri Ignatii. Verùm enimverò, globus tormenti bellici à Gallis contra Pampelonæ mœnia evibratus, converſioni illi occaſionem præbuit: For-

Fortisſimum, inquam, murorum defenſorem, Ignatium, pila illa ignea dejecit in terram, ſed quod corpus attinet, nam: quod animam, quæ jacebat, Ignatius ſurrexit ad vitam ſanctiſſimam, & altisſimum culmen magnæ perfectionis, ſive; ſurrexit Ignatius, cùm cecidit. In vulneribus, in effuſione ſanguinis, in doloribus inveniunt alii venenum & mortem, Ignatius in illis invenit medicinam & vitam. In vinculis, quibus ligatum fuit dirum tibiæ vulnus, invenit libertatem. O felicem illum globum, qui Ignatium læſit, qui ſuis ignibus, in generoſi militis pectore divini amoris flammas accendit: Cum labente Ignatio corruerunt Pampelonæ propugnacula. O felix omen! time Sathan; regni tui everſioni præluditur. Gallica reboant tympana, reſpondent Hiſpanica cornua & litui, ut audiat orbis, diabolo & hæreſi, cæteriſque affeclis novum bellum indici, à labente Ignatio. Intonat tormentorum fragor, quia mundo novus datus eſt filius tonitrui, quo totus orcus contremuit. O mirabilem Dei Providentiam in prima converſione S. Ignatii!

§. 2. *S. Ignatius, novus Antæus, novus Brutus & novus Paulus.*

Jacet Ignatius humi, alter Antæus, mox à lapſu fortior de terra ſurrecturus. Novus Brutus, qui de equo lapſus Romanum Imperium conſervavit. Novus Horatius Cocles, qui labendo labenti patriæ ſuccurrit. Novus Alexander M. qui vulnerato femore totum deinde orbem victoriis ſuis peragravit. Ignatius in ſua converſione novus Paulus: hic fulminatus de cœlo agnovit veritatem; Ignatius illam agnovit læſus fulmine, ſive globo tormenti bellici. Auguſtus turbo radiantis de cœlo lucis, Paulum affixum ſolo involvit cœleſtibus ſplendoribus: Ignatium lux & ignis ex machina bellica. Paulus dejectus fuit ex equo, ut fieret vas electionis, portaretque nomen Jeſu coram gentibus & Regibus terræ: ad eundem finem dejectus fuit ex muro Ignatius, ut ex milite Regis Hiſpaniarum fieret miles Chriſti, qui glorioſum vexillum ſanctisſimæ crucis, per totum terrarum orbem, per ſe & ſuos filios, ad ultimos terrarum fines, circumferret. Adverto, protrahi meum exordium, itaque hodiernam, & alteram meam de S. Ignatio panegyrin, aggrediar, ut vobis exponam, qualem vitam, poſt ſuam converſionem exorſus fuerit.

§. 3. *S. Ignatius patriam deferens venit in montem Serratum.*

Panegyris mea, anni ſuperioris cum S. Ignatio pervenit ad montem Serratum. Jacet hic mons in principatu Catalauniæ in Hiſpania non procul à mari; Celeberrimus mons, ob ſummam altitudinem, qua frequenter nubes attingit. Mons celeberrimus propter formam & figuram, in tot n. diviſus eſt colles, rupes & ſcopulos, ut videatur ſerra diviſus & ſciſſus, unde *ſerratus* dicitur. Mons celeberrimus; propter loci ſanctitatem; nam in medio illius, veluti pulcherrimo amphitheatro, natura, amœnisſimam poſuit vallem, quam ornavit fonticulis, & pulcherrimis arboribus, cedris & cypresſis, inter

Digitized by Google

ter quas ars erexit & ædificavit nobile Monaſterium S. Benedicti, & magnificentiſſimum templum, in quo miraculoſa ſtatua B. Virginis, toto orbe celeberrima, magnâ devotione populorumque concurſu colitur. Circumquaq; in collibus jacent Eremitoria, ut vocant, in quibus novi Pauli & Antonii, veluti magnæ Matris ſervi & famuli, cœleſtem potius, quàm terreſtrem ducunt vitam. Ad hunc montem venit S. Ignatius, cùm paternas ædes in Biſcaia reliquit; ad montem ſtellæ matutinæ & Auroræ: ſpe plenus, recreandum ſe ibi primis radiis ſalutis & ſanctitatis, quam jam totis animis ſpirabat. Venit in hunc montem, coram ara Virginis, veluti Turri fortitudinis, nova induiturus arma; in ſignum, arma militiæ prioris, gladium & pugionem, appendit columnæ, Magnæ Reginæ illius loci anathema. Novam militiam exorſus fuit vigiliis, dum totâ die & nocte immobilis, inſtar novæ templi illius & totius Eccleſiæ columnæ, ante aram Virginis perſtitit; tum integro octiduo inter ſcrupulos & lanienam timidæ conſcientiæ, animum ſuum generali exomologeſi expiavit; in comunione ſubſecutâ, iis de cœlo ſolatiis à benigniſſima Virgine, & Filio ejus Jeſulo, iis deliciis fuit delibutus, ut velut in paradiſo aliquo conſtitutus cogitarit, totam vitam in hoc loco, ſervitio Mariæ impendere: feciſſetque niſi ſpiritus aliquis excelſus & principalis, ut David illam vocat, Ignatium ad majora evocaſſet.

§. 4. Ex monte Serrato venit Minoreſſam.

Quod dum ſenſit, altiſſimis cogitationibus & propoſitis jam ante conceptis de inſtituenda vita Apoſtolica, illi ſeveriſſima pœnitentia, & corporis caſtigatione, jejuniis, vigiliis, orationibuſq; diurnis & nocturnis prætudere voluit. Ad quem finē non procul à Minoreſſa, (oppidum eſt, jacens ad radices montis Serrati) antrum elegit, tam capax, ut homo in illo ſtare, ſedere, jacere vix poſſet: in aditu tam anguſtum, ut facilè poſſet obſtrui; tam obſcurum ut radios ſolis vix admitteret: imaginamini vobis antrum, in quali depingi ſolet, vel pœnitens Magdalena, vel plorans Petrus, aut pœnitens aliquis eremita. Tali antro ſe incluſit Ignatius, quia ſibi propoſuerat in vitæ Sanctorum lectione, gemere cum Magdalena, plorare cum Petro, vivere vitam auſteram cum eremi incolis.

§. 5. Invitatio auditorū ad antrū pœnitētu Ignatii.

Quæſo vos Auditores, calido hoc tempore, mecum ingredimini umbroſum hoc antrū pœnitentis Ignatii: nolite timere obſcuritatem: eâ luce jam radiat Ignatius, ut ſufficienter ſit illuminatum: in hâc luce inter hos radios nolite metuere calores: ſedete cum Ignatio ſub umbra Crucifixi, ſub qua dulcis eſt quies. Ne timeatis ſitim, ex oculis S. Ignatii cryſtallini ſaliunt fontes: non famem, panem doloris nobiſcum communicabit Ignatius: non loci anguſtias: Jeſus & Maria, Ignatiū viſitantes, hoc antrum jam converterunt in cœlum: non ſolitudinem; Ignatius non eſt ſolus, vivit, plorat, gemit, orat, pſallit, quieſcit, dormit inter Angelos, comites Jeſu & Mariæ! O ſaxa feliciſſimi hujus antri, dicite itaque, qualem vitam intra veſtras anguſtias dùxerit S.

Ignatius: quid ſiletis rupes: narrate, quid in hoc antro fecit, quid egit Ignatius? ſed ſaxa loqui non poſſunt, ego pro illis reſpondebo.

§. 6. *Vita S. Ignatii in illo antro.*

Viderunt Ignatium in horrido ſago vel ſacco potius, quàm toga ex canabe: capite & pedibus nudum, horrido & inculto capillo, amictum vel præcinctum lumbos ingenti fune: humeros oneratos catenâ; non viderunt Ignatium comedentem vel bibentē, niſi illis diebus quibus ſacrâ ſynaxi fuerat refectus; quibus contētus fuit hauſtu frigidæ, & modico pane, quem mendicaverat. Tot horis, dies noctesque in illo antro S. Ignatius flexis genibus ſedit in oratione, ut genibus terræ impreſſerit profunda foramina & veſtigia; inter tot lacrymas, ut humum irrigarit; tam perſeveranter ut frequenter oriens Aurora erubuerit, illum invenire & videre in illo ſitu corporis, quo veſperi illum conſpexerat ſol occidens: Ignatius verò auroræ & ſoli fuit indignatus, quod tam citò redirent. Verbis paucis dicam multa. Vidit hoc antrum redivivam Magdalenam! ploravit illa in ſua ſpecu diebus & noctibus; idem fecit S. Ignatius! Adhæſit illa ſemper pedibus Crucifixi: hoc fuit S. Ignatius! inter gemitus & ſuſpiria! & Ignatius: madida lacrymis, & Ignatius! &c. Subinde in modica & neceſſaria corporis quiete, lectus Ignatio fuit humus, cervical ſaxum, vel catena & funis. Hoc quoque ſpectaculum ſpectarunt muri iſtius antri; Ignatium ter quotidie flagellis, uſque ad ſanguinem in ſe ſævientem; perge, perge S. Ignati! non te ſolùm, ſed ſimul dæmonem flagellas! ad quemvis ictum tremit infernus! inter tam crudelia verbera, illorumque fragorem, ex pectore, Ignatii alta prorumpebant ſuſpiria, *Doleo mi Jeſu, amo te mi Jeſu, Fili David propitius eſto mihi peccatori!* O S. Ignati: impetra tuis filiis, tuiſque cultoribus hanc gratiam, ut pari fervore & ardore ſuſpiremus frequenter, dies & noctes: dolemus; amamus, Jeſu propitius eſto nobis peccatoribus. Sic vixit Ignatius per multos menſes in antro ſuo Manreſano: ex quo non exivit, niſi evocaretur, vel à paupertate, ad mendicandum neceſſarium victum; vel à caritate, ad ſerviendum ægrotis: vel à Religione & pietate, ut intereſſet ſacrificio Miſſæ & Veſperis.

§. 7. *Gratia S. Ignatio ibi collata. Encomiū libelli exercitiorū.*

Contemplationes, viſiones, raptus, extaſes, deliciæ, ſolatia, quibus in hac ſolitudine, favente cœlo fruitus fuit S. Ignatius, fuerunt admirabiles. Viſitatus ab angelis, à Chriſto Domino, à B. Virgine, fidei noſtræ myſteria altiſſima, SS. Trinitatem, incarnationem, præſentiam Chriſti in Euchariſtia, &c. virtutum Chriſtianarum exallentiam, agnovit tam clarè, ut idiota omnium literarum expers, libellum Exercitiorum conſcripſerit, toti mundo admirandum: parvum libellum! ſed ſcholam pœnitentiæ, in qua Ignatius docet, quomodo pœnitens peccator peccata ſua debeat conſiderare, quomodo dolere, quomodo diſcurrendum de noviſſimis, quæ propoſita in via purgativa ſint concipienda, &c.

Par-

Digitized by Google

Parvum libellum: ſed qui eſt ſchola, in qua S. Ignatius docet exercitium omnium virtutum. Parvum libellum; ſed ſcholam & Seraphicum gymnaſium, in quo S. Ignatius methodum præſcribit perfectiſſimum Dei amoris, & unionis cum illo. O felix iterum antrum: in quo Ignatius divinâ luce irridiatus ideam ſanctiſſimæ vitæ cœpit, didicit, exercuit, & eandem poſteris ad imitationem tradidit.

§. 8. *Varia elogia antri S. Ignatii.* Habuerunt Romani antrum, in quo Deum Conſum venerabantur illi, qui magnis conſiliis indigebant, felicius in ſuo antro S. Ignatius à Spiritu S. didicit conſilia altiſſimæ Sapientiæ: Celebris fuit obſcura ſpecus Xenocratis, in qua dicebatur familialiter conſervari cum Philoſophia; Ignatius Minoreſſæ invenit ſpecum, & in illa dulciſſimam converſationem cum ſapientia Altiſſimi. Plato, cùm præſcribere voluit præcepta bene inſtituendæ Reip. caliginoſæ rupis hiatui ſe incluſit: altiori fine id fecit Ignatius. Ægeria docuit Numam leges conſervandi, ſed in loco tenebroſo; Regina cœli in tali loco inſtruxit Ignatium leges altiſſimæ perfectionis, & inſtituendi poſtmodũ inſtitutæ Societatis. Poëtæ fingunt Vulcanum igniti ſſimas & potentes ſagittas cudiſſe in officina ſubterranea; Ignatius in ſimili officina paravit tales ſagittas contra mundum, carnem, diabolum & hoſtes Eccleſiæ, vel dicamus, Ignatium ibi paraſſe ſagittas igneas, quibus deinde orbem flammâ amoris divini inflammavit. Antrum hoc fuit ſacroſancta vulcania, in qua expugnando orbi, cudit arma caritatis, pyriumque paravit pulverem, in ruinam idololatriæ. Qui de die ſtellas volunt videre, deſcendunt in puteum: fecit id Ignatius, & non ſtellas tantùm vidit, ſed Angelos, ſed Mariam, ſed Jeſum, ſed SS. Trinitatem: ſub terra Ignatius non terram, ſed cœlum fuit meditatus, identidem ingeminans, *quàm ſordet mihi tellus, cùm cœlum aſpicio.* Sic antrum hoc viro ſanctiſſimo, fuit ſchola, fuit campus martius, fuit arena luctatoria, fuit Circus, in quo Ignatius didicit bellare bella fortia contra mundum & dæmonem: fuit antrum quoddam Sibyllæ, in quo documenta, adeundi campi elyſii illi fuerunt propoſita; denique cœlum fuit, in quo ſanctiſſimæ lucis amœnitate ad viſionem Dei fuit illuſtratus. Hæſi diutius in jucundiſſimo & SS. hoc antro; egrediar tandem cum S. Ignatio.

§. 9. *Quibus intentionibus S. Ignatius ex ſuo antro prodierit in publicum.* Itaque Ignatius in hac formatus ſchola, in hoc armatus campo, in hoc ſacratus templo, in hac accenſus officina, in hoc illuſtratus cœlo, vir novus & cœleſtis, ſtatuit prodire in publicum, cum firmo propoſito aggrediendi ardua, ſuſtinendi difficilia, tentandi inauſa, pervincendi obſtantia, oppugnandi idololatriam & hæreſin, extirpandi iniquitatem, educandi pueritiam, erudiendi juventutem, erigendi afflictos, purgandi xenodochia, penetrandi in carceres, fundandi Eccleſias, erigendi ſeminaria, & academias excurrendi in compita, penetrandi in urbes, prædicãdi

Digitized by Google

Evangeliũ, excurrendi in regna, &c. cùm his inquam propoſitis Ignatius ex ſua ſolitudine, in publicam prodiit lucem & apertum campum; Minoreſſam ingreſſus, aliquot menſibus ibi moratus, conſuetis operibus devotionis & mortificationis, opera addidit caritatis, jam in carceribus, jam in xenodochio, jam apud ægros, jam apud mendicos, jam inter pueros, ubique Ignatius omnes inſtruebat, quomodo caverent peccatum, & Deum diligerent.

§. 10. *Octiduana extaſis S. Ignatii in templo Minoreſſano.*

Sacrificio Miſſæ, Veſperis, aliiſq; divinis officiis intererat quotidie; frequenter ſeptem integras horas perſeverans in templo & oratione. Sub miſſæ ſacrificio aliquando contigit res inſolita & inaudita. Verè Deus in S. Ignatio fuit mirabilis! dum inſpectante populo, inflammatus caritate in Deum & Jeſum ſuum adoraret SS. Sacramentum, clarâ, ſuavi tamen voce exclamavit, *Jeſus! Maria!* & repente in terram corruit, ſuavi oppreſſus deliquio. Ceſſit color ex vultu, fugit decor, clauſerunt ſe oculi, obriguerunt brachia, adeo ut omnes circumſtantes putarent mortuum, & de ſepulcro cogitarent. Vidiſtis quomodo ſubinde in amœno horto pulcer floſculus, cum nimio ſole uritur, quomodo demittit caput, quomodo ſe inclinent folia, quomodo langueat ejus pulchritudo! Talis floſculus inter ardores amoris coram SS. Hoſtia fuit S. Ignatius! ſuccumbens radiis Euchariſticis. Cùm, ut dixi, aliqui mentionem facerent ſepulcri, alii curioſiores ex palpitatione cordis adverterent, Ignatium vivere, cœleſti raptui inſepultum. Rem miram narro; non aliquot horis, non uno aut altero, ſed octo integris diebus hæc extaſis duravit; poſt octiduum eodem die, eâdem horâ, ſibi redditus Ignatius rurſum exclamavit, *Jeſus! Maria*: faſſus deinde, in hoc raptu propoſitam ſibi fuiſſe ideam & imaginem fundandæ à ſe ſocietatis Jeſu.

§. 11. *Proſopopœia Cœleſtis amoris ad S. Ignatium in illa octiduana extaſi.*

Nam ut cœleſtis amor Ignatium vidit jacentem in hoc deliquio amoris, in candida veſte, cum aureo arcu, & igneis telis, de cœlis deſcendit in terras, in pectus Ignatii, his illum verbis allocutus: *Placent mihi Ignati vitæ nova primitiæ, & dulces fructus; ſed necdum ſunt maturi cœlo; in ſtadio virtutum feliciter cœpiſti decurrere; ſed longè abes à meta, ad quam præparatum aſſequeris bravium. In via crucis, quam ingreſſus es, longa tibi reſtat via. Graves labores, ſæva perſecutiones, & procella te expectant. Necdum mihi lubet, ut per beatam mortem tam citò cœlum ingrediaris; nondum adeſt hora, ut videas faciem meam. Surge Ignati: placet Numini, ut ex Hiſpania abeas in Franciam, ex Francia in Italiam, ex Italia in Palaſtinā, ad ſanctam peregrinationem, in terra ſancta. Inde redux in patriam iterum relicta Hiſpania venies Pariſios, ubi Deo & numine propitio, Societatis Jeſu, in monte Martyrum pones fundamenta, Roma deinde à Sede Ponteficia confirmanda. O Ignati: magna à te petit & expectat totus orbis terrarum, tuam opem implorat Oriens, ſperat Occidens, poſtulant Europa, Africa, Aſia, America. Totum mundum tui quondam filii peragrabunt.*

Vide. me

Digitized by Google

Videſne Ignati, pulcerrimas heroum turmas, lauro virentes? ſunt Pauli, ſunt Jacobi, in crucibus perempti. Sunt Caroli Spinolæ, vivi flammis exuſti. Sunt Antonii, gladiis occiſi, ſunt Coreæ telis confoſſi, ſunt Rudolphi, ſubmerſi in fluctibus, &c. Surge Ignati, rebus arduis ad majorem Dei gloriam peragendis animum tuum para. Hæc dicens cœleſtis Amor de aurato arcu igneam ſagittam cordi Ignatii infixit, à qua divini amoris igne totus ardere cœpit. Certè ab hac extaſi non habet mundus, quod expectet ab Ignatio, niſi ignes; poſt paucos annos, etiam in Indiis videbimus incendia, quæ non niſi ſanguine Martyrum reſtingui poterunt.

§. 12. *Diſcedit Manreſa, ex Hiſpania abit in Palaſtinam.*

Ignatius ſibi reſtitutus, poſt paucos dies Manreſâ diſceſſit, cum magno civium, oppidique totius luctu & mœrore, quaſi alter Paulus diſcederet à Mileto Barcinone, ſine omni viatico navem conſcendit Italiam verſus: ubi ob bella, quibus Europa flagrabat, obſeſſæ fuerunt viæ, clauſi portus, aditus omnes, vigiliis & excubiis cuſtoditi: quos nunquam penetraſſet Ignatius, niſi divina Providentia, cui fidebat, remotis obſtaculis viam illi aperuiſſet. Injurias viro ſancto in his itineribus illatas, vincula, ſcommata, truſiones, percuſſiones, carceres, labores, quis enarrabit? In omnibus gaudebat, quod dignus eſſet, talia pati pro Deo. Licet tamen, inſtar mendici peregrini in viliſſimo habitu, nudis pedibus incederet, omnibus incognitus, ſæpe, & in variis locis contigit, ut violentus virtutis fulgor, nubem, cui Ignatius ſe involverat, ſcinderet, id eſt, patuere palam ſingularis ejus demiſſio, incenſus in Deum amor, charitas erga proximum, patientia, devotio, & ejuſmodi eximiæ virtutes, quæ ipſius ubique in difficillimis itineribus fuerunt comites & duces, Venetias uſque: ubi navim conſcendit, & emenſis feliciter maribus Cretico, Cyprico, Syriaco, appulit Hieroſolymam. O ter beatos Solymos: ſi quantum apud illos Ignatius reperit gaudii, tantum ipſi ex Ignatio hauſiſſent emolumenti:

§. 13. *Tenera S. Ignatii ibidem devotio.*

Tenerrimam ejus in ſanctiſſimis his locis devotionem, in monte Oliveti, in monte Calvariæ, ad S. ſepulcrum, calidas præ teneritudine amoris lacrymas, ferventes preces, ſanctiſſimas cogitationes, ardentia ſuſpiria, *mi Jeſu: hic, ubi ſanguinem ſudaſti, libenter moriar, &c.* ardenti vultu, patulo ore, tenacibus labris, Servatoris noſtri veſtigiis impreſſa oſcula, Seraphici amoris inflammatos actus, igneas pro ſalute animarum obteſtationes, per CHRISTI vulnera, mortem, & ſanguinem; mallem ego in pectore meo experiri, quam talia dicendo vobis proponere: tanta profectò tam ſublimis & cœleſtis fuit in illis locis S. Ignatii devotio, ut nullâ facundiâ vel eloquentiâ pro dignitate deſcribi poſſit.

§ 14. *Redux Barcionē fit diſcipulus infimæ Grāmatica.*

Volupe fuiſſet Ignatio, ad Oliveti vel Calvariæ montis radices, novum aliquod antrum pœnitentiæ ſeligere: & prædicare Turcis Chriſtum, cum incertâ ſpe martyrii, ſed divinæ voluntatis non neſcius, rediit in

Digitized by Google

Cyprum, inde, in lacerâ navi, inter ſævæ tempeſtatis fluctus magno miraculo conſervata, ſubmerſis aliis, quæ mendicum Ignatium, rejecerant, denique attigit litora Italiæ, unde per Æmiliam, Galliam, Genuam Barcionem rurſum rediit, in qua urbe, exemplo raro, Vir triginta trium annorum, Magiſter militiæ, factus eſt tyro & diſcipulus in rudimentis Grammaticæ, caſtra convertens in ſcholas, arma in libros, gaudium in calamum, clypeos in chartas, ſanguinem in atramentum, ut ſanctitati eruditionem conjungeret, ſi quâ advertebat, ſe ſua propoſita ad Dei gloriam, executioni dare non poſſe. Epilogus ſit brevis repetitio Concionis cum pia Apoſtrophe ad Sanctum Ignatium.

CONCIO LXXIX.

FESTO S. LAURENTII MARTYRIS.

Niſi granum frumenti, cadens in terram mortuum fuerit, Joannis 12. cap. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Laudat fortitudinem & infractum animum S. Laurentii.

§. 1. *Sententia illa S. Thomæ;* Virtus eſt, circa difficile; *perpenditur in præcepto Abrahæ impoſito.*

§. 2. *Et in martyrio S. Laurentii.*

§. 3. *Fortitudo eſt propria Chriſtianorum Virtus: hiſtoria ex cap. 2. Judicum.*

§. 4. *Ab Origene applicatur Chriſtianis.*

§. 5. *S. Laurentius jacens corpore ſuper prunas: invicto tamen animo ſtetit inter flammas; ſpeculum Chriſtianæ fortitudinis.*

§. 6. *Patientia in adverſis eſt ſignaculum, quod ſponſus vult poni ſuper cor, & brachia ſponſæ.*

§. 7. *Proſecutio; & digreſſio ad S. Laurentium.*

§. 8. *Elogium Germanorum ex Tacito, applicatur S. Laurentio.*

§. 9. *Amor, nec tormenta, nec mortem timet.*

§. 10. *Sedait cum S. Paulo:* Quis me ſeparabit à caritate Chriſti?

§. 11.

Digitized by Google

§. 11. *Tyrannus miratus invictum animum S. Laurentii.*
§. 12. *Auget pœnas.*
§. 13. *Jubet imponi craticulæ.*
§. 14. *Conglobatio elogiorum S. Laurentii, ex Sanctis Patribus.*
§. 15. *Proſecutio.*

§. 1. *Sententia illa S. Thomæ,* Virtus eſt circa difficile: *perpenditur in præcepto Abrahæ impoſito.*

V*Irtus*, juxta doctrinam Angelici Doctoris 22. q. 137. ait. 1. *eſt circa difficile & bonum: Et ideo, ubi occurrit ſpecialis ratio difficultatis, vel boni: ibi eſt ſpecialis virtus.* Ovid. *tendit in ardua Virtus.* Perpendite conglomeratas circumſtantias, tam ardui & difficilis præcepti, quod Deus impoſuit Antahamo, de immolando filio Iſaac, Gen. 22. Amabat filium ſuum ardentiſſimè, *tanquam aliquid ſui*, ut loquitur Ariſtoteles; ipſe, ſuis manibus jubetur occidere & immolare filium Unigenitum; genitum per miraculum, ſolatium Matris ſuæ, ſpem longiſſimæ poſteritatis, mandat DEUS ut prius per triduum cum filio eat in deſertum, *Ut longitudine temporis* (Sanctus Thomas) *tentatio augeretur & Curis creſcentibus, paterna viſcera cruciarentur*: jubetur offerre filium in holocauſtum, id eſt, totum in incenſum, comburendum: quæ omnia rationi videbantur contraria; ſine apparentiâ ullius commodi, vel utilitatis; neque ullum unquam obedientiæ hujus præceſſerat exemplum: Nihilominus Abraham accepto hoc præcepto, tam difficili, nec ſe excuſavit, nec cauſam præcepti quæſivit, &c. Item non diſtulit mandatum exequi, nulli, nec uxori, conſilium communicavit; ſurgit, abit in deſertum, ſuis manibus immolaturus filium: O ſpecialem obedientiam! O ſingularem animi in Abrahamo conſtantiam! O eximias virtutes, quas nulla unquam poſteritas, pro dignitate ſatis extollere, & commendare poterit.

§. 2. *Et in martyrio S. Laurētii.*

Si æquè arduas & difficiles circumſtantias Martyrii Sancti Laurentii hodiernâ die ponderare velimus, juvenem ſpecioſum, fortem, robuſtum, in flore ætatis, coram militum multitudine, inſpectante populo, exui veſtibus, denudari, flagris cædi, imponi ferreæ craticulæ, ſuper prunas, inter flammarum globos; vivum lento igne uri, aſſari, totum incendi, in holocauſtum: illo, qui talia patitur lætante, inſultante tyranno, deſiderante, plura pro Chriſto pati: ſi inquam talia ponderemus, quis non exclamabit: O ſingularem S. Laurentii conſtantiam: O invictum robur: O generoſum Athletam: O ſpecialiſſimas virtutes: quarum excellentiam, & eximiam perfectionem, hac panegyri, fuſius exponam: Cogitate hunc meum Sermonem fore floridum & laureum ſertum, quo generoſi Martyris verticem coronare cupio: idem vos facietis, Auditores, ſi in ſancti honorem benevolè me audiatis.

§. 3. *Fortitudo eſt propria Chriſtianorum virtus. Hiſtoria ex cap. 7. Iudic.*

Chriſtianorum virtus propria, vera fortitudo eſt, ait Cajetanus: *quæ apparuit in Apoſtolis & Martyribus: Et apparere continuo debet in veris Chriſti ſequacibus: ut invicti, & conſtantes patiantur*

tiantur ardua pro Chriſto. Hæc eſt vera nota fortis militis Chriſtiani. Pulcram figuram reperio in c. 7. v. 3. Judicum. Gedeon iturus contra Madianitas, collegerat exercitum triginta duorum millium militum: cum præco ad ſonum buccinæ, jubente imperatore per exercitum inclamaſſet hæc verba: *Qui formidoloſus & timidus eſt, revertatur.* Rem miram! abierunt à Gedeone viginti duo millia, remanſerunt decem millia. Cum his, plenus animis pergit in hoſtem: ad ripam fluminis, quod tranſeundum erat, ait Dominus Gedeoni, *Volo ut iterum experiaris, quales tecum ducas milites, an inter illos adhuc ſint formidoloſi & timidi, & hoc ſit tibi ſignum: ardent milites ſiti: qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt*: & fuit primorum numerus, trecenti viri, de quibus, tanquam viris fortiſſimis ait Dominus: *in his liberabo vos, & tradam in manu tua Madiam,* quod & contigit: Stando bibiſſe ex aquis, fuit ſignum & nota veræ fortitudinis: hoc elegit Dominus, ad pugnam, & ad victoriam.

§. 4. *Ab Origene applicatur Chriſtianis.*

Origenes hom. 9. in l. Jud. altiſſimum in hac hiſtoria agnoſcit myſterium, & ait: *Qui enim deſcendunt ad aquam, id eſt, ad Baptiſmi gratiam, non debent procumbere in terram; nec flectere genua, & cedere tentationibus, nec frangi tribulationibus, &c. ſed ſtare conſtantes. Veniſti ad aquam baptiſmi*: id eſt, factus es Chriſtianus? *hoc eſt tibi initium pugnæ Spiritualis*, pugnandum tibi eſt contra Madianitas, contra carnem, mundum & diabolum: In hac militia varii tranandi ſunt fluvii, tranſeundus eſt torrens Cedron; ſtate milites Chriſtiani: ſi ſitis vos urit, bibite: non procumbendo humi, non jacendo in terrâ, ſed ſtantes! parati ad pugnam, parati ad toleranda ardua: hoc ſignum eſt animi fortis; hæc nota veri Chriſtiani.

§. 5. *S. Laurētius jacēs corpore ſuper prunas, invicto tamen animo ſtetit inter flammas. ſpeculum Chriſtianæ fortitudis.*

Hoc modo Imperator noſter Chriſtus multos ſuorum militum probavit per aquas, alios per ignem, inter illos, glorioſiſſimum Martyrem, invictiſſimum Athletam, S. Laurentium. Sed non ſtetit in flammis: jacuit in craticula ſuper prunas! corpore quidem, non animo: hunc, non minæ tyranni, non carceres, non ſcorpiones, non carbones, non flammæ, inclinare vel frangere potuerunt: Adeſte Chriſtiani, rogum S. Laurentii nobis hodie proponit Eccleſia veluti ſpeculum Chriſtianæ Patientiæ. Sed, qui formidoloſus & timidus eſt, revertatur: maneant fortes, qui licet urantur flammis tribulationem, non ideo concidunt: Inſiliunt in te ſcintillæ dolorum ex rogo S. Laurentii, perſta: patere, vince dolores: hoc eſt ſignū fortitudinis, quæ eſt propria Virtus Chriſtianorum: Lucidiſſimum illius ſpeculum, eſt ardens S. Laurentius (facile hæc inductio poterit dilatari.

§. 6. *Patientia in adverſis, eſt ſignaculū*

Sponſus Cant. 8. v. 6. hanc Chriſtianorum & Electorum notam vocat *ſignaculum*, dicens ad ſponſam: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum,*

ut

quod ſpō. ſus vult poni ſuper cor & brachia ſponſæ.

ut ſignaculum ſuper brachium tuum. S. Ambroſius l. de Iſaac & anima, ait: *Chriſtus eſt hoc ſignaculum, in fronte, & in corde. In fronte, ut ſemper confiteamur, in corde ut ſemper diligamus: ſignaculum in brachio ut ſemper operemur. Luceat ergo imago ejus in confeſſione noſtrâ, luceat in dilectione, luceat in operibus & factis; ut ſi fieri poteſt, tota ejus ſpecies exprimatur in nobis. Ipſe ſit caput noſtrum: ipſe oculus noſter, ut per illum videamus Patrem, ipſe vox noſtra, per quam loquamur ad Patrem; ipſe dextera, per quam Deo Patri ſacrificium noſtrum offeramus.* Iterum rogum S. Laurentii accedite, ut in illo intueamur hæc ſignacula. In fronte ejus Chriſtus fuit ſignaculum, per publicam profeſſionem veræ fidei, cum alta voce inclamans dixit: *Domine Jeſu Chriſte Deus de Deo, miſerere mihi ſervo tuo: Et Deum meum colo, illi ſoli ſervio. Ad ignem applicatus, licet flammis torreantur omnia membra corporis mei, Jeſum Chriſtum confiteor.* In corde S. Laurentii Chriſtus D. fuit ſignaculum, per ardentem dilectionem & caritatem, quæ etiam à flammis ſuperari non potuit: Segnior longe fuit ignis, qui foris uſſit, quàm qui intus accendit. In brachiis S. Laurent. Chriſtus D. fuit ſignaculum per ſublimem perfectiſſimarum virtutum imitationem, qua in glorioſo Martyre, ſpecies Chriſti patientis perfectiſſimo modo fuit expreſſa. Chriſtus Dn. fuit caput S. Laurent. ſub quo paſſus eſt: Chriſtus fuit oculus ejus, per quem vidit Patrem: fuit vox ejus, per quam Deo gratias egit. Chriſtus fuit dextera ejus, per quam ſe Deo Patri obtulit in ſacrificium, incenſum & holocauſtum: O ſi ita in nobis exprimeretur ſpecies Chriſti! O ſi ita in nobis luceret aliqua imago S. Laurentii! O ſi ſponſus cœleſtis nos his ſignaculis ſignaret.

Variis modis animabus Sanctis hæc ſignacula imprimuntur; modus omnium perfectiſſimus eſt, ſi in tribulationibus per invictam patientiam & Chriſtianam fortitudinem, conformemur paſſionibus Chriſti. Cum Seraphico S. Franciſco, Seraphicis deſideriorum ardoribus ſurſum agi in Deum! compaſſiva teneritudine affectus transformari in Chriſtum Crucifixum! ex nimia caritate configi ejus Cruci: per incendium mentis, totum in Chriſti Jeſu Crucifixi expreſſam ſimilitudinem transmutari! in manibus noſtris apparere ſigna clavorum! clavus eſt paupertas! clavus eſt infamia: clavi ſunt, dolores & tormenta: hæc inquam ſimilitudo, eſt illud ſignaculum, quod Chriſtus D. petit poni ſuper cor noſtrum, ſuper brachia noſtra. O ſingulares virtutes S. Laurentii: O ſublimem in illo ſimilitudinem cum Jeſu Crucifixo: non interni ſolùm ardores, non interni ſolùm affectus, ſed ignis materialis, accenſi carbones, flammæ: non cor tantùm S. Laurentii, ſed aſſatam carnem ornarunt quadam effigie, conformi lacerato corpori Chriſti: in carneis membris vis ignis liquefactiva ejus imaginem deſcripſit. S. Bonaventura in vita S. Franciſc. vocat, *ſigillativam impreſſionem*: ſponſus vocat

§ 7. Profectio: & digreſſio ad S. Laurẽtium.

ſignaculum, ſive *ſignum veri Chriſtiani*; quod fortitudo, Patientia & Conſtantia in adverſis nobis imprimunt: & quò difficiliora, & magis ardua patimur, eò ſpecialior eſt virtus.

§. 8. *Elogium Germanorum ex Tacito, applicatur S. Laurentio.*

Tacitus de moribus Germanorum, hoc illis tribuit elogium. Principem ſuum defendere, tueri: ſua quoque fortia facta gloriæ ejus aſſignare, præcipuum Sacramentum, vel, juramentum erat. S. Petrus Dam. l. 6. ep. 9. ait, *Militaris homo, ad regalis gloriæ famam, gaudet ſui laboris transferre victoriam: gaudet ſe laborare, pugnare, etiam vulnerari, & ſanguinem fundere pro duce ſuo, ut hic triumphet*: Miles ſi ducem amat, ſi quærit victoriam, ſi ab excelſis heroum animis degenerare non vult; non laborat, non timet ardua; præ amore ducis, leve ducit, quidquid laboris immineat, & doloris. Talis heros ſub vexillo Crucis, ſub Imperatore Chriſto fuit S. Lauren. tueri ejus honorem, & veram fidem, contra minas tyranni, ſacramentum illi fuit; gaviſus fuit uri, torqueri, aſſari, ad regalis Chriſti gloriæ famam; victoriæ & triumphi loco habuit, mori & ſanguinem pro Chriſto fundere: atrociſſima tormenta fuerunt illi levia, præ amore Chriſti.

§. 9. *Amor, nec tormẽta, nec mortẽ timet. quod pulchre declarat S. Auguſtin*

Elegantiſſimè S. Auguſtinus l. 1. de moribus Eccl. Cath. *Cum anima amore divino ſe totam in Deum convertit, mortem non modò contemnet, ſed deſiderabit: ſed reſtat cum dolore magna conflictio*: O Laurenti! quæ tormenta coquit crudelitas Tyranni. quos focos parat? qualem lectulum? fruſtra ego talia timeo. Nihil eſt tam durum atque ferreum, quod amoris divini igne, qui ardet in Laurentii pectore, vinci non poſſit. Quo igne, cùm ſe anima rapit in Deum, ſuper omnem carnificinam libera, pulcerrimis volitabit pennis, quibus ad Dei complexum amor caſtus innititur. Niſi forte amatores auri, amatores laudis, amatores fæminarum, Amatoribus ſuis Deus ſinat eſſe fortiores: cum ille non amor, ſed congruentius cupiditas vel libido nominetur. DEUS Opt. M. & Chriſtus Salvator noſter, ſub labore ſanctæ crucis, fortiores longè habent milites, quàm mundus vel caro ſub ſuis vexillis habere poſſint.

§. 10. *Sed ait cũ S. Paulo.*

Vir fortis, cum S. Laurentio, nullos labores, nulla diſcrimina, nulla adverſa formidat, ſed intrepidus ait cum S. Paulo ad Rom. cap. 8. v. 35 *Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas, &c.* S. Laurentium à caritate Chriſti, quis ſeparabit? an carceres? non! an cataſtæ? non! an ferreæ crates? non. An prunæ? non! an flammæ? non! an mors inter ignes? non. Fortis amator Chriſti Domini fuit S. Laurent. conſtantia ejus vinci non potuit; Fortiſſimi Machabæi auſi fuerunt dicere ad Antiochum, apud S. Greg. Naz. orat. de Mach. *Eleazari diſcipuli ſumus, cujus tu fortitudinem perſpectam & exploratam habes. Pater prior decertavit, decertabũt poſtea filii: Multarum tu quidem rerum terrorem nobis injicere tentas, verùm ad plura & majora parati ſumus. Quid autem nobis vir ſuperbe atque inſolens minis iſtis tuis facies?*

Digitized by Google

cies: quos cruciatus inferes? nihil his hominibus fortius, qui ad quidvis perferendum forti & alacri ſunt animo. Quid cunctamini carnifices? quid moras nectitis? ubi gladii? ubi vincula? Feſtinationem requiro. Ignis major accendatur: acriores beſtiæ, magiſque æſtuoſæ producantur: exquiſitiora tormenta proferantur, ſint omnia regia, atque magnifica. (Applicentur hæc S. Laurentio)

§. 11. *Tyrannus miratus invictum animum S. Laurentii.* Hanc fortitudinem *S.* Laurentii cum Româ, univerſa admirata fuit per orbem diſperſa Eccleſia Chriſti, perindeque acſi ipſa victricem coronam accepiſſet, exultavit, imò ipſe Tyrannus admiratus fuit, converſis nimirum in admirationem minis; nam egregiorum hominum virtus, hoſtibus quoque ipſis admirationem excitare ſolet, cùm ſedatâ irâ facinus in ſe ipſo perpenditur.

§. 12. *Auget tormenta.* Iterum tamen tantâ viri conſtantiâ, quaſi contumeliâ ſibi illatâ irritatus, totuſque furiis dæmonum accenſus, & in furorem, rabiemque converſus, ſcorpionibus immaniſſimè Martyrem cædi juſſit, ut hoc tormentorum genere, quam adverſus illum, rabiem conceperat, expleret: Nec ſic tamen exſatiatus; quaſi parum eſſet Martyris corpus Scorpionibus lacerum & cruentatum, ſanguiniſque rivos ex eo undiqae fluentes cernere, aliud flagellorum genus, nempe virgarum adhiberi imperavit, quo verbera verberibus, & vulnera vulneribus, addita, Laurentii animum & conſtantiam frangerent: Qui tamen quò vehementius cædebatur, eò fortior atque animoſior reddebatur. Itaque tertium flagellorum genus, multo dirius, hoc eſt plumbata proferri mandavit; quibus inſtrumentis, ſauciatum & lacerum Scorpionibus & virgis corpus contunderetur, & ipſa oſſa confringerentur; ſic factum; ut in toto Martyris corpore, nulla pars vulnere, ſanguine & dolore careret: clamante Tyranno; *Sacrifica Diis: ſin minus, nox iſta in tuis expendetur ſuppliciis.*

§. 13. *Iubet imponi craticulæ.* Cum minis, nec doloribus cederet Laurentius; tandem craticulæ, ferreis vinculis alligatus, & ardentibus carbonibus impoſitus, inter ignes & flammas ait ad tyrannum: *jam video, jam ſentio, quod diu deſideravi; Aſſatum eſt; verſa, manduca;* & clariſſima voce, invictum Spiritum, per manus Angelorum, in cœleſtes manſiones deportandum tradidit. Quis ad tale Spectaculum attonitus non miretur & obſtupeſcat: Alii, cùm vel à ſcintilla uruntur, præ acerbiſſimi doloris magnitudine continere ſe nequeunt, quin clamores in cœlum tollant: at Laurentius! novus vel ferreus planè homo, inter ignes adeo non clamavit, ſed dicteriis & facetiis ludens aſtantem tyrannum irriſit; Miratur antiquitas Mutium Scævolam Romanum, potuiſſe ſubjectæ faci immotum brachium ſuſtinere, miremur nos magis Laurentium, qui toto corpore ignes, igneam craticulam, accenſos carbones, infracto animo Chriſti & divinæ gratiæ confortatus virtute, ſuſtinuit; vicit, & triumphavit: O felicem agonem! felicia certamina! fe-

 lices

lices ignes! felicia & formoſa vulnera, & verbera, quæ momento temporis exacta, ſempiternam invicto Athletæ gloriam, ſempiternam requiem, & laudem pepererunt: Vellet, ſi poſſet, S. Laurentius, mille iterum craticulis imponi, millies aſſari, pro Chriſto & æternâ gloriâ.

§. 14 Conglobatio elogiorum S. Laurentii ex SS Patribus. Daniel 3. De tribus pueris Hebræis conjectis in accenſam fornacem dixit S. Ambroſ. l. de Iſaac cap. 8. *Meritò in ardenti fornace non ſentiebant ignis incendia, quia caritatis eos flamma refrigerabat*; dicam ego hæc de S. Laurentio; inter ignes amor Jeſu illum refrigeravit. Sedulius exclamavit! *O quàm dulcis eſt dilectio tua Domine! Vincuntur incendia pœna, igne animi!* Sic vicit S. Laurentius! Cum ſanctis fratribus Marco & Marcelliano diceret Tyrannus, *reſpicite miſeri, & vos ab his cruciatibus liberate*, ipſi reſponderunt; *nunquam tam jucundè epulati ſumus; quàm libenter hæc Chriſti cauſâ perferimus; in cujus amore fixi ſumus.* In eodem amore fixus fuit S. Laurentius; aſſari, illi fuit epulari. De S. Petro projiciente ſe in mare, ut citò veniret ad Magiſtrum ſuum quem diligebat, iterum ait S. Ambroſius; *Non videbat, Petrus, ubi pedum veſtigia poneret; videbat autem, ubi figeret veſtigium caritatis: in navi enim poſitus conſiderat Dominum, & amore ejus ductus, deſcendit in mare, non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Chriſtum reſpicit, non reſpicit elementum.* S. Laurentius eundem Chriſtum reſpexit, proinde nec rogos, nec flammas reſpexit. *Nullus labor* (ait Abulenſis) *magnus videtur amanti; ignes non timet, nivas ſpernit, gladiis ſe opponit, & omnia pericula ſibi grata reputat.* Ob vehementiam divini amoris etiam S. Laurentius non timuit ignes.

Hom. 11. in Evang. dixit S. Gregorius M. Rectè per Salomonem dicitur; *fortis eſt, ut mors dilectio; nam quem perfectè abſorbuerit, velut inſenſibilem reddit*; & ſubdit de amante S. Agnete. *Erectus ejus in virtutis culmine animus tormenta deſpexit, ante armatos Reges & Præſides invicta ſtetit, feriente robuſtior, judicante ſublimior. Perfecta caritas foras mittit timorem*, 2. Joan. 4. v. 18. Ideo miles, qui Imperatorem diligit, bella pro Imperatore ſuſcepta, non metuit! ſic ſervus amans Dominum, quamvis per dubia & prærupta mittatur, tamen omnia pericula Domini amore contemnit; ſic qui trans mare poſitos filios videre deſiderat, non metuit naufragia; liberorum charitate ingreditur maris fluctus, ſubit incerta navigii, & metum diſcriminis levant deſideria filiorum. Sic ſancti Martyres, perſecutiones, ungulas, gladios, incendia non timuerunt; infeſtis ſe Regibus obtulerunt. Talis miles, talis ſervus, talis nauta, talis Martyr fuit S. Laurentius; (fac pulchram repetitionem dictorum.) Et vos Auditores, eſtisne tales milites, tales ſervi, &c. cum ſimili repetitione, quæ elegantem ſuggeret Epilogum. §. 15. Profecutio.

CON-

CONCIO LXXX.

FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

Salve Regina, *Mater miſericordiæ*, Ex ſymb. S. Bern.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicat encomium Virginis, quod ſit Mater miſericordiæ; in hoc præcipuè, quòd peccatoribus, ſi convertantur, conciliet iratum Filium ſive ſeverum Judicem.

§. 1. *Maria aſſumpta in cœlos, eſt gloria Jeruſalem, lætitia Iſrael, honorificentia populi: in terris eſt Mater miſericordi .*

§. 2. *In hoc præſertim, quod peccatoribus placet iratum Judicem, & debitas pœnas avertat.*

§. 3. *Taurus manſueſcit, ſi alligetur ficui: applicatur hoc Chriſto D. & B. Virgini.*

§. 4. *Sanctiſſima crux poteſt appellari ficus, cui B. Virgo alligat iratum Filium, ne puniat.*

§. 5. *Signum Virginis in Zodiaco facit, ut ſolis influxus dulces reddat fructus: Virgo Maria nobis dulcem reddit Salvatorem.*

§. 6. *Petra, quæ à Moyſe percuſſa, largas dedit aquas, fuit pulcra figura.*

§. 7. *Efficacia lactis Beatæ Virginis.*

§. 8. *Vt mollities lanæ frangit ſonum decidentis pluviæ in vellus: ita clementia Virginis, iram ſui Filii.*

§. 9. *Quare Virgo ab Iſaia vocetur* virga.

§. 10. *Quare* oliva ſpecioſa in campis *ab Eccleſiaſtico.*

§. 11. *Quare* Concha *à S. Joanne Damaſceno.*

§. 1. Maria aſſumpta in cœlos, eſt gloria Jeruſalem, lætitia Iſrael, honorificentia populi. In terris eſt Mater miſericordia.

QVanta, quàm ſublimis & excelſa, quàm ſuperemi-nēs fuerit illa gloria, quâ Virgo Dei Mer, hodiernâ die à Filio ad cœlos è terris, non animâ tantùm, ſed corpore etiam aſſumpta fuit; nulla mortalis lingua, non dicam, exprimere, ſed exponere & enarrare poteſt. Tanta illa fuit, ut omnes cœleſtes Spiritus, ſacro ſtupore pleni, cum magna reverentia quæſiverint Cant. 8. 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens?* ac ſi manifeſtius dicant, quãta eſt hæc? & unde ei aſcendenti, utiq; de deſerto, affluentia tanta deliciarũ?

nec enim pares inveniuntur deliciæ, vel in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ, voluptatis gloria potamur. S. Thomas de Villa Nova; *Gaudiorum affluentiam, cœlorum cives admirati ſunt in Virgine.* In qua admiratione probabile, quod aſcendenti Virgini accinuerint notiſſimum illum verſum ex cap. 15. v. 10 Judith. *Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri. Gloria Jeruſalem*, id eſt, ajunt Interpretes, ipſius Dei & totius ſacroſanctæ Trinitatis. Deo Patri, noſtro modo diſcurrendi, quaſi nova acceſſit gloria, & novum gaudium, dum Filiam ſuam dilectiſſimam coronavit Reginam, coronâ dominii ſuper cœlum & terram; Filio, dum Matrem coronavit coronâ aureâ miſericordiæ, & miſerationum erga ſuos, quos ipſe ſuo ſanguine redemit: Spiritui Sancto nova acceſſit gloria, dum ſponſæ ſuæ ſertum impoſuit de Libano, ſive coronam immenſæ gloriæ. Lætitia quoque Iſrael fuitglorioſiſſima Virgo, Iſraël, id eſt omnium cœleſtium Spirituum, choros duxerunt Angeli, celebrarunt Archangeli, Virtutes glorificarunt, Principatus exultarunt, Poteſtates collætatæ ſunt, gaviſæ ſunt Dominationes, Throni diem feſtum egerunt, laudarunt Cherubim, gloriam ejus prædicaverunt Seraphim. Neque glorioſa Virgo lætitia ſolùm Angelorum fuit, ſed *Honorificentia populi*, ſive omnium Sanctorum. Non eſt cur cœlo invideamus illa gaudia, quorum nos ſperamus aliquando fore participes. Gaudent Cœlites in gloria de tanta ac tali Regina; gaudeamus nos in hac lachrymarum valle, eandem, licet exaltata ſit ad dexteram Filii, nobis tamen eſſe Matrem miſericordiæ; quo dulciſſimo titulo mellifluus Sanctus Bernardus illam compellavit in ſuaviſſimo ſuo hymno, *Salve Regina Mater miſericordiæ, &c.* Encomium hoc latiſſimam complectitur materiam: hoc afflictiſſimo tempore, quo iratus Deus flagello peſtis nos caſtigat, oſtendet hoc præſens Concio, Mariam in hoc præſertim eſſe Matrem miſericordiæ, quod iram juſti Judicis, punire volentis, placet, & fulminantem ejus dexteram contineat. Dicite, antequam incipiam, tenerrimo cordis affectu, *Salve Regina.*

§. 2. *In hoc præcipuè, quod peccatoribus placet iratum Iudicem, & debitas pœnas avertat.*

Glorioſa Virgo Maria, ob varias cauſas vocatur *Mater miſericordiæ*; ex multis illa mihi hodie placet, quod peccatoribus, ſi pœniteant, iratum Filium reconciliet, & meritas ab illis pœnas clementer avertat. Non putemus, ſemel tantum contigiſſe, quod triplici telo iratus Deus mundum voluerit excindere, prout ſanctiſſimis duobus viris Dominico & Franciſco in viſione monſtratum fuit; frequenter, graviſſima & enormia mortalium ſcelera talia fulmina merentur. Sed neque ſemel tantùm Maria Mater miſericordiæ, illa à nobis avertit: quoties Filius punire vult, illa ſe murum interponit: quoties ad Deum per pœnitentiam convertimur, illa nobis viam aperit, & aditum parat ad Thronum miſericordiæ;

cordiæ; ut pulcrè innuit S. Bernardus: *Dulcis Dominus! Dulcis Domina! quia ille Dominus meus, miſericordia mea! ſed hæc Domina mea, miſericordiæ porta eſt*: quaſi diceret: Quod Dominus tantæ Majeſtatis, tantæ potentiæ, tam juſtus & rectus Dominus, præſertim irritatus ſceleribus mortalium, nihilominus dulcis & miſericors Dominus, etiam peccatoribus; quod Judex ille juſtiſſimus vindicem manum cohibeat, hoc efficit, hoc agit, hoc impetrat Maria, Mater miſericordiæ. Scit dulciſſima Virgo modum, quo Filium placet.

§. 3. Taurus manſueſcit ſi alligetur ficui. Applicatur hoc Chriſto D. & B. Virg.

Truculenta beſtia eſt taurus ſylveſter, maximè dum furit: facillimè tamen domatur, ſi alligari poſſit ficui: alligatus ad hanc arborem manſueſcit inſtar Agni: dulcedo hujus arboris frangit beſtiæ ferociam. Cùm Moyſes Deuteron. 33. c. v. 17. vidit Deum iratum, & paratum ad ſumendam vindictam de ingrato populo, dixit: *Quaſi primogeniti tauri pulcritudo ejus, cornua Rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit gentes uſque ad terminos terræ*: id eſt puniet, vaſtabit, delebit, exterminabit impios de facie terræ. Fecit hoc, cùm Gen. 7. mundum delevit diluvio; fecit hoc, cùm Gen. 19. Sodomam & Gomorrham devaſtavit ignibus de cœlo; fecit hoc, cùm frequenter, unâ horâ, multa millia hominum de populo, hoſtili gladio, vel fame & peſte fuerunt occiſa. Sed advertite, hæc contigiſſe, antequam Filius Dei factus fuit homo in terris: poſtquam Verbum Caro factum eſt ex Virgine. S. Joannes Baptiſta non ait cum Moyſe, *Quaſi primogeniti tauri pulcritudo ejus, &c. Sed ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: quo poſito eleganter dixit S. Antonius p. 3. tit. 31. cap. 2. *Sicut taurus quantumcunque ferox, ſi alligetur ficui, manſueſcit; ita Dei Filius alligatus Virgini, dulciſſima vinculo caritatis, ex qua incarnatus eſt, effectus eſt manſuetus.* S. Bonaventura in ſpec. cap. 13. *Chriſtus per manſuetiſſimã Mariam manſueſcit & placatur, ne ſe de peccatore per mortem æternam ulciſcatur.* S. Vincentius Ferr. ſer. 1. Dom. Epiph. *Ipſa*, ſcilicet Maria, Mater dulciſſima, *habuit cor pium & dulce.* Et proinde tale cor quoque dedit Filio. Gaudeo, glorioſam Virginem hodiernâ die in cœlis fuiſſe exaltatam, veluti cedrum in monte Libani: lætantur propterea Angeli, exultant Archangeli: gaudeamus nos, lætemur & exultemus, eandem in terris nobis eſſe dulciſſimam Ficum, cui alligatus iratus noſter Judex, ſtatim manſueſcit: gaudeamus eſſe Laurum, ſub cujus umbra tuti ſumus contra fulgura & fulmina Divinæ Juſtitiæ. Cantent cœlites, *Salve Regina*: exultemus nos & dicamus, *Salve Mater miſericordiæ.*

§. 4. SS. Crux poteſt appellari ficus, cui B. V. alligat iratum Filium, ne puniat.

Si per ficum intelligere velimus SS. crucem, ob ſuaviſſimos hujus arboris fructus; piiſſima mihi occurrit cogitatio ex Paſſione Salvatoris, quod nimirum ſemel tantùm trabalibus clavis ad hoc lignum alligatus ſive affixus fuerit, tum cum pependit in ſanctiſſima cruce! O dulciſſimam ficum, ob ſuaviſſimum fructum

bene-

benedicti ventris Mariæ; tum tempus erat, ut accederet peccatores, ut liberè peterent veniam & clementiam: affixa cruci dextera nullum fulmen torquere potuit. Sed quod ſemel fecerunt clavi, fecit & facit millies benigniſſima Mater miſericordiæ; cùm iratus Judex vult punire: habet illa vincula caritatis, quibus illum alligat ad ficum crucis, & manſueſcit; iratus Deus ex tauro, ex leone fit Agnus: dicamus millies, dulcis Dominus! dulcis Domina! Jeſus meus, miſericordia mea! Maria! miſericordiæ porta.

§. 5. *Signum Virginis facit ut ſolis influxus dulces reddat fructus. Virgo Maria nobis dulcem reddit Salvatorem.*

Vocula *Leo*, quâ paulò ante uſus fui, alium in materia hac mihi ſuggerit conceptum. Cogitaviſtine ſubinde, quænam ſit cauſa, quod menſe Julio & initio Auguſti pauci dulces fructus matureſcant, v. g. uvæ, poma, pyra; ſtatim verò poſt medium menſis Auguſti incipiant dulceſcere. Aſtrologia ait, adſcribendum id Soli, qui priori tempore in Zodiaco percurrit ſignum leonis; ex quo poſt medium Auguſti ingreditur domum Virginis, unde diverſitas ſaporis in fructibus oritur. Leo eſt ſignum calidum, ferox, in quo proinde influxus Solis fructus exacerbat: Virginis ſignum eſt benignum, ſuave, dulce, quod ſuaviter in ejuſmodi fructus influens, illos reddit maturos & dulces. Applicationem hujus diſcurſus ad materiam hujus concionis debeo S. Antonio p. 4. tit. 15. cap. 21. ubi ait: *Sol materialis per mundum diſcurrens, ex ſigno leonis, quando eſt perfectiſſimus calor ejus ſuper terram, intrat in ſignum Virginis; ad innuendum, quod Sol Juſtitiæ Chriſtus, Deus noſter, tempore veteris Teſtamenti, quando Deus ut leo rugiens, erat Deus ultionum, puniens terribiliter peccata; ex ferventiſſimo amoris calore intrans in uterum Virginis; totus factus eſt benignus, ſuavis & humanus: unde & fructus tunc matureſcunt, & dulces fiunt.* Fructus acerbi Divinæ Juſtitiæ ſunt fel draconum, venenum aſpidum, pix, ignis & ſulphur, in calice iræ ejus, quando punit impios. Verùm cùm benigniſſimus Salvator noſter hoc permittit, eſt Sol in Leone, eſt Deus ultionum, eſt juſtus & iratus Judex. Quamdiu hic Sol eſt in ſigno Virginis, quãdiu Mater miſericordiæ pro nobis intercedit, quamdiu illa ejus dexteræ inciit vincula amoris, totus eſt ſuavis, totus dulcis: Dulcis Dominus! Dulcis Domina! Jeſus noſter miſericordia noſtra! Maria, porta illius miſericordiæ.

§. 6. *Petra, quæ percuſſa à Moyſe dedit aquas, fuit pulcra figura*

Iram Numinis & irati Judicis, licet dura ſit inſtar ſilicis & petræ; tamen dulciſſima Virgo, aquâ & lacte ſuæ clementiæ poteſt illam emollire. Figuram invenio Exod. 17. v. 16. In deſerto Horeb Moyſes duram petram percuſſit virgâ ſuâ, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ. Semper hactenus putavi vel imaginatus mihi fui, ſaxum illud fuiſſe ingentis magnitudinis; verum Haymo in cap. 9. ep. 1. ad Cor. refert ex Rabinis, fuiſſe tantum ſilicem, tantæ parvitatis, ut Maria ſoror Moyſis illum deinde tulerit ex collo ſuo in pectore veluti gemmam, quæ in deſerto, quoties neceſſe fuit, copioſas ſuppeditavit aquas.

Non

Non diſputo, an hoc forte ſit figmẽtum Rabinorum; certum eſt S. paulum dixiſſe, 1. Cor. 10. v. 4. *Petra autem erat Chriſtus.* Duriſſima petra, ſilex plenus ignibus. Sic eſt, ſi illum aſpiciamus ut Deum, ut Judicem, ut Deum ultionum, qualis fuit in V. Teſtamento. Poſtquam Maria hanc petram tulit de collo ſuo; poſtquam virgineo lacte lactatus fuit, poſtquã inter ubera illius commoratus fuit, poſtquam ſponſa illi dedit oſculum oris; emollita eſt petra, aperta clavis & lancea, non evomuit ultrices flammas, ſed ſanguineos rivos cum fonte miſerationum & gratiarum. Dulcis eſt Dominus Salvator noſter, quia parvulus pependit à ſuaviſſimo collo Matris miſericordiæ.

§ 7. *Efficacia lactis B. Virginis.*

Non ſine cauſa feci mentionem Virginei lactis. S. Chryſoſtomus apud Metaphraſten refert, aliquot guttis lactis, quod loco ſanguinis, vel cum ſanguine fluxit ex collo decollati S. Pauli Apoſtoli, aſperſam fuiſſe veſtem barbari lictoris, qui illum obtruncavit; ſed momento feroces illius & ſociorum animi fuerunt immutati, facti ſunt toti mites, & ſubito Chriſtiani. Non dubito, quin iratus Judex contra impios frequenter ſtringat enſem ſui furoris: quis impediet, ne feriat? quis iram ejus componet? lacte Matris miſericordiæ opus eſt; curramus ad Virginem, dicamus, *monſtra te eſſe Matrem*: quamprimum lactea Filio monſtrabit ubera; dicere poterimus, dulcis Dominus! dulcis Domina! Verè Jeſus noſter miſericordia noſtra! porta eſt Maria; hoc puto voluiſſe innuere S. Bernardum, ſer. ad B. V. dum ait: *Nemo Domina, tam idoneus eſt, ut gladio Domini, manum pro nobis objiciat, ut tu Dei amantiſſima.* Addo ego, ut tu! *clemens, pia, dulcis Mater miſericordiæ.*

§. 8. *Vt mollities lanæ frangit ſonum decidentis pluviæ in vellus: ita clementia Virginis, iram ſui Filii.*

Verſus 6. Pſal. 71. quod affero, pulcrè explicat. Deſcribit ibi regius Pſaltes myſterium Incarnationis Filii Dei, in utero Virginis ſub ſymbolo decidua pluviæ ſuper lanam. *Deſcendit ſicut pluvia in vellus.* Sicut enim pluvia tanto cum ſilentio, & tam molliter decidit ſuper vellus, ut vix audiatur: ita Verbum Patris venit in hunc mundum, cum medium ſilentium tenerent omnia. Inſtar pluviæ vel roris Filius Dei de cœlis decidit in uterum Virginis. Verùm ſi Deus ille eſt, ubi eſt pluvia ignea, ubi fulgura & tonitrua montis Sinai? ubi illi oculi, quibus cum reſpicit terram (pſ. 103.) facit illam tremere; ubi illæ manus, quibus cum tangit montes, fumigant? His quæſtionibus eleganter & ſubtiliter reſpondit S. Chryſoſt. in Pſalm. 50. *Mollities lanæ ſolvit ſonum pluviæ deſcendentis.* Sic eſt: merentur ſæpe mortalium ſcelera novum diluvium, nova Sodomæ incendia, fulgura, fulmina, : mererentur fumos peſtilentiæ, terræ motus, bella, ſeditiones, regnorum interitus, &c. Sed loco talium aquarum, decidunt rivuli miſerationum, fontes gratiarum: ex fontibus Salvatoris, ex vulneribus Salvatoris, non ultrices & vindices erumpunt flammæ, ſed roſeus ſanguis, clamans Miſericordiam! Unde hoc? O peccatores totũ debemus lanæ, debemus Virgineo velleri, ſive Virgini Matri miſericordiarum, in cujus utero pluvia ignea mutata eſt in

in lacteam: taurus & leo in Agnum: Dominus rectus & juſtus, in dulcem. Dulcis eſt Jeſus noſter: debemus dulciſſimæ illius Matri! Jeſus noſter! O quàm ſuaves habet ille oculos, quibus reſpicit reſipiſcentes peccatores! Maria dulcis Mater illi dedit. O quàm benigna habet brachia, quibus, inſtar Patris, prodigos recipit filios. Maria, Mater miſericordiæ illi dedit. Quam ſuavem linguam, quâ omnes compellat: Venite ad me omnes: verè mel & favus ſub lingua ejus. Dulcis Mater, tam dulcem dedit illi linguam. Denique dulcis Jeſus, quàm pium & amabile habet cor! non ab alia, quàm à pia & dulci Matre! Ita! ita! Seraphini, canite in gloria, Salve Regina! dicite Throni, Salve Domina glorioſa! exultate dicentes, omnes Angeli, omnes Sanctorum chori, Salve Imperatrix: nos in hac lacrymarum valle, canemus, dicemus, exultabimus dicentes, *Salve Mater miſericordiæ.*

§. 9. *Quare B. Virgo ab Iſaia vocetur Virga.*

Dulciſſimum hunc titulum Matris Miſericordiæ, in hoc præſertim, quod flexat & mitiget iram Judicis, methaphoricâ ſed myſterioſa phraſi expreſſit Spiritus ſanctus per Iſaiam: ſic illa habet: Iſaiæ 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Quivis hic facile cogitare poteſt, quomodo illa Virgo, illa Mater quæ ab Eccleſiaſtico cap. 24. vocatur *Cedrus exaltata in Libano, Cupreſſus ſublimis in monte Sionis, Palma dilatata in Cades, Oliva ſpecioſa in campis, Platanus & terebynthus in ſylvis, Malus in hortis,* quomodo arbores tam ſublimes & fortes dici poſſunt *virga? egredietur virga?* ex inſtinctu Spiritus S. ſic locutus fuit Iſaias, in monte Sion, in cœleſti Jeruſalem, in Paradiſo voluptatis, Cedrus eſt, palma eſt, Oliva eſt; arbor eſt omnibus ſpecioſior, & ſublimior: Nobis in hoc exilio, virgula eſt, quam facillimè flectere, torquere & inclinare poſſumus ad pietatem & miſericordiam: eſt Mater miſerationum, quæ ad ſe clamantes non rejicit: Dicet fortaſſis non nemo; ſed ferrea virga eſt Filius ejus, in qua regit peccatores. Placet mihi objectio; cui antequam reſpondeam, moneo, Mariam non dici quamvis virgam, ſed floridam; flos de radice ejus aſcendet; flos hic fuit benedictus fructus virginei ventris JESUS; Jam excipite verba Sancti Bonavent. in ſpec. virg. ſuper *Dominus tecum. Si hunc florem habere deſideras, virgam floris precibus flectas: ſi flos eſt nimis altus divinitate, virga tamen flexibilis eſt, pietate.* Itaque ſi Chriſtum Salvatorem noſtrum conſideremus ut Deum, ut judicem; ferrea virga dici poteſt, quæ infallibiliter tanget impios, niſi à Maria flectatur ad miſericordiam: Quatenus verò idem Chriſtus, eſt filius Mariæ, flos eſt: unde ait ſponſa Cant. 2. v. 1. *Ego flos campi*, alia lectio ſic habet, *Ego viola campi*: quæ, teſte Hugone de S. Victore Ser. 46. *naturaliter caput inclinat, i. e. floſculum ſuũ.* Hæc eſt pietas Matris miſericordiæ, ut ſuum floſculum, ſuum Jeſulum inclinet ad miſericordiam.

Et

Digitized by Google

§. 10. *Quare Oliva in campis ab Eccleſiaſtico*

Et pro omnibus, etiam graviſſimis peccatoribus, ſi convertantur ad Dominum, nemine excepto; ob quâ cauſam S. Anton. part. 3. t. 31. cap. 4. §. 3. putat dici Olivam; *nam ad Olivam in campis, omnes poſſunt accedere, & accipere fructum ejus: ſic ad Mariam, & juſti, & peccatores poſſunt accedere, ut inde miſericordiã accipiant, & benedictum fructum ventris ejus Jeſum*: Gaudeo millies, gratulor Glorioſæ Virgini ex intimis præcordiis, quod in cœlis ſit celſiſſima Cedrus, exaltata palma; gaudeo eſſe Reginam cœli & terræ, elevatam ſupra omnes choros Angelorum, & hæc ſpes repoſita eſt in ſinu meo, ut aliquando talem illam videam in gloriâ: interim in terris contentus ſum, & gaudeo, eandem Glorioſiſſimam Virginem eſſe in terris, Olivam Specioſam, ſive Matrem miſericordiæ, ad quam, etiam peccatores, dum timent fulmen irati Judicis, tutò confugere poſſunt.

§. 11. *Quare concha à S. Ioanne Damaſceno.*

S. Joan. Damaſcenus or. 1. in Nat. B. V. dixit: *Hodie concha gignitur, quæ à cœlitus ex Divinitatis fulgetro in Utero concipiet, & Chriſtum ingentis pretii unionem paret*: Non inhærebo modò in hoc, B. V. in Incarnatione præſertim fuiſſe cœleſtem concham, quæ obumbrante ſpiritu Divinum rorem de cœlis excepit, neque in hoc Filium Dei conferri poſſe cum unione, ſive pretioſiſſima gemma: hoc tantum moneo, unionem, diverſam habere conditionem, dum eſt extra mare, & extra concham, ab eâ, quam habet cùm in mari conchæ incluſus eſt: nam teſte Plinio, *In aquis mollis unio, exemptus protinus dureſcit.* Extra concham lapis eſt duriſſimus, in conchâ molliſſimus. Quid pulcrius dici poteſt, ut oſtendam, Mariam in hoc eſſe Matrem miſericordiæ, quod emolliat duritiem irati Judicis. Omnino; ſi hunc conſideremus ſecundum rigorem Juſtitiæ, durus eſt, rectus, juſtus eſt Dominus; Sceptrum ejus eſt Virga ferrea: ſed in conchâ, in utero & gremio Virginis, inter brachia Matris dulcis & ſuavis eſt Dominus. floſculus eſt, ad nos inclinans caput, virga florida eſt de radice Jeſſe, quæ ab eadem ad miſericordiam facillimè inclinari poteſt. Iterum gaudeo Mariam in cœlis ſtare ad dexteram Regis, veluti Reginam in veſtitu deaurato; gaudeo eſſe coronatam ſole; gaudeo lunam jacere ſub pedibus ejus. Audio cum jubilo cantantes Cœlites, cum cymbalis & tympanis, *Salve Regina*! noſtris cordibus in terris dulcis reſonet Echo, *Salve Mater miſericordiæ.*

ſignaculum, ſive *ſignum veri Chriſtiani*; quod fortitudo, Patientia & Conſtantia in adverſis nobis imprimunt: & quò difficiliora, & magis ardua patimur, eò ſpecialior eſt virtus.

§. 8. *Elogium Germanorum ex Tacito, applicatur S. Laurentio.* Tacitus de moribus Germanorum, hoc illis tribuit elogium. Principem ſuum defendere, tueri: ſua quoque fortia facta gloriæ ejus aſſignare, præcipuum Sacramentum, vel, juramentum erat. S. Petrus Dam. l. 6. ep. 9. ait, *Militaris homo, ad regalis gloriæ famam, gaudet ſui laboris transferre victoriam: gaudet ſe laborare, pugnare, etiam vulnerari, & ſanguinem fundere pro duce ſuo, ut hic triumphet*: Miles ſi ducem amat, ſi quærit victoriam, ſi ab excelſis herorum animis degenerare non vult; non laborat, non timet ardua; præ amore ducis, leve ducit, quidquid laboris immineat, & doloris. Talis heros ſub vexillo Crucis, ſub Imperatore Chriſto fuit S. Lauren. tueri ejus honorem, & veram fidem, contra minas tyranni, ſacramentum illi fuit; gaviſus fuit uri, torqueri, aſſari, ad regalis Chriſti gloriæ famam; victoriæ & triumphi loco habuit, mori & ſanguinem pro Chriſto fundere: atrociſſima tormenta fuerunt illi levia, præ amore Chriſti.

§. 9. *Amor, nec tormenta, nec mortē timet. quod pulchre declarat S. Auguſtin* Elegantiſſimè S. Auguſtinus l. 1. de moribus Eccl. Cath. *Cum anima amore divino ſe totam in Deum convertit, mortem non modò contemnet, ſed deſiderabit: ſed reſtat cum dolore magna conflictio*: O Laurenti! quæ tormenta coquit crudelitas Tyranni. quos focos parat? qualem lectulum? fruſtra ego talia timeo. Nihil eſt tam durum atque ferreum, quod amoris divini igne, qui ardet in Laurentii pectore, vinci non poſſit. Quo igne, cùm ſe anima rapit in Deum, ſuper omnem carnificinam libera, pulcertimis volitabit pennis, quibus ad Dei complexum amor caſtus innititur. Niſi forte amatores auri, amatores laudis, amatores fœminarum, Amatoribus ſuis Deus ſinat eſſe fortiores: cum ille non amor, ſed congruentius cupiditas vel libido nominetur. DEUS Opt. M. & Chriſtus Salvator noſter, ſub labore ſanctæ crucis, fortiores longè habent milites, quàm mundus vel caro ſub ſuis vexillis habere poſſint.

Vir fortis, cum S. Laurentio, nullos labores, nulla diſcrimina, nulla adverſa formidat, ſed intrepidus ait cum S. Paulo ad Rom. cap. 8. v. 35 *Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas, &c.* S. Laurentium à caritate Chriſti, quis ſeparabit? an carceres? non! an cataſtæ? non! an ferreæ crates? non. An prunæ? non! an flammæ? non! an mors inter ignes? non. Fortis amator Chriſti Domini fuit S. Laurent. conſtantia ejus vinci non potuit; Fortiſſimi Machabæi auſi fuerunt dicere ad Antiochum, apud S. Greg. Naz. orat. de Mach. *Eleazari diſcipuli ſumus, cujus tu fortitudinem perſpectam & exploratam habes. Pater prior decertavit, decertabūt poſtea filii: Multarum tu quidem rerum terrorem nobis injicere tentas, verùm ad plura & majora parati ſumus. Quid autem nobis vir ſuperbe atque inſolens minis iſtis tuis facies?* §. 10. *Sed ait cū S. Paulo.*

cies: quos cruciatus inferes? nihil his hominibus fortius, qui ad quidvis perferendum forti & alacri ſunt animo. Quid cunctamini carnifices? quid moras nectitis? ubi gladii? ubi vincula? Feſtinationem requiro. Ignis major accendatur: acriores beſtiæ, magiſque æſtuoſæ producantur: exquiſitiora tormenta proferantur, ſint omnia regia, atque magnifica. (Applicentur hæc S. Laurentio)

§. 11. *Tyrannus miratus invictum animum S. Laurentii.* Hanc fortitudinem S. Laurentii cum Româ, univerſa admirata fuit per orbem diſperſa Eccleſia Chriſti, perindeque acſi ipſa victricem coronam accepiſſet, exultavit, imò ipſe Tyrannus admiratus fuit, converſis nimirum in admirationem minis; nam egregiorum hominum virtus, hoſtibus quoque ipſis admirationem excitare ſolet, cùm ſedatâ irâ facinus in ſe ipſo perpenditur.

§. 12. *Auget tormenta.* Iterum tamen tantâ viri conſtantiâ, quaſi contumeliâ ſibi illatâ irritatus, totuſque furiis dæmonum accenſus, & in furorem, rabiemque converſus, ſcorpionibus immaniſſimè Martyrem cædi juſſit, ut hoc tormentorum genere, quam adverſus illum, rabiem conceperat, expleret: Nec ſic tamen exſatiatus; quaſi parum eſſet Martyris corpus Scorpionibus lacerum & cruentatum, ſanguiniſque rivos ex eo undique fluentes cernere, aliud flagellorum genus, nempe virgarum adhiberi imperavit, quo verbera verberibus, & vulnera vulneribus, addita, Laurentii animum & conſtantiam frangerent: Qui tamen quò vehementius cædebatur, eò fortior atque animoſior reddebatur. Itaque tertium flagellorum genus, multo dirius, hoc eſt plumbata proferri mandavit; quibus inſtrumentis, ſauciatum & lacerum Scorpionibus & virgis corpus contunderetur, & ipſa oſſa confringerentur; ſic factum; ut in toto Martyris corpore, nulla pars vulnere, ſanguine & dolore careret: clamante Tyranno; *Sacrifica Diis: ſin minus, nox iſta in tuis expendetur ſuppliciis.*

§. 13. *Iubet imponi craticula.* Cum minis, nec doloribus cederet Laurentius; tandem craticulæ, ferreis vinculis alligatus, & ardentibus carbonibus impoſitus, inter ignes & flammas ait ad tyrannum: *jam video, jam ſentio, quod diu deſideravi; Aſſatum eſt; verſa, manduca;* & clariſſima voce, invictum Spiritum, per manus Angelorum, in cœleſtes manſiones deportandum tradidit. Quis ad tale Spectaculum attonitus non miretur & obſtupeſcat: Alii, cùm vel à ſcintilla uruntur, præ acerbiſſimi doloris magnitudine continere ſe nequeunt, quin clamores in cœlum tollant: at Laurentius! novus vel ferreus planè homo, inter ignes adeo non clamavit, ſed dicteriis & facetiis ludens aſtantem tyrannum irriſit; Miratur antiquitas Mutium Scævolam Romanum, potuiſſe ſubjectæ faci immotum brachium ſuſtinere, miremur nos magis Laurentium, qui toto corpore ignes, igneam craticulam, accenſos carbones, infracto animo Chriſti & divinæ gratiæ confortatus virtute, ſuſtinuit; vicit, & triumphavit: O felicem agonem! felicia certamina! felices

lices ignes! felicia & formoſa vulnera, & verbera, quæ momento temporis exacta, ſempiternam invicto Athletæ gloriam, ſempiternam requiem, & laudem pepererunt: Vellet, ſi poſſet, S. Laurentius, mille iterum craticulis imponi, millies aſſari, pro Chriſto & æternâ gloriâ.

§. 14 *Conglobatio elogiorum S. Laurentii ex SS. Patribus. Daniel 3.* De tribus pueris Hebræis conjectis in accenſam fornacem dixit S. Ambroſ. l. de Iſaac cap. 8. *Meritò in ardenti fornace non ſentiebant ignis incendia, quia caritatis eos flamma refrigerabat*: dicam ego hæc de S. Laurentio; inter ignes amor Jeſu illum refrigeravit. Sedulius exclamavit! *O quàm dulcis eſt dilectio tua Domine! Vincuntur incendia pœna, igne animi!* Sic vicit S. Laurentius! Cum ſanctis fratribus Marco & Marcelliano diceret Tyrannus, *reſpicite miſeri, & vos ab his cruciatibus liberate*, ipſi reſponderunt; *nunquam tam jucundè epulati ſumus; quàm libenter hæc Chriſti cauſâ perferimus; in cujus amore fixi ſumus.* In eodem amore fixus fuit S. Laurentius; aſſari, illi fuit epulari. De S. Petro projiciente ſe in mare, ut citò veniret ad Magiſtrum ſuum quem diligebat, iterum ait S. Ambroſius; *Non videbat, Petrus, ubi pedum veſtigia poneret; videbat autem, ubi figeret veſtigium caritatis; in navi enim poſitus conſiderat Dominum, & amore ejus ductus, deſcendit in mare, non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Chriſtum reſpicit, non reſpicit elementum.* S. Laurentius eundem Chriſtum reſpexit, proinde nec rogos, nec flammas reſpexit. *Nullus labor* (ait Abulenſis) *magnus videtur amanti; ignes non timet, nives ſpernit, gladiis ſe opponit, & omnia pericula ſibi grata reputat.* Ob vehementiam divini amoris etiam S. Laurentius non timuit ignes.

Hom. 11. in Evang. dixit S. Gregorius M. Rectè per Salomonem dicitur; *fortis eſt, ut mors dilectio; nam quem perfectè abſorbuerit, velut inſenſibilem reddit*; & ſubdit de amante S. Agnete. *Erectus ejus in virtutis culmine animus tormenta deſpexit, ante armatos Reges & Præſides invicta ſtetit, feriente robuſtior, judicante ſublimior. Perfecta caritas foras mittit timorem*, 1. Joan. 4. v. 18. Ideo miles, qui Imperatorem diligit, bella pro Imperatore ſuſcepta, non metuit: ſic ſervus amans Dominum, quamvis per dubia & prærupta mittatur, tamen omnia pericula Domini amore contemnit: ſic qui trans mare poſitos filios videre deſiderat, non metuit naufragia; liberorum charitate ingreditur maris fluctus, ſubit incerta navigii, & metum diſcriminis levant deſideria filiorum. Sic ſancti Martyres, perſecutiones, ungulas, gladios, incendia non timuerunt; infeſtis ſe Regibus obtulerunt. Talis miles, talis ſervus, talis nauta, talis Martyr fuit S. Laurentius; (fac pulchram repetitionem dictorum.) Et vos Auditores, eſtisne tales milites, tales ſervi, &c. cum ſimili repetitione, quæ elegantem ſuggeret Epilogum. §. 15. *Profectio.*

CON-

CONCIO LXXX.

FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

Salve Regina, *Mater miſericordiæ*, Ex ſymb. S. Bern.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicat encomium Virginis, quod ſit Mater miſericordiæ; in hoc præcipuè, quòd peccatoribus, ſi convertantur, conciliet iratum Filium ſive ſeverum Judicem.

§. 1. *Maria aſſumpta in cœlos, eſt gloria Jeruſalem, lætitia Iſrael, honorificentia populi: in terris eſt Mater miſericordiæ.*

§. 2. *In hoc præſertim, quod peccatoribus placet iratum Judicem, & debitas pœnas avertat.*

§. 3. *Taurus manſueſcit, ſi alligetur ficui: applicatur hoc Chriſto D. & B. Virgini.*

§. 4. *Sanctiſſima crux poteſt appellari ficus, cui B. Virgo alligat iratum Filium, ne puniat.*

§. 5. *Signum Virginis in Zodiaco facit, ut ſolis influxus dulces reddat fructus: Virgo Maria nobis dulcem reddit Salvatorem.*

§. 6. *Petra, quæ à Moyſe percuſſa, largas dedit aquas, fuit pulcra figura.*

§. 7. *Efficacia lactis Beatæ Virginis.*

§. 8. *Vt mollities lanæ frangit ſonum decidentis pluviæ in vellus: ita clementia Virginis, iram ſui Filii.*

§. 9. *Quare Virgo ab Iſaia vocetur* virga.

§. 10. *Quare* oliva ſpecioſa in campis *ab Eccleſiaſtico.*

§. 11. *Quare* Concha *à S. Joanne Damaſceno.*

§. 1. Maria aſſumpta in cœlos, eſt gloria Jeruſalem, lætitia Iſrael, honorificentia populi. In terris eſt Mater miſericordiæ.

QVanta, quàm ſublimis & excelſa, quàm ſupereminẽs fuerit illa gloria, quâ Virgo Dei Mer, hodiernâ die à Filio ad cœlos è terris, non animâ tantùm, ſed corpore etiam aſſumpta fuit; nulla mortalis lingua, non dicam, exprimere, ſed exponere & enarrare poteſt. Tanta illa fuit, ut omnes cœleſtes Spiritus, ſacro ſtupore pleni, cum magna reverentia quæſiverint Cant. 8. 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens?* ac ſi manifeſtius dicant, quãta eſt hæc? & unde ei aſcendenti, utiq; de deſerto, affluentia tanta deliciarũ?

 nec

nec enim pares inveniuntur deliciæ, vel in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ, voluptatis gloria potamur. S. Thomas de Villa Nova; *Gaudiorum affluentiam, cœlorum cives admirati ſunt in Virgine.* In qua admiratione probabile, quod aſcendenti Virgini accinuerint notiſſimum illum verſum ex cap. 15. v. 10 Judith. *Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri. Gloria Jeruſalem*, id eſt, ajunt Interpretes, ipſius Dei & totius ſacroſanctæ Trinitatis. Deo Patri, noſtro modo diſcurrendi, quaſi nova acceſſit gloria, & novum gaudium, dum Filiam ſuam dilectiſſimam coronavit Reginam, coronâ dominii ſuper cœlum & terram; Filio, dum Matrem coronavit coronâ aureâ miſericordiæ, & miſerationum erga ſuos, quos ipſe ſuo ſanguine redemit: Spiritui Sancto nova acceſſit gloria, dum ſponſæ ſuæ ſertum impoſuit de Libano, ſive coronam immenſæ gloriæ. Lætitia quoque Iſrael fuit glorioſiſſima Virgo, Iſraël, id eſt omnium cœleſtium Spirituum, choros duxerunt Angeli, celebrarunt Archangeli, Virtutes glorificarunt, Principatus exultarunt, Poteſtates collætatæ ſunt, gaviſæ ſunt Dominationes, Throni diem feſtum egerunt, laudarunt Cherubim, gloriam ejus prædicaverunt Seraphim. Neque glorioſa Virgo lætitia ſolùm Angelorum fuit, ſed *Honorificentia populi*, ſive omnium Sanctorum. Non eſt cur cœlo invideamus illa gaudia, quorum nos ſperamus aliquando fore participes. Gaudent Cœlites in gloria de tanta ac tali Regina; gaudeamus nos in hac lachrymarum valle, eandem, licet exaltata ſit ad dexteram Filii, nobis tamen eſſe Matrem miſericordiæ; quo dulciſſimo titulo mellifluus Sanctus Bernardus illam compellavit in ſuaviſſimo ſuo hymno, *Salve Regina Mater miſericordiæ, &c.* Encomium hoc latiſſimam complectitur materiam: hoc afflictiſſimo tempore, quo iratus Deus flagello peſtis nos caſtigat, oſtendet hoc præſens Concio, Mariam in hoc præſertim eſſe Matrem miſericordiæ, quod iram juſti Judicis, punire volentis, placet, & fulminantem ejus dexteram contineat. Dicite, antequam incipiam, tenerrimo cordis affectu, *Salve Regina.*

§. 2. *In hoc præcipuè, quod peccatoribus placet iratum Iudicem, & debitas pœnas avertat.*

Glorioſa Virgo Maria, ob varias cauſas vocatur *Mater miſericordiæ*; ex multis illa mihi hodie placet, quod peccatoribus, ſi pœniteant, iratum Filium reconciliet, & meritas ab illis pœnas clementer avertat. Non putemus, ſemel tantum contigiſſe, quod triplici telo iratus Deus mundum voluerit exſcindere, prout ſanctiſſimis duobus viris Dominico & Franciſco in viſione monſtratum fuit; frequenter, graviſſima & enormia mortalium ſcelera talia fulmina merentur. Sed neque ſemel tantùm Maria Mater miſericordiæ, illa à nobis avertit: quoties Filius punire vult, illa ſe murum interponit: quoties ad Deum per pœnitentiam convertimur, illa nobis viam aperit, & aditum parat ad Thronum miſericordiæ;

cordiæ; ut pulcrè innuit S. Bernardus: *Dulcis Dominus! Dulcis Domina! quia ille Dominus meus, miſericordia mea! ſed hæc Domina mea, miſericordiæ porta eſt*: quaſi diceret: Quod Dominus tantæ Majeſtatis, tantæ potentiæ, tam juſtus & rectus Dominus, præſertim irritatus ſceleribus mortalium, nihilominus dulcis & miſericors Dominus, etiam peccatoribus; quod Judex ille juſtiſſimus vindicem manum cohibeat, hoc efficit, hoc agit, hoc impetrat Maria, Mater miſericordiæ. Scit dulciſſima Virgo modum, quo Filium placet.

§. 3. *Taurus manſueſcit ſi alligetur ficui. Applicatur hoc Chriſto D. & B. Virg.*

Truculenta beſtia eſt taurus ſylveſter, maximè dum furit: facillimè tamen domatur, ſi alligari poſſit ficui: alligatus ad hanc arborem manſueſcit inſtar Agni: dulcedo hujus arboris frangit beſtiæ ferociam. Cùm Moyſes Deuteron. 33. c. v. 17. vidit Deum iratum, & paratum ad ſumendam vindictam de ingrato populo, dixit: *Quaſi primogeniti tauri pulcritudo ejus, cornua Rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit gentes uſque ad terminos terræ*: id eſt puniet, vaſtabit, delebit, exterminabit impios de facie terræ. Fecit hoc, cùm Gen. 7. mundum delevit diluvio; fecit hoc, cùm Gen. 19. Sodomam & Gomorrham devaſtavit ignibus de cœlo; fecit hoc, cùm frequenter, unâ horâ, multa millia hominum de populo, hoſtili gladio, vel fame & peſte fuerunt occiſa. Sed advertite, hæc contigiſſe, antequam Filius Dei factus fuit homo in terris: poſtquam Verbum Caro factum eſt ex Virgine. S. Joannes Baptiſta non ait cum Moyſe, *Quaſi primogeniti tauri pulcritudo ejus, &c. Sed ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: quo poſito eleganter dixit S. Antonius p. 3. tit. 31. cap. 2. *Sicut taurus quantumcunque ferox, ſi alligetur ficui, manſueſcit; ita Dei Filius alligatus Virgini, dulciſſima vinculo caritatis, ex qua incarnatus eſt, effectus eſt manſuetus.* S. Bonaventura in ſpec. cap. 13. *Chriſtus per manſuetiſſimã Mariam manſueſcit & placatur, ne ſe de peccatore per mortem æternam ulciſcatur.* S. Vincentius Ferr. ſer. 1. Dom. Epiph. *Ipſa*, ſcilicet Maria, Mater dulciſſima, *habuit corpum & dulce.* Et proinde tale cor quoque dedit Filio. Gaudeo, glorioſam Virginem hodiernâ die in cœlis fuiſſe exaltatam, veluti cedrum in monte Libani: lætantur propterea Angeli, exultant Archangeli: gaudeamus nos, lætemur & exultemus, eandem in terris nobis eſſe dulciſſimam Ficum, cui alligatus iratus noſter Judex, ſtatim manſueſcit: gaudeamus eſſe Laurum, ſub cujus umbra tuti ſumus contra fulgura & fulmina Divinæ Juſtitiæ. Cantent cœlites, *Salve Regina*: exultemus nos & dicamus, *Salve Mater miſericordia.*

§. 4. *SS. Crux poteſt appellari ficus, cui B. V. alligat iratum Filium, ne puniat.*

Si per ficum intelligere velimus SS. crucem, ob ſuaviſſimos hujus arboris fructus; piiſſima mihi occurrit cogitatio ex Paſſione Salvatoris, quod nimirum ſemel tantùm trabalibus clavis ad hoc lignum alligatus ſive affixus fuerit, tum cum pependit in ſanctiſſima cruce! O dulciſſimam ficum, ob ſuaviſſimum fructum bene-

benedicti ventris Mariæ; tum tempus erat, ut accederet peccatores, ut liberè peterent veniam & clementiam: affixa cruci dextera nullum fulmen torquere potuit. Sed quod ſemel fecerunt clavi, fecit & facit millies benigniſſima Mater miſericordiæ; cùm iratus Judex vult punire: habet illa vincula caritatis, quibus illum alligat ad ficum crucis, & manſueſcit; iratus Deus ex tauro, ex leone fit Agnus: dicamus millies, dulcis Dominus! dulcis Domina! Jeſus meus, miſericordia mea! Maria! miſericordiæ porta.

§. 5. *Signum Virginis facit ut ſolis influxus dulces reddat fructus. Virgo Maria nobis dulcem reddit Salvatorem.*

Vocula *Leo*, quâ paulò ante uſus fui, alium in materia hac mihi ſuggerit conceptum. Cogitaviſtine ſubinde, quænam ſit cauſa, quod menſe Julio & initio Auguſti pauci dulces fructus matureſcant, v. g. uvæ, poma, pyra; ſtatim verò poſt medium menſis Auguſti incipiant dulceſcere. Aſtrologia ait, adſcribendum id Soli, qui priori tempore in Zodiaco percurrit ſignum leonis; ex quo poſt medium Auguſti ingreditur domum Virginis, unde diverſitas ſaporis in fructibus oritur. Leo eſt ſignum calidum, ferox, in quo proinde influxus Solis fructus exacerbat: Virginis ſignum eſt benignum, ſuave, dulce, quod ſuaviter in ejuſmodi fructus influens, illos reddit maturos & dulces. Applicationem hujus diſcurſus ad materiam hujus concionis debeo S. Antonio p. 4. tit. 15. cap. 21. ubi ait: *Sol materialis per mundum diſcurrens, ex ſigno leonis, quando eſt perfectiſſimus calor ejus ſuper terram, intrat in ſignum Virginis; ad innuendum, quod Sol Juſtitia Chriſtus, Deus noſter, tempore veteris Teſtamenti, quando Deus ut leo rugiens, erat Deus ultionum, puniens terribiliter peccata; ex ferventiſſimo amoris calore intrans in uterum Virginis; totus factus eſt benignus, ſuavis & humanus: unde & fructus tunc matureſcunt, & dulces fiunt.* Fructus acerbi Divinæ Juſtitiæ ſunt fel draconum, venenum aſpidum, pix, ignis & ſulphur, in calice iræ ejus, quando punit impios. Verùm cùm benigniſſimus Salvator noſter hoc permittit, eſt Sol in Leone, eſt Deus ultionum, eſt juſtus & iratus Judex. Quamdiu hic Sol eſt in ſigno Virginis, quâdiu Mater miſericordiæ pro nobis intercedit, quamdiu illa ejus dexteræ inciit vincula amoris, totus eſt ſuavis, totus dulcis: Dulcis Dominus! Dulcis Domina! Jeſus noſter miſericordia noſtra! Maria, porta illius miſericordiæ.

§. 6. *Petra, quæ percuſſa à Moyſe dedit aquas, fuit pulcra figura*

Iram Numinis & irati Judicis, licet dura ſit inſtar ſilicis & petræ; tamen dulciſſima Virgo, aquâ & lacte ſuæ clementiæ poteſt illam emollire. Figuram invenio Exod. 17. v. 16. In deſerto Horeb Moyſes duram petram percuſſit virgâ ſuâ, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ. Semper hactenus putavi vel imaginatus mihi fui, ſaxum illud fuiſſe ingentis magnitudinis; verum Haymo in cap. 9. ep. 1. ad Cor. refert ex Rabinis, fuiſſe tantum ſilicem, tantæ parvitatis, ut Maria ſoror Moyſis illum deinde tulerit ex collo ſuo in pectore veluti gemmam, quæ in deſerto, quoties neceſſe fuit, copioſas ſuppeditavit aquas.

Non

Digitized by Google

Non diſputo, an hoc forte ſit figmētum Rabinorum; certum eſt S. paulum dixiſſe, 1. Cor. 10. v. 4. *Petra autem erat Chriſtus.* Duriſſima petra, ſilex plenus ignibus. Sic eſt, ſi illum aſpiciamus ut Deum, ut Judicem, ut Deum ultionum, qualis fuit in V. Teſtamento. Poſtquam Maria hanc petram tulit de collo ſuo; poſtquam virgineo lacte lactatus fuit, poſtquā inter ubera illius commoratus fuit, poſtquam ſponſa illi dedit oſculum oris; emollita eſt petra, aperta clavis & lancea, non evomuit ultrices flammas, ſed ſanguineos rivos cum fonte miſerationum & gratiarum. Dulcis eſt Dominus Salvator noſter, quia parvulus pependit à ſuaviſſimo collo Matris miſericordiæ.

§ 7. *Efficacia lactis B. Virginis.*

Non ſine cauſa feci mentionem Virginei lactis. S. Chryſoſtomus apud Metaphraſten refert, aliquot guttis lactis, quod loco ſanguinis, vel cum ſanguine fluxit ex collo decollati S. Pauli Apoſtoli, aſperſam fuiſſe veſtem barbari lictoris, qui illum obtruncavit; ſed momento feroces illius & ſociorum animi fuerunt immutati, facti ſunt toti mites, & ſubito Chriſtiani. Non dubito, quin iratus Judex contra impios frequenter ſtringat enſem ſui furoris: quis impediet, ne feriat? quis iram ejus componet? lacte Matris miſericordiæ opus eſt; curramus ad Virginem, dicamus, *monſtra te eſſe Matrem*: quamprimum lactea Filio monſtrabit ubera; dicere poterimus, dulcis Dominus! dulcis Domina! Verè Jeſus noſter miſericordia noſtra! porta eſt Maria; hoc puto voluiſſe innuere S. Bernardum, ſer. ad B. V. dum ait: *Nemo Domina, tam idoneus eſt, ut gladio Domini, manum pro nobis objiciat, ut tu Dei amantiſſima.* Addo ego, ut tu! clemens, pia, dulcis Mater miſericordiæ.

§. 8. *Vt molliti es lana frangit ſonum decidētis pluvia in vellus: ita clementia Virginis, iram ſui Filii.*

Verſus 6. Pſal. 71. quod aſſero, pulcrè explicat. Deſcribit ibi regius Pſaltes myſterium Incarnationis Filii Dei, in utero Virginis ſub ſymbolo deciduæ pluviæ ſuper lanam. *Deſcendit ſicut pluvia in vellus.* Sicut enim pluvia tanto cum ſilentio, & tam molliter decidit ſuper vellus, ut vix audiatur: ita Verbum Patris venit in hunc mundum, cum medium ſilentium tenerent omnia. Inſtar pluviæ vel roris Filius Dei de cœlis decidit in uterum Virginis. Verùm ſi Deus ille eſt, ubi eſt pluvia ignea, ubi fulgura & tonitrua montis Sinai? ubi illi oculi, quibus cum reſpicit terram (pſ. 103.) facit illam tremere; ubi illæ manus, quibuscum tangit montes, fumigant? His quæſtionibus eleganter & ſubtiliter reſpondit S. Chryſoſt. in Pſalm. 50. *Mollities lanæ ſolvit ſonum pluviæ deſcendentis.* Sic eſt: merentur ſæpe mortalium ſcelera novum diluvium, nova Sodomæ incendia, fulgura, fulmina,: mererentur fumos peſtilentiæ, terræ motus, bella, ſeditiones, regnorum interitus, &c. Sed loco talium aquarum, decidunt rivuli miſerationum, fontes gratiarum: ex fontibus Salvatoris, ex vulneribus Salvatoris, non ultrices & vindices erumpunt flammæ, ſed roſeus ſanguis, clamans Miſericordiam! Unde hoc? O peccatores totū debemus lanæ, debemus Virgineo velleri, ſive Virgini Matri miſericordiarum, in cujus utero pluvia ignea mutata eſt in

Digitized by Google

in lacteam: taurus & leo in Agnum: Dominus rectus & juſtus, in dulcem. Dulcis eſt Jeſus noſter: debemus dulciſſimæ illius Matri! Jeſus noſter! O quàm ſuaves habet ille oculos, quibus reſpicit reſipiſcentes peccatores! Maria dulcis Mater illi dedit. O quàm benigna habet brachia, quibus, inſtar Patris, prodigos recipit filios. Maria, Mater miſericordiæ illi dedit. Quam ſuavem linguam, quâ omnes compellat: Venite ad me omnes: verè mel & favus ſub lingua ejus. Dulcis Mater, tam dulcem dedit illi linguam. Denique dulcis Jeſus, quàm pium & amabile habet cor! non ab alia, quàm à pia & dulci Matre! Ita! ita! Seraphini, canite in gloria, Salve Regina! dicite Throni, Salve Domina glorioſa! exultate dicentes, omnes Angeli, omnes Sanctorum chori, Salve Imperatrix: nos in hac lacrymarum valle, canemus, dicemus, exultabimus dicentes, *Salve Mater miſericordia.*

§. 9. *Quare B. Virgo ab Iſaia vocetur Virga.*

Dulciſſimum hunc titulum Matris Miſericordiæ, in hoc præſertim, quod flexat & mitiget iram Judicis, methaphoricâ ſed myſterioſa phraſi expreſſit Spiritus ſanctus per Iſaiam: ſic illa habet: Iſaiæ 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Quivis hic facile cogitare poteſt, quomodo illa Virgo, illa Mater quæ ab Eccleſiaſtico cap. 24. vocatur *Cedrus exaltata in Libano, Cupreſſus ſublimis in monte Sionis, Palma dilatata in Cades, Oliva ſpecioſa in campis, Platanus & terebynthus in ſylvis, Malus in hortis,* quomodo arbores tam ſublimes & fortes dici poſſunt *virga? egredietur virga?* ex inſtinctu Spiritus S. ſic locutus fuit Iſaias, in monte Sion, in cœleſti Jeruſalem, in Paradiſo voluptatis, Cedrus eſt, palma eſt, Oliva eſt; arbor eſt omnibus ſpecioſior, & ſublimior: Nobis in hoc exilio, virgula eſt, quam facillimè flectere, torquere & inclinare poſſumus ad pietatem & miſericordiam: eſt Mater miſerationum, quæ ad ſe clamantes non rejicit: Dicet fortaſſis non nemo; ſed ferrea virga eſt Filius ejus, in qua regit peccatores. Placet mihi objectio; cui antequam reſpondeam, moneo, Mariam non dici quamvis virgam, ſed floridam; flos de radice ejus aſcendet; flos hic fuit benedictus fructus virginei ventris JESUS; Jam excipite verba Sancti Bonavent. in ſpec. virg. ſuper *Dominus tecum. Si hunc florem habere deſideras, virgam floris precibus flectas: ſi flos eſt nimis altus divinitate, virga tamen flexibilis eſt, pietate.* Itaque ſi Chriſtum Salvatorem noſtrum conſideremus ut Deum, ut judicem; ferrea virga dici poteſt, quæ infallibiliter tanget impios, niſi à Maria flectatur ad miſericordiam: Quatenus verò idem Chriſtus, eſt filius Mariæ, flos eſt: unde ait ſponſæ Cant. 2. v. 1. *Ego flos campi,* alia lectio ſic habet, *Ego viola campi*: quæ, teſte Hugone de S. Victore Ser. 46. *naturaliter caput inclinat, i. e. floſculum ſuũ.* Hæc eſt pietas Matris miſericordiæ, ut ſuum floſculum, ſuum Jeſulum inclinet ad miſericordiam.

Et

§. 10. *Quarto Oliva in campis ab Eccl. ſia. ſtico*

Et pro omnibus, etiam graviſſimis peccatoribus, ſi convertantur ad Dominum, nemine excepto; ob quã cauſam S. Anton. part. 3. t. 31. cap. 4. §. 3. putat dici Olivam; *nam ad Olivam in campis, omnes poſſunt accedere, & accipere fructum ejus: ſic ad Mariam, & juſti, & peccatores poſſunt accedere, ut inde miſericordiã accipiant, & benedictum fructum ventris ejus Jeſum*: Gaudeo millies, gratulor Glorioſæ Virgini ex intimis præcordiis, quod in cœlis ſit celſiſſima Cedrus, exaltata palma; gaudeo eſſe Reginam cœli & terræ, elevatam ſupra omnes choros Angelorum, & hæc ſpes repoſita eſt in ſinu meo, ut aliquando talem illam videam in gloriâ: interim in terris contentus ſum, & gaudeo, eandem Glorioſiſſimam Virginem eſſe in terris, Olivam Specioſam, ſive Matrem miſericordiæ, ad quam, etiam peccatores, dum timent fulmen irati Judicis, tutò confugere poſſunt.

§. 11. *Quare concha à S. Ioanne Damaſceno.*

S. Joan. Damaſcenus or. 1. in Nat. B. V. dixit: *Hodie concha gignitur, quæ à cœlitus ex Divinitatis fulgetro in Utero concipiet, & Chriſtum ingentis pretii unionem paret*: Non inhærebo modò in hoc, B. V. in Incarnatione præſertim fuiſſe cœleſtem concham, quæ obumbrante ſpiritu Divinum rorem de cœlis excepit, neque in hoc Filium Dei conferri poſſe cum unione, ſive pretioſiſſima gemma: hoc tantum moneo, unionem, diverſam habere conditionem, dum eſt extra mare, & extra concham, ab eâ, quam habet cùm in mari conchæ incluſus eſt: nam teſte Plinio, *In aquis mollis unio, exemptus protinus dureſcit.* Extra concham lapis eſt duriſſimus, in conchâ molliſſimus. Quid pulcrius dici poteſt, ut oſtendam, Mariam in hoc eſſe Matrem miſericordiæ, quod emolliat duritiem irati Judicis. Omnino; ſi hunc conſideremus ſecundum rigorem Juſtitiæ, durus eſt, rectus, juſtus eſt Dominus; Sceptrum ejus eſt Virga ferrea: ſed in conchâ, in utero & gremio Virginis, inter brachia Matris dulcis & ſuavis eſt Dominus. floſculus eſt, ad nos inclinans caput, virga florida eſt de radice Jeſſe, quæ ab eadem ad miſericordiam facillimè inclinari poteſt. Iterum gaudeo Mariam in cœlis ſtare ad dexteram Regis, veluti Reginam in veſtitu deaurato; gaudeo eſſe coronatam ſole; gaudeo lunam jacere ſub pedibus ejus. Audio cum jubilo cantantes Cœlites, cum cymbalis & tympanis, *Salve Regina*! noſtris cordibus in terris dulcis reſonet Echo, *Salve Mater miſericordiæ.*

CONCIO LXXXI.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOST.

Exiit JESUS in montem orare, Lucæ 6. v 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVatuor fontes, gaudii & Solatii in tribulationibus: 1. *Gratia Divina.* 2. *Recogitatio Cœleſtis gloria.* 3. *Memoria Inferni;* 4. *Oratio.*

§. 1. *Pati pro Chriſto, eſt quoddam genus proſperitatis.*
§. 2. *Propoſitio.*
§. 3. *Media, vel modos obtinendi hanc gratiam, ſive, latam Patientiam, docuit Chriſtus D. ſuos Apoſtolos.*
§. 4. *Gratia Dn. mira operatur in Sanctis.*
§. 5. *Et operata fuit in S. Bartholomæo.*
§. 6. *Crux Chriſtianorum, eſt inuncta oleo.*
§. 7. *Varia antitheſes ex Apponio.*
§. 8. *Heroica dicta SS. Martyrum.*
§. 9. *Vir juſtus, in tribulatione patiens, & memor cœli, confertur cum Palma.*
§. 10. *Recordatio gloria, animos addidit Sanctis Martyribus.*
§. 11. *Auget Patientiam Chriſtianam, Memoria Inferni.*
§. 12. *Robur & ſolatium ingens, i tribulatione provenit ab Oratione.*
§. 13. *Deus per tribulationes nos compellit ad Orationem.*
§. 14. *Qualis eſſe debeat illa Oratio.*

§. 1. Pati pro Chriſto, eſt quoddam genus proſperitatis.

ATrox & crudele fuit tormentum, quo S. Barthol. Apoſtolus vitam ſuā finiit: Si quis cogitet, ſe videre quomodo tres, vel plures lictores virum S. veſtibus omnibus exuerint, quanta vi extenderint in equuleo, quam duris alligarint vinculis & catenis, quomodo acutiſſimis cultris, & lente, pellem de toto corpore detraxerint; ſi quis inquam ob oculos ſibi ponat Bartholomæum vivum excoriatum; ille ſine dubio cum tenera compaſſione exclamabit, O quantum paſſus eſt vir Sanctus! *Sed fili mi,* (ſunt fere verba S. Wenceslai

Regis

Regis Bohemiæ, quibus captivus in carcere detentus, ſe ipſum fuit conſolatus.) *pone lacrymis & compaſſioni modum*; *& ſi ſapis, agnoſce genus proſperitatis. Tot inter ærumnas*, in tanto tormento, S. Bartholomæus, *nulla vexatur calamitate*; *imò geſtientis animi effertur voluptate.* Etenim, qui Deo cor ſacravit, quod Sanctus Bartholomæus fecit, poteſt in captivitate compedibus detineri, poteſt excoriari, ſed non deturbari de culmine felicitatis. Pati pro Chriſto, eſt excellentiſſimum quoddam genus proſperitatis.

§. 2. *Propoſitio.* Sed qua ratione, quibus mediis vir Sanctus, tam atroces dolores, cum invictâ patientiâ potuit tolerare? vel, prout Sanctus Joannes Chryſoſtomus de alio Martyre quærit; *Quomodo ſubſtitit? quomodo duravit?* & reſpondet; *Non aliunde, quam ex ſupernâ gratiâ, cui omnia ſunt poſſibilia*: hac præveniente, comitante, & adjuvante, ſancti Martyres *verſati ſunt* in carceribus, in equuleis, inter cultros, inter lapides, inter prunas, *ſicut nos in hortis & lucis.* Idem mihi certum eſt de Sancto Bartholomæo: cultri & inſtrumenta, quibus excoriatus fuit, fuerunt illi roſæ & flores, de cœleſti Paradiſo. Videamus hac Concione media, quibus Sanctus Apoſtolus, hanc gratiam, & tam excelſum generoſumque animum obtinuerit, ut cum gaudio tanta tormenta ſuſtinuerit, vitamque, & ſanguinem pro Chriſto lætus dederit.

§. 3. *Media, vel modos obtinendi hanc gratiam, ſive lætam patientiam Apoſtolos docuit Chriſtus Dominus.* Cùm Chriſtus D. Apoſtolos ſuos monuiſſet, quot adverſitates & tribulationes eſſent perpeſſuri, ad confirmandos illorum animos, addendumque robur, & virtutem de alto, ait 1. Nolite timere mei Apoſtoli; nam, *Ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi*: quibus verbis Apoſtolis promiſit aſſiſtentiam divinæ gratiæ, & quandā certitudinem auxilii cœleſtis; quo adjuti, atrociſſima tormenta non timuerunt; imo cum gaudio ſuſtinuerunt, læti, quod digni habiti eſſent pro nomine Jeſu contumeliam pati. 2. ait Salvator noſter Joannis 14. cap. v. 27. *Non turbetur cor veſtrum: in domo Patris mei, manſiones multæ ſunt*; quaſi diceret, v. g. ad Sanctum Bartholomæū: Bartholomæe, ſi contingat te pro nomine meo, vivum excoriari, non propterea turberis, in altū eleva oculos, & reſpice præparatum tibi præmium: quod quia fecit, ſuſtinuit, & duravit! 3. addit Chriſtus D. Math. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Ex quibus verbis Interpretes colligunt, conſiderationem pœnarum quibus damnati torquentur in inferno, efficere, ut in hac vita, parva & modica, libenter toleremus pro Chriſto. 4. denique Cœleſtis Magiſter ſuis diſcipulis ſuaſit orationem; *Petite, & accipietis*; *ſic orabitis, Pater noſter, &c.* inſinuans, orationem eſſe efficaciſſimum remedium ad obtinendas vires, ut gravia libenter & cum gaudio pro Chriſto, & cœleſti gloria toleremus. Si & nos, in quacunque tribulatione, ſuſtinere, & durare velimus, labore-

 mus,

mus, 1. ut vivamus & Deo ſerviamus, in ſtatu gratiæ. 2. ſimus memores cœli, 3. pœnarum inferni. 4 ſtudeamus Orationi. His mediis, gravia nobis erunt levia: amara, dulcia: Spinæ vertentur in roſas.

§. 4. *Gratia Divina mira operatur in Sanctis.*

Inprimis Gratia Dei eſt, quæ Martyribus & viris ſanctis, in tribulationibus, vitæque aſperitate tantum præſtitit robur. De S. Joanne Baptiſta parvulo dicitur à S. Luca c. 1. v. 80. ***Puer autem creſcebat, & confortabatur Spiritu, & erat in deſertis, uſque ad diem oſtenſionis ſuæ, ad Iſrael.*** Si mihi hodie talis infans obviaret in ſylva, illius intentionis & mentis; habitare in deſerto, haud dubie illi dicerem: care Puer, quid hic agis? quò vadis? in hac horrida ſylva? Mi infantule, leones, urſi, ſerpentes ſunt in hoc deſerto; feræ aliæ crudeliſſimæ: lupi, tigrides, dracones! & non times? Si hæ tibi parcant beſtiæ, quid comedes? quid bibes? quis te veſtiet? ubi cubabis? quid ages, ſi cœlum pluat, tonet, fulminet? Pro Puero reſpondet Sanctus Lucas, & ait, ***Confortabatur Spiritu***: gratia Dei erat cum illo; conſolationes Spiritus Sancti, ſupernaturales & cœleſtes vires diliciæ contemplationis & orationis, amor Dei, Sancto Puero, eremum converterunt in Paradiſum; Gratia mutavit fel, in mel: locuſtas, lactucas, radices ſylveſtres, in ſuaviſſimum cibum; aquam in nectar: S. Hieron. hom. 10. in Math. ***Eremum ita habitavit Ioannes, ut cœlum.*** Origenes. ***Joannes confortatus fuit à Spiritu fortitudinis, roboratus à Spiritu Sancto ut nihil timuerit***: cum gaudio vixit in deſerto: & ibi, aër illi fuit purior, cœlum apertius, Deus familiarior; cum Angelis fuit illius converſatio.

§. 5. *Sicut & in S. Barthol.*

Similia hodie debemus cogitare, dum conſideramus martyrium S. Bartholomæi. Excoriantur tibiæ & pedes! cum immani dolore! tripudiat tamen vir Sanctus: non miror: confortatus fuit à Gratia Dei, & Spiritu Sancto: Excoriantur manus & brachia! excoriantur dorſum & pectus: de tota facie detrahitur pellis: ex omnibus membris defluunt rivi Sanguinis! non queritur, non gemit, non plorat: cantat, jubilat, laudat Dominum; erat quippe in illo Spiritus fortitudinis: ***Viri enim Sancti***, ait Rabanus, ***ſublevante Spiritu, rapiuntur ad ſumma***; quod etiam S. Barthelomæo contigit, corpore jacuit in equuleo, mente & cogitationibus fuit converſatus cum Angelis in cœlis.

§. 6. *Crux Chriſtianorum, eſt inuncta oleo.*

De quacunque tribulatione, ſub nomine Crucis dixit S. Bernard. *Verè crux noſtra inuncta eſt, & per gratiam Spiritus adjuvantis, ſuavis & delectabilis eſt Pœnitentia noſtra; & ut ita dicam, amaritudo noſtra dulciſſima.* lib. 3. Confeſſ. cap. 3. ait S. Auguſt. *Cælibatus Ambroſii laborioſus, mihi videbatur, quid autem ille ſpei gereret: quidve ſolaminis in adverſis, quod erat in corde ejus, quàm ſapida gaudia perciperet, nec conjicere noveram, nec expertus eram*: cum peculiari ſolatio hiſce diebus incidi in hæc verba, cum conſiderarem martyrium S. Bartholomæi, cùm intuerer Sanguine purpuratam pellem, horribile mihi viſum

ſum

ſum fuit, hominem vivum excoriari, illi tamen volupe, quia in corde ipſius fuit Gratia Dei, aſtitit illi Angelus Dei confortans illum. Si eadem gratia nobiſcum ſit, quamcunque adverſitatem & tribulationem pro Chriſto, fortiter tolerabimus.

§. 7. *Variæ Antitheſes ex Apponio.*

Elegans eſt diſcurſus Apponii de SS. Martyribus, lib. 3. in Cant. Cataſtæ & diverſarum pœnarum tormenta, impiis & ſtultis, ignominioſa & deteſtabilia videntur: Martyribus autem deliciarum gaudia, & molles lectuli deputantur. Ubi pro Chriſto, arrident incendia! ubi amphiteatra convertuntur in Paradiſum: craticulæ & ſartagines, in molliſſimas plumas: flammarum globi & ardentes prunæ, in amœniſſimos flores: liquefactum plumbum, in balſamorum unguenta: flagellorum, virgarumque aculei, in roſas: ipſa quoque mors pro Chriſto ſuſcepta, omni gaudio & voluptati, omni riſui & jucunditati, & diverſo pretioſiſſimo lapidi, pretioſior anteponitur.

§. 8. *Heroica dicta SS. Martyrũ.*

Ideo S. Laurentius Tyranno dicere auſus fuit: *Diſce miſer quod carbones tui, refrigerium mihi præſtant.* S. Aquilina Virgo: *Nolo ut me miſericordia proſequaris, peto, ut ferocem te oſtendas, & ſævitiam in me maximam expromas; quo cognoſcas, vires noſtras, Sanguine Chriſti* (& gratiâ divinâ) *roboratas, nullis ſuppliciis frangi poſſe.* S. Quintinus: *Patior hæc pro nomine Domini mei JESU Chriſti, ideoque conſolationem divinam, & auxilium de cœlis percipio.* Similia miracula Divina Gratia operata eſt in S. Bartholomæo.

§. 9. *Vir juſtus in tribulatione, patiens, & memor cœli, confertur cum Palma.*

Inſinuavi paulò ante alterum ſolatium SS. Martyrum in graviſſimis tormentis, & aliorum Sanctorum, in quacunque tribulatione: ſive, alteram cauſam; invictæ fortitudinis: nimirum, Memoriam gaudiorum cœleſtium, ad quæ nos ducit ſemita SS. Crucis: de qua pulcrè Venerabilis Beda ſuper verba illa Cant. 7. v. 7. *ſtatura tua aſſimilata eſt Palmæ:* ait: *Sponſa aſſimilatur palmæ, quia hæc arbor in inferioribus aſpera videtur: in ſummo autem pulchritudinem, & fructus ſuavitatem oſtendit: proinde merito huic quoque arbori, ſtatura Eccleſiæ, ſive Animæ cujusque fidelis aſſimilatur, quæ pro ſponſo in terris patitur.* Nam aſpera eſt palma juxta terram, quia perſecutionem patiuntur, propter juſtitiam Electi: Pulcra quoque eſt Palma, & dulcis in ſummo: quia gaudent in preſſuris, & exultant; ſcientes, quoniam merces eorum erit copioſa in cœlis. O felicem S. Bartholomeũ! O glorioſum Apoſt. O invictum Athletam! talis enim fuit Palma: aſpera in tormentis; dum cultris ſcinditur, ſecatur, excoriatur: in ſummo, pulcra & ſuavis Palma: S. Bartholomæus in corde ſuperabundans gaudio: in animo ejus viva, florida, amœna fuit ſpes copioſæ mercedis in cœlo. *Fremente Tyranno* (ſic de alio Martyre locutus fuit S. Aug.) *& minante perſecutionibus, crebeſcentibus undiq; inſultationibus hominum, atque terroribus; ille contemnens præſentia, reſpexit in futura, attendit ad dexteram: ubi futurus erat, ibi ſe eſſe meditabatur: illuc attendit, & ideo omnia tulit in patientia.* Cum

Digitized by Google

§. 10. *Recordatio gloriæ animos addit Sãctis Martyribus.*

Cum S.Th. Doct. Angelicus multis conſideraſſet, & deprædicaſſet invictam patientiam S.Pauli, fortemq; animum inter tot labores & adverſitates, (ponamus nos nobis hodiernâ die ob oculos martyrium S. Bartholomæi) dixit: *hujus patientiæ cauſa fuit, recogitatio præmii, quæ eſt efficaciſſima. Nihil ſunt tribulationes, quas hic patimur, ſi reſpiciatur ad gloriam, quam ex eis percipimus.* Confirmat id Sanctus Petrus Damianus ſer. 41. de Sancto Barth. *Quidquid intolerabile puſillanimitas aſſerit; hoc leve ac facile oſtendit ſpes remunerationis.* De Sancta Dorothea dixit Surius: *Contemſit illa dolores omnes*: conjecta fuit in vincula; contempſit! torta fuit! contempſit! minatus fuit tyrannus, rotas, focos, ſcorpiones; contempſit heroina! *recordatione futuræ gloriæ.* Vidit ex vulneribus delicati corporis defluere ſanguinem, fudit libentiſſimè, ſciens, omnes cruoris guttas commutandas in pretioſos carbunculos, in cœleſti gloriâ. Menodora, Metrodora, Nitrodora tres ſorores, inclytæ Virgines & Martyres Judici dixerunt. *Porrò præſens corporis afflictio, brevi admodum tempore deſinitur; & certas æternaſque gloriæ coronas nobis conciliat: Nullum ornamentum, nulla monilia, vel gemmæ, ita noſtra exornabunt corpora, ut tuæ plagæ, tua flagella, quæ propter Chriſtum ſentimus.* Notiſſima, ſed aurea ſunt verba Matris ad filium Symphorianum: 2 Mac.7. v. 8. *Nate, Nate! memento Dei vivi, concipe fili, concipe animi conſtantiam: Surſum fili, erecto corde, aſpice illum, qui regnat in cœlis.* Non dubito ego Tutelarem Angelum in tormentis aſtitiſſe S. Barthol. taliaq; dixiſſe: O glorioſe Apoſtole, mentem oculoſq; ad cœlum erige, ubi Chriſtus Rex gloriæ te expectat, cui ſi compatiaris, cum eodẽ conregnabis. Idem agite Auditores: cultri, qui vos excorient non deſunt, cultri ſunt malevolæ linguæ; cultri ſunt morbi; cultri ſunt quæcunque tribulationes: concipite conſtantiã! durate; urit febris? cœlum reſpicite. Pungit calculus? cœlum reſpicite, &c. gravia erunt levia: amara dulcia: ſpinæ roſæ.

§. 11. *Auget patientiam Chriſtianam memoria inferni.*

Magnæ quoq; conſolationis cauſa eſt, ſi in tribulatione conſtituti, conſideremus, quàm modica ſint, quæ hic patimur, ſi illa conferamus cum pœnis, quas damnati in inferno æternùm patiuntur. S. Joannes Chryſoſt. hom. 31. in ep. ad Rom. *Quid enim mihi poteſt objicere incommodi: paupertatem, morbos, captivitatem, &c. omnia hæc comparatione futuri judicii, ridicula ſunt.* S.Thomas. *Conſideratio pœnæ perpetuæ materia eſt, ſive occaſio patientiæ in adverſis.* S. Gregor. M. *Sancti temporalem pœnam lucrũ putant, quia per hanc, æternam ſe evadere poſſe, non ignorãt.* De S. Pacomio dicitur, quod perſeveraverit in rigore pœnitentiæ, æternarum memor pœnarum, & dolorum ſine fine manentiũ. S. Euphemia dixit ad tyrannum. *Ad tempus quidem eſt, O tyranne! ignis, quem mihi nunc minaris: ideoq; nequaquã eum extimeſco: ſed potius illum, ſanè terribilem, totâ mente formido, qui omnibus impiis à Chriſto eſt conſtitutus in æternum.* Sed de his alibi.

Quarto loco Chriſtus D. ſuis Apoſtolis

Digitized by Google

§. 12. *Robur & ſolatium ingens, in tribulatione provenit ab oratione.*

poſtolis præſcripſit, efficaciſſimum remedium, obtinendi gratiam, vires, robur, patientiam, conſtantiam: imò gaudium & conſolationem in tribulationibus, ſcilicet, Orationem, quæ S. Bartholomæo adeò fuit familiaris. De qua breviter ſed pulcrè Tertullianus in exhortat. ad Caſt. *Qui orationem facit ad Dominum, jam propè eſt in cœlo.* Non dubito S. Bartholomæum inter tormenta ardentiſſimam feciſſe orationem ad Deum; & proinde animus ejus magis fuit in cœlo, quàm in terris: in tribulatione eſſe in cœlo, nil aliud eſt quàm cum S. Paulo ſuperabundare gaudio. Rupertus in Jonam. *Vbicunque conclusus homo, ſive hominis ſpiritus; ubicunque fuerit coanguſtatus, ſive inferni, ſive terræ vectibus; ſi apud ſe habeat verbum fidei, dum orat, non poteſt neſciri, quin imò, viſcera Dei, cor Patris Altiſſimi* (dulciſſimum cor Jeſu) *tangit, ut conſolationem de cœlo præſtent.*

§. 13. *Deus per tribulationes nos compellit ad orationem.*

Imò, propterea Deus frequenter permittit nos tribulari, ut compellamur ad orationem. S. Hieronymus de Jona. *Ex eo tempore, quo præcipitatus in mare, vidit cetum, & tantam corporis molem, & immanes rictus, aperto ſe ore ſorbere, Domini recordatus fuit, & exclamavit; Domine, &c.* pſ. 106. v. 13. *Clamaverunt ad Dominum, cùm tribularentur.* pſ. 77. v. 14. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* S. Auguſtinus hic, *Quærebant ergo eum, non utique illi, quos occiderat; ſed qui exemplo eorum occidi timebant.* Gaudeo multos afflictiſſimis his temporibus, cogitare de ſeria pœnitentia, de amore Dei, de conformitate voluntatis humanæ cum divina, de forti pœnitentia, &c. omnium horum operum fons eſt, metus mortis: timeremus occidi à peſte. De Rege Ezechia ait S. Chryſoſtomus: *Quando proſperitatem accepit in altum, cor ejus erectum eſt; quando verò in ægritudinem decidit, tunc humiliatus eſt, tunc proximus factus eſt Deo.* Et aureum ſubdit monitum: in paupertate ſumus? gratias agamus, & oremus. Calumnias ſuſtinemus? gratias agamus. In ægritudine? Oremus: aliquod malum patimur: gratias agamus, & oremus! hoc enim facit, nos proximos eſſe Deo: hoc animos noſtros collocat in paradiſo, ut corpus in terris, libenter patiatur: oratio, in tribulatione eſt fons gaudii & conſolationũ.

§. 14. *Qualis eſſe debeat illa oratio.*

Verùm non putemus, talem peti orationem, ut recitemus integros Pſalmos, integra pſalteria, &c. qualis oratio requiratur, idem S. Chryſoſt. declarat his verbis: *Semper orat, qui ſemper de Deo cogitat, & Deo placere deſiderat.* Hæc eſt aurea praxis, quam nos docuit S. Bartholomæus, in continua, dies noctesque perſeverans oratione. Cujus orationis fructum, inter alios, hunc agnovit Regius Pſaltes Pſ. 137. v. 3. *In quacunque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.* Dionyſius Carthuſ. ſic legit; *multiplicabis in me ſpiritualem perfectionem*, ſive, *multiplicitatem virtutis.* Hugo Card. *Virtutem Patientiæ & ſpem obtinendæ victoriæ.* (Poſſunt hæc applicari S. Bartholomæo, & ex illis fiat pulcer Epilogus.)

CONCIO LXXXII.

FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS.

De qua natus eſt JESVS, qui vocatur Chriſtus, Matth. 1. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Naſcens Virgo comparatur cum Aurora.

§. 1. *Antiqui ritus in nativitate Regum obſervari ſoliti, applicantur natæ Virgini.*

§. 2. *Et prodigia aliqua, quæ ſubinde in nativitate magnorum virorum contigerunt.*

§. 3. *Sancti Angeli annuntiarunt mundo exortum Auroræ myſticæ.*

§. 4. *Surgens Aurora exhilarat mundum: pari ratione Nativitas B. Virginis.*

§. 5. *Aurora, idem eſt, quod aurea hora.*

§. 6. *Sæcula certarunt de ortu B. Virginis.*

§. 7. *Dies hodierna eſt dies natalis orbis.*

§. 8. *Die natali B. Virginis lux nova exorta eſt mundo univerſo.*

§. 9. *Aurora idem eſt quod hora rorans, vel hora avium.*

§. 10. *Elegans emblema. Virgo nata eſt floſculus.*

§. 11. *Alio Emblemate ornantur cunæ naſcentis Virginis.*

§. 12. *Occaſio, quâ hodiernum feſtum in Eccleſia fuit inſtitutum.*

§. 13. *Quibus ritibus Romani celebrarint dies natales.*

§. 14. *Quanta ſit pulcritudo auroræ Myſticæ.*

§. 1. *Antiqui ritus in nativitate Regum obſervari ſoliti, applicantur natæ Virgini.*

PRæ gaudio exilit mihi cor, tripudiat lingua, fluit vena facundiæ, ſi quæ mihi eſt, quoties de Maria mihi perorandũ eſt; præſertim hodierno feſto lætiſſimæ Nativitatis ejus. Apud antiquos invenio varios ritus, in nativitate filiorum Principum vel Regum obſervari ſolitos. Apud Schytas, non cunis, ſed aureis ſcutis imponebantur:

bantur: Parthi excipiebant caſſide, ut militaria hæc inſtrumenta eſſent omen, fore aliquando illos, viros fortes & bellicoſos. Athenienſes procerum filios in cunis texerunt ſacerdotalibus infulis; Perſæ vix natos expoſuerunt radiis ſolis, arbitrantes, ab hac veſte ſacra, & à Sole, inſtillandum illis amorem religionis, pacis, aliarumque virtutum. Turcæ Imperatorum ſuorum proles involvunt militari vexillo, Græci purpurâ; in ſignum regiæ pompæ atque majeſtatis. Hodie Regum, Principumque filii in cunis teguntur ſtragulis, auro, gemmisque lucidis. Principi, Dominæ, Reginæ, Imperatrici cœli & terræ, Matri Dei Mariæ, quas cogitatis hodie fuiſſe præparatas cunas? Probabilis & pia quorundam SS. patrum opinio eſt, momento quo nata fuit in hoc mundo, de cœlis deſcendiſſe innumerabiles cœleſtes genios, qui beatas cunas cinxerunt, ut dicere poſſimus, ex cap. 3. v. 7. Cant. *Ecce lectulum*, non Salomonis, ſed Mariæ, *quem ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael*: Si ita eſt, piè meditari licet, alios Angelos natam puellam impoſuiſſe aureo ſcuto vel caſſidi, veluti bellatricem fortem, & triumphatricem Sathanæ: aſtitiſſe alios cum vexillo gloriæ, cum purpura & veſtitu deaurato! ſic in nativitate ſua veſtiri & ornari debuit Regina cœli & terræ! fortaſſis alii Angeli, ſanctas cunas cœleſtibus ornarunt ſtellis, alii gemmis, alii floribus, florido ſcilicet lectulo, imponi debuit Sponſa Spiritus S. Radiis ſolis illam exponere neceſſe non fuit, quia ipſa ſol fuit; tam lucidus, tam formoſus, ut Angeli ſtupore defixi exclamarint; Cant. 4. v. 9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulcra ut Luna, electa ut Sol.* Fortaſſis aliqui meminerunt, ob quas cauſas nuper in feſto Aſſumptionis, Beatiſſimam Virginem compararim Auroræ: talis quoque fuit hodierna die in Nativitate: teſte B. Laur. Juſtiniano ſer. de Nat. Virg. *In cujus ortu lætati ſunt cœli, decantaverunt Angeli laudes Deo, promulgata eſt pax, atque fugatis tenebris, quæ totum occupaverant orbem, radios ſuos, rutilans Aurora profudit*: dicite unà mecum, linguâ ſaltem, quâ cor amans loqui ſolet: Salve Beatiſſima Puella! Salve Regina! Salve Domina! Salve Aurora myſtica! Salve Maria, & hâc panegyri cauſas vel analogias aliquas vobis proponam, ob quas natam Virginem cum Aurora comparamus.

Frequenter illi dies, quibus viri deinde celebres & ſancti in hoc mundo prodierunt in auras; portentis & prodigiis de cœlo facti ſunt illuſtres. Quo die Plato, Philoſophorum Princeps & Sol, fuit natus, de nubibus, aureus decidit imber. Aſtyages, inſignis Aſtrologus ex eo conjecit gloriam & potentiam Cyri, quod ejus mater paulò ante partum vidiſſet ex utero ſuo prodire Palmam, ejusque ramis & umbrâ regi totam Aſiam. In aliorum nativitate, ſereno cœlo, clarâ die, in aëre viſæ ſunt ſtellæ & cometæ: aliorum cunas, luces, ſcintillæ, flammæ & radii, veluti lucido ſerto coronarunt. Varii Aſtrologi

§. 2. Et Prodigia aliqua quæ ſubinde in ortu magnorũ virorum contigerunt.

Digitized by Google

aſſerunt felices eſſe partus qui ſiunt tempore exſurgentis auroræ, vel dum Sol aureis radiis ſumma montium cacumina, & vertices verberat. Quæ omnia contigerunt in jucundiſſima & feliciſſima illâ die, quâ cœli, mundiq; Regina & Domina ex utero S. Annæ in hanc lucem prodiit. O ſi videre liceret, aureum gratiarum, donorumq; cœleſtium imbrem, qui de cœlo decidit ſuper cunas pulcerrimæ Puellæ! O ſi illas ſtellas, illas luces, illos radios, qui formoſiſſimum corpuſculum, & lectulum venuſtiſſimæ Virginis coronarunt. Hodie, ex utero Annæ prodiit illa Palma, ſub cujus umbra, non ſola Aſia, ſed totus mundus, tutus & lætus quieſcit. Durandus teſtatur Virginis partum hodiernâ die, octavâ Septembris contigiſſe ſub ipſum tempus exſurgentis Auroræ: quod idem conjicere poſſumus ex citatis verbis Cant. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens*: itaq; dum apertis, roſeis cœli valvis, remotisq; tenebrarum cortinis de æthere, mundo apparuit aurora materialis, ſimul eâdem aureâ horâ in domo Annæ, in cunis lucere cœpit altera Aurora cœleſtis & myſtica, . Aurora nova, Virgo Maria!

§. 3. *Sancti Angeli annuntiarunt mundo ortum ſurgentis auroræ myſticæ.*

Septentrionales aliqui populi ſex integris menſibus privati ſunt lumine ſolis, in longa nocte verſantes: unde reditum ſolis, avidiſſimè expectant; hinc in jugis montium excubias agunt certi viliges, ut albeſcente cœlo, feſto tubarum & lituorum ſono incolis exortum redeuntis Auroræ & Solis annuntient, cum ingenti populi dudum ſedentis in tenebris, gaudio & lætitiâ. In denſioribus tenebris, in atra caligine, aliquot annorum millibus, inſepultum jacuit genus humanum. Iſaiæ 60. v. 2. *tenebræ operiebant terram, & caligo populos.* In his tenebris Patriarchæ, Prophetæ, Reges emiſerunt illa ardentia deſideria atq; ſuſpiria, quibus deſiderarunt videre orientem ſolem Juſtitiæ: ut propheta Iſaias cap. 45. v. 8. clamat, *rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Cùm hodiernâ die ſancti Angeli, de montibus gloriæ in domo Annæ viderunt præcedentem Auroram, ſuaviſſimâ muſicâ illius exortum mundo annuntiarunt, *Quæ eſt iſta, &c.*

§. 4. *Surgens aurora exhilarat mundum: pari ratione nativitas B. Virginis.*

Itaque tempus vel hora ſurgentis auroræ pulcerrimè confertur cum illa hora, quâ nata fuit virginum omnium, quæ unquam fuerunt pulcerrima & dulciſſima. Quotidie experimur poſt moleſtam noctem illuceſcente aurorâ, omnia hilareſcere, flores ſeſe pandere, ridere prata, cantillare aviculas, alleviari morbidos, exultare ægros; reviviſcere omnia. *Pari ratione, quando nata es, O Virgo beata*, (ſunt verba Ruperti Abb. in Cant.) *tum vera nobis aurora ſurrexit: Aurora prænuntia diei æternæ; quia ſicut aurora quotidiana finis eſt noctis præteritæ, & initium diei ſequentis; ſic nativitas tua finis dolorum fuit, & conſolationis initium: finis triſtitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium.* Æquè præclarè B. Petrus Dam. ſer. in Aſſ V. *Ex illa hora* (quâ Adamus comedit de arbore paradiſi) *tenebræ factæ ſunt ſuper*

Digitized by Google

per univerſam terram, uſque ad virginem: hæc fuit illa nox, de qua ſcriptum eſt: Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, in ipſa pertranſierunt omnes beſtiæ ſylvæ, quia crudeles & indomiti ſpiritus, dimotis repagulis humanum genus totis viribus obtinuerunt; ſed natâ Virgine ſurrexit Aurora, quæ Maria, veri prævia luminis, Nativitate ſuâ, mane clariſſimum ſerenavit. Itaque, O Aurora! Exorere, & totum radios diffunde per orbem; formoſa oritur aurora, dum roſeas cœli pandit fores, dum in aurato prodit curru, dum ſideriis vehitur equis, qui ex ore ſpuunt diem, qui de jubis decutiunt radios & lucem. Sed, O Virgo! O Aurora myſtica, *Tuus formoſior ortus*. Formoſior nobis hodie naſcitur Puella!

§. 5. *Aurora idem eſt, quod aurea hora.* Ob plures alias rationes, tempus Nativitatis B. Virginis confertur cum hora ſurgentis Auroræ. Teſte S. Iſidoro, Aurora dicitur quaſi aurea hora; & profectò ſi ulla unquam hora mundo fluxit aurea, ſive felix, & beata, illa facit, quâ hodie nata fuit Virgo. Millia annorum præterierunt dura & ferrea! mille tales fluxerunt horæ, miſeræ & infelices; hodie denique poſt tot ſæcula, aurea illuxit hora, quæ mundo intulit auroram myſticam, ſive quâ nata aſt Maria;

Jã vera progenies cælo demittitur alto,
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia ſæcla.

§. 6. *Sæcula certarunt de ortu B. Virginis.* *Certarunt ſæcula*, inquit S. Damaſcenus, *quodnam ortu Virginis gloriari poſſet*; certarunt anni, certarunt menſes, certarunt dies & horæ: denique September vicit; ille fuit aureus menſis, menſis plenitudinis, menſis fructuum, quo nata eſt Virgo! Vidit jucundiſſimam hanc Nativitatem dies menſis illius octavus; ille vidit, *peractum negotium tot ſæculorum*, aureus verè dies! Vicit denique dici illius hora, quarta circiter matutina, qua cum Aurora orta eſt Virgo, & illa fuit aurea, candida, atq; feliciſſima illa hora, quæ nobis dedit Mariã.

§. 7. *Dies hodierna eſt dies natalis orbis.* Illam diem, qua Roma à conjuratione Catilinæ, liberata fuit, Cicero vocavit *diem natalem urbis*, orat. 3. in Catil. quem ego diem, verè natalem hujus urbis, aut certè ſalutarem appellare poſſum. Illam itaque diem, qua nata fuit Virgo Maria, quæ immaculatis pedibus in prima conceptione contrivit caput ſerpentis, ut quæ ab ejuſdem tyrannide atq; jugo totum humanum genus liberavit; illam diem, qua prodiit in auras DEI Mater, quæ, diaboli & inferni triumphatrix, mundum à tanto mortis æternæ eripuit periculo; illam inquam diem dicamus nos, non urbis, ſed orbis natalem; ſive diem auream & feliciſſimam.

§. 8. *Die natali Virginis nova lux mundo exorta eſt univerſo.* Cùm ferale Regis Aſſueri edictum contra omnes Judæos affixum eſſet in Suſan, ingens inter Hebræos fuit mœror, luctus & timor, plurimaque mortis imago; ſanguineam nubem, funeſtam noctem, tempore opportuno diſſipavit Eſther: quanto tum gaudio exultarit populus, ſacra pagina teſtatur c. 8. v. 16. *Judæis autem nova lux oriri viſa eſt, gaudium, honor & tripudiũ.* Auream & feliciſſimã diem toti populo adduxit Eſther. Nativitati Virginis hæc applicat Richardus à S. Laur. lib. 4 *In ortu ejus nova lux orta eſt, juſto, propter veritatis cognitionẽ; gaudium propter carceris evaſionem;*

Digitized by Google

aſſerunt felices eſſe partus qui fiunt tempore exſurgentis auroræ, vel dum Sol aureis radiis ſumma montium cacumina, & vertices verberat. Quæ omnia contigerunt in jucundiſſima & feliciſſima illâ die, quâ cœli, mundiq; Regina & Domina ex utero S. Annæ in hanc lucem prodiit. O ſi videre liceret, aureum gratiarum, donorumq; cœleſtium imbrem, qui de cœlo decidit ſuper cunas pulcerrimæ Puellæ! O ſi illas ſtellas, illas luces, illos radios, qui formoſiſſimum corpuſculum, & lectulum venuſtiſſimæ Virginis coronarunt. Hodie, ex utero Annæ prodiit illa Palma, ſub cujus umbra, non ſola Aſia, ſed totus mundus, tutus & lætus quieſcit. Durandus teſtatur Virginis partum hodiernâ die, octavâ Septembris contigiſſe ſub ipſum tempus exſurgentis Auroræ: quod idem conjicere poſſumus ex citatis verbis Cant. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens*: itaq; dum apertis, roſeis cœli valvis, remotisq; tenebrarum cortinis de æthere, mundo apparuit aurora materialis, ſimul eâdem aureâ horâ in domo Annæ, in cunis lucere cœpit altera Aurora cœleſtis & myſtica, Aurora nova, Virgo Maria!

§. 3. *Sancti Angeli annuntiarunt mundo ortum ſurgentis auroræ myſticæ.*

Septentrionales aliqui populi ſex integris menſibus privati ſunt lumine ſolis, in longa nocte verſantes: unde reditum ſolis, avidiſſimè expectant; hinc in jugis montium excubias agunt certi vigiles, ut albeſcente cœlo, feſto tubarum & lituorum ſono incolis exortum redeuntis Auroræ & Solis annuntient, cum ingenti populi dudum ſedentis in tenebris, gaudio & lætitiâ. In denſioribus tenebris, in atra caligine, aliquot annorum millibus, inſepultum jacuit genus humanum. Iſaiæ 60. v. 2. *tenebræ operiebant terram, & caligo populos.* In his tenebris Patriarchæ, Prophetæ, Reges emiſerunt illa ardentia deſideria atq; ſuſpiria, quibus deſiderarunt videre orientem ſolem Juſtitiæ: ut propheta Iſaias cap. 45. v. 8. clamat, *rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Cùm hodiernâ die ſancti Angeli, de montibus gloriæ in domo Annæ viderunt præcedentem Auroram, ſuaviſſimâ muſicâ illius exortum mundo annuntiarunt, *Quæ eſt iſta, &c.*

§. 4. *Surgens aurora exhilarat mundum: pari ratione nativitas B. Virginis.*

Itaque tempus vel hora ſurgentis auroræ pulcerrimè confertur cum illa hora, quâ nata fuit virginum omnium, quæ unquam fuerunt pulcerrima & dulciſſima. Quotidie experimur poſt moleſtam noctem illuceſcente aurorâ, omnia hilareſcere, flores ſeſe pandere, ridere prata, cantillare aviculas, alleviari morbidos, exultare ægros; reviviſcere omnia. *Pari ratione, quando nata es, O Virgo beata,* (ſunt verba Ruperti Abb. in Cant.) *tum vera nobis aurora ſurrexit: Aurora prænuntia diei æternæ; quia ſicut aurora quotidiana finis eſt noctis præteritæ, & initium diei ſequentis; ſic nativitas tua finis dolorum fuit, & conſolationis initium: finis triſtitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium.* Æquè præclarè B. Petrus Dam. ſer. in Aſſ V. *Ex illa hora* (quâ Adamus comedit de arbore paradiſi) *tenebræ factæ ſunt ſuper*

per

per univerſam terram, uſque ad virginem: hac fuit illa nox, de qua ſcriptum eſt: Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, in ipſa pertranſierunt omnes beſtiæ ſylvæ, quia crudeles & indomiti ſpiritus, dimotis repagulis humanum genus totis viribus obtinuerunt; ſed natâ à Virgine ſurrexit Aurora, quæ Maria, veri prævia luminis, Nativitate ſuâ, mane clariſſimum ſerenavit. Itaque, O Aurora! Exorere, & totum radios diffunde per orbem; formoſa oritur aurora, dum roſeas cœli pandit fores, dum in aurato prodit curru, dum ſideriis vehitur equis, qui ex ore ſpuunt diem, qui de jubis decutiunt radios & lucem. Sed, O Virgo! O Aurora myſtica, *Tuus formoſior ortus.* Formoſior nobis hodie naſcitur Puella!

§. 5. *Aurora idem eſt, quod aurea hora.* Ob plures alias rationes, tempus Nativitatis B. Virginis confertur cum hora ſurgentis Auroræ. Teſte S. Iſidoro, Aurora dicitur quaſi aurea hora: & profectò, ſi ulla unquam hora mundo fluxit aurea, ſive felix, & beata, illa facit, quâ hodie nata fuit Virgo. Millia annorum præterierunt dura & ferrea! mille tales fluxerunt horæ, miſeræ & infelices; hodie denique poſt tot ſæcula, aurea illuxit hora, quæ mundo intulit auroram myſticam, ſive quâ nata aſt Maria;

Jã vera progenies cælo demittitur alto,
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia ſæcla.

§. 6. *Sæcula certarunt de ortu B. Virginis.* *Certarunt ſæcula,* inquit S. Damaſcenus, *quodnam ortu Virginis gloriari poſſet*; certarunt anni, certarunt menſes, certarunt dies & horæ: denique September vicit; ille fuit aureus menſis, menſis plenitudinis, menſis fructuum, quo nata eſt Virgo! Vidit jucundiſſimam hanc Nativitatem dies menſis illius octavus; ille vidit, *peractum negotium tot ſæculorum*, aureus verè dies! Vicit denique dici illius hora, quarta circiter matutina, qua cum Aurora orta eſt Virgo, & illa fuit aurea, candida, atq; feliciſſima illa hora, quæ nobis dedit Mariã.

§. 7. *Dies hodierna eſt dies natalis orbis.* Illam diem, qua Roma à conjuratione Catilinæ, liberata fuit, Cicero vocavit *diem natalem urbis*, orat. 3. in Catil. quem ego diem, verè natalem hujus urbis, aut certè ſalutarem appellare poſſum. Illam itaque diem, qua nata fuit Virgo Maria, quæ immaculatis pedibus in prima conceptione contrivit caput ſerpentis, ut quæ ab ejuſdem tyrannide atq; jugo totum humanum genus liberavit; illam diem, qua prodiit in auras DEI Mater, quæ, diaboli & inferni triumphatrix, mundum à tanto mortis æternæ eripuit periculo; illam inquam diem dicamus nos, non urbis, ſed orbis natalem; ſive diem auream & feliciſſimam.

§. 8. *Die natali Virginis nova lux mundo exorta eſt univerſo.* Cùm ferale Regis Aſſueri edictum contra omnes Judæos affixum eſſet in Suſan, ingens inter Hebræos fuit mœror, luctus & timor, plurimaque mortis imago; ſanguineam nubem, funeſtam noctem, tempore opportuno diſſipavit Eſther: quanto tum gaudio exultarit populus, ſacra pagina teſtatur c. 8. v. 16. *Judæis autem nova lux oriri viſa eſt, gaudium, honor & tripudiũ.* Aureamõ feliciſſimã diem toti populo adduxit Eſther. Nativitati Virginis hæc applicat Richardus à S. Laur. lib. 4 *In ortu ejus nova lux orta eſt, juſto propter veritatis cognitionẽ; gaudium propter carceris evaſionem;*

 honor

Digitized by Google

bonor propter hoſtis dejectionem, tripudium propter ſalutis recuperationem; ad hoc enim nata eſt; ut paternæ prævaricationis delictum dilueret, innocentiam repararet, diſtricti Judicis iracundiam placaret, portam cœli aperiret, & captivis libertatem conferret. Nativitas proinde Virginis gaudium annuntiavit univerſo mundo.

§. 9 *Aurora idem eſt, quod hora rorans, vel hora avium.* Si præterea Aurora, teſte eodem S. Iſidoro, idem eſt, quod *aura rorans*, vel ſecundum S. Rich. à S. Lau. de laud. V. l. 7. idem, quod *hora avium*, vel aurora, *quaſi ora avium aperiens*; quod cum illuceſcente aurora & paulò antè incipiant cantillare aviculæ; bene natam Virginem in ſua Nativitate comparamus Auroræ: quis enim numeret guttas cœleſtis roris, quæ de cœlo ex obumbratione Spiritus S. deciderunt ſuper illam beatiſſimam Puellam, quæ deinde concha fuit, quæ etiam rorem Divinum in virginali concepit utero, ex quo formata fuit, pretioſiſſima illa margarita, de qua S. Damaſcenus or. 1. in Nat. V. dixit: *Lætentur hodie cœli, exultet terra, gaudeat mare, in quo gignitur concha, quæ cœlitus ex Divinitatis fulgetro, in utero concipiet, & Chriſtum ingentis pretii unionem pariet.* Fuit eadem rorans hora, hora avium, ſive cœleſtium luſciniarum, ſive Angelorum, quos cit. Richardus vocat aves cœli; ſurgens Aurora, nata puellula illarum ora aperuit, cùm tam ſuaviter ad cunas cecinerunt, *quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens*, vel ut explicant S. Hieronymus & S. Anſelmus; *Quæ eſt iſta, tam pulcra ad vivendum, tam admirabilis ad contemplandum, tam deſiderabilis ad amandum? O Virgo mirabiliter ſingularis! & ſingulariter mirabilis.*

Aliam cauſam analogiæ inter Auroram & natam Virginem mihi ſuggerit elegans emblema, in quo, & floridâ areolâ amœniſſimi horti, depicti ſunt floſculi, qui ſurgente aurorâ, ſeſe pandentes, & folia explicantes, reſpiciunt ſolem, cum hoc lemmate, *Soli panduntur amori.* Talis ſc. floſculus, talis viola, talis roſa, tale lilium in ſua nativitate, fuit aurora myſtica, ſive Maria; in primo exortu, explicans virtutum omnium folia, Deum reſpexit: Sol illi fuit Divinus amor, quo jam ardebat, jacens in cunis: nulli unquam affectui, vel creaturæ ſuaviſſimum hoc corculum apertum fuit; ſoli patuit amori. Semper Solem, ſive Amorem reſpexit pulcerrima hæc aurora: Poëtarum phraſis eſt, quod flores ſummo mane veluti expanſis foliis ſurgentem ſalutent Auroram; hoc ſenſu, opto nos omnes hodie ante cunas Virginis eſſe floſculos, ut explicatis piiſſimorum deſideriorum foliis, Auroram myſticam, ſive Mariam natam cum magna veneratione ſalutemus & veneremur. Si flos eſt amor noſter, cupio, ut Soli pandatur amori, & dilectioni venuſtiſſimæ hujus Virginis. Luſcinias vos eſſe volo, imò Angelos, ut coram beatiſſimis cunis, dormienti accinatis Virgini, Salve Domina! Salve Regina! Salve Aurora myſtica! Salve Maria. §. 10. *Elegans emblema. Virgo nata eſt floſculus.*

Celebris Aſtrologus, teſte Suetonio, in honorem nati Julii Cæſaris, depin- §. 11. *Alio emblemate*

ornantur Cunæ natæ Virginis.

depingi curavit animal, ſemicapram, ſemipiſcem: hæc duo ſigna concurrerunt in cœlo, ut loquuntur, in illa hora, in qua Cæſar fuit natus. Inter pedes animalis pingi juſſit globum terræ, cum Sceptro, & Cornu copiæ. Indicare, vel prædicere voluit, natum hunc Puerum fore feliciſſimum: per globum, ſubjiciendum ipſi mundum: per Sceptrum, fore Dominum Romani Imperii: per cornu copiæ, abundantiam divitiarum: Simili hodie picturâ ornemus nos cunas exſurgentis Auroræ: pro ſigno cœleſti pingamus Virginem, in quâ Sol in ſuo Zodiaco moratur menſe Septembri. Virgineis natæ puellæ pedibus ſubſternite globos, ſceptra, coronas, flores, fructus, gemmas. Puella quæ naſcitur, eſt Domina & Regina cœli & terræ, eſt Mater Dei, eſt theſaurus orbis terrarum: An non æquum eſt, ut feliciſſimo hoc die gaudeamus, ut Virginis Nativitatem celebremus cum jubilo.

§. 12. Occaſio, qua hodiernum feſtum in Eccleſia fuit inſtitutum.

Referunt varii Auctores, virum Sanctum in eremo, multis annis, die octavâ Septembris, ſuaviſſimam de cœlo audiviſſe Muſicam, præſertim mane, ſurgente aurorâ: precibus itaque Deum rogavit, ut quid concentus hic tam ſolennis portenderet, ſibi ſignificaret; fuitque cœlitus edoctus, Angelos illo die, & tempore miro gaudio geſtire, & feſtivo cantu celebrare Reginæ ſuæ Nativitatem, quæ hoc die contigerat in terris. Cùm hæc intellexit ſummus Pontifex, in ſimilem memoriam in Eccleſiâ inſtituit feſtum Nativitatis Mariæ.

Similia B. V. revelavit S. Brigittæ, dicens: *Angeli Sancti hodierna die, in cœleſti gloria, cùm inæſtimabili retractant lætitiâ, illa gaudia ineffabilia, quæ habebant novem menſibus illis, quibus ego creſcebam in utero matris meæ, anhelantes ad ortum meum & conſequenter illa gaudia, quibus in ipſa Nativitate exultarunt*: Quia & nos Auditores pari lætitiâ illa gaudia recolimus? etenim & noſtra eſt Regina; noſtra eſt Domina, noſtra eſt ſoror, imò Mater eſt: dulcis, ſuavis, pulcra, formoſa eſt Aurora, dulcis, ſuavis, pulcra, formoſa Maria!

§. 13. Quibus ritibus Romani celebrarint Dies Natales.

Sed hoc obſervandum eſt, Romani, ſolenni alicujus Proceris vel Senatoris, aut Conſulis, natali die, incedebant induti veſtibus candidis, quod varii Poëtarum verſus inſinuant. Hircanus die natali Ptolomæi, Regis Ægypti, centum formoſiſſimos pueros, totidemque elegantiſſimas puellas, candidiſſimis ornavit veſtibus, qui pulcro ordine venientes ad Regem cum regiis muneribus bene illi precati ſunt: In ejuſmodi ſolennitatibus, Diis, cives Rom. obtulerunt lac, mel, vinum, flores & fragrans thus; præterea, teſte Cenſorino ex Varrone cap. 1. manus à cæde & ſanguine abſtinebant, ne die, quâ ipſi lucem acceperant, aliis demerent: His ritibus celebranda nobis eſt lætiſſima dies, jucundiſſimæ Nativitatis B. V. Induamus inprimis veſtes candidas & niveas. S. Greg. M. in pſ. 50 *Quid per nivem intelligimus, niſi lucem juſtitiæ, & candida corda ſanctorum*, in c. 4. Thren. *Quid per nivem, niſi candor vitæ cœleſtis ſignatur.*

gnatur. Itaq; candida corda, per verã pœnitentiam in pretioſo Chriſti D. ſanguine dealbata, virgineis cunis imponamus; veſtes ſordidas, nigras, maculatas odit caſtiſſima Virgo. Aurum eidem offerte, non ex Peruſinis montibus, ſed quod in cordibus veſtris naſcitur, ſincerum & ardentem amorem. Lac, mel & vinum, ſit tenera devotio: vel potius vos eſtote apiculæ, & mel quærite, vel ſugite ex Vulneribus Salvatoris, in Sanct. Sacramento Euchariſtiæ. Floribus ornabimus eaſdem cunas, ſi ardentibus ſuſpiriis ſurgentẽ Auroram ſuaviter ſalutemus. Deniq; oportet nos abſtinere à cæde & ſanguine Chriſti, ne ſcilicet per nova ſcelera, nobismetipſis rurſũ crucifigamus Filium Dei.

§. 14. *Quanta pulcritudo Auroræ myſticæ.*

Auroræ noſtræ myſticæ tanta eſt pulcritudo; ut ſponſus vocet *totã pulcram*. S. Epiphan. *Specioſitate plenam*: Andr. Cret. or. de aſſ. *à Deo ſculptam*, S. Joan. Damaſc. *Totius naturæ venuſtatẽ*. S. Aug. & S. Hier. apud Saalzar. c. 42. *Pulcerrimam Dei formam*. Dion. Carth. ait l. 1. de laud. B. V. *omnia*, & quoad animam, & quoad corpus, *fuerunt in illa divina ſapientiæ circino formata*. Georg. Nicomed. *O pulcerrima pulcritudo pulcritudinũ! O Dei genitrix pulcrorum omnium ornamentum!* Rachel Gen. 24. fuit *decora, & venuſta aſpectu*. Hodie in cunis jacet Puppula longè magis decora, & longè venuſtior. Eſther Regina (c. 1. v. 11.) fuit *formoſa valde & incredibili pulcritudine omnium oculis amabilis & gratioſa*. Gratioſior, amabilior, pulcrior, formoſior Aurora, ab Angelis agitatur in cunis. De muliere formoſa dixit Eccleſiaſticus c. 26. v. 21. *Sicut ſol oriens mũdo in altiſſimis*, dicamus hodie; ſicut Aurora, *ſic mulieris bonæ ſpecies*, ſic natæ puppulæ, ſic Mariæ pulcritudo, decor, forma, gratia, venuſtas, ſpecies, *in ornamentũ*, non *domus* tantũ alicujus, ſed cœli & terræ! Me quod attinet, fateor, dum hodie ante cunas Virginis me abjicio, & mentis tantũ oculis natã Puellam nonnihil contẽplor, in ejus facie, in fronte, in oculis, in genis, in labiis; aliquid divinum, quiddã ſidereum reperio, quod videns laudare, & amare cogor. Laudo auroram: amo auroram, laudo Mariam, amo Mariam: & dicam tandem cum piiſſimo Petro Domiano de nat. Deip. ſer. 3. *Exultemus, & ſicut gaudere ſolemus in Nativitate Chriſti, ita etiam gaudeamus in Nativitate Matris Chriſti. Hodie nata eſt Regina mundi, feneſtra cœli, janua Paradiſi, Tabernaculum Dei, ſtella maris: Hodie apparuit ſtella, per quam ſol Juſtitiæ illuxit mundo, illa videlicet, de qua per Prophetam dicitur; Orietur ſtella ex Jacob & exurget homo de Iſrael: Hodie nata eſt, ſplendidiſsima illa Virgo, ex qua procedet ſpecioſus præ filiis hominũ, tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Hodie prodiit ex utero matris, quæ Templũ erit Divinitatis.* His ſalutationibus, &c. dulci hac congratulatione, explicemus Auditores animorũ noſtrorũ vota, ceu folia liliorum, atque roſarũ, ut virginali dulcedine roſcidi, non tam libationem cum ſalutatione Virgini offeramus; quàm nobis delectationẽ cum ſalute ex Virgine afferamus, ut ejus melle renati ac vegeti, in hâc desertâ ſolitudine peregrinantes ad æternam Civitatem ſolis, Aurorâ duce, perducamur! Amen.

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXXIII.

FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI.

Vidit JESUS hominem, ſedentem in telonio,
Matth. cap. 9. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Concio hæc proponit tres circumſtantias Miſericordiæ Chriſti Jeſu Salvatoris noſtri. Quis ſit miſericors! Quomodo, ſive quam ſuaviter ſit miſericors, & quomodò! ſive quàm opportuno tempore.

§. 1. *S. Matthæus oſtendit peccatoribus, apud quem debeant quærere miſericordiam.*

§. 2. *Quis peccatori ſit miſericors! Scilicet, ipſi Jeſus, Dei filius.*

§. 3. *Quam circumſtantiam Sanctus Auguſtinus, elegantibus verbis expreſſit.*

§. 4. *Ex eodem alius pulcher locus, de eadem miſericordia.*

§. 5. *Ex S. Gregorio ſimilis locus.*

§. 6. *Quam ſuaviter, quàm ſuavibus oculis Miſericordia Chriſti Domini vincat peccatorem.*

§. 7. *Caradrion avis mirabiles habet oculos.*

§. 8. *Oculi Chriſti ſunt ſoles cum triplici radio.*

§. 9. *Cur quidam ab his radiis non illuminentur.*

§. 10. *Proſecutio.*

§. 11. *Quando Chriſtus D. ſit miſericors.*

§. 1. S. Matth. oſtendit peccatoribus, apud quem debeant quærere miſericordiam.

DE S. Matthæo, cujus converſionem, lectum hodie narravit Evangelium, eleganter ait Paſchaſius Abbas: *qui erat magiſter rapinæ, factus eſt exemplum veniæ*: id eſt, Matthæus, publicanus, uſurarius, telonarius, etiam graviſſimos inſtruit peccatores, ubi, apud quem, & quomodo debeant quærere veniam & miſericordiam, *ſurgens ſecutus eſt Ieſum.* Petrus Daminianus: *Publicanus iſte* (iſte telonarius, iſte publicus peccator) *ad miſericordiæ fontem peccatoribus ſe exhibuit prævium.* O publicani, O peccatores! diſcite ubi fontem

tem miſericordiæ quærere debeatis. Jeſum quærite, apud hunc eſt fons vitæ: imò ipſe eſt fons, & puteus aquarum viventium. cit. Paſchaſius: accedente Jeſu ad ædes Mat. *in domo ejus, quæ fuerat officina crudelitatis, cellarium fraudis, ſpelunca iniquitatis, fons pietatis emanat*: Ad hunc fontem, ad Chriſtum Salvatorem hac Concione deducam meos Auditores, & præcipuè peccatores; id eſt: agam denuo de infinita Salvatoris noſtri erga peccatores bonitate & miſericordia. Anno ſuperiori hoc feſto dixi illam aliquo modo poſſe comprehendi per cognitionem circumſtantiarum: Quis, Cui, cur, quomodo, quando, &c. miſericordiam exhibeat. Circumſtantias, Cui & Cur, tum examinavi, modò videbimus 1. Quis ſit tam miſericors! occaſione verborum illorum ex Evang. *Cum tranſiret Jeſus*. 2. quomodo, quam ſuaviter miſericordiam exhibeat, ex illis verbis, *vidit hominem*. 3. Quando Matthæus hanc miſericordiam ſit expertus, nimirum cùm *ſederet in telonio*; ſpero, &c.

§. 2. Quis, peccatori ſit miſericors ſcilicet, ipſe Ieſus Dei filius.

Ex his verbis, *cùm tranſiret Jeſus*, colligimus pulcherrimam circumſtantiam infinitæ ejus miſericordiæ, nimirum quod ipſe, id eſt, Dei Filius, ipſe! Deus infinitæ majeſtatis, ipſe, qui læſus eſt, ipſe! qui nullius creaturæ indiget obſequio, Matth. publicum peccatorem quæſiverit: Nunquam Matth. telonium deſeruiſſet, nunquam Jeſum fuiſſet ſecutus, niſi Jeſus ſecundum magnam ſuam miſericordiam prim.us veniſſet, Matthæum aſpexiſſet, & ad ſe voçaſſet: Salvatori peccator aſcribere debet, ſi cum Matthæo convertatur. Suaviter S. Ephrem. *Priuſquam peccator pertingat ad januam, tu* (ô bone Jeſu) *ei aperis, manum ei præbes, tuas ſuper illum miſerationes effundis, caritas tua noſtræ ſalutis cupidiſſima eſt, ſe ipſa ad nos inclinat.* Sic eſt, Matthæus è telonio, ingreſſus eſt aulam miſericordiæ, Cor Salvatoris, ſed ipſe januam aperuit. Matthæus extractus eſt ex profundo & abyſſo gravium ſcelerum, avaritiæ, fraudum, rapinarum: ipſe, bonus ille Jeſus præbuit manum: ut Matthæus converteretur, opus fuit miſerationibus DEI, ipſe, miſericors Dei filius, illas effudit, ejus miſericordia ſe inclinavit ad ipſum, ipſa oſcula & amplexus obtulit.

§. 3. Quam circumſtantiam S. Auguſtinus elegantibus verbis expreſſit.

Advertit hanc circumſtantiam S. Auguſtinus agens de converſione S. Petri, ſuper illa verba, *reſpexit illum Dominus*: antequam citem ejus verba, merito miror & abſtupeſco ſubitam Petri converſionem: vix Chriſtum negaverat, vix juraret ſe non noſſe hominem, & egreſſus flevit amarè, unde illa mutatio? ait quidem Sanctus Auguſtinus, *intus actum eſt, in mente actum eſt, in voluntate actum eſt*: ſed quis egit? quis mentem & cor Petri immutavit? nunc verba ſive reſponſionem Sancti Auguſtini audite: *Miſericordia Domini* (boni illius Jeſuli) *latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratia ſua viſitavit Petrum, interioris hominis uſque ad exteriores lacrymas movit, & perduxit affectum*: veriſſime hæc ab Auguſtino ſunt dicta: in tam miſero ſtatu hæret peccator, ut niſi aliquis

Digitized by Google

ſuccurrat, impoſſibile ſit ſe extricare: quis ſuccurret? qui ſolus poteſt, Chriſtus Dei filius, & ejus miſericordia: Ut peccator aliquis convertatur & pœnitentiam agat, neceſſe eſt moveri cor; neceſſarii ſunt pii actus voluntatis, doloris, ſpei, &c. Si cor tali modo moveatur, ſi doleat (eſt locus pro pulchra inductione) ſoli bonitati & miſericordiæ Jeſu eſt aſcribendum. (Applica S. Matthæo) In converſione peccatoris ſolent memoriæ ocurrere noviſſima hominis, mors, judicium, infernus, ex horũ conſideratione ſalutaris oritur timor! quis talia memoriæ objicit? Miſericordia Domini! Ad peccatoris converſionem requiruntur interiores gratiæ, & efficaces! hæ gratiæ impiis non ſunt debitæ, nihilominus, ipſe, Salvator noſter illas offert ex infinita bonitate & miſericordia.

§. 4. *Ex eodem alius locus de eadem miſericordia.* Circumſtantiam hanc, Quis, ſive quod Salvator noſter ſit, qui ultro peccatorem quærit, iterum invenio apud S. Aug. qui in perſona Chriſti ad impium talibus alloquitur: *Ego* (Filius Dei, &c.) *cum eſſes longè, Veni ut reducerem te: cùm inter montes & ſylvas errares, quaſivi te.* (pulchra ſemper latet emphaſis in *Ego, & Te.*) *ne luporum ferarumq; rabido ore dilaniareris, collegi te: humeris meis portavi te: patri meo reddidi te, laboravi, ſudavi, caput meum ſpinis ſuppoſui, manus meas clavis ſubjeci, lancea latus meum aperui, ſanguinem meũ fudi, animam meam poſui, ut te mihi conjungerẽ, & tu recedis à me:* ex hoc loco diſcant peccatores, quis ſit, qui errantem ovicu lã quærit, quis ſit qui nos eripit ex faucibus infernalis lupi, &c. Jeſus eſt, filius Dei eſt, &c.

§. 5. *Ex S. Gregorio ſimilis locus.* Finiam primum punctum, ſive circumſtantiam, Quis, verbis Sancti Gregorii hom. 25. in Evang. *Penſate fratres pondus tantæ pietatis* (eſt locus pro pulcra repetitione dictorum per conglobationem v. g. quod ipſe ſit, qui manum offert, ipſe, qui nos quærit, &c.) *nemo tantæ miſericordiæ tempus perdat: nemo oblata remedia divinæ pietatis abjiciat*: cum bonus Jeſus tranſivit telonium, cum Jeſus venit ad Matthæum, fuit hora vel momentum miſericordiæ, & Matthæus ſtatim ſurrexit, &c. idem faciamus, &c hoc Jeſus intendit, ſi cum Matthæo ſtatim convertamur, ingens illi eſt gaudium: bene S. Chryſol. Ser. 29. *diſcumbebat Jeſus plus in Matthæi mente, quàm ſigmate: epulabatur non cibis, ſed reditu peccatoris.*

§. 6. *Quam ſuaviter, quam ſuavibus oculis miſericordia Dei vincat peccatorem.* 2. Verba illa, *vidit hominem*, inſinuant ſuaviſſimum modum quo Chriſtus Salvator noſter ex infinita ſua miſericordia ſolet & poteſt convertere peccatorem! Unicus benignus ejus aſpectus ſat potens fuit, ut momento cor Matthæi immutarit: S. Hier. *Fulgor & majeſtas divinitatis occulta, ex ipſa humana Chriſti facie relucens, potens erat ut primo aſpectu videntes ad ſe traheret: niſi enim habuiſſet in vultu quiddam, oculiſq; ſidereum, nunquam eũ ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli.* Theodoretus oratione de Caritate; *Nec n. humana veſtis* (in Salvatore) *divinam operuit pulchritudinem ſed ea quoq; indutus* (præcipuè ex oculis) *Splendores emittit, adeo ut vim attulerit videntib. & allexerit ad amorẽ* O Suavẽ modum, quo ſuaviſſimus & miſeri-

cors Jeſus ex ſola miſericordia convertit peccatores, ſcilicet ſuavi aſpectu oculorum: his oculis in Concione aſpexit publicam peccatricem Magdalenam & ſtatim vim intulit, ſtatim traxit ad ſui amorem, & ad pœnitentiam, his oculis aſpexit Petrum in domo Caiphæ, latronem in Cruce, Matthæum in telonio, ex benigniſſimis oculis tam ſplendidos emiſit radios, ut ſtatim vim intulerit. Petrus flevit, latro petiit paradiſum, Matthæus ſurgens ſecutus eſt Jeſum; tanta vis & potentia inerat oculis Chriſti.

§. 7. *Caradrion, avis, mirabiles habet oculos.*

Caradrioni, avi candidiſſimæ natura prodigioſos & ſalutares dicitur dediſſe oculos, aſpiciens ægrum per oculares radios tam ſalutares emittit influxus, ut ſint veluti medicina qua æger ſanatur: dubito an avis talis in rerum natura reperiatur. Chriſtum Dominum ſcio à ſponſa comparari columbæ, ab aliis aquilæ, vel Pelicano: ſe ipſum ipſe confert cum gallina: hæc gallina, hæc aquila non alas tantum habet quibus protegat, hic pelicanus non ſanguinem tantùm habet quo nutrit, ſed oculos inſuper habet tam ſalutares, tam prodigioſos, ut ſolo aſpectu ſanet peccatores.

§. 8. *Oculi Chriſti ſolis ſunt cum triplici radio.*

Thraces, (teſte Sidonio Apollinari) ut oculorum Dei afficaciam exprimerent, pinxerunt ſolem cum triplici radio; unus directus in mortuum cadaver hominis, ſtatim vitam illi reddit; alter irradians montem tectum nivibus, momento illas liquefacit: tertius feriens ſcopulum, ſua vi & calore illum conterit: ſolis hujus inſcriptio fuit, *Oculi Dei ad nos*: tali modo depingi debent lucidiſſimi oculi, pulcherrimi ſolis Juſtitiæ, Chriſti Salvatoris: hæc fuit vis & efficacia radiorum quos ex oculis emittebat: an non cadaver erat Magdalena, ob mortem animæ à plurimis ſceleribus illatam? unico radio oculorum Chriſti illuminata rediit ad vitam. Mons nive & gelu tectus, erat Petrus, ideo acceſſit focum ut calefieret: non ignis, ſed radius ex oculis Chriſti gelu hoc ſolvit, nix diſſoluta fuit in amaras lacrymas. Scopulus hujus mundi, & negotiorum ſæculi, fuit Matthæus, unico radio Chriſtus Dominus hunc ſcopulum contrivit: Oculi Chriſti fuerunt ſuper illos: iidem ſunt ſuper nos, ſuper omnes, etiam graviſſimos peccatores, ſol hic lucet, omnibus offert hos radios ut ſuavi modo ſit nobis miſericors.

§. 9. *Cur quidam ab his radiis non illuminentur.*

Undè ergo fit, ut cum S. Joanne cap. 3. v. 19. dicere poſſimus: *lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem*? unde tot filii tenebrarum? Quæſtioni ſatisfacit Origenes: *illuminat omnem hominem, quoſdam ut lateres, alios ut adamantes & ſpecula.* Pulchrum latet ſimile, ſol illuminat omnia, ſed non omnia eodem modo lucem recipiunt. Lapis aliquis v.g. illuminatur à Sole tantum ſecundum ſuperficiem, lux ſolis non penetrat lapidem, quod tamen non eſt aſcribendum ſoli, iſte illuminat, ille radios ſpargit, ipſi lapidi, qui eſt fruſtum luti, eſt concreta maſſa terrea, cum qualitatibus terreis luti contrariis: adamas,

vel

Digitized by Google

vel ſpeculum, vel pulchrum vitrum non in ſuperficie tantùm, ſed intus etiam illuminatur, imbibit lucem. penetratur à radiis, quia tale corpus, eſt particula cœli, diſpoſita intus luci recipiendæ. Pari ratione ſol Juſtitiæ ſuos ſpargit radios miſericordiæ, ſuper omnes: quod aliquorum corda nihilominus maneant opaca & tenebroſa, in caligine & umbra mortis non ſoli, ſed ipſis eſt aſcribendum: habent corda lutea, terrea, indiſpoſita ad recipiendos radios tam pulchros: in momento converſionis cor Matthæi, quod lutum erat, converſum eſt in particulam cœli, in vitrum, in ſpeculum, ſtatim terrena omnia à ſe removit, ideo fuit illuminatus, tantamque hauſit lucem, ut ſtatim ſecutus ſit Chriſtum. Eosdem radios vobis offert ſol miſericordiæ: ſed quæſo, qualia corda habetis, ſuntne terrea, &c. (applica pulchrè.)

§. 10. *Proſecutio.* Pari ratione, quod ſol qui ſemper lucet, reſpectu alicujus regionis obnubiletur, alibi ſit ſerenus, non ſoli, ſed diſpoſitioni terræ eſt aſcribendum. Regiones aliæ ſunt humidæ, paluſtres, plenæ craſſis vaporibus, ex quibus generantur nubes, quæ radiis ſolis obſiſtunt, aliæ verò plagæ ſunt puriores, purgantur ventis, carent nubibus, his ſol lucet ſerenus. O peccatores, quod hæreatis in tenebris quod non illuminemini, vobis imputate, in cordibus veſtris ſunt paludes, hinc vapores & nubes, de quibus ait Iſaias c. 59. v. 2. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis.* Talis diviſio erat inter Matthæum & Chriſtum Dominum, peccata abſconderant illi faciem ſolis, verùm miſericordia excitavit ventos gratiæ, piorum affectuum & deſideriorum, quibus cor ejus eventilatum, converſum fuit in adamantem, qui radios oculorum Chriſti ſtatim ſuſcepit, hi vim illi intulerunt, ſed ſuavem, hoc modo miſericordia Dei de Matthæo triumphavit. Permitte mihi Sancte Matthæe, ut te alloquar verbis S. Petri ep. 1. c. 2. v. 9. *Tu es de genere electo, de gente ſancta, de populo acquiſitionis*, ille, miſericors Jeſus, te te publicanum, &c. *de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum*, ut virtutes enarres ejus, ut enarres, quanta ſit miſericordia Domini.

§. 11. *Quomodo ſit miſericors.* Tertiam circumſtantiam, quando Chriſtus D. illi miſericordiam exhibuerit, ſive quod vocaverit Matthæum ex telonio, ex ſchola iniquitatis, ad gymnaſium virtutum, &c. ſive, quod bonus Salvator peccatori præcipuè ſuccurrat, cùm in ſumma verſatur neceſſitate; alibi deduco. Modo finio verbis S. Greg. ſupra citatis. *Penſate fratres, pondus tantæ pietatis & miſericordiæ, &c.* (Eſt locus pro pulchro epilogo) Seneca ad Lucilium ep. 32. *Propera Lucili cariſſime, & cogita quantum celeritatis additurus fueris, ſi à tergo hoſtis inſtaret, ſi equitem adventare ſuſpicareris, ac fugientis premere veſtigia. Fit hoc, premeris, accelera & evade, perduc te in tutum.* applica pulchrè. Fuge ad Jeſum, premit te mors, &c.

***

CONCIO LXXXIV.

FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt, Matth. 18. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ANgeli cuſtodes etiam clientes peccatores non deſerunt; pœnitentes recipiunt cum magno gaudio: eoſdem defendunt contra novas tentationes diaboli, cavent, ne rurſum labantur in peccata; denique adſunt morientibus. Eximia hæc beneficia proponit præſens concio.

§. 1. *Conglobatio elogiorum de ſanctis Angelis.*
§. 2. *Quibus eorum beneficia & officia erga nos homines explicantur.*
§. 3 *SS. Angeli faciunt fortem exercitum ad noſtri cuſtodiam.*
§. 4. *Sancti Angeli cuſtodes, etiam peccatores non planè deſerunt.*
§. 5. *Aureum monitum S. Bern.*
§. 6. *Sancti Angeli detinent gladium D. Juſtitiæ, ne ſtatim ferat.*
§. 7. *Figura fuit Angelus, qui Iſaacum à gladio Patris liberavit.*
§. 8. *Angeli cuſtodes cum gaudio recipiunt peccatores pœnitentes.*
§. 9. *Eoſdem defendunt contra novas tentationes dæmonis.*
§ 10. *Monent, ne rurſum labantur in peccata.*
§. 11. *Cuſtodia Angelorum declaratur duobus ſimilibus, ex S. Bernardo, & S. Thoma Aquinate.*
§. 12. *Et ex hiſtoria Judith.*
§. 13. *In agone ultimo præſertim adſunt ſuis clientibus.*
§. 14. *Beata mors Lazari.*
§. 15. *Epilogus.*

§. 1. *Conglobatio elogiorum de SS. Angelis.*

MEmini, me in alia Concione hodierni feſti, ſive Panegyri ſanctorum Angelorum cuſtodum, pro exordio vel præfatione uſum fuiſſe pulcherrimis illorum cœleſtium Spirituum elogiis: ex S. Sophronio Archiepiſcopo Hieroſolymitano: interim apud eundem t. 2. Bibliothecæ Patrum orat. 6. reperi alia: ita enim citato

tato loco ſanctos Angelos alloquitur: *Vos omnium Regis eſtis adminiſtri, vos venti & Spiritus, & aqua, & Principes, & equi, & exercitus, & rerum divinarum interpretes, & cuſtodes, & præſides, & conſervatores, & conductores, & vitæ duces, & inquiſitores, & curatores, & illuminatores, & luminaria, & lampades, & montes, & colles, & nubes, & judices, & ſculptores, & defenſores, & decertatores, & propugnatores, & ſpecula, & ſimulacra, & imagines, & nautæ, & naves, & gubernatores! Vos ii eſtis, qui cœlum curſu expeditiſſimo tranſmittitis: qui Creatoris voluntatem indefeſſè perficitis, qui Dei tabernacula appellamini: qui carbones & turbines, & flamma nominamini.*

§. 2. *Quibus eorũ officia & beneficia erga nos homines declarantur Geneſ. 3. v. 24.*

His encomiis Sanctorum Angelorum, præcipuè cuſtodum, & eorum nobilitas & excellentia! & officia atque innumera beneficia erga nos homines declarantur atque extolluntur: v. g. Anima hominis juſti, eſt hortus & paradiſus! cuſtodes Angeli, ante illum ſunt poſiti, cum flammeo gladio, ut illum protegant. Anima noſtra eſt vinea cœleſtis ſponſi; ejus murus eſt Angelorum cuſtodia. Anima ſancta eſt lectulus & ferculum Salomonis, ſexaginta fortes, qui cingunt, tutelares ſpiritus. Hæc & ſimilia deduxi in alia concione, cum in communi egi de angelorum cuſtodia. In particulari, ſæpe, licet ab impiis fideles Comites nonnihil recedant, tamen detinent gladium cœleſtis iræ, ne ſtatim feriat. Angeli cuſtodes, ſuos clientes, peccatores, ſi reſipiſcant, cum gaudio ſuſcipiunt. Animam pœnitentis, gratia denuo ornatam, defendunt contra tentationes diaboli, ne in ſcelera relabatur: denique in hora mortis nobis aſſiſtunt: Hæc eorum, vel officia, vel beneficia, modo latius explicabo. Spero fore, ut in honorem SS. Angelorum benevolè me audiatis.

§. 3. *SS. Angeli faciunt fortem exercitũ ad noſtri cuſtodiam*

Lib. 4. Reg. cap. 6. v. 16. miſit Rex Syriæ, equos & currus, & robur exercitus ad capiendum Eliſæum, qui latebat in Dothain: qui cùm veniſſent nocte, circumdederunt civitatem. Conſurgens autem diluculo miniſter viri Dei, egreſſus, vidit exercitum in circuitu civitatis, nuntiavitque ei dicens: *heu! heu! heu! Domine mi.* quid faciemus? reſpondit Eliſæus; *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* cumque oraſſet Eliſæus ait, *Domine, aperi oculos ejus ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.* Antequam ego modo de Angelorum quibuſdam erga nos beneficiis loqui pergam, idem opto & oro: O Domine! aperi oculos meorum auditorum, ut videant; & videbunt jucunda quædam ſpectacula, quæ pleraq; collegi ex ſacris literis.

§. 4. *SS. Angeli cuſtodes etiam peccatores non planè deſerunt.*

Primum & ingens illorum beneficium eſt, quod etiam erga peccatores ſint benevoli. Vera quidem fuit querela Davidis Pſalm. 37. v. 12. *Qui juxta me erant, de longè ſteterunt:* id eſt, qui alias fortiter mecum pugnarunt, & me defenderunt, milites fortiſſimi; modò me ſolùm deſeruerunt.

Ad

Digitized by Google

Ad literam David fortaſſis loquitur, vel conqueſtus fuit, ut dixi, de ſuis ducibus, qui in prælio fugerunt: ſenſu autem myſtico, ex mente S. Ambroſii, David hæc verba protulit, poſt agnitum adulterium & homicidium, in quo ſtatu tanquam hoſtis & inimicus Dei, advertit ſibi ſubtractum peculiare Dei auxilium, quod aliàs, præſertim in præliis adverterat: advertit, ſe deſertum à cuſtodibus Angelis, ideò de illis ait, qui aliàs in tot periculis & præliis, inter tot hoſtes & perſecutiones, juxta me fuerunt, & lateri meo aſtiterunt, modò longè ſtant à me, & ideo ſentio, *vim magnam illos facere, qui quærunt animam meam*. Pſalm. 37. In duas claſſes divido præſentes meos Auditores: ſunt alii in gratia, filii & amici Dei: alii vivunt in ſtatu actualis peccati mortalis, hoſtes & inimici Dei! ô Domine Deus, utrorumque aperi oculos, ut videant. Juſti videbunt cum ingenti ſolatio aſtantes ſibi Angelos, in aureis loricis, cum argenteis clypeis, cum flammeis gladiis, ad cuſtodiam & defenſionem: impii cum horrore videbunt, propè ſibi aſſiſtere infernales ſpiritus; longè verò ſtare cuſtodes Angelos, & ideò, ut ait S. Ambroſius in citat. Pſalm. *Angelis protectionis excubias relaxantibus*, (in pœnam commiſſi peccati mortalis) *inſideantur magis inimici, vim adhibent majorem, quærentes animas.*

§. 5. Aureum monitum S. Bernardi.

Quæ cùm ita ſint, (monet nos S. Bernardus ſerm. 1. in feſto S. Michaëlis.) *penſate, quanta etiam nobis opus ſit ſolicitudine, dilectiſſimi, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo converſemur, in conſpectu Angelorum, ne fortè ſanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, ſi quando provocati peccatis & negligentiis noſtris indignos nos judicaverint præſentia & viſitatione ſua, ut jam neceſſe habeamus & nos plangere. & dicere cum Propheta* Pſal. 37. *Amici mei, & proximi mei, adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt, & qui juxta me erant, à longè ſteterunt.*

§. 6. Sancti Angeli detinent gladium D. Iuſtitiæ, ne ſtatim feriat.

Sed ea eſt Angelorum bonitas, ille erga humanum genus amor, ut etiam clientes peccatores, quàmdiu vivunt, non planè deſerant, teſte B. Petro Damiano ſerm. de exalt. Crucis. *Angelos ad noſtram cuſtodiam deputatos, quotidie multipliciter offendimus, & offenſam negligentiis cumulamus: ipſi autem licet frequenter à nobis injurias patiantur, ſuſtinent tamen & compatiuntur peccatoribus, nec minor illorum circa nos cuſtodia, imò major ſollicitudo, cùm boni cuſtodis ſit, infirmis magis, quàm ſanis operam exhibere.* Tum maximè invigilant, ut quamdiu poſſunt, gladium cœleſtis ultionis detineant, ne feriat: implorant pro nobis Divinam miſericordiam, ne Juſtitia ſtatim puniat.

§. 7. Figura fuit Angelus, qui Iſaacum à gladio Patris liberavit.

Geneſis 22. cap. 10. Abraham juſſu DEI immolaturus filium Iſaac, vim tandem inferens naturæ, illum impoſuit aræ; ſed cùm jam etiam ferrum ſtringeret, ad feralem ictum: ecce, Angelus Domini clamavit, *Abraham, non extendas manum tuam ſuper puerum, tenuitque gladium Patris.* Sic Angelus à cervice Iſaaci letale avertit vulnus. O Do-

mine

Digitized by Google

mine DEUS! aperi oculos meorum auditorum, ut videant; videbitis, dilectiſſimi, ſimiles vel tragœdias vel comœdias, hinc enim cum horrore videbitis, radiantem & fulgurantem è nubibus gladium Divinæ Nemeſis, ut feriat impios, videbitis arcum extenſum, ſagittas paratas: ex altera parte ſpectabitis cum gaudio cuſtodes Angelos, cum magna cura ſollicitos, ut gladium detineant; ut monitionibus, ſuggeſtionibus, minis, promiſſis, clientum oculos aperiant, ut agnoſcant periculum, & per pœnitentiam, è tanto periculo ſe liberent. Fortaſſis, una mecum multi cum magna gratiarum actione fatebuntur, multùm in hoc nos debere Angelis cuſtodibus.

§. 8. Angeli cuſtodes cum gaudio recipiunt peccatores pœnitentes.

Patet adhuc amplius illorum erga nos amor, in hoc, quod clientes pœnitentes, licet peccaverint, ſi reſipiſcant, cum gaudio ſuſcipiant. Luc. 15. v. 7. ait Chriſtus D. *Gaudium erit in cœlo, coram angelis Domini, ſuper uno peccatore, pœnitentiam agente*, quod triplici explicat ſimili: bonus enim paſtor, cum gaudio recipit errabundam oviculam; mulier, perditam drachmam, reperit cum lætitia: prodigo, ſed reduci filio, occurrit amantiſſimus Pater cum hilaritate. O Domine DEUS, aperi oculos meorum Auditorum, ut videant! Vel dilectiſſimi eſtis ſubinde errabundæ oviculæ! neſcio, quibus illiciis vos ſubinde Sathan à recta ſemita abducat; cùm verò de reditu ad bonum Paſtorem! ad JESUM cogitatis! O ſi videretis, quo gaudio ejus famuli & miniſtri, cuſtodes noſtri Angeli vos recipiant, vos deducant, vos comitentur, donec rurſum pius Paſtor ſuis humeris imponat, & ad gregem reducat. Animas noſtras, gemmas pretioſiſſimas ſubinde perdimus per lethale aliquod crimen: O ſi videremus, quàm ſollicitè Angeli cuſtodes illas quærant, nec ceſſent, donec cum gaudio reperiant. Nos ſubinde ſumus filii prodigi: ah! quoties ab ædibus benigniſſimi Patris recedimus, in regionem longinquam, longè à Deo: O ſi videremus, qua cura nihilominus noſtri Angeli nos comitentur: & ſi forte gratia Dei illuminati de reditu ad Deum cogitemus, quo jubilo nobis occurrunt: quo ſolatio ad Patrem nos reducunt. O ſi videremus! ipſi ſunt famuli, qui afferunt aquas, ut lavemur! ipſi portant ſtolam & veſtes, ut rurſum veſtiamur: ipſi adſunt cum annulo gratiæ: ipſi miniſtri ſunt, qui apparant conviviũ: ipſi clientes diſponunt, ut digni manducent carnem, non vituli ſaginati, ſed Agni immaculati.

§. 9. Eoſdem defendunt contra novas tentationes dæmonis.

Qua deinde cura animas noſtras ſic lotas, ſic ornatas cuſtodiant, ne à diabolis tanto theſauro gratiæ rurſum ſpolientur, in alio jucundo ſpectaculo videbitis. Deſcribit illud S. Joannes in Apocalypſ. cap. 12. v. 1. 2. 3. Vidit Evangeliſta 1. Mulierem amictam ſole, & coronam ſtellarum duodecim in capite ſuo. Vidit 2. magnum draconem rufum, cum ſeptem capitibus & decem cornubus. Vidit 3. draconem inſidiari filio illius mulieris, ad devorandum. Vidit 4. advolantem S. Michaëlem Archangelum,

lum, qui cum ſerpente pugnavit, & victum in tartara dejecit; & ſic mulierem cum infante liberavit. O Domine DEus, aperi oculos meorum Auditorum! Videbitis 1. animam juſti, eſſe illam Reginam & Sponſam, amictam ſole lucis divinæ, irradiatam radiis gratiæ, coronatam ſtellis pulcherrimarum virtutum. Videbitis 2. & 3. quâ curâ infernalis draco, dies, noctesque tranſeat, currat, quærat, ut devoret animas. Sed videbitis 4. cum gaudio, cum pio ſolatio, S. Michaëlem Archangelum, cum exercitu Angelorum cuſtodum, qui nobis aſſiſtunt, ut contra Dæmonem, & tentationes ejus, pugnemus animosè, vincamus gloriosè. Bernardus ſerm. 39. in Cant. *Nunquam* (Sponſa Chriſti, vel anima ſancta) *eſt ſine Angelorum cuſtodia*; *Angelicis fulta miniſteriis, & ſuperno ſtipata agmine, incedit.* Angelis ſuis hoc mandavit Deus, ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris, præſertim illis, quæ à tramite cœli nos abducere poſſunt ad portam perditionis.

§. 10. *Monent, ne rurſum labantur in peccata*

Ideo monent & impediunt, ne pœnitentes clientes in abyſſos ſcelerum ſe rurſum præcipitent. Cùm Camillus vir piiſſimus, rapidiſſimo torrenti, pleno vorticibus & voraginibus, pedem imponere vellet, vocem hominis, quem tamen non vidit, audivit, *ſiſte! ſiſte*! quia Angelorum cultui fuit addictiſſimus, credidit deinde, quod tantum periculum evaſiſſet, fuiſſe vocem Tutelaris Angeli. O Domine aperi oculos Auditorum meorum; videbitis, quas foveas vobis præparet mundus, ad quas voragines vos alliciat caro: ad quæ præcipitia, quale chaos vos deducat diabolus; ſed ſimul videbitis cuſtodes Spiritus, vobis aſſiſtentes, audietis illos clamantes: filii! ſiſtite! ſiſtite! attendite, ipſi vobis monſtrabunt periculoſa illa loca, ut ſi vultis fugere, & tantum periculum devitare poſſitis. Pulchrè S. Bonaventura: *Adverſarius veſter diabolus, tanquam leo circuit, quærens, quem devoret, cui nulla poteſtas ſuper terram comparari poteſt. Job. 4. cap. Modò impugnat per violentiam tribulationum, modo per blanditias tentationum; modò per aſtutias & fraudulentias illuſionum* (ecce foveas, ecce voragines) *Contra igitur hoſtes tam callidos, tam potentes, humana fragilitas, nequaquam ſtare poſſet, niſi haberet ſanctos Angelos adjutores, qui eorum ſævitiam coërcent, & eorum repellunt impugnationes.* Quiſque amet Angelum ſuum cuſtodem, & experietur non ſine cauſa promiſiſſe tali Davidem Pſ. 33. v. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu, &c.* S. Hieronymus legit ex Hebræo, *Circumdat Angelus Domini, in circuitu, timentes eum, & eruet eos.*

§. 11. *Cuſtodia Angelorũ declaratur duobus ſimilibus, ex S. Bern. & S. Thoma Aquinate*

Sicut igitur Rex, ſecum ſemper habet ſatellites, qui corpus ejus tueantur, & fideliter cuſtodiant; ſic & nobis veluti filiis Regis Regum, cœleſtes milites providit, qui ubique armis ſuæ potentiæ nos cuſtodiant & protegant, ut ſecurius quiſque noſtrum, hoc velut clypeo munitus, prodire queat, ac olim Artemon, qui nunquam domo exibat, niſi quis ſcutum ſupra verticem ejus geſtaſſet, ne quid ex alto forte improviſum feriret: Ita inquit S. Bern. in Pſ. 90. ſer. 5. *quia*

Digitized by Google

quia undique hic circumdati ſumus tentationibus, ſcuto circumdabit nos Veritas ejus, ut quemadmodum undique bella; ita undique ſint & præſidia. Verè munitiſſima civitas eſt anima juſti, & urbs fortitudinis, ſive, turris fortiſſima, quoniam à Sancto Angelo ad tutelam circumdatur, qui inſultantes à longe ſtare compellit, & irruentes deludit: Alio ſimili Angelorum cuſtodiam declarat S. Thomas 1. p. q. 113. art. 4 in corp. Dicendum quod homo in ſtatu vitæ iſtius, conſtitutus eſt quaſi in quadam viâ, quâ debet tendere ad patriam: in quâ quidem viâ multa pericula imminent homini, ſecundum illud pſalmi. In via hâc, quâ ambulabam, abſconderunt laqueum mihi: Et ideo ſicut hominibus, per viam non tutam ambulantibus, dantur cuſtodes, comites, milites, &c. ita & cuilibet homini, quam diu Viator eſt, Cuſtos Angelus deputatur.

§. 14. *Et ex hiſtoria Judith.* Judith, pulchritudinis miraculum, cui Dominus contulerat quendam ſplendorem, & venuſtatem ampliarat, ut incomparabili decore omnium oculis appareret, ut ejus aſpectu ſtatim captus & raptus fuerit Holofernes, ut milites Aſſyrii præ ſtupore: exclamarint, Judit. 10. 18. *quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, &c.* Interim quis hanc candidiſſimam columbam, inter tot vultures, oviculam inter lupos, intactam ac illæſam conſervavit? Ipſa de ſe loquatur, & quem ſui defenſorem nacta fuerit, ediſſerat; cap. 13. ait: *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem per militum caſtra, & ibi commorantem apud perditiſſimum lenonem, & inde huc revertentem per petulantium militum turmas, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.* Pulchritudinem & venuſtatem Judithæ longè ſuperat, quævis anima juſti, ſi in poteſtatem Holofernis non incidat, præter alia auxilia D. Gratiæ, id adſcribat Angelo Cuſtodi. Et vos Auditores, (S. Bern. in Pſ. 9. ſer. 11.) quoties graviſſima videtur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminet, invocate Cuſtodes veſtros, ductores veſtros, adjutores veſtros in opportunitatibus; clamate ad illos, & dicite; Salvate nos! perimus! non dormiunt, neque dormitant, qui cuſtodiũt nos. Aderunt infallibiliter.

Præſertim cum in agone contra tam potentes hoſtes nobis luctandum erit: S. Cyryll. Alexand. *Adſunt nobis tunc exercitus, & poteſtates tenebrarum, ut ipſi animæ, vel aſpectus ſolus ſit gravior omni pœna; quos intuens anima turbatur, fremit, horreſcit, anguſtiatur, refugit:* taceo graviſſimas tentationes, quibus tunc maximè contra animam inſurgit; quas niſi divinâ gratiâ, & ope cœleſtium Civium, Sanctorum præcipue Angelorũ, ſubnixi; vincere non poſſemus: adeò ſæviet hoſtis horrende: Luc. 16. v. 22. ait ſacer textus: *factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno:* hic nulla fit mentio aſſiſtentium Angelorũ: Domine Deus aperi oculos meorũ Auditorum. Videbitis divitem jacentem in purpureo ſtrato, graviſſimorum ſcele- §. 15. *In agone ultimo adſunt præſertim ſuis Clientibus.*

ſcelerum reum obrui à repentina & improvisâ morte, videbitis Angelum ejus Cuſtodem ſtantem à longe, ad latus verò morientis ſtantem Sathanam, acrem accuſatorem: mox videbitis miſerum poſt latam Judicis ſententiam ſepeliri in inferno, ut in illo ardeat, & crucietur in omnem æternitatem. Apage hodie cum hoc funeſto & triſti ſpectaculo.

§ 14. *Beata mors Lazari.* Domine Deus aperi noſtros oculos! videbimus Lazarum agonizantem in vili lectulo; ſed cinctum Angelorum choro, qui mox egreſſam animam deportarunt ad ſinum Abrahæ. Sic hoc ſæculo mortuus fuit piiſſimus juvenis Alexander Bertius, in agone ad circumſtantes dicens: ***An non coram intuemini, Mariam DEI Matrem, Dominam meam, meumque Angelum Cuſtodem?*** paulò poſt: ***O Jeſu tuus ſum!*** & mox elevans debile corpus ſuſpiravit, ***In cœlum! in Cœlum!*** ſic expiravit! O beatam & pretioſam mortem! Si ſic mori vultis, colite & amate Angelos veſtros Cuſtodes.

§. 15. *Epilogus.* Cogor plurima alia illorum erga nos beneficia rejicere in alias conciones; hanc modo finio. Cum junior Tobias, redux de ſuo itinere, parentibus narraſſet, diverſa Dei beneficia, quæ fecerat circa eum, per hominem, qui eum duxerat, quæſivit ex eo Pater c. 12. *Quid poſſumus dare viro iſti Sancto, qui venit tecum?* reſpondit filius: *Pater quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum eſſe poterit beneficiis ejus? ipſe me deduxit, ipſe reduxit, ipſe me eripuit ex ore piſcis, ipſe fugavit dæmonem, ipſe te videre fecit lumen cœli, bonis omnibus per eum repletiſumus: quid illi ad hæc poterimus dignum dare?* Eandem quæſtionem nos proponere poſſumus: Quid retribuemus Angelis noſtris Cuſtodibus? & reſpondere, ipſi ducunt nos, &c. Hoc facite, quod Raphaël fieri voluit, *Benedicite DEUM cœli, & confitemini illi, quia fecit miſericordiam ſuam vobiſcum, &c.* ex his fiat pius Epilogus.

CON-

CONCIO LXXXV.

FESTO SS. APOST. SIMONIS ET JUDÆ.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem, Joannis 15. v. 17.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit neceſſitatem & utilitatem mutuæ dilectionis inter Chriſtianos.

§. 1. *Perfectio Chriſtiana comparatur ædificio, cujus fundamenta & muri, ſunt fides, ſpes, & caritas.*

§. 2. *Ratio S. Ambroſii ob quam inter Chriſtianos requirit mutuam charitatem.*

§. 3. *Eccleſia, cur competur malo Punico.*

§. 4. *Cur exercitui.*

§. 5. *Variæ ſententiæ de militari baltheo, cujus mentionem facit Sanctus Paulus ad Eph. 6.*

§. 6. *Ex mente S. Pauli charitas eſt ille baltheus.*

§. 7. *Zona ſummi ſacerdotis in veteri Teſtamento, fuit figura ejuſdem dilectionis.*

§. 8. *Sicut & aurea Zona, qua S. Joannes præcinctum vidit Filium hominis Apoc. 1.*

§. 9. *Hac Zona vel cingulo præcinctus fuit Sanctus Paulus.*

§. 10. *Digreſſio vel invectiva in illos, qui faciunt ſciſſuras inter Chriſtianos. Sunt crudeliores flagellatoribus Chriſti.*

§. 11. *Lacerant veſtem & corpus Chriſti.*

§. 12. *Diligere debemus, ut Deus dilectionis ſit nobiſcum.*

§. 13. *Mutua dilectio eſt ſignum æternæ Prædeſtinationis. Probatur ex cap. 4. Cant.*

§. 14. *Ex capite 6. Et capite 2. Joſue.*

§. 15. *Ex capite 38. & 25. Geneſis.*

§. 1. *Perfectio Chriſtiana, comparatur ædificio, cujus* SAcra ſcriptura, multi ex Sanctis Patribus, perfectione Chriſtiana loquentes, veluti de fabrica alicujus ædificii, vel palatii: de fundamentis Spiritualis hujus domus, ait Zeno lib. 1. cap. 2. *Tribus in rebus, Chriſtiani culminis fundamenta, conſiſtunt, id eſt, in fide, & ſpe caritate: itaque Chriſtianus tribus in rebus, ſi cupit eſſe per-* *fundamenta & muri, ſunt fides, ſpes, Caritas.*

Digitized by Google

cors Jeſus ex ſola miſericordia convertit peccatores, ſcilicet ſuavi aſpectu oculorum: his oculis in Concione aſpexit publicam peccatricem Magdalenam & ſtatim vim intulit, ſtatim traxit ad ſui amorem, & ad pœnitentiam, his oculis aſpexit Petrum in domo Caiphæ, latronem in Cruce, Matthæum in telonio, ex benigniſſimis oculis tam ſplendidos emiſit radios, ut ſtatim vim intulerit. Petrus flevit, latro petiit paradiſum, Matthæus ſurgens ſecutus eſt Jeſum; tanta vis & potentia inerat oculis Chriſti.

§. 7. *Caradrion, avis, mirabiles habet oculos.* Caradrioni, avi candidiſſimæ natura prodigioſos & ſalutares dicitur dediſſe oculos, aſpiciens ægrum per oculares radios tam ſalutares emittit influxus, ut ſint veluti medicina qua æger ſanatur: dubito an avis talis in rerum natura reperiatur. Chriſtum Dominum ſcio à ſponſa comparari columbæ, ab aliis aquilæ, vel Pelicano: ſeipſum ipſe confert cum gallina: hæc gallina, hæc aquila non alas tantum habet quibus protegat, hic pelicanus non ſanguinem tantùm habet quo nutrit, ſed oculos inſuper habet tam ſalutares, tam prodigioſos, ut ſolo aſpectu ſanet peccatores.

§. 8. *Oculi Chriſti ſoles ſunt cum triplici radio.* Thraces, (teſte Sidonio Apollinari) ut oculorum Dei afficaciam exprimerent, pinxerunt ſolem cum triplici radio; unus directus in mortuum cadaver hominis, ſtatim vitam illi reddit; alter irradians montem tectum nivibus, momento illas liquefacit: tertius feriens ſcopulum, ſua vi & calore illum conterit: ſolis hujus inſcriptio fuit, *Oculi Dei ad nos*: tali modo depingi debent luci diſſimi oculi, pulcherrimi ſolis Juſtitiæ, Chriſti Salvatoris: hæc fuit vis & efficacia radiorum quos ex oculis emittebat: an non cadaver erat Magdalena, ob mortem animæ à plurimis ſceleribus illatam? unico radio oculorum Chriſti illuminata rediit ad vitam. Mons nive & gelu tectus, erat Petrus, ideo acceſſit focum ut calefieret: non ignis, ſed radius ex oculis Chriſti gelu hoc ſolvit, nix diſſoluta fuit in amaras lacrymas. Scopulus hujus mundi, & negotiorum ſæculi, fuit Matthæus, unico radio Chriſtus Dominus hunc ſcopulum contrivit: Oculi Chriſti fuerunt ſuper illos: iidem ſunt ſuper nos, ſuper omnes, etiam graviſſimos peccatores, ſol hic lucet, omnibus offert hos radios ut ſuavi modo ſit nobis miſericors.

§. 9. *Cur quidam ab his radiis non illuminentur.* Undè ergo fit, ut cum S. Joanne cap. 3. v. 19. dicere poſſimus: *lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem*? unde tot filii tenebrarum? Quæſtioni ſatisfacit Origenes: *illuminat omnem hominem, quoſdam ut lateres, alios ut adamantes & ſpecula.* Pulchrum latet ſimile, ſol illuminat omnia, ſed non omnia eodem modo lucem recipiunt. Lapis aliquis v. g. illuminatur à Sole tantum ſecundum ſuperficiem, lux ſolis non penetrat lapidem, quod tamen non eſt aſſcribendum ſoli, ille illuminat, ille radios ſpargit, ipſi lapidi, qui eſt fructum luti, eſt concreta maſſa terrea, cum qualitatibus terreis luti contrariis: adamas,

vel

vel ſpeculum, vel pulchrum vitrum non in ſuperficie tantùm, ſed intus etiam illuminatur, imbibit lucem, penetratur à radiis, quia tale corpus, eſt particula cœli, diſpoſita intus luci recipiendæ. Pari ratione ſol Juſtitiæ ſuos ſpargit radios miſericordiæ, ſuper omnes: quod aliquorum corda nihilominus maneant opaca & tenebroſa, in caligine & umbra mortis non ſoli, ſed ipſis eſt aſcribendum: habent corda lutea, terrea, indiſpoſita ad recipiendos radios tam pulchros: in momento converſionis cor Matthæi, quod lutum erat, converſum eſt in particulam cœli, in vitrum, in ſpeculum, ſtatim terrena omnia à ſe removit, ideo fuit illuminatus, tantamque hauſit lucem, ut ſtatim ſecutus ſit Chriſtum. Eoſdem radios vobis offert ſol miſericordiæ: ſed quæſo, qualia corda habetis, ſuntne terrea, &c. (applica pulchrè.)

§. 10. *Proſecutio.* Pari ratione, quod ſol qui ſemper lucet, reſpectu alicujus regionis obnubiletur, alibi ſit ſerenus, non ſoli, ſed diſpoſitioni terræ eſt aſcribendum. Regiones aliæ ſunt humidæ, paluſtres, plenæ craſſis vaporibus, ex quibus generantur nubes, quæ radiis ſolis obſiſtunt, aliæ verò plagæ ſunt puriores, purgantur ventis, carent nubibus, his ſol lucet ſerenus. O peccatores, quod hæreatis in tenebris quod non illuminemini, vobis imputate, in cordibus veſtris ſunt paludes, hinc vapores & nubes, de quibus ait Iſaias c. 59. v. 2. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis.* Talis diviſio erat inter Matthæum & Chriſtum Dominum, peccata abſconderant illi faciem ſolis, verùm miſericordia excitavit ventos gratiæ, piorum affectuum & deſideriorum, quibus cor ejus eventilatum, converſum fuit in adamantem, qui radios oculorum Chriſti ſtatim ſuſcepit, hi vim illi intulerunt, ſed ſuavem, hoc modo miſericordia Dei de Matthæo triumphavit. Permitte mihi Sancte Matthæe, ut te alloquar verbis S. Petri ep. 1. c. 2. v. 9. *Tu es de genere electo, de gente ſancta, de populo acquiſitionis*, ille, miſericors Jeſus, te te publicanum, &c. *de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum*, ut virtutes enarres ejus, ut enarres, quanta ſit miſericordia Domini.

Tertiam circumſtantiam, quando Chriſtus D. illi miſericordiam exhibuerit, ſive quod vocaverit Matthæum ex telonio, ex ſchola iniquitatis, ad gymnaſium virtutum, &c. ſive, quod bonus Salvator peccatori præcipuè ſuccurrat, cùm in ſumma verſatur neceſſitate; alibi deduco. Modo finio verbis S. Greg. ſupra citatis. *Penſate fratres, pondus tantæ pietatis & miſericordiæ, &c.* (Eſt locus pro pulchro epilogo.) Seneca ad Lucilium ep. 32. *Propera Lucili cariſſime, & cogita quantum celeritatis additurus fueris, ſi à tergo hoſtis inſtaret, ſi equitem adventare ſuſpicareris, ac fugientis premere veſtigia. Fit hoc, premeris, accelera & evade, perduc te in tutum.* applica pulchrè. Fuge ad Jeſum, premit te mors, &c. §. 11. *Quomodo ſit miſericors.*

***

CONCIO LXXXIV.

FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt, Matth. 18. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ANgeli cuſtodes etiam clientes peccatores non deſerunt; pœnitentes recipiunt cum magno gaudio: eoſdem defendunt contra novas tentationes diaboli, cavent, ne rurſum labantur in peccata; denique adſunt morientibus. Eximia hæc beneficia proponit præſens concio.

§. 1. *Conglobatio elogiorum de ſanctis Angelis.*
§. 2. *Quibus eorum beneficia & officia erga nos homines explicantur.*
§. 3 *SS. Angeli faciunt fortem exercitum ad noſtri cuſtodiam.*
§. 4. *Sancti Angeli cuſtodes, etiam peccatores non planè deſerunt.*
§. 5. *Aureum monitum S. Bern.*
§. 6. *Sancti Angeli detinent gladium D. Juſtitiæ, ne ſtatim ferat.*
§. 7. *Figura fuit Angelus, qui Iſaacum à gladio Patris liberavit.*
§. 8. *Angeli cuſtodes cum gaudio recipiunt peccatores pœnitentes.*
§. 9. *Eoſdem defendunt contra novas tentationes dæmonis.*
§. 10. *Monent, ne rurſum labantur in peccata.*
§. 11. *Cuſtodia Angelorum declaratur duobus ſimilibus, ex S. Bernardo, & S. Thoma Aquinate.*
§. 12. *Et ex hiſtoria Judith.*
§. 13. *In agone ultimo præſertim adſunt ſuis clientibus.*
§. 14. *Beata mors Lazari.*
§. 15. *Epilogus.*

§. 1. *Conglobatio elogiorum de SS. Angelis.*

MEmini, me in alia Concione hodierni feſti, ſive Panegyri ſanctorum Angelorum cuſtodum, pro exordio vel præfatione uſum fuiſſe pulcherrimis illorum cœleſtium Spirituum elogiis: ex S. Sophronio Archiepiſcopo Hieroſolymitano: interim apud eundem t. 2. Bibliothecæ Patrum orat. 6. reperi alia: ita enim citato

tato loco ſanctos Angelos alloquitur: *Vos omnium Regis eſtis adminiſtri, vos venti & Spiritus, & aqua, & Principes, & equi, & exercitus, & rerum divinarum interpretes, & cuſtodes, & præſides, & conſervatores, & conductores, & vitæ duces, & inquiſitores, & curatores, & illuminatores, & luminaria, & lampades, & montes, & colles, & nubes, & judices, & ſculptores, & defenſores, & decertatores, & propugnatores, & ſpecula, & ſimulacra, & imagines, & nautæ, & naves, & gubernatores! Vos ii eſtis, qui cœlum curſu expeditiſſimo tranſmittitis: qui Creatoris voluntatem indefeſsè perficitis, qui Dei tabernacula appellamini: qui carbones & turbines, & flammæ nominamini.*

§. 2. *Quibus eorũ officia & beneficia erga nos homines declarantur Geneſ. 3. v. 24.*

His encomiis Sanctorum Angelorum, præcipuè cuſtodum, & eorum nobilitas & excellentia! & officia atque innumera beneficia erga nos homines declarantur atque extolluntur: v.g. Anima hominis juſti, eſt hortus & paradiſus! cuſtodes Angeli, ante illum ſunt poſiti, cum flammeo gladio, ut illum protegant. Anima noſtra eſt vinea cœleſtis ſponſi; ejus murus eſt Angelorum cuſtodia. Anima ſancta eſt lectulus & ferculum Salomonis, ſexaginta fortes, qui cingunt, tutelares ſpiritus. Hæc & ſimilia deduxi in alia concione, cum in communi egi de angelorum cuſtodia. In particulari, ſæpe, licet ab impiis fideles Comites nonnihil recedant, tamen detinent gladium cœleſtis iræ, ne ſtatim feriat. Angeli cuſtodes, ſuos clientes, peccatores, ſi reſipiſcant, cum gaudio ſuſcipiunt. Animam pœnitentis, gratia denuo ornatam, defendunt contra tentationes diaboli, ne in ſcelera relabatur: denique in hora mortis nobis aſſiſtunt: Hæc eorum, vel officia, vel beneficia, modo latius explicabo. Spero fore, ut in honorem SS. Angelorum benevolè me audiatis.

§. 3. *SS. Angeli faciunt fortem exercitũ ad noſtri cuſtodiam*

Lib. 4. Reg. cap. 6. v. 16. miſit Rex Syriæ, equos & currus, & robur exercitus ad capiendum Eliſæum, qui latebat in Dothain: qui cùm veniſſent noctè, circumdederunt civitatem. Conſurgens autem diluculo miniſter viri Dei, egreſſus, vidit exercitum in circuitu civitatis, nuntiavitque ei dicens: *heu! heu! heu! Domine mi.* quid faciemus? reſpondit Eliſæus; *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* cumque oraſſet Eliſæus ait, *Domine, aperi oculos ejus ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.* Antequam ego modo de Angelorum quibuſdam erga nos beneficiis loqui pergam, idem opto & oro: O Domine! aperi oculos meorum auditorum, ut videant; & videbunt jucunda quædam ſpectacula, quæ pleraq; collegi ex ſacris literis.

§. 4. *SS. Angeli cuſtodes etiam peccatores non planè deſerunt.*

Primum & ingens illorum beneficium eſt, quod etiam erga peccatores ſint benevoli. Vera quidem fuit querela Davidis Pſalm. 37. v. 12 *Qui juxta me erant, de longè ſteterunt*: id eſt, qui alias fortiter mecum pugnarunt, & me defenderunt, milites fortiſſimi; modò me ſolùm deſeruerunt.

Ad

Ad literam David fortaſſis loquitur, vel conqueſtus fuit, ut dixi, de ſuis ducibus, qui in prælio fugerunt: ſenſu autem myſtico, ex mente S. Ambroſii, David hæc verba protulit, poſt agnitum adulterium & homicidium, in quo ſtatu tanquam hoſtis & inimicus Dei, advertit ſibi ſubtractum peculiare Dei auxilium, quod aliàs, præſertim in præliis adverterat: advertit, ſe deſertum à cuſtodibus Angelis, ideò de illis ait, qui aliàs in tot periculis & præliis, inter tot hoſtes & perſecutiones, juxta me fuerunt, & lateri meo aſtiterunt, modò longè ſtant à me, & ideo ſentio, *vim magnam illos facere, qui quærunt animam meam.* Pſalm. 37. In duas claſſes divido præſentes meos Auditores: ſunt alii in gratia, filii & amici Dei: alii vivunt in ſtatu actualis peccati mortalis, hoſtes & inimici Dei! ô Domine Deus, utrorumque aperi oculos, ut videant. Juſti videbunt cum ingenti ſolatio aſtantes ſibi Angelos, in aureis loricis, cum argenteis clypeis, cum flammeis gladiis, ad cuſtodiam & defenſionem: impii cum horrore videbunt, propè ſibi aſſiſtere infernales ſpiritus; longè verò ſtare cuſtodes Angelos, & ideò, ut ait S. Ambroſius in citat. Pſalm. *Angelis protectionis excubias relaxantibus,* (in pœnam commiſſi peccati mortalis) *inſideantur magis inimici, vim adhibent majorem, quærentes animas.*

§. 5. *Aureum monitum S. Bernardi.*

Quæ cùm ita ſint, (monet nos S. Bernardus ſerm. 1. in feſto S. Michaëlis.) *penſate, quanta etiam nobis opus ſit ſolicitudine, dilectiſſimi, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo converſemur, in conſpectu Angelorum, ne fortè ſanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, ſi quando provocati peccatis & negligentiis noſtris indignos nos judicaverint præſentia & viſitatione ſua, ut jam neceſſe habeamus & nos plangere, & dicere cum Propheta* Pſal. 37. *Amici mei, & proximi mei, adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt, & qui juxta me erant, à longè ſteterunt.*

§. 6. *Sancti Angeli detinent gladium D. Juſtitiæ, ne ſtatim feriat.*

Sed ea eſt Angelorum bonitas, ille erga humanum genus amor, ut etiam clientes peccatores, quàmdiu vivunt, non planè deſerant, teſte B. Petro Damiano ſerm. de exalt. Crucis. *Angelos ad noſtram cuſtodiam deputatos, quotidie multipliciter offendimus, & offenſam negligentiis cumulamus: ipſi autem licet frequenter à nobis injurias patiantur, ſuſtinent tamen & compatiuntur peccatoribus, nec minor illorum circa nos cuſtodia, imò major ſollicitudo, cùm boni cuſtodis ſit, infirmis magis, quàm ſanis operam exhibere.* Tum maximè invigilant, ut quamdiu poſſunt, gladium cœleſtis ultionis detineant, ne feriat: implorant pro nobis Divinam miſericordiam, ne Juſtitia ſtatim puniat.

§. 7. *Figura fuit Angelus, qui Iſaacum à gladio Patris liberavit.*

Geneſis 22. cap. 10. Abraham juſſu DEI immolaturus filium Iſaac, vim tandem inferens naturæ, illum impoſuit aræ; ſed cùm jam etiam ferrum ſtringeret, ad ferale m ictum: ecce, Angelus Domini clamavit, *Abraham, non extendas manum tuam ſuper puerum, tenuitque gladium Patris.* Sic Angelus à cervice Iſaaci letale avertit vulnus. O Domine

mine DEUS! aperi oculos meorum auditorum, ut videant; videbitis, dilectiſſimi, ſimiles vel tragœdias vel comœdias, hinc enim cum horrore videbitis, radiantem & fulgurantem è nubibus gladium Divinæ Nemeſis, ut feriat impios, videbitis arcum extenſum, ſagittas paratas: ex altera parte ſpectabitis cum gaudio cuſtodes Angelos, cum magna cura ſollicitos, ut gladium detineant; ut monitionibus, ſuggeſtionibus, minis, promiſſis, clientum oculos aperiant, ut agnoſcant periculum, & per pœnitentiam, è tanto periculo ſe liberent. Fortaſſis, una mecum multi cum magna gratiarum actione fatebuntur, multùm in hoc nos debere Angelis cuſtodibus.

§. 8. *Angeli cuſtodes cum gaudio recipiunt peccatores pœnitentes.* Patet adhuc amplius illorum erga nos amor, in hoc, quod clientes pœnitentes, licet peccaverint, ſi reſipiſcant, cum gaudio ſuſcipiant. Luc. 15. v. 7. ait Chriſtus D. *Gaudium erit in cœlo, coram angelis Domini, ſuper uno peccatore, pœnitentiam agente*, quod triplici explicat ſimili: bonus enim paſtor, cum gaudio recipit errabundam oviculam; mulier, perditam drachmam, reperit cum lætitia: prodigo, ſed reduci filio, occurrit amantiſſimus Pater cum hilaritate. O Domine DEUS, aperi oculos meorum Auditorum, ut videant! Vel dilectiſſimi eſtis ſubinde errabundæ oviculæ! neſcio, quibus illiciis vos ſubinde Sathan à recta ſemita abducat; cùm verò de reditu ad bonum Paſtorem! ad JESUM cogitatis! O ſi videretis, quo gaudio ejus famuli & miniſtri, cuſtodes noſtri Angeli vos recipiant, vos deducant, vos comitentur, donec rurſum pius Paſtor ſuis humeris imponat, & ad gregem reducat. Animas noſtras, gemmas pretioſiſſimas ſubinde perdimus per lethale aliquod crimen: O ſi videremus, quàm ſollicitè Angeli cuſtodes illas quærant, neç ceſſent, donec cum gaudio reperiant. Nos ſubinde ſumus filii prodigi: ah! quoties ab ædibus benigniſſimi Patris recedimus, in regionem longinquam, longè à Deo: O ſi videremus, qua cura nihilominus noſtri Angeli nos comitentur: & ſi forte gratia Dei illuminati de reditu ad Deum cogitemus, quo jubilo nobis occurrunt: quo ſolatio ad Patrem nos reducunt. O ſi videremus! ipſi ſunt famuli, qui afferunt aquas, ut lavemur! ipſi portant ſtolam & veſtes, ut rurſum veſtiamur: ipſi adſunt cum annulo gratiæ: ipſi miniſtri ſunt, qui apparant conviviũ: ipſi clientes diſponunt, ut digni manducent carnem, non vituli ſaginitati, ſed Agni immaculati.

Qua deinde cura animas noſtras ſic lotas, ſic ornatas cuſtodiant, ne à diabolis tanto theſauro gratiæ rurſum ſpolientur, in alio jucundo ſpectaculo videbitis. Deſcribit illud S. Joannes in Apocalypſ. cap. 12. v. 1. 2. 3. Vidit Evangeliſta 1. Mulierem amictam ſole, & coronam ſtellarum duodecim in capite ſuo. Vidit 2. magnum draconem rufum, cum ſeptem capitibus & decem cornubus. Vidit 3. draconem inſidiari filio illius mulieris, ad devorandum. Vidit 4. advolantem S. Michaëlem Archangelum, §. 9. *Eoſdem defendunt contra novas tentationes dæmonis.*

lum, qui cum ſerpente pugnavit, & victum in tartara dejecit; & ſic mulierem cum infante liberavit. O Domine DEus, aperi oculos meorum Auditorum! Videbitis 1. animam juſti, eſſe illam Reginam & Sponſam, amictam ſole lucis divinæ, irradiatam radiis gratiæ, coronatam ſtellis pulcherrimarum virtutum. Videbitis 2. & 3. quâ curâ infernalis draco, dies, noctesque tranſeat, currat, quærat, ut devoret animas. Sed videbitis 4. cum gaudio, cum pio ſolatio, S. Michaëlem Archangelum, cum exercitu Angelorum cuſtodum, qui nobis aſſiſtunt, ut contra Dæmonem, & tentationes ejus, pugnemus animosè, vincamus gloriosè. Bernardus ſerm. 39. in Cant. *Nunquam* (Sponſa Chriſti, vel anima ſancta) *eſt ſine Angelorum cuſtodia*; *Angelicis fulta miniſteriis, & ſuperno ſtipata agmine, incedit.* Angelis ſuis hoc mandavit Deus, ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris, præſertim illis, quæ à tramite cœli nos abducere poſſunt ad portam perditionis.

§. 10. *Monent, ne rurſum labantur in peccata*

Ideo monent & impediunt, ne pœnitentes clientes in abyſſos ſcelerum ſe rurſum præcipitent. Cùm Camillus vir piiſſimus, rapidiſſimo torrenti, pleno vorticibus & voraginibus, pedem imponere vellet, vocem hominis, quem tamen non vidit, audivit, *ſiſte! ſiſte!* quia Angelorum cultui fuit addictiſſimus, credidit deinde, quod tantum periculum evaſiſſet, fuiſſe vocem Tutelaris Angeli. O Domine aperi oculos Auditorum meorum; videbitis, quas foveas vobis præparet mundus, ad quas voragines vos alliciat caro: ad quæ præcipitia, quale chaos vos deducat diabolus; ſed ſimul videbitis cuſtodes Spiritus, vobis aſſiſtentes, audietis illos clamantes: filii! ſiſtite! ſiſtite! attendite, ipſi vobis monſtrabunt periculoſa illa loca, ut ſi vultis fugere, & tantum periculum devitare poſſitis. Pulchrè S. Bonaventura: *Adverſarius veſter diabolus, tanquam leo circuit, quærens, quem devoret, cui nulla poteſtas ſuper terram comparari poteſt. Job. 4. cap. Modò impugnat per violentiam tribulationum, modo per blanditias tentationum; modò per aſtutias & fraudulentias illuſionum* (ecce foveas, ecce voragines) *Contra igitur hoſtes tam callidos, tam potentes, humana fragilitas, nequaquam ſtare poſſet, niſi haberet ſanctos Angelos adjutores, qui eorum ſævitiam coërcent, & eorum repellunt impugnationes.* Quiſque amet Angelum ſuum cuſtodem, & experietur non ſine cauſa promiſiſſe tali Davidem Pſ. 33. v. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu, &c.* S. Hieronymus legit ex Hebræo, *Circumdat Angelus Domini, in circuitu, timentes eum, & eruet eos.*

§. 11. *Cuſtodia Angelorū declaratur duobus ſimilibus, ex S. Bern & S. Thoma Aquinate*

Sicut igitur Rex, ſecum ſemper habet ſatellites, qui corpus ejus tueantur, & fideliter cuſtodiant; ſic & nobis veluti filiis Regis Regum, cœleſtes milites providit, qui ubique armis ſuæ potentiæ nos cuſtodiant & protegant, ut ſecurius quiſque noſtrum, hoc velut clypeo munitus, prodire queat, ac olim Artemon, qui nunquam domo exibat, niſi quis ſcutum ſupra verticem ejus geſtaſſet, ne quid ex alto forte improviſum feriret: Ita inquit S. Bern. in Pſ. 90. ſer. 5.

quia

Digitized by Google

quia undique hic circumdati ſumus tentationibus, ſcuto circumdabit nos Veritas ejus, ut quemadmodum undique bella; ita undique ſint & præſidia. Verè munitiſſima civitas eſt anima juſti, & urbs fortitudinis, ſive, turris fortiſſima, quoniam à Sancto Angelo ad tutelam circumdatur, qui inſultantes à longe ſtare compellit, & irruentes deludit: Alio ſimili Angelorum cuſtodiam declarat S. Thomas 1. p. q. 133. art. 4 in corp. Dicendum quod homo in ſtatu vitæ iſtius, conſtitutus eſt quaſi in quadam viâ, quâ debet tendere ad patriam: in quâ quidem viâ multa pericula imminent homini, ſecundum illud pſalmi. In via hâc, quâ ambulabam, abſconderunt laqueum mihi: Et ideo ſicut hominibus, per viam non tutam ambulantibus, dantur cuſtodes, comites, milites, &c. ita & cuilibet homini, quam diu Viator eſt, Cuſtos Angelus deputatur.

§. 14. *Et ex hiſtoria Iudith.*

Judith, pulchritudinis miraculum, cui Dominus contulerat quendam ſplendorem, & venuſtatem ampliarat, ut incomparabili decore omnium oculis appareret, ut ejus aſpectu ſtatim captus & raptus fuerit Holofernes, ut milites Aſſyrii præ ſtupore: exclamarint, Judit. 10. 18. *quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, &c.* Interim quis hanc candidiſſimam columbam, inter tot vultures, oviculam inter lupos, intactam ac illæſam conſervavit? Ipſa de ſe loquatur, & quem ſui defenſorem nacta fuerit, ediſſerat; cap. 13. ait: *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem per militum caſtra, & ibi commorantem apud perditiſſimum lenonem, & inde huc revertentem per petulantium militum turmas, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.* Pulchritudinem & venuſtatem Judithæ longè ſuperat, quævis anima juſti, ſi in poteſtatem Holofernis non incidat, præter alia auxilia D. Gratiæ, id adſcribat Angelo Cuſtodi. Et vos Auditores, (S. Bern. in Pſ. 9. ſer. 11.) quoties graviſſima videtur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminet, invocate Cuſtodes veſtros, ductores veſtros, adjutores veſtros in opportunitatibus; clamate ad illos, & dicite; Salvate nos! perimus! non dormiunt, neque dormitant, qui cuſtodiũt nos. Aderunt infallibiliter.

§. 15. *In agone ultimo adſunt præſertim ſuis Clientibus.*

Præſertim cum in agone contra tam potentes hoſtes nobis luctandum erit: S. Cyryll. Alexand. *Adſunt nobis tunc exercitus, & poteſtates tenebrarum, ut ipſi animæ, vel aſpectus ſolus ſit gravior omni pœna; quos intuens anima turbatur, fremit, horreſcit, anguſtiatur, refugit*: taceo graviſſimas tentationes, quibus tunc maximè contra animam inſurgit; quas niſi divinâ gratiâ, & ope cœleſtium Civium, Sanctorum præcipue Angelorũ, ſubnixi; vincere non poſſemus: adeò ſæviet hoſtis horrende: Luc. 16. v. 22. ait ſacer textus: *factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno*: hic nulla fit mentio aſſiſtentium Angelorũ: Domine Deus aperi oculos meorũ Auditorum. Videbitis divitem jacentem in purpureo ſtrato, graviſſimorum

ſcelerum reum obrui à repentina & improvisâ morte, videbitis Angelum ejus Cuſtodem ſtantem à longe, ad latus verò morientis ſtantem Sathanam, acrem accuſatorem: mox videbitis miſerum poſt latam Judicis ſententiam ſepeliri in inferno, ut in illo ardeat, & crucietur in omnem æternitatem. Apage hodie cum hoc funeſto & triſti ſpectaculo.

§. 14. *Beata mors Lazari.* Domine Deus aperi noſtros oculos! videbimus Lazarum agonizantem in vili lectulo; ſed cinctum Angelorum choro, qui mox egreſſam animam deportarunt ad ſinum Abrahæ. Sic hoc ſæculo mortuus fuit piiſſimus juvenis Alexander Bertius, in agone ad circumſtantes dicens: *An non coram intuemini, Mariam DEI Matrem, Dominam meam, meumque Angelum Cuſtodem?* paulò poſt: *O Jeſu tuus ſum!* & mox elevans debile corpus ſuſpiravit, *In cœlum! in Cœlum!* ſic expiravit! O beatam & pretioſam mortem! Si ſic mori vultis, colite & amate Angelos veſtros Cuſtodes.

§. 15. *Epilogus.* Cogor plurima alia illorum erga nos beneficia rejicere in alias conciones; hanc modo finio. Cum junior Tobias, redux de ſuo itinere, parentibus narraſſet, diverſa Dei beneficia, quæ fecerat circa eum, per hominem, qui eum duxerat, quæſivit ex eo Pater c. 12. *Quid poſſumus dare viro iſti Sancto, qui venit tecum?* reſpondit filius: *Pater quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum eſſe poterit beneficiis ejus? ipſe me deduxit, ipſe reduxit, ipſe me eripuit ex ore piſcis, ipſe fugavit dæmonem, ipſe te videre fecit lumen cœli, bonis omnibus per eum repleti ſumus: quid illi ad hæc poterimus dignum dare?* Eandem quæſtionem nos proponere poſſumus: Quid retribuemus Angelis noſtris Cuſtodibus? & reſpondere, ipſi ducunt nos, &c. Hoc facite, quod Raphaël fieri voluit, *Benedicite DEUM cœli, & confitemini illi, quia fecit miſericordiam ſuam vobiſcum, &c.* ex his fiat pius

Epilogus.

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXXV.

FESTO SS. APOST. SIMONIS ET JUDÆ.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem, Joannis 15. v. 17.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit neceſſitatem & utilitatem mutuæ dilectionis inter Chriſtianos.

§. 1. *Perfectio Chriſtiana comparatur ædificio, cujus fundamenta & muri, ſunt fides, ſpes, & caritas.*

§. 2. *Ratio S. Ambroſii, ob quam inter Chriſtianos requirit mutuam charitatem.*

§. 3. *Eccleſia, cur comparetur malo Punico.*

§. 4. *Cur exercitui.*

§. 5. *Varia ſententia de illo militari baltheo, cujus mentionem facit Sanctus Paulus ad Eph. 6.*

§. 6. *Ex mente S. Pauli, caritas eſt ille baltheus.*

§. 7. *Zona ſummi ſacerdotis in veteri Teſtamento, fuit figura ejuſdem dilectionis.*

§. 8. *Sicut & aurea Zona, qua S. Joannes præcinctum vidit Filium hominis Apoc. 1.*

§. 9. *Hac Zona vel cingulo præcinctus fuit Sanctus Paulus.*

§. 10. *Digreſſio vel invectiva in illos, qui faciunt ſciſſuras inter Chriſtianos. Sunt crudeliores flagellatoribus Chriſti.*

§. 11. *Lacerant veſtem & corpus Chriſti.*

§. 12. *Diligere debemus, ut Deus dilectionis ſit nobiſcum.*

§. 13. *Mutua dilectio eſt ſignum æternæ Prædeſtinationis. Probatur ex cap. 4. Cant.*

§. 14. *Ex capite 6. Et capite 2. Joſue.*

§. 15. *Ex capite 38. & 25. Geneſis.*

§. 1. *Perfectio Chriſtiana, comparatur ædificio, cujus fundamenta & muri, ſunt fides, ſpes, Caritas.*

SAcra ſcriptura, & multi ex Sanctis Patribus, de perfectione Chriſtiana loqui ſolent, veluti de fabrica alicujus ædificii, vel palatii: de fundamentis Spiritualis hujus domus, ait Zeno lib. 1. cap. 2. *Tribus in rebus, Chriſtiani culminis fundamenta conſiſtunt, id eſt, in fide, & ſpe caritate: itaque Chriſtianus tribus in rebus, ſi cupit eſſe perfectus*

fectus; debet eſſe conſtructus. Regius Pſaltes Pſal. 50. verſ. 22. de hoc ædificio loquitur, veluti de fortiſſimis muris; *Benignè fac Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Ieruſalem:* ad literam loquitur de muris lapideis Jeroſolymæ; in ſenſu myſtico, ſciebat in ſe dirutos muros perfectionis & ſanctitatis, per turpe adulterium, & homicidium Uriæ; proinde hoc voluit dicere David; Tu Domine ſolus es, qui fidem quaſi fundamentum murorum iſtorum infundis; ſpem veluti parietem erigis, caritatem, tanquam inexpugnabile caſtrum, conſtruis & largiris: Et hi ſunt illi muri, quos per te ædificari deſiderant, viſcera mea, & exclamant: Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine, & armis tuæ potentiæ nos protege: Sive, ut orat Eccleſia, *Domine adauge in nobis fidem, ſpem & caritatem*, in quibus virtutibus homo Chriſtianus debet eſſe perfectus. Et propter hanc cauſam in Evangeliis per annum, fidei, ſpei, caritatis, frequenter fit mentio, ut Concionatores, de illis virtutibus agendi habeant occaſionem. Non ita pridem de mandato magno, ſive de verbis Chriſti D. Matt. 22. 37. *Diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis*, oſtendi neceſſarium & utile nobis eſſe, Deum ita diligere; non permiſit tum anguſtia unius horæ me tractare, de dilectione erga proximum: initium Evangelii hodierni, ſive ſeria illa verba æternæ Veritatis: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*, me monent, ut hac concione id faciam. Cogitate eximiam hanc virtutem, Dilectionem proximi, eſſe arborem malogranati, vel ficum, vel fœcundam vitem, mala punica, dulces ficus, ſapidas uvas, id eſt, fructus hujus dilectionis modo breviter vobis proponam. Glorioſos Apoſtolos SS. Simonem & Judam, laudo in aliis panegyricis Sermonibus: veneramur illos hodie peculiari cultu; ſi juxta præceptum Chriſti Domini diligamus nos invicem; De benevola attentione nihil dubito.

§. 1. *Ratio S. Ambroſii, ob quam inter Chriſtianos requirit mutuã dilectionẽ.*

Non ſine gravibus cauſis inter Chriſtianos, cum ipſo Chriſto D. requiro & exigo mutuam dilectionem, & unitatem. Ex multis, pulchram reperio apud S. Ambroſium ſer. 9. de unione caritatis; *Ut qui eodem conſortio religionis tenentur, eodem conſortio fruantur & vitæ:* hoc eſt, ut quibus una eſt fides, una ſit ſubſtantia; quibus communis eſt Chriſtus, communis ſit & dilectio. Ego hæc verba, non ita clara, ſic intelligo, qui eandem habent fidem (loquor de fide Romano-Catholica, extra quã non eſt ſalus) qui in unum credunt Deum, & Chriſtum Salvatorem, cujus pretioſo ſanguine redempti ſumus, illorum; ſive credentium, ut ſacer textus loquitur debet eſſe cor unum & anima una, per dilectionem: quod verſus ſeptimus c. 6. Cant. videtur velle innuere, qui ait: *Sexaginta ſunt Reginæ, & octuaginta concubinæ* (Salomonis) *adoleſcentularum* verò quæ illis inſerviebant, non fuit numerus. Nihilominus in iiſdem Canticis ait ſponſus, *Una eſt columba mea, perfecta mea:* quomodo una, ſi ſexaginta, ſi octuaginta? Reſpondet S. Gre-

S. Gregorius M. *Dilectio effecit, ut omnibus inter ſe unitis, cum ſponſo in amore & dilectione eſſent conjuncta*: puto S. Gregorium hoc voluiſſe dicere, quod innumera creden ium & electorum multitudo, & diverſiſſimi hominum ſtatus, Reginæ, animæ ſanctæ, imo concubinæ, ſive peccatores & peccatrices, denique per veram dilectionem & amorem, erga Deum & proximum, in unitatem coaleſcant.

§. 3. *Eccleſia cur comparatur malo Punico.* Ob eandem cauſam idem S. Gregorius Eccleſiam Chriſti comparat Malogranato; nam ſicut in malo punico, ſub unico exterius cortice multa interius grana inveniuntur, pulchro ordine diſpoſita, dulcia, ſuavia, ſapida, imò, eò dulciora & ſuaviora, quo arctius inter ſe unita ſunt: *Sic innumeros Sancta Eccleſia populos unitas fidei, & dilectionis, contegit, quos intus diverſitas meritorum tenet.*

§. 4. *Cur exercitui.* Alio pulchro ſimili ſponſus probat neceſſitatem & utilitatem mutuæ dilectionis inter Chriſtianos, dum de ſponſa affirmat eodem cap. 6. v. 2. quod ex una parte, ſit *pulchra & decora, ſicut Jeruſalem*, ex altera, *fortis, & terribilis ut caſtrorum acies ordinata:* Ut hoc de exercitu aliquo dici poſſit, neceſſe eſt imprimis, ut milites unum agnoſcant & venerentur ſupremum Ducem, qui inſtar capitis totum exercitus corpus regat, & gubernet: & tum plerumque membra, ſive milites, fortiter pugnant, cum eundem ducem diligunt, & amore proſequuntur; neque hoc ſufficit: iidem inter ſe uniri debent in pace & concordia: ſine hac nullus exercitus, quantumvis numeroſus, hoſti ſuo erit terribilis. Jure longè potiori dilectio, pax & concordia requiritur, in militante Eccleſia in terris: Qui Chriſtiani nomine gloriamur, unum agnoſcimus Chriſtum & Salvatorem: De vexillo ſuo ait cum ſponſo Cant. 2. v. 4. *Ordinavit in me caritatem*, id eſt, *Vexillum ejus caritas, amor vel dilectio.* dicamus idem de labaro Sanctiſſimæ Crucis, in qua ſponſus noſter, ex amore infinito, nos ſua morte & ſuo ſanguine redemit: cum baptizati fuimus in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus S. cùm Chriſtiani nomen nobis fuit impoſitum, juravimus nos ſub his ſignis pugnaturos, contra Sathanam & aſſeclas ejus; ut his hoſtibus, ut poteſtatibus tenebrarum ſimus terribiles, neceſſe eſt ut ſimus pulchri & decori: pulchri ob innocentiam: pulchri ob gratiam, pulchri ob vitæ Sanctitatē, decori ob variarum virtutum ornatum: præter hæc omnia, mando vobis cum Chriſto D. Duce noſtro, ut diligatis vos invicem; dilectio, amor, pax, concordia, faciunt Chriſtianos dæmonibus terribiles.

§. 5. *Varia ſententia de militari balthio, cujus mentionē facit S. Paulus ad Eph. 6.* Idem ſuadet & præcipit S. Paulus ad Epheſios cap. 6. v. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli.* verſ. 14. *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, in lorica Juſtitiæ in calceis Evangelii pacis, cum ſcuto fidei, cum galea ſalutis, cum gladio Spiritus.* Miror Apoſtolum primo loco facere mentionem militaris balthei, ut proinde Interpretes Scripturæ

pturæ merito fuerin: conati, aſſequi mentem S Pauli quid per hunc baltheum intellexerint: Scio S. Hieronymum, S. Ambroſium, Sanctum Gregorium per illum intellexiſſe mortificationem carnis & inordinatorum affectuum, juxta alia verba ejuſdem S. Pauli, ad Coloſſ. 3. v 5. *Mortificate ergo membra veſtra.* & ad Rom. 8. v. 13. *ſi facta carnis mortificaveritis*, ſcio ab aliis, Caſtitatem & præſertim Virginitatem vocari pulcherrimum cingulum, de quo ipſe Chriſtus Dn. videtur fuiſſe locutus, Lucæ 12. v. 11. *ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris*: ſcio Originem, ſuper verſum illum Pſalmi 92. *Induit Dominus fortitudinem & præcinxit ſe*, dixiſſe, Chriſtianam Patientiam, Fortitudinem & Promptitudinem ad agendum multa pro Dei gloria, & patiendum: atque aſpera pro Chriſto, eſſe cingulum militis Chriſtiani, ut nihil habeat remiſſum, nihil diſſolutum: Scio denique verſum 5. c. 11. Iſaiæ, *Erit Juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.*

§. 5. *Ex mente Pauli caritas eſt ille baltheus.*

Meo judicio clariſſime ſua verba, mentemque ſuam explicat idem Sanctus Paulus ad Coloſſ. 3. verſ. 15. *Super omnia autem hæc*, id eſt, præter fidem, præter Juſtitiam, præter patientiam, præter caſtitatem, præter carnis mortificationem, ſi ſub vexillo Sanctiſsimæ Crucis deſideratis pugnare fortiter, *caritatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Mi Sancte Paule ſtant induti & armati in lorica Juſtitiæ! non eſt ſatis. Stant in calcejs Evangelii pacis! non eſt ſatis: ſtant cum ſcuto fidei, cum galea ſalutis, cum gladio Spiritus! non eſt ſatis. Super omnia hæc, ſtate ſuccincti lumbos veſtros baltheo, & vinculo caritatis, hæc mandat, Chriſtus JESUS Dux noſter, ut diligatis invicem, ſic infernali hoſti eritis terribiles.

§. 7. *Zona ſumm. ſacerdotis in V. T. fuit figura ejuſdē dilectionis*

Præterquam quod idem vinculum vel baltheus ſit pulcherrimum ornamentum Militis Chriſtiani, ut quondam in Veteri teſtamento, ornamentum tale ſummi ſacerdotis, fuit cingulum ſive baltheus, de quo refert Joſephus lib. 3. Antiq. cap. 8. fuiſſe latum, quatuor digitos, intus vacuum, contextum inſtar ſacci, vel ad ſimilitudinem detractæ pellis à ſerpente, hinc inde ornatum textili arte pulcherrimis floribus diverſorum colorum, cæruleis, purpureis, roſeis, imò aureis, quod S. Hieron. probat ex v. 8. c. 28. Exodi; *Et baltheus ſuperhumeralis ejus, ex auro, hyacintho & purpura.* Conveniunt interpreres, per hos flores intelligi varietatem & elegantiam omnium virtutum, fidei, ſpei, humilitatis, patientiæ, &c. flores duo aurei, binæ aureæ roſæ, bina aurea lilia, bini aurei hyacinthi, ſunt Caritas ſive dilectio Dei & proximi: maximè illa dilectio, quæ proximo ſuo in afflictione aliqua conſtituto, compatitur & ſuccurrit.

§. 8. *Sicut & aurea Zona, qua S. Ioannis præcinctū vidit Filium hominis.*

Hæc dilectio eſt Zona illa aurea, qua præcinctus ad mamillas Sancto Joanni apparuit filius hominis Apoc. cap. 1. verſ. 14 *Ad mamillas præcinctus Zona aurea.* Per mamillas Sanctus Bernardus intelligit cor amans &

miſericors, & benignum, dum ait Ser. 23. in Cantica: *Diſcite ſubditorum matres vos eſſe: producite ubera, pectora lacte pingueſcant; & hæc Zona aurea caritatis præſt ingi debent*: Sanctus Auguſtinus ait ſuper hunc locum; *Sicut Zona pectus conſtringitur, ita multitudo fidelium Chriſto adhæret*: ſed neceſſe prius eſt, ut ipſi fideles inter ſe, mutuæ dilectionis vinculo ſint colligati. Quivis cum Jeremia, & cum veritate dicere debet: c. 31.11. *Sicut adhæret lumbare, ad lumbos viri, ſic conglutinavi mihi omnẽ domum Iſraël, & domum omnem Juda* Id eſt, omnes propter Deum & Chriſtum Dominũ diligo, ſicut me ipſum.

§. 9. *Hac zona vel cingulo præcinctus fuit S. Paul.* Hoc cingulo caritatis fuit præcinctus S. Paulus, cùm ſcripſit ad Philippenſes cap. 1. v. 8. *Teſtis mihi eſt DEus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Chriſti JEſu*: cauſam addunt Sancti Patres in perſona Sancti Pauli, quaſi dicentis, *eò quod habeam vos in corde meo*. Auderiſne talia dicere Auditores; ut Deũ & veſtras conſcientias aſſumatis in teſtes, dicatiſque liberè, Omnes! omnes! nullo mortalium excepto, quos DEus ad imaginem ſuam creavit, quos Dei Filius ſuo ſanguine redemit; omnes, inquam, cupio, amo & diligo in viſceribus Chriſti JEſu! Poteſtne quivis coram Deo dicere, Omnes! omnes! etiam inimicos, etiam illos, qui mihi malè volunt, illos ego habeo in corde meo, illis ego volo bene: ſic pergite, ut dignè converſemini Evangelio Chriſti, ut ejus gratia in vobis abundet, *ſtate in uno ſpiritu unanimes*, id eſt, ut utar verbis Chriſti D. *Diligite vos invicem.*

§. 10. *Digreſſio vel invectiva in illos, qui faciunt ſciſſuras, inter Chriſtianos. Sunt crudeliores flagellatoribus Chriſti.* Sed utinam Auditores, non cogar conqueri cum Doctore gentium ex 1. ep. ad Corinth. cap. 11. *Convenientibus vobis in Eccleſiam*, id eſt, cum unius ſitis fidei, cum Deum & ejus Filium JEſum Chriſtum agnoſcatis; *audio ſciſſuras, ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo*: inter aliquos conjugatos audio eſſe ſciſſuras & diſcordias! inter fratres & ſorores, audio eſſe diſcordias! inter cõcives & vicinos, audio eſſe diſcordias, rixas, odia, & diſſenſiones! væ illis, qui talis ſciſſuræ inter Chriſtianos ſunt cauſa: acerrimus Concionator S. Chryſoſtomus hom. 3. in ep. ad Corinth. illos vocat, *furioſos communis naturæ adverſarios, & flagellatores membrorum* Chriſti, imò pejores, & crudeliores, quàm illos, qui in Paſſione Chriſti corpus flagellarunt: nam obſervatione dignum eſt, permiſiſſe quidem Salvatorem noſtrum, vulnerari & lacerari, omnes ferè partes ſanctiſſimi corporis; carnem & pellem lacerarunt, virgæ & flagella ad columnam; dorſum adeò fuit ſaucium, ut cum Davide dixerit ex Pſal. 128. v. 3. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores*, vel ut alii legunt, *araverunt*. Spinæ lacerarunt pellem & carnem ſanctiſſimi capitis; clavi, venas & nervos; lancea ipſum pectus & dulciſſimum cor JEſu: noluit tamen, ut vel unicum os ſanctiſſimi corporis confringeretur, etiam poſt mortem teſte S. Joanne c. 19. *Ad JEſum autem cùm veniſſent, & viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura*: cujus myſterii figura fuit Agnus Paſchalis, de quo Exodi 12. præceptum fuit; ne aliquod ejus oſſiculum

lum frangeretur. Cauſa præcipua fundatur in verſu 32. capitis 5. epiſtolæ ad Epheſios; ubi compago corporis myſtici, ſub uno capite Chriſto, ſive Eccleſiæ, comparatur compagini oſſium in corpore humano: quo poſito ingenioſè dixit ille Concionator; verùm & reale corpus ſuum, quoad carnem Chriſtus D. pro nobis permiſit lacerari, à virgis, à ſpinis, à clavis, à lancea; ſed compago oſſium, quæ Chriſtianorum unionem & caritatem repræſentat, integra permanere debuit. Hinc infero, qui hodie illam compaginem ſolvunt, qui faciunt ſciſſuras, qui ſeminant diſcordias, qui tollunt unionem, intelligo ſuſurrones, detractores, calumniatores: intelligo rixoſos, loquaces, nutrientes & foventes odia, &c. tales crudeliores ſunt, quàm fuerint illi, qui flagellarunt Chriſtum; hi lacerarunt Corpus, iſti diſſolvunt compaginem oſſium.

§. 11. *Lacerant veſtem & corpus Chriſti.*

Ob eandem cauſam tunica inconſutilis Chriſti D. ſub cruce non fuit diviſa. S. Bernardus. *Ob indiſſolubilis caritatis individuam unitatem.* Quid æſtimatis Auditores! cum nuper Anno 1655. illa Treviris, innumerabili populorum multitudini ſpectanda, expoſita fuit; cum inexplicabili concurrentium devotione & veneratione, prout præſens ſpectavi: ſi aliquis ſanctiſſimam hanc veſtem voluiſſet ſcindere, vel lacerare: illam togam, cui ipſi Crucifixores pepercerunt: quâ pœnâ hunc dignum judicatis? quam fertis ſententiam in ſceleſtum caput? ego majori pœnâ dignos judico illos, qui non veſtem tantùm Chriſti D. ſed compaginem oſſium in ſanctiſſimo ejus corpore, ſcindunt, frangunt atque diſſolvunt. Nos Auditores, ut loquar cum S. Chryſoſt. hom. 3. in ep. ad Epheſ. *Veneremur caput noſtrum; cogitemus ſedulò, cujus ſimus, & quàm ſuſpiciendi Capitis membra & corpus, revereamur obſecro, germanam hanc atque cognatam affinitatem noſtræ carnis cum tali Capite contractam.*

§. 12. *Diligere debemus, ut DEus dilectionis ſit nobiſcum.* *2. Cor. 13. 11.*

Sed redeo ad utilitatem & neceſſitatem mutuæ dilectionis: ad quam S. Paulus hortatur ſuos Corinthios ſuaviſſimis his verbis; *De cætero fratres gaudete, perfecti eſtote, idem ſapite, pacem habete* (omnia hæc comprehendunt binæ voculæ Chriſti D. Diligite invicem) *& DEus pacis & dilectionis erit vobiſcum.* de qua dilectione & unione, inter nos, & cum Chriſto. S. Cyprianus ep. de unitate Eccleſiæ, ait, tantam eſſe oportere, *quanta eſt radiorum cum ſole; rivulorum cum fonte; ramorum cum arbore.* Pulchra latent ſimilia, quæ oſtendunt, qualis eſſe debeat Chriſtiana caritas; à ſole procedunt radii, & miros operantur effectus, manent tamen uniti & inter ſe, & cum ſole. A fonte procedunt rivuli, tamen uniti manent fonti, & denique in unum rurſus confluunt, in mari: ſimilis unio eſt inter ramos, inter ſe, & cum arbore: Sol veſter myſticus eſt ſol Juſtitiæ Chriſtus D. nos radii: idem fons eſt, nos rivuli; idem arbor eſt vitæ, vel fœcunda vitis; nos ſumus rami & palmites, ut luceamus, ut vivamus ſucco divinæ gratiæ: neceſſe eſt, ut uniamur glutine dile-

dilectionis, & cum Chriſto D. & inter nos erit Deus pacis & dilectionis.

§. 13. *Mutua dilectio eſt ſignum prædeſtinationis. Probatur ex c. 4. Cant.* Quam SS Patres, ulterius vocant ſignum & certam arrham æternæ prædeſtinationis; moti fortaſſis initio hodierni Evangelii, in quo æterna Veritas illis verbis, *Ego mando vobis, ut diligatis invicem*, ſtatim illa ſubjungit, *Ego elegi vos.* Ut theſin hujus paragraphi probem, utar verbis Sponſi Cant. 4. v. 3. *Sicut vitta coccinea, labia tua.* Inter flores & gemmas, quibus ornata fuit ſponſa, videntur oculis Sponſi placuiſſe purpurei funiculi, quibus forte, vel floſculos, vel gemmas, vel comas capillorum colligarat & tali vittæ, ob roſeum & corallinum colorem comparavit labia ſponſæ: conveniunt interpretes, talem funiculum eſſe ſymbolum amoris, vel mutuæ dilectionis: hæc enim conjungit & colligat corda atque animos, ut ille flores vel gemmas in faſciculum. Funiculus dilectionis roſeus & coccineus eſt, vel ob purpuram ardentis caritatis, ſive erga Deum, ſive erga proximum: vel quia, quaſi intingitur roſeo ſanguine Chriſti JEſu, dum illos diligimus, quos ipſe pretioſo illo cruore redemit. Quibus poſitis aſſero, rubrum funiculum dilectionis eſſe felix omen ſanctæ mortis, & proinde ſignum prædeſtinationis ad æternam gloriam, cujus oſtium eſt ſancta mors.

§. 14. *Ex cap. 6. & c. 2 Ioſ.* Joſue cap. 6. v. 17. juſſu hujus ducis devaſtata fuit urbs Jericho; occiſi plurimi, ſoli domui Rahab meretricis parcitum fuit: Sic enim ait, *ſit civitas hæc anathema: ſola Rahab vivat.* & quò ſigno tam multi milites agnoverunt ædes hujus mulieris? nuntii, ſive exploratores quos miſerat Joſue, Rahab liberavit è gravi periculo, demittendo illos fune per muros civitatis: illi dixerunt cap. 2. nihil tibi & tuis inferetur damni, cùm urbem hanc occupabimus, *Si ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaveris eum è feneſtra, per quam demiſiſti nos:* quod & contigit; omnes milites ex hoc ſigno cognoverunt, has eſſe ædes illius fœminæ, de qua Joſue dixerat, *Vivat.* Veniet hora Auditores, quâ ſtabimus coram cœleſti Joſue, Chriſto Judice, excepturi ab illo ſententiam, vel vitæ, vel mortis: eâdem horâ cum ira magna nos infeſtabit infernalis leo, inter anguſtias mortis: Si tuti & ſecuri eſſe vultis, coccineum funiculum caritatis erga Deum & proximum, bis tinctum, in purpura caritatis & pretioſo ſanguine Salvatoris; è feneſtra cordis ſuſpendite, & nolite timere: Vivetis! parcet vobis cœleſtis Joſue.

Geneſis 38. cap. Thamar peperit gemellos: & licet Phares natus fuiſſet prior, pro primogenito tamen habitus fuit Zara, quia in ejus manu repertus fuit coccineus funiculus, quem alligarat obſtetrix in partu. Hi gemelli figura fuerunt duplicis populi, Judæorum & gentilium; hi fuerunt electi, illi reprobati juxta illud Gen. 25. v. 28. *Jacob dilexi, Eſau odio habui:* idem contigit Phares; & cur? nomen ejus ſonat ſciſſionem, diviſionem; §. 15. *Ex cap. 38 v. 6 & 25. v. 28 Gen.*

ſionem: Zara, amorem, unionem, quam coccineus funiculus denotavit. Ite Auditores, ornate vos funiculo coccineo caritatis erga Deum & proximum: Deum diligite ex toto corde, &c. proximum ut vosipſos. Hæc dilectio eſt ſignum æternæ prædeſtinationis. (Si tempus patiatur, probari hæc poſſunt aureis quibusdam ſententiis ex epiſtolis S. Joannis.)

CONCIO LXXXVI.

FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Beati, qui perſecutionem patiuntur, propter Juſtitiam: quia ipſorum eſt regnum cœlorum, Matth. 5. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TRiplex continet Punctum: primum eſt: Grata & frequens cœli memoria, aſpera reddit ſuavia: gravia, levia: Alterum eſt: Perſuaves de beatitudine cogitationes, prægustamus dulcedinem cœleſtis gloriæ, Tertium: eadem memoria nos ſolatur in fletu.

§. 1. *Vera felicitas conſiſtit in poſſeſſione regni cœlorum.*

§. 2. *Quare David primum Pſalmum exorſus ſit his voculis: Beatus Vir? ut memor eſſet beatitudinis.*

§. 3. *Idem fecerunt omnes Sancti: in perſecutionibus fuerunt memores beatitudinis.*

§. 4. *Dulcibus cogitationibus de cœlo Sancti ſe inflammarunt ad patientiam & majorem ſanctitatem.*

§. 5. *Pulchra de Reclinatorio aureo, in ferculo Salomonis.*

§. 6. *Et de curru, quē vidit Ezechiel c. 1.*

§. 7. *Piiſſima deſideria piiſſimi P. Bernardi Colnagi in tribulatione conſtituti, & ſperantis æternam gloriam.*

§. 8. *Memoria cœli ingenerat quendam guſtum cœleſtis beatitudinis: quod brevi hiſtoriâ declaratur.*

§. 9. *Applicatio Hiſtoriæ.*

§. 10. *Juvant nos ſancti Angeli, ut cognoſcamus magnitudinem illius gloriæ.*

§. 11. *Alia hiſtoria.*

§. 12. *Suavia dicta SS. Patrum.*

§. 13. *Memoria cœli in luctu nos ſolatur.*

Quos

Digitized by Google

§. 1. Vera felicitas conſiſtit in poſſeſſione regni cœlorum.

O Vos errores, de vera felicitate, ſive ſummo bono, cæca, licet ſubtilia Ethnicorum Philoſophorum, non excogitarunt ingenia? ſi S. Auguſtino credimus lib. 19. de civ. Dei cap. 1. ducentas octuaginta octo diverſas opiniones, de hac quæſtione numeravit antiquitas. Abſit, ut nos Chriſtiani, veræ fidei lumine illuſtrati, vel cum Epicuri grege, in deliciis & voluptatibus corporis, vel cum Alexandro M. in honoribus, imperiis, & nominis immortalitate, vel cum Mida in auro & divitiis veram beatitudinem conſtituamus: Chriſto Domino, æternæ Veritati, & cœleſti Magiſtro aſſentiamur potius, qui in hodierno Evangelio ore ſuo benedicto, & claris verbis, propoſitæ quæſtioni reſpondet, *Beati*; quaſi diceret, illi veram felicitatem & ſummum bonum conſequuntur, quorum eſt regnum cœlorum; *in quo, quod expectamus à Deo, non eſt niſi Deus.* (S. Auguſtinus in Pſ. 90.) cujus clara viſio & poſſeſſio, immenſa & æterna ſecum trahit gaudia; & proinde veram felicitatem. Evolate, ſi placeat, volucri mentis obſequio ad lucidas empyrei cœli ſedes: ibi, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus, omnibus Sanctis, quorũ hodie ſolennem memoriam celebramus, hanc quæſtionem proponite; In quo conſiſtat vera hominis beatitudo? uno omnes reſpondebunt ore: Beati ſumus, quia noſtrum eſt regnum cœlorum; adverto auditores! quandoquidem de hac veritate non dubitatis, eò cogitationes & deſideria veſtra collimant, ut aliquando cœleſtis gloriæ, in beatiſſimo illo regno ſitis participes; cujus gloriæ & beatitudinis recordatio, in hac lacrymarum valle, quàm ſit utilis & proficua, triplici puncto hujus Concionis oſtendam. Nam 1. Quiſquis cœli gaudia piis prælibat cogitationibus, dura & aſpera in hoc mundo (Chriſtus Dominus vocat perſecutiones) lubenti animo pro Deo tolerat. 2. Spiritus Sanctus ſuggerit has cogitationes de cœlo, cum peculiaribus ſolatiis, ut ex illis agnoſcamus magnitudinem & delicias gloriæ futuræ. 3. In gemitu & fletu in hoc mundo, ingens naſcitur ſolatium, ex dulci memoria cœleſtis beatitudinis.

§. 2. Quare David primum Pſalmum exorſus ſit his voculis, Beatus vir: ut memor eſſet beatitudinis.

Quiſquis piis cogitationibus cœli gaudia prælibat, dura & aſpera, ſive perſecutiones libenti animo, imò cum guſtu & gaudio tolerat pro Deo. Agnovit David, cùm primum Pſalmum ſic fuit exorſus; *Beatus vir!* Sanctus Ambroſius hic; *Quàm aptum, quàm opportunum principium!* Nam, *velut præco magni Imperatoris, Sanctus David, hortatur milites; athletas vocat: ideò à præmio cœpit; ut pondus futuri certaminis elevaret, mercedem præmiſit: ut unuſquiſque præſentium rerum ſollicitudines ac labores tranſiliens (inſtar cervi deſiderantis ad fontes aquarũ) ad emerendam beatitudinem futurorũ, avidâ feſtinatione contenderet.* Senſus eſt; Regius Pſaltes, per omnes reliquos Pſalmos, frequentiſſimè nos adhortatur, ad ardua facta, ad tolerandas perſecutiones, ad heroicas virtutes, ad labores, ad jejunia, cineres, lachrymas; ad obſervatio-

nem mandatorum Dei: ne animo cadamus, ut languentes noſtros animos excitet; primo ſtatim veſtibulo, primis verbis, coronas, mercedem, bravia, beatitudinem nobis proponit, *Beatus vir!* Ipſe David, quàm fuit manſuetus, quàm miſericors, quàm patiens & fortis in adverſis, jacens ſæpe inter cineres & lacrymas: Ne talia viderentur nimis ardua & difficilia: initio ſtatim oculos ſuos conjecit in beatitudinem.

§. 3. *Idem fecerunt omnes Sancti, in perſecutione fuerunt memores beatitudinis.* Omnes Sancti in cœlis: præcipuè glorioſi Martyres, quænam in hac lacrymarum valle, in tyrannorum theatris non ſunt paſſi? fortiter, heroicè, cum gaudio, omnia! quia regnum cœlorum & cœleſtem beatitudinem habuerunt præ oculis: ut de illis pulchrè ait D. Gaudentius tract. 17. de 40. Mart. *Inter prunas illorum exarſit fides: & cœleſtes animi deſiderio Chriſti fuerunt accenſi: uſſit illos acritudo nimii frigoris, ſed occupatæ erga Deum religioſæ mentes, amœnitatem paradiſi cogitarunt.* Heroicos animos, Romanæ Heroinæ, S. Felicitatis, obſtupuit Roma, in crudeli ſeptem filiorum nece. Nam dum ipſi plumbatis, fuſtuario, virgis, cæderentur, dum collocarentur in præcipitiis, dum enſes ſtringerentur, invictam phalangem contra Tyrannum his verbis concitavit: *Ne, ne oculos, in tyrannum filii, aut quas hic minatur pœnas, conjicite: ſed in cœlum, ſed quæ cœlum promittit gaudia, defigite, ite! oſtendite! etiam ſuos Romanis Machabæos eſſe, facite, ut ſim, quæ dicor, Felicitas!* de qua dici poteſt, quòd S. Chryſoſtomus dixit de Matre Machabæorum hom. 4. de verb. Iſa. *Videbunt infra ſe tormenta, ſupra ſe bravia! videbat præſentem cruciatum, in filiis, & cogitabat futuram immortalitatem.* Idem de S. Stephano affirmavit S. Hilarius in cap. 7. v. 55. Act. *Vidit cœlos apertos, & dum ſic ejus mens occupatur in amore cœleſtium, non turbatur duro imbre ſaxorum.* Idem de Moyſe aſſeruit S. Paulus, ad Hebræos ait: 11. 24. *Fide Moyſes grandis factus, negavit ſe filium eſſe Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem; Aſpiciebat enim in remuneratorem.* Ne & nos inter perſecutiones deficiamus, ne ſpinæ nimium pungant, ne ignis nimium urat; ne crux ſit nimis gravis; ad cœlum, ad bravium, ad remuneratorem debemus reſpicere.

Talibus cogitationibus olim magni Sancti, ad eximiam ſanctitatem & patientiam ſe inflammarunt. De S. Maximo Abbate Lyrinenſi ait Emyſſenus: *Loquebatur in cubiculo ſuo ſancta illa anima: Exiguum eſt, quid quid agis propter ſpem æternam.* Et S. Auguſt. de illis, qui rigidam in aliquo antro vel ſpelunca, cum flente Petro, cum lugente Magdalena, cum pœnitente Ignatio, agunt pœnitentiam: *Carne verſantur in mundo, ſed corde inhabitant cœlum.* Præcipuè hodierno feſto, quo piis animis exſpatiantur per elyſios campos, & poſtquam cœli gaudia conſiderarunt, exclamant cum S. Gregorio l. 3. in l. 1. Reg. *Tam pretioſa res! parvo emi non poteſt!* Vel cum Salviano l. 4. §. 4. *Dulcibus cogitationibus de cœlo SS. ſe inflammarunt ad patientiam, & majorem ſanctitatē*

ad

ad Eccl. *Quantalibet pro ſempiterna beatitudine Chriſto offerant Chriſtiani; vile eſt, quod datur, ubi tam grande eſt, quod accipitur*; vel, *Quanto labore digna eſt merces, quæ non habet finem*: his cogitationibus muniti Sancti, præcipuè glorioſi Martyres, in pœnis & tormentis exultarunt.

§. 5. *Pulchra, de reclinatorio aureo, in ferculo Salomonis.* Cant. 3. deſcribit ſponſa ferculum ſui ſponſi: inter alia ait: *Reclinatorium aureum*, per quod aliqui Interpretes non ſedem tantùm intelligunt in regio curru, quæ tota erat ex auro, ſed volunt ipſum pulvinar, cui Salomon inſedit, fuiſſe aureum. Et quæ quies ſedere in aurea culcitra, plumea vel florida eſſe debuiſſet; in plumis, inter flores ſuaviter quieſcitur. Philo Carpathius per aurum intelligit ſanctos Martyres, qui per tribulationem & perſecutiones probati ſunt, veluti aurum in igne, & putat illos, etiam in rotis, in equuleis, ſuper carbones, jacuiſſe veluti in aureo reclinatorio; exemplo ſponſi cœleſtis, cujus quidem lectulus fuit lignum Crucis: pulvinar, ſpinea corona; flores, clavi: O horridum lectum! O durum & aſperum pulvinar! O ſpinas! Omnia tamen fuerunt aurea: aurea crux! aureæ ſpinæ! aurei clavi, ob ſplendorem gloriæ, quam Chriſtus Dn. per ſpinas & Crucem nobis promeruit: Magnitudo cœleſtis gloriæ, etiam Chriſto Dn. Paſſionem fecit levem & ſuavem. In Cruce expiravit, veluti in aureo lectulo, vel florido reclinatorio. Et ipſius exemplo innumerabiles Martyres, in crucibus, in rotis, in equuleis, in prunis, veluti aureis lectulis animam expirarunt: Aureus pulvinaris color & ſplendor, ob oculos illis poſuit ſplendorem gloriæ cœleſtis, cujus dulcedine illecti, etiam inter tormenta, cum magna tamen quiete, quaſi inter delicias ſunt mortui. Tempus eſt, ut verba Carpathii vobis communicem: *Dum pulchritudo cœleſtium gaudiorum paulum monſtratur, quaſi reclinatorium aureum fit electis, in quo ſe, etiam in hac mortali luce, contemplando refocillant, ac requieſcunt: Nihil hoc ipſo reclinatorio* (id eſt, memoria cœli) *dulcius, nihil denique divinius.* Addo ego; nihil, quod magis nos excitet, ad dura & aſpera, pro Chriſto toleranda.

§. 6. *Et de curru, quem vidit Ezechiel.* Ferculum Salomonis, in memoriam mihi revocat, currum Divinæ Majeſtatis, quem cap. 1. v. 15. vidit Ezechiel, ſed inter ignes, faces, lampades, fulgura, ventos & turbines: Theodoretus hic; *Terribilis contemplatio & horroris plena! pœnas ſignificans.* Etenim carbones ignis, diſcurrentes lampades, & inde emiſſa coruſcatio, futura mala declarant: Hunc ego puto eſſe ſenſum myſticum: Via ad gloriam, eſt obſeſſa ignibus, ſtrata ſpinis, aſpera ſaxis; per ventos, per tonitrua, per turbines & imbres tendere debemus ad bravium: Nemo tamen terreatur: inter illos ignes & vētos; *apparuit rota una, & aſpectus rotarū, & opus earum quaſi viſio maris.* Symmachus apud Theodoretū, Aquila apud S. Hieronymum, legunt: *Sicut viſio hyacinthi*; & cur hæc gemma ocu-

ma oculis noſtris obiicitur inter rotas, in curru divinæ gloriæ? Dicam; ſed prius oculis veſtris objicite elegantem picturam ex imaginibus, quibus liber Ezechielis ornari ſolet; jacet in illâ, in medio currus, globus quidam cœleſtis, plenus & lucidus ſcintillantibus ſtellis: in quem globum quatuor animalia, quæ currum illum trahunt, per ignes, per ventos, per fulgura, oculos ſuos jugiter defigunt, & pergunt trahere currum imperterrite! Pulchritudo illius globi, ſtellarum elegantia, & decor, iſtis animalibus, novos addunt animos: & nos ſimiliter, dum per viam Crucis tendimus ad cœlum, oculos defigere debemus, non in ignes, non in fulgura, non in turbines, per quos currus mandatorum trahendus eſt, ſed in cœlum, ſed in hyacinthum gloriæ, in coronas, in bravium. Hæc contemplatio roborat & animat viros ſanctos.

§. 7. *Piiſſima ſuſpiria P. Bernardi Colnagi, in tribulatione conſtituti: & ſperantis æternam gloriam.* Sic piiſſimus Pater Bernardus Colnagus è Soc. JEſu, amico alicui piiſſimè ſcripſit, cum in tribulatione aliqua eſſet conſtitutus (ex l. 2. Vitæ cap. 12.) *Exprimo uvas Domini mei JEſu Chriſti, ex torculari Crucis Domini mei, qui vitis & uva eſt, & eaſdem uvas expreſſas, adhibeo mihi & mergor in illis quotidie, & incaleſco charitate illius.* (ut plus pati deſiderem) *Ecce, ecce! divinam, ſanctam, juſtam & dulcem Providentiam, amantiſſimi mei JEſu! Benedictus ſis mi dulcis JEſu: quod dolorum tuorum amariſſimorum, partem modicam propinaſti deguſtandam: neque te latet, exoptaſſe me, ut hi cruciatus mei diu ſæviant, quo tui ſimilior, Sacratiſſimos pedes tuos, trabalibus clavis in cruce confixos eminus ſaltem imitari poſſim*: Poſt multa ſimilia, inflammata verba ex ardenti pectore, addit: *Omnia, cum ſpe ſalutis, ex Domino meo JEſu.* Denique his verbis ſibi ipſi applaudit: *Nonne, ſat dives ſum? alii, per tot terrarum, mariumque ſpatia Peruanos anxie quærunt theſauros; ego reperio in doloribus pro Chriſto & æterna gloria*: Scio, ſcio animæ piæ, quod non rarò Sanctiſſimam arborem Crucis, veluti vitem vobis proponatis, ex qua JEſus Crucifixus dependet, quidni hodierno feſto vocem: Vitem immortalis gloriæ. Pulcherrimus palmes B. V. pulcherrimi palmites, omnes Patriarchæ & Prophetæ: glorioſi palmites SS. Apoſt. & Mart. &c. Sed omnes, dum viverent in hoc mundo, expreſſerunt uvas Dn. noſtri JEſu Chriſti, in torculari Crucis: omnes, omnes, biberunt de calice Paſſionis: erga omnes divina, ſancta, juſta, & dulcis fuit Providentia Dn. JEſu! omnes pati debuerunt: & paſſi ſunt libenter, cum gaudio, cum gratiarum actione: Sed hæc omnia, cum ſpe ſalutis & æternæ beatitudinis, ex Domino JEſu.

Secundò Chriſtus D. per memoriam & recordationem frequentem cœleſtis gloriæ, animis noſtris ingenerat quendam ſapidum guſtum & ſenſum, ſuaviaque impluit gaudia, ut ſint omnia futuræ felicitatis; ex illis prælibemus, qualia, quàm magna, quâ immenſa futura ſint cœli gaudia, quod binis, & brevibus ſed pulchris explico hiſtoriis. Athenæo teſte Antiochus §. 8. *Memoria cœli ingenerat quendam guſtum cœleſtis beatitudinis quod brevi hiſtoria declaratur.*

tiochus Rex, regium aliquando inſtruxit convivium in honorem Daphnidis, quam mire adamabat: Locus convivii fuit intima Regis aula, regiè adornata: tempore quo Rex cum hoſpitibus menſæ aſſedit, ſexcēti ephœbi, omnes formoſiſſimi juvenes: ducentæ Virgines, omnes venuſtiſſimæ puellæ, elegantisſimè veſtitæ, aureis, gemmeis, floridis redimitæ ſertis, diſcurrerunt per plateas, & obviis, ex cryſtallinis vaſis pretioſa obtulerunt vina, ex candidisſimis corbibus, candidos panes, & ſaccareos fructus; dum interim alii ſuaviſſimis inſtrumentis, & melicâ harmoniâ tranſeuntes oblectarent. Voluit Rex, ut cives, ex hac munifica magnificentia colligerent, qualis in Regis palatio ad regias menſas, eſſet rerum copia, qualis pompa, quantus luxus.

§. 9. *Applicatio hiſtoriæ.* Idem planè facit Rex cœli, Chriſtus Jeſus D. N. in intimo gloriæ ſuæ palatio, in cœlo empyreo epulatur cum omnibus electis, in nuptiis Agni: O ſi vel momento hodie per rimulam liceret introſpicere, & videre, illa cœleſtium menſarum gaudia, audire illud melos, illa cantica, quibus jubilant! Sed quò me vana vota, pia tamen, rapiunt? In hac lacrymarum valle, in hoc exilio, in hac peregrinatione, nec oculus videre poteſt, nec auris audire, nec cor hominis penetrare, quæ Deus in regio illo convivio præparavit diligentibus ſe: Hoc tamen agit; mittit ſuos ephœbos, formoſiſſimos Angelos, qui nobis mortalibus, guttulas ſaltem illius mellis & nectaris, delibandas offerunt, ut in illis guſtemus quam mellea ſint cœli gaudia.

Cœli Ephœbi fuerunt, illi Angeli, qui Sanctis, eſurientibus, de cœlo attulere ſapidos panes, dulces uvas, aliosq; melleos fructus. Regis Regum Ephœbus fuit ille Seraph, qui elanguenti S. Seraphico Franciſco ita luſit Chely, ut ex unico ductu perceperit, qualis in cœlo ſit Muſica. Cœli Ephœbus fuit ille Angelus, qui S. Dorotheæ ex elyſiis hortis attulit corbē plenum floribus & fructibus, ex quibus tyrannus in terris agnoſcere potuit, quam floridus ſit Paradiſus ipſi! Cœli Ephœbus fuit ille Angelus, per quem cœli Regina S. Iſidoro miſit candidiſſimam veſtem, in ſignum, quam niveis veſtiantur veſtibus, qui interſunt nuptiis Agni. Cœli Ephœbi fuerunt illi Angeli, qui SS. Martyribus in tormentis, vel laureas, vel aureas & gemmes oſtenderunt coronas, ut ſcirent, qualia ſerta ſuis præparet Deus. Cœli Ephœbus fuit ille Seraph, qui ignea cuſpide transfixit pectus & cor S. Thereſæ, ut ſentiret, quàm ſuavia ſint vulnera Divini Amoris in Paradiſo voluptatis. O cœleſtes Ephœbi! O formoſiſſimi juvenes! O beati Angeli! & nobis hodie afferte floſculos, & nobis oſtendite coronas, & nos melleis guttis reſpergite, ut guſtemus & videamus quàm ſuavis ſit Deus in gloria.

(Margin: §. 10. *Iuvant nos SS. Angeli, ut cognoſcamus magnitudinem cœleſtis gloriæ.*)

§. 11. *Alia hiſtoria.* Surio teſte, cùm S. Fulgentius ob fidem, ex ſuo pulſus epiſcopatu, Romam proficiſceretur, venit in urbē, cum tota eſſet in gaudiis ob triumphum Regis Theodorici, cùm ſpectaret illam pompam, aurum,

gemmas in veſtibus, in vexillis, in ſcutis; ædium platearumque ornatum, ſenatorum majeſtatem, currus triumphalis elegantiam, altâ voce exclamavit: *Quam ſpecioſa debet eſſe Jeruſalem cæleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris! & ſi in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem; qualis gloria & honor præſtabitur Sanctis diligentibus veritatem*: Addo ego, quid præſtabitur, SS. Patriarchis? quid Prophetis & Apoſtolis? quid glorioſiſſimis Martyribus? &c. Deprædicatur Roma, ob palatia ex marmore, ob obeliſcos, columnas, pyramides, ſtatuas, hortos, fontes, &c. Sed cogitate, quàm ſpecioſa eſſe debeat Jeroſolyma cœleſtis, cujus plateæ ex auro & cryſtallo: fundamenta, muri & portæ, ex gemmis; fontes & rivi ex melle & lacte, &c. ad hanc urbem, ad hunc paradiſum, ad hoc palatium, ad hos fontes, quis non anhelet? quis non dicat cum Davide, *quemadmodum deſidarat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea* ad templum gloriæ.

§. 12 *Suavia dicta SS. Patrum.*

Bene S. Bernardus in declam. *Quid erit in patria, ſi tanta eſt copia delectationis in viâ?* Sanctus Auguſt. *Qui ſic paſcit in viâ, in patria quomodo ſatiabit?* Et rurſus: *Domine ſi tam ſuave eſt, flere pro te; quid erit gaudere de te?* Sanctus Ambroſius lib. 7. in Lucam: *Si tantum Domine Jeſus confert umbra tua, quantum utique veritas affert*: Iterum Sanctus Bernardus ſer. 47. in Cant. *Si tu tam bonus es Domine ſequentibus te, qualis futurus es conſequentibus*, ſer. 44. in Cant. *Si dilectus! in myrrhâ! multo magis in botri ſuavitate.* ſer. de verb. Ap. *Quid faciet in præſentia, qui in ſola memoria delectat*: Sanctus Auguſtinus in Pſ. 126. *Si ſpes tam dulcis, quanto res dulcior erit?* Ex ſimilibus dictis, hæc ego concludo. Si ros tam ſuavis eſt in Babylonia, in fornace hujus mundi, quàm dulcis erit cœleſtis pluvia in illo paradiſo, ſi lux ſolis ita recreat in tenebris, quid faciet fulgidiſſima illa lampas æterni ſplendoris. Si micæ, tam ſapidæ ſunt in deſerto, quàm ſapidus erit panis in nuptiis Agni? Si guttulæ mellis tam ſunt ſuaves in via, quàm dulces erunt favi in patria, quid fons, quid fluvius, quid mare cœleſtis voluptatis? quisquis hæc cogitat, exclamat; O domus Iſraël! O beatas manſiones! O regnum cœlorum! O beatitudinem.

§. 13. *Memoria cœli in luctu nos ſolatur.*

Tertium Punctum inſinuabo tantum, alibi deduco. Dum in hâc lacrymarum valle gemimus, dum ſedentes ſuper flumina Babylonis flemus, cœli memoria nos recreat & ſolatur. Proinde hæc ſuadeo. In revelationibus ſuis narrat Sancta Brigitta, incolas in Nazareth, viventibus ibi Jeſu, Maria & Sancto Joſepho, dicere ſolitos; *Eamus ad intuendum Filium Mariæ, ut hilares reddamur.* Quæſo Aud. Cauſæ flendi & gemendi nobis non deſunt, itaque hodie Sanctis cogitationibus evolemus in cœlos, ad intuendum Jeſum, Regem gloriæ, ut hilares reddamur: Sic de Beata Virgine & aliis choris Sanctorum. Finio cum Sancto Bern. *Filioli concupiſcamus in atria domini, crebrò ſuſpiremus illuc: Patria noſtra ipſa eſt, adoremus ſaltē, & à longè ſalutemus eā: Non quæramus in via*: S. Auguſtinus; *quod ſervatur in patria.*

EX-.

EXHORTATIO.

FESTO COMMEMORATIONIS ANIMARUM.

Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, Job. 19. verſ. 21.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Conatur in animis fidelium excitare teneram compaſſionem erga Animas in Purgatorio.

§. 1. *Quare ab Eccleſia inſtitutum ſit feſtum Commemorationis Animarum.*

§. 2. *Job plenus ulceribus commovit amicos ſuos ad compaſſionem, moveant nos ardentes animæ.*

§. 3. *Abdemelech compaſſus fuit Jeremiæ jacenti in lacu: compatiamur nos tot animabus jacentibus in lacu igneo Purgatorii.*

§. 4. *Invectiva in illos qui erga has Animas habent viſcera crudelia: Sunt ſimiles fratribus Joſephi.*

§. 5. *Moveat nos ad hanc compaſſionem Daniel jacens inter leones.*

§. 5. *Hiſtoria ex Sancto Antonio.*

§. 7. *Applicatio.*

§. 8. *Devotio, & pia Viſio Joannis de Alverna, ex Ordine S. Franciſci.*

§. 1. Quare ab Eccleſia inſtitutũ Feſtum Commemorationis Animarum.

FEſtum Commemorationis Animarum ab Eccleſia inſtitutum; & pia, tenera atque ardens viventium devotio, hodiernâ die, per totum Chriſtianum Orbem: eò tendunt, ut & nos, unanimiter conſpiremus in auxilium illarum animarum, quæ à corpore ſolutæ, à ſupremo Judice, dignæ inventæ ſunt, ut in cœlis æternum ſint futuræ felices & beatæ. Sed; quid noſtro indigent auxilio, ſi morte ſanctâ & beatâ, ex hoc mundo æternitatem ſunt ingreſſæ? Qui talia quærunt, mihi videntur immemores eſſe quod S. Joannes ait: Apoc. 21. verſ. 27. *Non intrabit in eam gloriam aliquid coinquinatum.* Unde fieri aſſolet, ut anima alicujus morientis, licet à culpâ peccati mortalis actualis libera ſit.

Digitized by Google

ſit, tamen quoad pœnam, peccato mortali præterito debitam non ſatisfecerit, vel ut à maculis peccatorum venialium actu immunis non ſit, fieri inquam aſſolet, ut talis anima, à D. Juſtitiâ, pro menſurâ, vel culpæ, vel debitæ pœnæ, ad decem, vel viginti annorum purgatorium condamnetur: in quo loco, tanquam carcere D. Nemeſis, in hoc miſerandus eſt Animarum illarum ſtatus, quod nullo bono opere, nec orationibus, nec eleemoſynis, nullis lacrymis, nullis ſuſpiriis D. Juſtitiæ poſſunt ſatis facere, niſi tantum patiendo, vel ardendo: donec ultima arenula ex clepſydrâ præſtituti temporis effluxerit. Hic eſt rigor irati Dei, & punientis leviſſimi peccati noxam: ejuſdem immenſa, & admirabilis eſt bonitas, atque miſericordia: quod nos, dum vivimus, piis operibus, orationibus, eleemoſynis, virtutumque omnium actibus, pro illis poſſimus ſatisfacere, & eaſdem è purgatorii flammis liberare: In breviſſimâ exhortatione, aliquot argumentis, conabor animos noſtros inflammare, ut id faciamus.

§. 2. *Iob plenus ulceribus commovit amicos ad compaſſionem, moveant nos ardentes Animæ*

Cùm piiſſimus Job, percuſſus à Sathana, ulcere peſſimo, ſederet in ſterquilinio, venerunt ad eum tres, ex præcipuis amicis, de quibus ſacer textus ait cap. 2. v. 12. *Cùm elevaſſent procul oculos ſuos, non cognoverunt eũ, & exclamantes ploraverunt, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum, & ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus, videbant enim dolorem eſſe vehementem*: Quæſo Animæ piæ; elevate cum his viris veſtros oculos; erro; deprimite potius in abyſſum purgatorii, in locum, vel carcerem illum igneum, tenebroſum! terribilem: Videte ibi, non aliquem Jobum, ſed multa millia animarum: non ſedentes in ſterquilinio, ſed jacentes in igneis lectis! in igneis rotis! in igneis equuleis; verbo, ſepultas inter flammas: fortasſis, quia coopertæ ſunt flammis, non agnoſcitis, quænam ſint illæ animæ? Amice mi! aperi oculos, inſpice & aſpice benè: ecce hæc eſt anima tui Patris! jam viginti annis ardet in purgatorio! fortasſis, niſi ſuccurras, niſi pro illâ ores, niſi des eleemoſynas, niſi offeras ſacrificia Miſſæ; ardebit adhuc alios viginti annos. (hoc modo fieri poterit pulcra inductio) Ah! quam vehemens eſt illarum animarum dolor: O amici; *miſeremini*: *Manus Domini tetigit illas*, non tantùm ferrea, ſed ignea: miſeremini: ab hâc die eſtote ſolliciti, ut illas conſolemini, & brevi ex hoc loco pœnarum liberetis. Vehemens eſt ipſarum dolor: vehemens ſit noſtra compaſſio & devotio.

§. 3. *Abdemelech compaſſus fuit Ierem.æ jacenti in lacu; compatiamur nos tot Animabus jacentibus in lacu igneo purgatorii*

Permittente Rege Sedecia, Propheta Jerem. cap. 38. v. 12. à proceribus regni projectus fuit in profundum & lutoſum carcerem: neque fuit, qui illi compateretur, præter Æthiopem Abdemelech, qui accepta licentia à Rege Jeremiam funibus è lacu extraxit: Ah Auditores! non aliquis Jeremias, non unus tantùm homo, ſed millenæ animæ, jacent: non in lutoſo, ſed igneo carcere! non uno aut altero die; ſed quæ-

quædam decem; aliæ viginti, aliæ triginta jam annis in illo lacu ardent: Ardebunt fortaſſis diutius: niſi nos miſericordia moti, apprehendamus funes, & illas ex ignibus extrahamus. Ah animæ piæ! ubi noſtra compaſſio? ubi commiſeratio? eja funes hodie apprehendite: funis eſt eleemoſyna; funes ſunt mortificationes corporis: funis eſt Oratio; funis fortiſſimus Roſarium quinque Sanctorum Vulnerum; fortes valde ſunt hi funiculi, ſi intingantur pretioſo ſanguine Chriſti: hoc agite Animæ piæ; memoreſnè eſtis ſanguinei ſudoris? ſuſpirate; Mi JESU, per ſanguineum tuum ſudorem, libera animas è purgatorio, (ſic perge per reliquas ſanguinis effuſiones) hæc ſuſpiria ſunt coccinei funes, quibus animas ex lacu purgatorii poſſumus extrahere.

§. 4. *Invectiva in illos, qui erga illas animas habent viſcera crudelia. Sunt ſimiles fratribus Joſephi.*

Sed timeo, ne quorundam *viſcera ſint crudelia*, prout loquitur Salomon. Prov. 12. v. 10. Timeo, ne piis animabus contingat, quod accidit piiſſimo Joſeph! *cùm in campis veniſſet ad fratres, ipſi pleni odio & invidiâ, ſine affectione confeſtim nudaverunt eum tunicâ talari, & polymita, miſeruntque eum in ciſternam veterem, ut ibi fame periret. Ipſi verò ſedentes comederunt panem pleni gaudio.* Quis explicet gemitus afflictiſſimi Joſeph? quis ejus lacrymas, quis ſuſpiria? Ah Pater! O fratres: frater veſter ſum: Fortaſſis fratres, hos gemitus & ſuſpiria audiverunt, ſed ait de illis Amos cap. 6. v. 6. *Nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph.* Ah animæ piæ: non unus Joſeph, ſed millenæ animæ jacent in flammis; Divina Juſtitia miſit illas in ciſternam igneam: quis exponet, quàm ſint triſtes! quàm afflictæ: quis exponet, quàm calidas fundat lacrymas? Job nobis propoſuit earum ſuſpiria, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei*; Marite, miſerere animæ tuæ uxoris: uxor amantiſſima, miſerere animæ tui mariti. Ah filii miſeremini animarum veſtrorum perentum: Amantiſſimi ſodales, miſeremini animarum veſtrorum conſodalium, quæ jam à multis annis ardent in purgatorio. O crudelia quorundam viſcera: dum tales animæ inter gemitus & lacrymas ſuſpirant: nos ſedemus, ſine omni affectione, comedimus, bibimus, ludimus, & nihil patimur ſuper contritione animarum: vix unquam cogitamus, an fortaſſis amicæ aliquæ, & cognatæ nobis animæ jaceant in igne Purgatorii.

§. 5. *Moveat nos ad hãc compaſſionem Daniel jacens inter leones,*

Fortaſſis afflictus Daniel vos ad aliquam compaſſionem commovebit, cap. 6. v. 20. permittente Dario, projectus fuit non tantùm in lacum, ſed inter leones: & *primo diluculo ipſe Rex conſurgens feſtinus perrexit ad lacum leonum, & Danielem lacrymabili voce inclamavit, & affatus eſt eum.* Eheu: quot Danieles, quot animæ ſanctæ & benedictæ, à juſto Deo condẽnatæ ſunt ad lacum purgatorii, ut ibi decem, viginti, triginta annos jaceant inter igneas beſtias, id eſt, infernales dæmones, qui ex probabili multorũ opinione, reverà illas animas torquẽt & cruciant. O pii fideles: conſurgite, concurrite ad hunc lacum, currite, ut triſtiſſimas animas

conſolemini, imò ut planè liberetis; hoc tantùm agite, procumbite coram SS. Sacramento, & cum ſancta Eccleſia, dicite millies, mi JESU! per tuos dolores, per tuam mortem, per tuum ſanguinem, per ſanctiſſima vulnera, libera animas fidelium defunctorum de profundo lacu; libera eas de ore leonis.

§. 6. *Hiſtoria ex S. Antonio.* Triſtiſſimum ſpectaculum refert S. Antonius 3. p. tit. 18. cap. 5. §. 3. Accenderat in ſylvis carbonarius ingentem ſtruem lignorum; ſubſtructa fovea jam plena erat ardentibus carbonibus; intempeſtâ nocte accurrit fugitiva Virgo, formoſiſſima; ſed præ metu & pavore toto corpore tremebunda, inter gemitus & ſuſpiria: mox enim inſequens adfuit eques, qui ſpecioſiſſimam illam fœminam, in ardentem illum rogum præcipitavit. Vir ruſticus ſumpto animo adjuravit equitem: ediceret in nomine Jeſu, qui eſſet, & quænam illa fœmina? reſpondit eſſe animam fœminæ adulteræ, & interfectricis ſui mariti. Ex infinita tamen Dei miſericordia, ob ſeriam pœnitentiam obiiſſe feliciter, in gratia Dei, certam ſalutis æternæ, ſed ardentem hanc foveam, fore prius ipſi purgatorium. His dictis eques diſparuit.

§. 7. *Ejuſdem applicatio* Ex hac hiſtoria ſic diſcurro. Animam hominis juſti in ſtatu gratiæ ex hoc mundo decedentem, imaginari nobis debemus veluti ſpecioſiſſimam Virginem, veluti Reginam, veluti Sponſam Spiritus S. in veſte nuptiali caritatis, ornatam gemmis gratiæ; ſed, ah! ob quoſdam nævos, qui mundiſſimis oculis cœleſtis Sponſi diſplicent, qui nihil coinquinatum vult intrare in gloriam ſuam: hæc Virgo, hæc Regina, hæc Sponſa, à D. Juſtitia præcipitatur in ardentem foveam Purgatorii! neque una tantum, ſed millenæ tales animæ ibi ardent. Ah ſodales mei amantiſſimi! ubi noſtra compaſſio? ubi lacrymæ? ubi opera noſtra bona, ut illorum efficacia ex flammis illæ animæ eripiantur! Quæſo vos, ſi hoc momento formoſiſſimam Virginem videretis jacentem in flammis; Chriſtus D. ait, *Quis eſt, qui videat bovem ſuum aut Aſinum jacentem in fovea, & animali non ſuccurrat*; non boves, non aſini, ſed ſanctæ animæ ardent in purgatorio; illis ſuccurrite, illas ex flammis eripite.

§. 8. *Devotio & pia viſio Joannis de Alvernia ex Ordine S. Franciſci.* Fervorem & caritatem Joannis de Alvernia, viri religioſiſſimi ex ordine S. Franciſci, vobis opto Auditores. Plurima bona opera, magnâ devotione offerebat Deo pro animabus in purgatorio, & præſertim ſacrificia miſſæ: Cùm aliquando hodierno feſto ſtaret ad altare, cùm SS. Hoſtiam, ſive Corpus Jeſu manu teneret, magno cordis affectu, & cum tenerrima compaſſione dixit; *O Pater cæleſtis, per illum amorem, quo amas Filium tuum: per illam caritatem, quâ pro nobis mortuus eſt in cruce, per hæc ſacroſancta vulnera, per roſeum ſanguinem Salvatoris mei, oro & obſecro, libera animas ex purgatorio*: cùm talia diceret, in ardore cordis, vidit innumeras animas, quæ veluti ſcintillæ & lucidiſſimæ ſtellulæ, vel ardentes faculæ, ex purgatorio evolarunt ad cœlum. O felices animæ!

quæ

quæ & hodie ereptæ è flammis, eò avolaſtis; & vos jam orate pro illis, quæ juſto Deo ſic volente adhuc remanent, ut diutius ardeāt; ut & nos ſuccurramus, omnium nomine, mi Jeſu Crucifixe, oro & obſecro per illam caritatem, &c. libera animas ex purgatorio.

CONCIO LXXXVII.

FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

Sint lumbi veſtri præcincti, Luc. 12. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

POſt expoſitionem ſenſus literalis & moralis horum verborum Chriſti Domini panegyris hæc excurrit in laudes S. Martini: qualis fuerit operarius in vinea Domini, qualis miles, &c.

§. 1. *Exordium eſt quædam conglobatio aliquorum elogiorum Sancti Martini.*
§. 2. *Explicatio literalis horum verborum Chriſti D. ſint lumbi veſtri præcincti.*
§. 3. *Quare Chriſtus D. faciat mentionem præcinctionis.*
§. 4. *Senſus moralis.*
§. 5. *Applicatur uterq; Apoſtolis.*
§. 6. *Et S. Martino.*
§. 7. *S. Martinus fuit inſignis operarius.*
§. 8. *Fidelis Chriſti & pauperū ſervus.*
§. 9. *Nuntius & legatus ad diſſeminandum Evangelium.*
§. 10. *Fortis & invictus miles.*
§. 11. *Bajulus.*
§. 12. *Speculum pœnitentiæ & mortificationis*
§. 13. *Sanctiſſima ejus mors.*
§. 14. *Digreſſio ad Auditores.*
§. 15. *Pium ſuſpirium ad S. Martinum.*

§. 1. Exordiū eſt quædā conglobatio aliquorum elogiorum S. Martini.

GAudeo majores noſtros, pro ſua in cœlites pietate, & affectu, pro Patriæ noſtræ Patrono elegiſſe S. Martinum. Feliciter hactenus cecidit hæc electio. Archiepiſcopalis Moguntinæ ſedis cidarim & tiaram, contra potentiſſimos hoſtes, gladius fortiſſimi militis S. Martini, per tot ſæculorum revolutiones, feliciſſimè defen-

defendit. Vigilantiori Paſtori tot oves in latisſima hac archidiœceſi committi non potuerunt; rapaces lupos hactenus abegit S. Martinus, & fortiter & feliciter. De fortisſimo hoc milite, de vigilantisſimo hoc Paſtore, de amantisſimo Patre, ego hodierno ejus feſto panegyrin dicere debeo; quod pro meo in Sanctum affectu faciam lubens, ordiarque cum S. Petro Damiano, qui, apud P. Ribadineiram, in vita S. Martini, illum appellat *Nobilem Confeſſorem, Sacerdotum gloriam, pretioſam Epiſcoporum gemmam, Regulam Clericorum, lumen & ornamentum Monachorum, cujus fama totum replevit orbem, cujus virtus Apoſtolica comparari poſſe videtur.* Otto primus Abbas Cluniacenſis tractatum ſcripſit (tom. 7. Bibl. SS. PP.) hoc titulo: quod Beatisſimus Martinus par dicitur Apoſtolis, & hoc probat à vitæ ſanctitate, à converſorum ad Chriſtum multitudine, miraculorumque numero & ſplendore: quæ tria virum ſanctisſimum per totum terrarum orbem tam fecere celebrem, ut non aræ tantùm & ſacella, ſed Epiſcopales, Archiepiſcopalesque Eccleſiæ (inter quas hæc Moguntina primum obtinet locum) atque Baſilicæ: ejus nomini honorique à Majoribus noſtris fuerint conſecratæ. Verum ut præſentem panegyrin intra certos concludam terminos, extra citatum ex Evangelio thema, non evagabor: cum illud juxta literalem, moralemque ſenſum expoſuero, oſtendam, quàm variis eximiarum virtutum cingulis, S. Martinus lumbos ſuos, jubente Chriſto Domino, præcinxerit, ut promptus & alacer ad bravium æternæ gloriæ decurreret.

§. 2. Explicatio literalis horum verborũ, ſint lumbi veſtri præcincti. Luc. 12. 33.

Ut hæc verba æternæ Veritatis, *Sint lumbi veſtri præcincti*; melius intelligantur, illa cum præcedentibus Chriſti D. verbis connectere debemus. Paulò ante dixerat Apoſtolis: *Complacuit*, non veſtris meritis, ſed ex infinita liberalitate, *Patri*, qui vos unicè amat, *vobis*, tanquam filiis *dare regnum*, veluti nobilem hæreditatem; ſed ut re ipſâ obtineatis, *vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, facite vobis theſaurum non deficientem in cœlo; ſint lumbi veſtri præcincti, &c.* quaſi diceret: O mei Apoſtoli, quale regnum vobis paratum eſt à Patre meo: non terrenum, ſed cœleſte; non temporale, ſed ſempiternum. O quale gloriæ æternæ bravium: O coronam immarceſcibilem: ſed veſtrum eſt, ſive, à vobis requiritur, ut curratis, ut apprehendatis; ad quem curſum in ſtadio virtutum feliciter conſummandum, ut currere posſitis, neceſſe eſt, ut lumbi veſtri ſint præcincti. Hinc Chriſtus D. illorum oculis & memoriæ proponit magnitudinem gloriæ; ut animos ejuſdem deſiderio accendat: ex altera verò parte, docet, quomodo, quo ſtudio, quâ curâ atque ſollicitudine, quâ vigilantiâ, quo habitu expectare debeant Dominum, donec veniat & vocet ad regnum: Id, quod declarat exemplo ſervorum, qui dum dominum ſuum nocte reverſurum expectant, non ſolùm vigiles, ſed præcincti, expediti & attenti, accenſas faces manu tenent, ut

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim, cum Dominus ſurrexerit, illum poſſint comitari.

§. 3. *Quare Chriſtus D. faciat mentionē præcinctionis.*

Præcinctionis facit mentionem Chriſtus D. quia orientales populi oblongis utebantur veſtibus, ideoq; qui miniſtraturi erant, collectam veſtem cingulo ſtringebant, ad lumbos, ne eſſet impedimento. Conſtat hic mos ex variis Scripturæ locis. Tob. 5. v. 5. Junior Tobias Raphaëlem invenit ſtantem in foro, jam præcinctum, & quaſi ad iter paratū. Lib. 4. Reg. c.18. Elias currebat ante Achab præcinctis lumbis. Lib. 4. Reg. c. 4. Eliſæus dixit puero Giezi, *Accinge lumbos tuos; & tolle baculum meum, in manu tua, & vade.* Act. 12. v. 8. ut Petrus eductus ex carcere, expeditus eſſet ad iter, juſſus eſt ab Angelo præcingi. Chriſtus D. cùm in ultimâ cœnâ Apoſtolorum lavit pedes, præcinxiſſe ſe dicitur, & in hodierno Evangelio, *Amen dico vobis, quod præcinget ſe & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Itaque præcinctos habere lumbos, idem eſt, quod paratum eſſe, & adeò paratum, adeo omnia eſſe expedita, ad excipiendum Chriſtum, cùm ad judicium venerit, ut nihil tunc nobis, vel minimum præparandū ſuperſit. S. Chryſologus ſer. 24. in c. 12 S. Luc. *Lumbos noſtros aſtringi jubet baltheo caſtitatis, & totum carnis noſtræ pendulum, fluidum, reſolutum, conſtringi mandat continua zona virtutis, ut carne ſuccinctâ ad Domini occurſum liberè provolemus.* Et hic eſt verus ſenſus literalis citati thematis.

§. 4. *Senſus moralis.*

Qui illum ad mores accommodant, ulterius ſic diſcurrunt: Varii variis cingulis ſe præcingunt. 1. Operarii & miniſtri, cingulo patientiæ & humilitatis. 2. Nuntii & viatores: ſic S. Joannes Apoc. 15. v. 1. vidit ante thronum Dei ſtantes ſeptem Angelos, habentes ſeptem plagas, paratos ad omnem nutum, veſtitos lino mundo & candido, & præcinctos circa pectora zonis aureis. 3. Milites & athletæ præcingere ſe debent baltheo fortitudinis, ut ita ſuccincti ſint fortiores: ad Epheſios 6. v. 14. *State ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induite loricam Juſtitiæ.* Job. 38. v. 3. *Accinge ſicut vir lumbos tuos.* Pſ. 17. v. 40. *Præcinxiſti me virtute ad bellum.* 4. Bajuli, ut fortes ſint ad portanda onera: nec præ nimio pondere rumpantur, lumbos ſuccingūt. 5. Continentes & amantes caſtitatis, ut carnem doment, & pravis concupiſcentiæ motibus generosè reſiſtant, ſtringunt ſe cingulo pœnitentiæ: S. Paulus vocat zonam mortificationis, ad Coloſſ. 3. v. 5. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Hujus cinguli fit mentio Judith c. 4. ut offerrent Deo ſacrificia præcincti ciliciis: de ſpeculo pœnitentiæ, S. Joanne Baptiſta ait S. Marcus c. 1. v. 6. *Zona pellicea circa lumbos ejus.*

§. 5. *Applicatur uterque Apoſtolis.*

Dum ergò Chriſtus D. ad Apoſtolos ait, *ſint lumbi veſtri præcincti,* hoc voluit dicere; mei Apoſtoli, vocavi vos, ut ſitis operarii in vinea mea, ut in illa pro denario cœleſtis gloriæ ſtrenuè laboretis, ut tanquam fideles miniſtri mihi & pauperibus ſerviatis: ut hæc faciatis promptè,

præcingite lumbos veſtros cingulo patientiæ & humilitatis. Mei Apoſtoli, elegi vos, ut per univerſum mundum ſitis nuntii, legati & viatores, ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, ne in via impediamini. ſcitote vobis dictum, quod prædeceſſoribus veſtris comedentibus Agnum paſchalem, imperatum fuit, renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter; eſt enim Phaſe, id eſt, tranſitus Domini, ex Ægypto in Palæſtinam. *Ite* (Iſa. 17. v. 2.) *Ite Angeli veloces, ad gentem convulſam & dilaceratam, &c.* ſed lumbi debent eſſe præcincti cingulo zeli animarum & divinæ gloriæ. Mei Apoſtoli, elegi, vocavi, ſegregavi vos ut generoſos pugiles, & fortes milites, ut contra meos hoſtes: diabolum, carnem, mundum, vitia, idololatriam pugnetis: ut dimicetis fortiter, ſine impedimento, præcingite vos, ut viri, & Athletæ, cingulo fortitudinis. Bajuli eſtis, quorum humeris impoſui jugum mei Evangelii, & pondus ſanctiſſimæ Crucis; nam, Matth. 16 v. 24. *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*: ut hæc onera portetis, & non deficiatis, præcingite lumbos veſtros. S. Cyrillus addit in Catena, *ut prompti ſitis ad ſuſtinenda mala, & perſecutiones mundi.* Denique vocavi vos, ut vita veſtra meo Evangelio, & doctrinæ, vitæque meæ ſit conformis, ut diſcipuli magiſtrum ſequamini per viam crucis, ideo ſint ſuccincti lumbi veſtri cingulo mortificationis. Hæc eſt moralis explicatio clara, citati mei thematis, ſive verborum Chriſti in hodierno Evangelio, *Sint lumbi veſtri præcincti*: aperitque mihi ampliſſimum campum, in quo longè lateque in S. Martini laudes excurrere poſſum. Nam;

§. 6. *EtS Martini.*

S. Martinus fuit Apoſtolicus operarius & miniſter, præcinctus cingulo patientiæ & humilitatis, ſive, fuit Chriſti ſervus patientiſſimus & humillimus. S. Martinus fuit viator, nuntius & Apoſtolicus legatus, qui præcinctus aureâ zonâ caritatis innumerabiles homines convertit ad Chriſtum. S. Martinus fuit ſtrenuus miles, accinctus baltheo fortitudinis; S. Martinus fuit fortiſſimus bajulus SS. Crucis: fuit denique SS. Epiſcopus, præcinctus cingulo mortificationis; patebunt omnia ex hiſtoria SS. ejus vitæ.

§. 7. *S. Martinus fuit inſig. in operarius.*

Qualis operarius? qui vineam Domini, dum dura idololatriæ ſaxa removenda: dum hæreſium ſpinæ evellendæ: dum novæ vites plantandæ, fovendæ, rigandæ, fodiendæ: dum aſtutæ vulpeculæ vineam ſuffodientes, capiendæ vel abigendæ: uſque ad octuageſimum ſextum ætatis annum, in laboribus & ſudore vultus coluit: neque tamen defatigari potuit, ut etiam in agone dicere fuerit auſus, *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem: fiat voluntas tua.* Genuina nota, Apoſtolici operarii in vinea Domini, nullum pro Deo, vel ſalute animarum, recuſare laborem.

S. Martinus, qualis miniſter & ſervus

Digitized by Google

§. 8. *Fidelis Chriſti & pauperum ſervus.* ſervus Chriſti, atque pauperum! qui nobili genere ortus, in militiam ire coactus, uno contentus famulo, ſed cui ipſe ad menſam ſerviebat, veſtes exuebat, linteamina lavabat. Qualis ſervus Chriſti; cujus ſtudium erat, aliorum neceſſitatibus ſubvenire, ægros comiter inviſere, converſari cum pauperibus, ſtipem pro illis mendicare, nudos etiam propriâ chlamyde veſtire, vulgò dictus, Pater pauperum. Qualis miniſter Chriſti, & pauperum! qui ad epiſcopalem evectus dignitatem, non erubuit cum egenis aſſidere, aut præcinctus illorum menſis inſervire, dapes inferre, hoſpitibus abluere manus & pedes! quâ eximiâ caritate promeruit, ut ad aram, ſacram elevantis Hoſtiam, manus & digiti, veluti cœleſtes gemmæ irradiarint. Reverà aureas & hyacinthias habuit manus, de quibus in manus pauperum tot liberalitatis gemmæ deciderunt. Ut ego dubitem, an radient magis in S. Martini manibus, aureæ gemmæ, vel magis in viri ſanctiſſimi pectore, aurea zona humilitatis & demiſſionis, quâ præcinxit ſe, ut alacer Chriſti Domini, atque pauperum eſſet ſervus & miniſter.

§. 9. *Nuntius & legatus ad diſſeminandum Evangeliũ.* S. Martinus! qualis nuntius & legatus Chriſti D. cùm divino inſtinctu ſentiret vocari ſe, ad parentes idololatras convertendos, cœlo obtemperaturus abiit ſtatim, licet ſciret, & prædiceret ſociis, in diſceſſu amarè flentibus, ſe multas in propoſito itinere difficultates perpeſſurum, graveſque ærumnas exantlaturum. Fuit tamen alacer, quia aureo caritatis cingulo erat præcinctus. Vaticinium ſubſecuta veritas comprobavit. Cùm tranſiret Alpes, incidit in latrones, à quibus ſpoliatus, verberibuſque cæſus, retro tamen non reſpexit; in patriam appulſus, poſt multos labores, ut parentes ad veram Dei cognitionem perduceret, Mater lumem veritatis admiſit: pater in cæcitate perduravit, magno ſancti viri luctu, quem tamen mox Deus plurimum aliorum converſione fuit conſolatus. An non legatus Chriſti? qui toties integras gentilium turmas, hinc intrepida Evangelii prædicatione, & ardentibus precibus, hinc admirandis miraculis, etiam mortuos excitando, ad veram fidem convertit: hæc ingens viri ſanctiſſimi laus eſt, quod ex omnibus circumjacentibus regionibus, ubi habitavit, impiam idololatriã ſtirpitus eradicarit, ut nullus angulus fuerit reliquus, in quo non Chriſti Crucem & legem prædicarit: O quale ſolatium fuit viro integerrimo, cum audiret Ethnicos poſt ſuſceptum baptiſmum clarâ & unanimi voce conclamantes, Alium Deum, præter illum, quem Martinus prædicaret, ſe non agnoſcere, nec venerari. Ubicunque intelligebat, jacere aliquos ex plebe, convulſos, dilaceratos, afflictos, inſtar volantis nubis, & velocis Angeli accurrebat; ſuccinctus aureo cingulo caritatis, promptus legatus ſui Imperatoris Chriſti D.

S. Martinus, qualis miles? qui Juliano, imbellem animum objicienti auſus fuit in faciem dicere, ſe para- §. 10. *Fortis & invictus miles.*

Mmmmm 2 tum

tum, medios hoſtium cuneos, etiam inermem, nec niſi ſigno crucis munitum penetrare, qui, objicienti Sathanæ, *quocunque ieris*, *diabolus tibi adverſabitur*, reſpondit: *Ibo tamen, Dominus mihi adjutor; non timebo, quid faciat mihi homo.* S. Martine, quærent te alii ad necem; non timebo, manet te fames, gladius, & perſecutio, non timebo. An non miles Chriſti? qui à latronibus necem ei minitantibus rogatus; Num mortem timeret? reſpondit, ſe Chriſtianum, & nunquam minus mortem timuiſſe: certum, mediis in periculis conſtitutos Dei ſervos, à Deo magis adjuvari. Invictum verò hunc animum non verbis tantum, ſed opere demonſtravit, cum Ethnico ſicario, ob varias columnas & arbores diis ſacratas, vel fulmine de cœlo dirutas, vel facibus & flammis, ſuis manibus exuſtas, ſtringenti ferrum, depoſito amictu, nudum pectus & jugulum porrexit; dediſſetque libenter pro Chriſto mille vitas, niſi occulta, ſed divina vis, ſtrictum mucronem ex ſicarii manibus extorſiſſet: quò Antiphona Eccleſiæ collimat: *O Sanctiſſima anima: quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrii non amiſit*: S. Bernardus ſer. de S. Mart. ideo illum appellat, Martyrem devotiſſimæ voluntatis: Sulpitius ep. 2. ad Aurelium dixit; *Licet ei ratio temporis non potuerit præſtare martyrium; gloria tamen Martyrii non carebit*: Quod ſi Neronianis Decianiſque temporibus, dimicare licuiſſet, teſtor Deum cœli & terræ, ſponte equuleum aſcendiſſet, ultro ſe ignibus intuliſſet, Hebræiſque pueris adæquandus inter flammarum globos, mediâ licet in fornace, hymnum Deo cantaſſet; addit: Serra Iſaiæ fuiſſet illi acceptabilis, gladium Pauli, Crucem Petri & S. Andreæ, &c. non timuiſſet; quia generoſiſſimus erat Chriſti miles, ſub vexillo Crucis, præcinctus purpurea & ſanguinea Zona invictiſſimæ fortitudinis. Hoc cingulo præcinctus curſum ſuum conſummavit feliciter, ad bravium, & coronam, quam Deus legitimè certantibus præparavit.

S. Martinus, qualis bajulus? qui tot oves ſibi concreditas, veluti vigilans paſtor: tot filios, veluti ſollicitus Pater, tot inopes & egenos, velut amantiſſima Mater portavit humeris ſuæ caritatis, ut nihil dicam de laboribus, de morbis, de adverſitatibus, de contumeliis, verbo de jugo Crucis, cui in diſſeminatione Evangelii tot annis nunquam ſuccubuiſſet fortaſſis, niſi dies noctesque ſuos lumbos cingulis Apoſtolicarum virtutum, præcinxiſſet. §. 11. *Bajulus.*

Denique S. Martinus, quale pœnitentiæ, mortificationis, omniſque ſanctitatis ſpeculum! qui in exilio, in inſula maris mediterranei, longo tempore vitam ſolis herbis ſuſtentavit! Cui in epiſcopali dignitate, cibus vulgaris, amictus tenuis, pauperumque ſimilis & pro more vilis, cui pro habitatione anguſta cella, inciſa ſaxo, magis meditandæ morti & ſepulcro, quàm vitæ con- §. 12. *Speculum Pœnitentia & Mortificationis.*

ſer-

Digitized by Google

ſervandæ concinnata! cui dura tellus cilicio tecta fuit lectus: qui moriens in cineres depone voluit, quibus cum diſcipuli aliquid ſtraminis injeciſſent; dixit: *Non decet filii, Chriſtianum, niſi in cinere & cilicio mori. Ego ſi vobis aliud exemplum reliqui, ipſe peccavi!* An non ſpeculum mortificationis? qui in agone monitus, ut feſſum corpus, lateris mutatione relevaret, lacrymantibus oculis reſpondit: *Sinite fratres, me cœlum potius reſpicere, quàm terram; ut ſuo jam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur*: & ſic ſanctiſſimè ac placidiſſimè expiravit.

§. 13. *Sanctiſſima ejus mors.* Eodem momento (teſte Sulpitio) à Severo Monacho, viſus eſt evolare ad cœlum, in nivea veſte, vultu rutilo, coruſcantibus oculis. S. Severinus Archiepiſcopus Colonienſis, vidit Sanctiſſimam viri animam à cantantibus Angelorum choris ad Paradiſum deduci: prout accinit S. Gregorius Turonenſis apud Surium: t. 6. *O beatum virum! in cujus tranſitu, ſanctorum canit numerus Angelorum, exultat chorus, omniumque cœleſtium Virtutum occurrunt exercitus, quem Michael aſſumpſit cùm Angelis, Maria ſuſcepit cum Virginum choris ad illud regnum, quod ab æterno complacuit cœleſti Patri, illi dare, per merita Unigeniti Filii ſui Jeſu Chriſti, tanquam triumphanti militi, & fideli operario in vinea ſua.*

§. 14. *Digreſſio ab Auditores.* Quem in animis veſtris intendam fructum, hac panegyri, facile animadvertere poteſtis. Nobis omnibus complacuit Deo noſtro, dare hoc regnum, ad idem bravium nos vocat Dux noſter Jeſus Chriſtus! ſed præcingamus lumbos. Eja Auditores, ſimus operarii in eadem vinea Domini, præcingamus nos cingulo patientiæ, &c.

§. 15. *Pium Suſpirium ad S. Martinum.* Finio, ſed ardentiſſimo ſuſpirio, ad te, *O ſancte Martine! mihi & meis Auditoribus, hanc impetra gratiam, ut cum cœleſtis ſponſus venerit, & pulſaverit; confeſtim ocurramus illi, in nivea veſte candidiſſimæ puritatis, ſcintillantibus oculis, ſed ſcintillis amoris, accenſis pectoribus, ſed à flamma caritatis, ut Sancti Angeli, ut Sanctus Michael, ut Sancta Maria nobis occurrant, noſque una omnes deducant ad conſpectum Sanctiſſimæ Trinitatis, & gloriam æternam, Amen.*

Digitized by Google

CONCIO LXXXVIII.

FESTO PRÆSENTATIONIS B. VIRGINIS.

De quâ natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus, Matthæi 1. verſ. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit varias cauſas & congruentias, ob quas trimula Virgo, vocata & tracta fuerit ad templum; & monet Auditores, ut renovent ardorem devotionis erga Beatam Virginem.

§. 1. *Cicada non ſilet, cum ardet; neque Concionator ſilet de Beata Virgine, cum illam amat.*

§. 2. *Trimula Virgo à Deo ex mundo, tracta fuit ad templum, quia electa fuit ad gradum magnæ ſanctitatis.*

§. 3. *Apoſtrophe ad Beatam Virginem.*

§. 4. *Quam promptè ſecuta fuerit vocantem ſponſum.*

§. 5. *Proſecutio.*

§. 6. *Digreſſio ad Auditores.*

§. 7. *Variæ congruentiæ ob quas B. Virgo trimula à Spiritu S. tracta fuerit ad templum.*

§. 8. *Proſecutio.*

§. 9. *Quare Deus juvenes & adoleſcentulas vocet ad ſtatum Religioſum.*

§. 10. *Invectiva in illos, qui vocatos impediunt ab ingreſſu in Religionem.*

§. 11. *Domus, & habitationem convertere debemus in templum.*

§. 12. *In feſtis B. Virginis, renovandus eſt novus fervor & ardor illam colendi.*

§. 13. *Oſtenditur ex tragicâ hiſtoriâ, quàm ſit utile, quotidie aliquid orare, in honorem B. Virginis.*

§. 14. *Allocutio damnati Adoleſcentis ad ſocium.*

§. 1. *Cicada, non ſilet, cum ardet; neque Concionator ſilet de B. V. cum illam amat.*

CUm hodierno feſto, Præſentationis, dicere debeã, de ſuaviſſimo Vitæ B. MARIÆ Virginis myſterio, in quo perpendimus, quo affectu, qua devotione, quibus deſideriis, trimula ſe obtulerit Deo in templo in victimam & holocauſtum, cum excelſo propoſito ſerviendi Creatori ſuo, in loco ſancto, cum omni poſſibili perfe-

perfectione & ſanctitate; fateor & profiteor cum S. Epiphanio ſer. de laud. Virg. *Deſiderium me trahit, ut de Deipara verba faciã.* Non deeſt quidem aliqua formido, quæ Concionatori cauſa eſſe poteſt, ut ſileat: *Nam* (Sanctus Auguſtinus ſer. de Aſſ.) *quid nos tantilli, quid puſilli; quid in ejus laudibus referemus? cùm etſi omnium noſtrum membra verterentur in linguas, eam laudare, ſufficeret nullus.* Similem metum, & ſacrum quendam horrorem, experti fuerunt plures Sancti Patres, cùm Beatam Virginem voluerunt deprædicare. In me, ut verùm fatear, omnem formidinem pellit commune adagium: *Cicada ſi tacet, ſignum eſt, non calere: ſilet, cùm non ardet* Auditores mei! unum ex ſummis ſolatiis, quæ percipio in hoc mundo, eſt, quod ſperem, eſſe in corde meo, per DEI gratiam, ſaltem deſiderium quoddam, quo cupio ardere flamma dulciſſimi amoris erga Beatam Virginem. Ita! ita! O Domina mundi! inſtar cicadæ repo, ad pedes auguſtiſſimæ tuæ Majeſtatis; ſum ſervorum & mancipiorum tuorum minimus & indigniſſimus: vermiculus ſum; ſed quia amore tuo ardere cupio, ſilere non poſſum: cogor, ut te laudem: & quidem in hac panegyri laudabo illam Auditores, quod trimula tanto ardore ſe Deo præſentarit in templo, ut ad ejus imitationem, nil ita deſideremus, quam ut Deo ſerviamus: in fine inſinuabo aliquod munus, quod cupio ut Virgini præſentemus.

§. 2. *Trimula* In tertio ætatis anno, trimula Puella, deſerit parentes, valedicit cognatis & mundo: pergit, currit, volat ad templum, ut ibi ſola in ſancta ſolitudine ſerviat Deo, ut in illo ſolo quieſcat, atque delicietur. Hoc Deus ſolet efficere & operari, in illis animabus, quas ad altum ſanctitatis, perfectioniſque apicem vult deducere, ut mundum & omnia quæ in mundo ſunt, libenter contemnãt, neque aliud deſiderent quàm Deum & illius cultum. Mariæ, ab æterno, à Patre & Filio, & Spiritu S. præparatus fuit gradus celſiſſimæ ſanctitatis, in qua omnes reliquos Sanctos, ſimul ſumptos longiſſimè excedit: in primo ſtatim Conceptionis momento, præter immunitatem à peccato originali, collata illi fuit virtutum omnium perfectio altiſſima: cum actuali illarum exercitio, & proinde ingenti meritorum augumento. Novem menſibus, quibus latuit in utero matris, in Nativitate, tribus primis annis teneræ ætatis, indies, quavis horâ, quovis momento, etiam in ſomno, per peculiare privilegium illa ſanctitas tanta ſumpſit incrementa, ut ſanctiſſima Virgo, non niſi in loco ſancto, in templo Deo ſuo deinceps voluerit ſervire; præſertim cùm accederet ſuaviſſima Cœleſtis ſponſi invitatio, ex pſ. 44. v. 11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiſcet Rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus.*

Virgo à Deo ex mundo tracta fuit ad templum, quia electa fuit ad gradum magnæ ſanctitatis.

§. 3. *Apoſtrophe ad B. Virginẽ.* Sic eſt, ô trimula Virgo! tota pulcra es! es filia venuſtiſſima; ideo cœleſtis Pater concupiſcit ſpeciem tuam,

am, ut in loco ſancto ei ſervias: Quàm pulcra es, O pulcerrima Puellarum! ideo Unigenitus Dei Filius concupiſcit formam tuam, ut in templo illi ſervias, & poſt paucos annos fias ejus Mater. Trimula Virgo, quàm pulcra es! candida, & rubicunda, electa ex millibus; caput tuum, aurum optimum; comæ elatæ palmarum; oculi tui ſunt columbæ; genæ areolæ aromatum, labia favus diſtillans: verbo tota pulcra es, & macula non eſt in te: & tota ſuavis es! ideo concupiſcit ſpeciem tuam Spiritus S. ut ſis ſponſa ejus: in loco ſancto & templo ejus. Audivit trimula puella has voces, inclinavit aurem ſuam, oblita fuit populi ſui, & domus Patris ſui, & abiit in domum Domini.

§. 4: *Quam promptè ſecuta fuerit vocantem ſponſum.*

Forte dixit cum Sponſa Cant. 5. v. 6. *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus meus locutus eſt*: ſuper quæ verba Sanctus Gregorius M. hom. 25. in Evang. *Mens namque hominis, Conditoris ſui ſpeciem non quærentis, malè dura eſt: quia in ſemetipſa manet frigida. At ſi ardere jam ex deſiderio cœperit, ad ſequendum, quem diligit, liquefacta per ignem amoris currit, fit deſiderio anxia, vileſcunt in ſæculo cuncta, nihil eſt, quod præter Conditorem libeat, nihil ejus mœſtitiam conſolatur, quouſque qui deſideratur, non aſpicitur.* Æquè eleganter hanc comparationem liquefactionis proſequitur D. Macarius hom. 4. *Quemadmodum ferro, plumbo, auro vel argento in ignem conjectis, reſolvitur eorum dura natura, & in mollitiem mutatur; ſic & anima, quæ mundo abrenunciaverit, ſolum Dominum deſiderans, illum ignem cœleſtem, divini ac Spiritualis amoris conſecuta, tunc verè à mundo exſolvitur, & cuncta procul à ſe repellit; reliqua omnia pro ſuperfluis habens, in ſolo ſponſo cœleſti conquieſcens.*

§. 5. *Profectio.*

Hos Divini amoris effectus, has Spiritus Sancti flammas, trimula Virgo ita fuit experta, iis deſideriis in ipſa Conceptione & Nativitate, & lactata uberibus matris ardere cœpit, ad ſequendum, quem diligebat; adeo per ignem Divini amoris fuit liquefacta, ut non iverit, ſed cucurrerit ad templum, quamprimùm advertit id Deo ſuo placere. Cucurrit plena & anxia deſideriis ad ſiſtendum ſe ſponſo ſuo: eodem momento viluerunt illi cuncta, in ſæculo; nihil erat, quod præter Deum placeret: Nihil illam potuit conſolari, quouſque quem deſiderabat aſpiceret: quia à primo vitæ momento ignem cœleſtem divini ac ſpiritualis amoris fuit conſecuta, quieſcere non potuit, niſi in ſolo ſponſi amore.

§. 6. *Digreſſio ad Auditores.*

Quam longè alia eſt noſtra conditio, O mortales! quàm ſumus frigidi, veluti æs vel ferrum, aut aliquod ſaxum; quàm placet nobis mundus! placent divitiæ, &c. Deſipiunt cœleſtia, in divinis nullus eſt guſtus; longè libentius ſumus inter turbas, quàm in templo. Deeſt ſcilicet ignis divini amoris in cordibus noſtris; Utinam hodie Domina noſtra aliquot ſcintillas ſaltem & flammulas illius dilectionis excitet in cordibus noſtris, ut illis accenſi magis Deum amemus, quàm mundum: ut potius audiamus vocem vocantis Dei, quā diabo-

Digitized by Google

diaboli: ut repellamus à nobis ea, quæ impedire nos poſſunt, quò minus Deo adhæreamus: ut nihil deſideremus magis, quàm illi ſervire & per gratiam eſſe cum Deo noſtro; & hæc omnia cum ardore & fervore, ſive ex toto corde.

§ 7. *Variæ congruentiæ, ob quas B. Virgo trimula à Spiritu S. tracta fuerit ad templum.* Decens præterea fuit ob plurimas rationes, ut pulcerrima hæc puella, in prima & tenerrima ætate ex hoc mundo quaſi tranſplantaretur in templum. Mundus hic nihil aliud eſt, quam quoddam ſenticetum, quidam ager plenus Zizaniis & tribulis, floſculus tam formoſus, pulcerrima hæc roſa, candidiſſimum hoc lilium, arbor tam venuſta, hæc Palma, hic Cedrus, hæc Oliva, qualis fuit Maria, transferri debuit in templum, veluti Paradiſum: & hac intentione trimula Virgo, venit in templum, ut veluti ſuaveolentem roſam ſe præſentaret ſponſo: Ad Virgines dixit Paſchaſius. *Vos eſtis, quæ virtute, pudicitia, & ſplendore caſtæ dilectionis, ſponſo ſerta componitis, & per campos ſcripturarum, indeſinenter, velut apes, flores legitis.* Talis apicula fuit B. Virgo; ideo floridum quæſivit hortum, in quo inter flores & lilia ſerviret puriſſimo ſuo ſponſo.

§. 8. *Projectio.* Malignus hic mundus eſt locus plenus præcipitiis, & rupibus; quàm facile inter has colliduntur vaſa, in quibus nobiliſſimus latet theſaurus; Vas tam pretioſum, quale fuit Maria, in qua Deus abſcondit divitias gratiæ & gloriæ ſuæ, debuit collocari in loco tuto, in templo, in altari, ſub peculiari protectione Altiſſimi. Et illa intentione trimula Virgo venit in templum, ut in conſpectu Dei eſſet vas plenum gratia & ſanctitate. Malignus hic mundus aliud non eſt, quàm ſylva quædam, plena latronibus, qui ſpoliant, qui vulnerant, qui occidunt viatores; Regina tam dives, tam pretioſis ornata gemmis, in veſtitu deaurato, qualis fuit Maria, ſtatim in prima ætate, debuit deduci ad locum tutum, in templum; quod fuit ingreſſa, ut extra omnes inſidias dies noctéſque aſſiſteret dextræ ſponſi & Regis ſui. Malignus hic mundus eſt antrum quoddam Æoli, in quo dominantur venti concupiſcentiarum: decens erat ut ſpiritus Sanctus lucernam ardentem & auream lampadem, qualis erat Virgo Maria, includeret intra muros Domus Domini, ubi dies & noctes arſit & radiavit coram Altisſimo. Malignus hic mundus, eſt turbulentum quoddam mare, infame naufragiis; navis, tam pretioſis onuſta mercibus, qualis fuit trimula Virgo, in tutum debuit dirigi portum, in templum Domini.

§. 9. *Quare Deus juvenes & Adoleſcentulas vocet ad ſtatum religioſum.* Utilisſima documenta nobis ſuggerit præſens diſcurſus. Advertite 1. Quare Deus multos in prima juventute ex hoc mundo vocet ad ſtatum religioſum. Juvenes, adoleſcentes, virgines ſunt floſculi, ſunt roſæ, ſunt lilia, quæ cœleſtis ſponſus ex ſenticeto hujus mundi, vult tranſplantari in terreſtrem aliquem paradiſum; talis paradiſus, talis hortus eſt quivis Ordo religioſus. Adoleſcentes & adoleſcentulæ in fictilibus vaſis portãt nobilisſimum theſaurũ:

vult Deus illa vaſa transferri in locum tuum. (*Sic perge per alias allatas congruentias*) Diſcat itaque florida juventus, audire, videre, inclinare aurem ſuam, oblivisci populi ſui, & contemnere mundum. O floſculi! O roſulæ! cœleſtis Sponſus concupiſcit ſpeciem veſtram. Trimulæ Virginis premite veſtigia, illius eſtote imitatores, florem ætatis præſentate Deo veſtro.

§. 10. *Invectiva in illos, qui vocatos impediunt ab ingreſſu in religionem.*

2. Advertite, quàm malè faciant parentes, tutores, cognati, quicunque alii, qui juvenes impediunt, quò minus vocanti Deo obediant: vocat tales Chriſtus Dominus ad paradiſum, malunt tales miniſtri Sathanæ videre, ut eligant latam viam ad perditionem. (*poteſt hoc modo fieri acris invectiva in illos, qui adoleſcentibus diſſuadent ingreſſum in religionem, v. g. malunt, ut roſa tam pulcra, præſentetur diabolo, quàm Chriſto Domino, &c.*)

§. 11. *Domus & habitationem convertere debemus in templum.*

3. Advertite. Exemplo ſanctiſſimæ Virginis, domus & habitationes noſtras ita eſſe inſtituendas, ut potius ſint hortus deliciarum Dei, quam quoddam ſenticetum vitiorum; caveamus præcipitia: habitemus domi noſtræ, quaſi in domo Dei. Verè domus Dei eſt, & porta, ſive atrium cœli, in quo v. g. conjux eſt formoſa roſa, maritus lilium, uxor oliva, vir lilium, proles violæ, omnes lucernæ ardentes coram Domino. Verbo, diſcamus hodie, exemplo virginis ita vivere, domi, foris, ubique, ut digni ſimus, qui compareamus ante conſpectum Domini, in oculis Chriſti Salvatoris noſtri; intentio noſtra ſit, ſemper & in omnibus, cum perfectione poſſibili, ſervire Deo. Hâc intentione trimula Virgo templum fuit ingreſſa.

§. 12. *In feſtis B. V. renovandus eſt novus fervor & ardor illâ colendi.*

Alteram partem meæ Concionis proponam tantùm: cùm hodie ſit feſtum Præſentationis B. Virginis, cupio ut & vos hodie magnæ matri vos præſentetis, & offeratis in ſervos, in clientes, in filios; cum ferventibus propoſitis, ardentius deinceps amandi pulcerrimam Dei Matrem. Fortaſſis non pauci inter vos, forſitan plerique hactenus fuerunt membra vel ſodales alicujus congregationis, ſub titulo B. Virginis inſtitutæ, ut in ſimilibus ſodalitatibus, veluti regiis aulis & palatiis, magnæ Reginæ cœli & terræ ſerviamus. Placet mihi veſtra hæc devotio; offerte hodie eidem ſeria propoſita, ut deinceps majori ad huc curâ & ſollicitudine vivatis juxta regulas & ſtatuta congregationis, cujus eſtis membra. Fortaſſis aliqui inter vos hactenus cum peculiari ſolatio in neceſſitatibus, tribulationibus & morbis auxilium quæſiverunt apud Matrem miſericordiæ, apud Virginem Conſolatricem, cujus imago, in hac urbe, in templo Societatis Jeſu tantâ devotione, tanto piorum concurſu colitur. Placet devotio. Hodie magnæ Matri offerte nova propoſita; cogitate, dicite; in poſterum cum magna fiducia in meis neceſſitatibus apud hanc Conſolatricem, quæram ſolatium & auxilium: in tenebris, in turbulento mari, inter ſcopulos tentationum, inter furias ventorum, piis oculis aſpiciam

hanc

hanc ſtellam! hâc anchorâ firmabo meam naviculam. Advertitis credo auream praxin, quâ omnes devotiones erga B. Virginem hodie feſto, per pias oblationes & nova deſideria, atque propoſita poſſint renovari. Unam ego hodie peculiariter exigo: non putem ullum eſſe, qui non quotidie B. Virgini offerat aliquas ſtabiles & certas preces: v. g. partem ſaltem Roſarii, vel Litanias Lauretanas, pro obtinenda felici morte, vel ejus officium: minus dicam, aliquot ſaltem ſalutationes Angelicas: tam impium, tam oblitum & incurium ſuæ ſalutis, neminem eſſe ſpero ex meis Auditoribus, qui hoc non faciat; inpoſterum ſaltem facite, ferventer & ardenter.

§. 13. *Oſtenditur ex tragica hiſtoria, quam ſit utile quotidie aliquid orare in honorē B. V.*

Quàm hoc Virgini ſit gratum, & nobis proficuum, patebit ex ſequenti hiſtoria, quæ contigit in Flandria, anno 1604. narrant illam viri, fide digniſſimi. Adoleſcentes duo perditiſſimorum morum, noctem trãſegerant in domo meretriculæ, impiam, ſceleſtam, abominabilem! Alter domum redux, dum ad lectum volat, recordatus fuit, ſe pro illa die necdum perſolviſſe Marianum penſum, quod licet impius, quotidie tamen Virgini offerre conſueverat. Ingens hic lucta & diſputatio, ſolvatne debitas preces, an omittat. Hoc multa ſuadebant, laſſitudo, ſera nox, commiſſa paulò ante ſcelera, diabolus. Vicit tamen in Mariam affectus, ut conſuetas preces recitaverit, quãvis cum exigua devotione, ut facile eſt cogitatu. Vix incubuerat, cùm horribili voce, & inſolitis pulſibus inſeſtantur fores; horret, timet, tremit miſer adoleſcens, metu, pavore, timore concutitur! & multò magis, cùm ante lectulum vidit ſtantem ſocium, quem paulò antè in lupanari reliquerat, tum capilli erigi, hebeſcere oculi, membra collidi, vox faucibus hærere, ſudor toto corpore manare! Omitto brevitatis cauſâ mutuas quæſtiones; alter tandem, altùm ingemiſcens ait:

§. 14. *Allocutio damnati adoleſcentis ad ſocium.*

Anne me agnoſcis? ſcias velim, eodem illo tempore, illis horis, quibus paulò ante in infami & notâ tibi domo horrenda ſcelera commiſimus, Dei & ſalutis noſtræ immemores, dæmonem coram divino tribunali, litem nobis ambobus intendiſſe, & poſtulaſſe æquam & promeritam ultionem atque vindictam, per repentinam mortem, & condemnationem ad ignem æternum: annuit Judex: quandoquidem autem illo quaſi momento conſuetas tuas preces Virgini offerre incepiſti, illa, verè Mater miſericordiæ, apud Judicem pro te interceſſit, obtinuitq́; ut ſententia in te lata executio ſuſpenſa & dilata ſit. Me miſerum & æternum infelicem, dum paulò poſt te è domo egreſſus fui, invaſit dæmon, & miſerabili morte me peremit: & ne dubites, ecce mea tormenta! tum togam deducens, igneos vermes & ſerpentes, à quibus toto corpore rodebatur, urebaturque, oſtendit; & cum triſtiſſimo ejulatu; teterrimoque fœtore evanuit! Alter verò juvenis ſequenti mane ingreſſus fuit ordinem S. Franciſci, in quo, poſt multorum annorum ſanctiſſimam vitam, demum in Japonia pro fide Chriſti, vivus flammis fuit exuſtus

§. 1. *S. Andreas non ſuiſſet ſecutus Chriſtum, niſi prius illũ vidiſſet Jeſus. Exemplo deinde ſui Magiſtri fuit ardẽs amator crucis.*

Citata in themate Concionis verba, *Vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus*, ita expoſuit S. Remigius; *Vidit non tã corporaliter, quàm ſpiritualiter, ad corda eorũ reſpiciens*, quæ tãtâ luce ſubitò illuminavit Chriſtus D. radiis pulcerrimorum ſuorum oculorum, ut ſurgentes, relictis retibus ſecuti ſint illum; quod non contigiſſet, niſi Chriſtus D. illos vidiſſet. Super verba illa S. Lucæ cap. 15. v. 20. de filio prodigo, reduce ad domum Patris: *Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum Pater ipſius*; ait S. Chryſologus ſerm. 3. *Vidit illum Pater ſuus; & niſi Cæleſtis Pater, redeuntis filii radiaſſet in vultu; & totam confuſionis caliginem, reſpectus ſui lumine ſpoliaſſet, nunquam divini vultus vidiſſet ille filius prodigus claritatem.* Idem hodie ego aſſero, de glorioſiſſimo Apoſtolo S. Andrea; vidit illum Jeſus; & niſi Sol Juſtitiæ, Andreæ radiaſſet in vultu, & tenebras, quibus inſepultus jacebat, ſuſtuliſſet, nunquam ille relictis retibus ſecutus fuiſſet Jeſum. Quod Angelicus Doctor, hoc ſimili declarat, ut quis Chriſtum vocantem ſequatur; indiget, ut ei lumen gratiæ infundatur, ſicut ſi corpori mortuo reſuſcitando denuò infunderetur anima: unde S. Auguſtinus de ſe faſſus fuit: *Semper cæcus fuiſſem, niſi tu Domine illuminaſſes; nunquam ſurrexiſſem ex profundo luti meorum ſcelerum, niſi tu mihi manum porrexiſſes.* Et S. Gregor. Naz. in orat. de ſe ipſo. *Sine Chriſti ope, omnes nos inania ludibria ſumus, & viva, ut ita dicam cadavera, ſceleribus fœtida; ut enim nec avis ſine aere volat, nec Delphinus ſine aqua natat, ita nec homo, ſine Chriſti adminiculo pedem terra efferre poteſt.* Proinde neque S. Andreas illuminatus fuiſſet, niſi vidiſſet illum Jeſus: nunquam ſurrexiſſet ad ſequendum Chriſti veſtigia, niſi ille idem illi manum porrexiſſet: nunquam vocantis vocem audiviſſet, niſi, qui vocabat, illum traxiſſet in vinculis caritatis. Neque S. Andreas deinde tam ardens & fervens fuiſſet amator Crucis; non illam inſtar ſponſæ fuiſſet amplexatus; niſi exemplum ſui Magiſtri, Chriſti pendentis in cruce, habuiſſet præ oculis. Recogitatio Paſſionis Chriſti, glorioſos Martyres & Apoſtolos, & inter illos, S. Andream animoſos, intrepidos & fortes fecit: ejuſdem Paſſionis memoria, etiam hodie in tribulatione aliqua conſtitutis, ſummo eſt ſolatio. Id, quod fuſius hâc concione oſtendam.

§. 2. *S. Andreas fuit fortiſſimus miles Chriſti ſequens illũ ad Crucẽ.*

Teſte Seneca, in epiſt. 108. *Malus miles eſt, qui Imperatorem ſuum gemens ſequitur.* Næ igitur generoſiſſimus pugil, & fortis miles fuit S. Andreas, qui non gemens, non cùm lacrymis, non cum querelis & faſtidio, ſed exultans & velut tripudians Imperatorem ſuum Chriſtum ad crucem uſque fuit ſecutus: Cum pio ſtupore legimus & audivimus illa verba, quæ coram cruce eructavit cor S. Andreæ; *O Crux admirabilis! O Crux deſiderabilis! O Crux, quæ per totum mundum rutilas! ſuſcipe diſcipulum Chriſti; ac per te, me recipiat, qui per te moriens me redemit. O bona Crux! diu deſiderata,*

& jam concupiſcenti animo præparata! ſecurus & gaudens venio ad te, ut ſuſcipias me, ut moriar in te, diſcipulus ejus, qui pependit in te: cum pio inquam ſtupore tales voces excipimus, cùm ſpirent ſuaviſſimum quoddam gaudium, & ineffabilem animi lætitiam, quâ S. Andreas Crucem, velut ſponſam ſuam, adamavit. S. Bernardus verba hæc conſiderans, quærit ſermon. 2. de Sancto Andrea. *Unde ergo in homine nova hæc exultatio, & lætitia hactenus inaudita? unde in tanta fragilitate, tanta conſtantia? unde in homine tam ſpiritualis mens, tam fervens caritas, animus tam robuſtus?* ſed ceſſabit admiratio, ſi cauſas hujus lætitiæ inveſtigemus; ſive ſi conſideremus, quidnam ſanctum Apoſtolum in perferenda cruce ita animaverit, & fortem invictumque effecerit.

§. 3. Quia recogitavit exemplũ Ducis ſui, quod S. Paulus ſuaſit.

Pulcram cauſam inſinuavit S. Paulus ad Hebræos cap. 12. v. 3. cum enim in primitiva ſtatim Eccleſia timeret, ne fideles, qui in Chriſtum credere inceperunt, territi minis crudeliſſimi tyranni Neronis, & atrocitate tormentorum, à fide deſciſcerent, his verbis illos animavit: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit, à peccatoribus, adverſum ſemetipſum contradictionem*: & cauſam ſubdit: *ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes.* Vocula, *Contradictio*, comprehendit totam Chriſti Domini Paſſionem, plagas, vulnera, ſputa, injurias, calumnias, dolores, mortem Crucis: quæ omnia, ſi recogitemus, ex mente S. Pauli, nunquam deficiemus. Nam, *ſi nulla eſſet alia* (ait Haymo) *exhortatio,*) ſcilicet ad patiendum, ad ferendam crucem) *illud ſolum exemplum*, Chriſti patientis, *deberet ſufficere ad perſuadendum, omnia adverſa patienter tolerare.* Cajetanus ait ſuper hunc locum S. Pauli; *Adducit meditationem tanti Ducis, qui talia ſuſtinuit; quod eſt dicere, quod ideo hæc ſuſtinuit ut vos animis veſtris convaleſcatis, & fortes ſitis*; ut non deficiatis.

§. 4. Meditatione Paſſionis Chriſti, ſe animarũt S. Hieronymus & alii SS.

Tali meditatione in rigidiſſima pœnitentia ſe animavit S. Hieronymus, ſe ipſum ſic alloquens: Super nudam metuis humum exeſa jejunis membra collidere? *Sed Dominus tecum jacet*, & quidem nudus in Cruce: exemplo Domini ſui viro Sancto, nuda humus vel ſaxum, fuit lectus ſtratus roſis. Meditatione Chriſti Patientis, generoſiſſimo animo, cecinit S. Proſper: *Flagris dorſa, alapis maxillas, ora ſalivis, præbuit: configi ſe crucè non renuit: quidnam igitur tolerare recuſem, aut quid erit, quod me ſeparet à Domino.* Eadem fuit mens Sancto Andreæ: memoria Crucis, clavorum, plagarum, vulnerum, effuſi ſanguinis ſui Magiſtri, ipſi aridum truncum crucis, convertit in mollem lectulum. Sic eſt: S. Andreas fuit extenſus in Cruce, cum generoſa patientia! memor ante ſe ſuum ducem in eadem fuiſſe extenſum. Alligatus ille fuit fortiſſimis funibus & catenis! cum invicto animi robore! memor, prius ſuum Magiſtrum cruci fuiſſe affixum trabalibus clavis. S. Andreas per integrum biduum in cruce pependit: cum inſuperabili conſtantia! ingeminans millies, *O bona Crux! O*

pretioſa

pretioſa Crux! memor ſcilicet, Dominum ſuum ante in majoribus longè tormentis, in cruce per trihorium pependiſſe.

§. 5. *Et S. Hilarium, Tertullianum, S. Petrus M. ex ordine S. Dominici.*

Recogitatio Chriſti Patientis, & ſacroſanctæ Crucis, ita animavit S. Hilarium, ut exclamarit: *Omnia injuriarum, & contumeliarum genera, nihil nos terreant; gloriæ loco potius amplectentes, ſi Domino noſtro, vel patiendo adæquemur.* Tertullianus in ſimili cogitatione dixit, cap. 8. adverſus Gnoſt. *Hoc ipſum ad gloriam nobis ſufficere debet, æquari paſſionibus Domini.* Auream lectionem ipſe Chriſtus Dominus de cathedra S. Crucis prælegit glorioſiſſimo Martyri S. Petro ex ordine S. Dominici. In gravi triſtitia ob atrocem confuſiouem & injuriam famæ ſuæ illatam, coram cruce proſtratus, in has querelas erupit: *Mi bone Jeſu! quomodo permittis, ut talia innocens patiar?* mox Jeſus de cruce ſenſibili voce illi reſpondit; *Et ego Petre, quid mali feci, ut cum tantis opprobriis & contumeliis condemnarer ad crucem? Diſce ergo exemplo meo, omnia æquanimiter tolerare.* Recogitavit talia Petrus, & lætus pro Chriſto etiam mortem oppetiit.

§. 6. *S. Catharina Sen. aliaque perſona ſancta.*

Inter graviſſimas tentationes afflictiſſimæ & triſtiſſimæ S. Catharinæ Seſenſi apparuit Chriſtus Dominus totus ſaucius, vulneratus, ſanguine coopertus, dicens: *Filia mea Catharina! vides? quanta ego paſſus ſum pro te, non tibi grave ſit, ſuſtinere pro me!* Recogitavit hæc piiſſima Virgo, & deinceps in omni adverſitate fuit patientiſſima. Cùm alteri pientiſſimæ Matronæ, inter acutiſſimos dolores in omnibus membris corporis, unus ex aſtantibus porrigeret Crucifixum, illa intentione, ut ægra à Salvatore ſuo & cœleſti Medico peteret mitigationem dolorum; intuita hoc ſpeculum, & recogitans ſponſum ſuum pendentem de cruce, dixit: *Porrigis mihi Crucifixum, ut petam liberari à doloribus: & quomodo hoc petere auſim, in conſpectu hujus imaginis, in qua intueor, quanam Jeſus Crucifixus, pro me paſſus ſit! pro me! ex infinita & gratuita caritate.* Video illum totum in doloribus derelictum ab omnibus; neque tamen de cruce voluit deſcendere, donec in illa expiraſſet: & ego petam, ut ab illa liberer? Abſit! abſit! patiar libenter pro eo, qui pro me atrociora longè paſſus fuit: dicam cum S. Andrea, *Non permittas me Domine de cruce ſolvi*, moriar in cruce! Quidni hic vos alloquar Auditores verbis S. Petri 1. ep. 4. 1. *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini. Armamini*, ait hic S. Thomas, *quia memoria Dominicæ Paſſionis*, contra inſultus & tentationes diaboli, & in adverſitate atque tribulationibus, *roborat nos & munit.*

§. 7. *Apoſtoli fuerunt generoſiores poſt mortem Chriſti, quàm ante.*

Conſiderate Apoſtolos: ante mortem Chriſti, Matth. 26. v. 57. *Apoſtoli omnes relicto eo fugerunt*: poſtquam verò in Cruce expiravit; poſtquam per mortem, mortis Victor, reſurrexit à mortuis, & glorioſus aſcendit ad cœlos, nulla timuerunt tormenta. S. Athan. hom. de ſemente: *Fugerũt quidem à vivo; ſed ita ut pro eodem Crucifixo mortem oppetant*; & inter illos S. Andreas etiam in cruce ab ipſo ſeparari non potuit; imò volupe illi

fuit,

fuit, in illa pati & mori: De S. Pacomio ambulante ſuper ſpinas per deſertum, ait Methaphraſtes: *ſuſtinebat lætus illarum puncturas & aculeos, memor clavorum, quos Chriſtus Dn. ſcelerum noſtrorum ergo pertulerat*: conſiderate hodie membra S. Andreæ pendentis in cruce; extenſa adhærent brachia, dilatantur nervi, totum diſtenditur corpus, intumeſcunt manus! ſed immanes dolores ſuſtinet lætus, memor dolorum, quos Chriſtus D. in cruce pertulit.

§. 8. *Elegans Apoſtrophe S. Auguſtini ad calamitoſos.*

Cùm conſolatione in S. Aug. in pſ. 54. legi hanc apoſtrophen: O calamitoſi! O triſtes & afflicti! in anguſtiis, in egeſtate, in doloribus, pro ſolatio veſtro cogitate, Chriſtum D. cuivis in corde dicere, *Me attende, quid pertulerim.* Eſtne inimicus aliquis qui te perſequatur quantum poteſt; me attende, quot & quantos habuerim perſecutores. Premit te paupertas? me attende! ego non habui, ubi caput reclinarem; ego totus nudus pependi in Cruce (hoc modo fieri poteſt pulcra & lata inductio) denique diſcurſum hunc concludit S. Aug. & ait: *Cùm pleno corde intuitus fueris, quid ille fuerit paſſus, nonne æquo animo, & tu tolerabis?* imo: gaudebis, *quod inventus ſis in aliqua ſimilitudine paſſionum Regis tui*: Si gemas, ſi murmures, in tribulationibus, cauſa eſt, *quia non venit tibi in mentem, quid pro te pertulerit Chriſtus.*

§. 9. *Ex aſpectu Cruci-fixi S. Ludvvina atroces dolores fuerũt dulces.*

S. LudWinæ inter graviſſimos dolores dixit pius ſacerdos: *Chriſtum pro te vulneribus conciſum intuere; aſpice in Cruce pendentem, clavis confixum, & extremis dedecoris atque ignominiæ maculis affectum: nil dubita, quin ex aſſiduo illius conſpectu, refectione tandem aſſidua perfrueris.* Mox cœleſtis hæc Philoſophia, piiſſimæ Virgini ita placuit, ut deinceps in corde, & in ore, inter atrocia tormenta nil aliud volveret, quàm Jeſum Crucifixum: & cum ingenti ſolatio. Ultimis vitæ diebus, inter anguſtias mortis millies hoc ſuſpirium repetiit, O Bone Jeſu: miſerere mei: & hæc dicens, poſt 28. annorum morbos, placidiſſimè expiravit.

§. 10. *Memoria ſanguinis Chriſti accendit Martyres.*

De Sanguine, qui ex exacerbatis faucibus S. Mariæ Ogniacenſis defluebat, ait Vita: *quem ſanguinis Chriſti memoria dulcem ſibi reddebat*: & cum Jeſu ſanguine plagiſque ſaucio plura pati deſiderabat: Elephas, conſpectu ſanguinis accenditur in iras, animaturque ad pugnam. Fundamentum eſt in ſacris literis, 1. Mach. 6. v. 34. *Nam elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ, & mori, ad acuendos eos in prælium*: Prudentiſſimi & fortiſſimi elephantes fuerunt tot invictiſſimi Chriſti Martyres, & generoſiſſimi pugiles, tyrannis & inferno terribiles: nimirum ex conſpectu ſanguinis Chriſti Patientis. Unde S. Laur. Juſtin. dixit; de caritate cap. 7. *Ut accendamur amore ipſius, inſpiciamus Vulnera Chriſti in cruce pendentis, & ſanguinem morientis.* Petrus Bleſſenſis admiratus conſtantiam Martyrum hanc illius reddit rationem, opuſculo in Job. *Stat Martyr: afflictus quidem, ſed invictus: videnſque ſanguinem ſuum, ex diverſis corporis partibus ebullientem; non ſua, ſed Redemptoris vul-*

Digitized by Google

vulnera attendit: dolores corporis lacerati non ſentit: quod non facit ſtupor, ſed Amor! nec deeſt dolor, ſed pro Chriſto contemnitur. Non ego hodie alicui immortali cedro, vel ſemper duraturo marmori, aurea hæc verba, ſive eximium Martyrum elogium inſcribere cupio, ſed Cruci, ex qua pendet glorioſus Apoſtolus S. Andreas; ſtat enim! pendet in cruce, afflictus quidem, ſed invictus: neque enim ſuos, ſed Redemptoris dolores attendit: ideoque non ſentit ſtupor, ſed ardentiſſimus ejus Amor erga Chriſtum & Sacroſanctam Crucem.

§. 11. *Quare mors Martyrii vocetur pretioſa.* Cecinit propterea regius Pſaltes pſ. 115. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.* Magiſter ſententiarum. *Mors ſanctorum eſt pretioſa, quia emit eam Chriſtus ſanguine quem pro iis fudit, ne dubitarent pro eo mori.* Hoc quoque elogium inſcribamus Cruci S. Andreæ; Pretioſa gloria mors ejus! emit eam Chriſtus ſuo ſanguine, & hanc gratiam, ut vir ſanctus pro illo mori, & quidem in cruce, non dubitarit.

§. 12. *Heroica dicta Ionæ Martyris ſub Sapore Rege Perſarũ. Crux S. Andreæ ornatur variis elogiis.* Juſſu Saporis Regis in Perſia, Jonas invictus Martyr tota nocte, in frigore rigidiſſimo, ſtetit in aquis inter glaciem; mane adductus ad tribunal, & rogatus, quomodo noctem illam tranſegiſſet, reſpondit: *Mihi credite, ego à prima nativitatis meæ die, nullam unquam noctem tranquilliorem ſuavioremque mihi extitiſſe memini, præſto enim mihi fuit, conſolatio una omnium dulciſſima, ex ſacroſancto illo ligno, cui affixus Dominus meus Chriſtus, ſuis livoribus, noſtros languores egregiè ſanavit:* In glorioſiſſimo Patrono noſtro S. Andrea, decantatæ illæ voces, *O bona Crux!* &c. quid aliud denotant, quàm latentem quandam in pectore conſolationem, unam omnium dulciſſimam? profectò non aliunde, quam ex ſuaviſſimâ arbore Sanctiſſimæ Crucis, in qua Salvator mundi pependit: De S. Euphemia, cum volveretur in rota, refert Vita; gravem quidem ſenſum doloris percepit: *ſed mens in Chriſti Vulneribus profundè defixa, dolores ſprevit:* Ite pictores, ite ſculptores: ornate Crucem S. Andreæ, addendo hæc viri Sanctiſſimi elogia; gravem percepit ſenſum doloris: ſed ejus mens flammis amoris, ſanguineq; Chriſti accenſa, dolores & cruciatus ſprevit, vicit Apoſtolus: in Vulneribus Chriſti cogitationibus profundè defixis.

§. 13. *Romanis fuit glorioſum mori pro Cæſare & Patria.* Teſte Egeſippo libro 5. cap. 38. de excidio Jeroſ. in oppugnatione urbis validiſſima phalanx fortiſſimorum militum, è flore Romanæ juventutis, in certiſſimum præceps ruit periculum, quod Cæſar Titus advertens, volebat ſubvenire, nec poterat: hortabatur tamen proximos, ut auxilio ſuis eſſent: *Has voces, hunc dolorem Cæſaris, pro ſupremo illi habuerũt ſolatio; hoc erat morituris viaticum; hoc ſe veluti ſublimi ſolantes ſepulcro, ad mortem feſtinabant, qui morerentur pro Cæſare, relinquentes ſuis hæreditatem, triumphum:* hæc ſumma apud Romanos erat laus, hoc excellentiſſimum fortis militis elogium, hæc gloria, hic triumphus! cecidit, occubuit, ſanguinem fudit, vitam dedit pro Cæſare & Romanâ Republicâ.

Digitized by Google

Quantò itaque glorioſius erit Chriſtianis, pati pro Chriſto! pro Chriſto; Duce & Imperatore cœleſtis exercitus: pro Chriſto: qui prior pro nobis in Cruce, vitam & ſanguinem dedit: pro Chriſto! qui ſuos Athletas coronabit gloria regni cœleſtis. Pro Chriſto: qui ad cœlos aliam viam non tenuit quàm ſemitam Crucis. Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionē, ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes; Cruci verò S. Andreæ, velu-ti triumphali arcui, vel tanquam cippo & obeliſco apponite tabellam cum aureis his vocibus; Occubuit in Cruce pro Chriſto. Hoc morituro fuit viaticum: hoc, pro ſupremo habuit ſolatio! hoc ſe velut ſublimi conſolans ſub Cruce ſepulcro, feſtinavit ad mortem; qui moreretur pro Chriſto, relinquens ſui hæreditatem; triumphum glorioſæ mortis in Cruce; dignus triumpho & gloria regni æviterni, in quo cum Chriſto in cœlis jubilat in omnem æternitatem.

CONCIO XC.

IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Hodie ſalus huic domui facta eſt, Luc. 19. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Quantam reverentiam debeamus Templis, & locis Deo ſacratis.

§. 1. *Unde in Zachæo deſiderium videndi Chriſtum.*

§. 2. *Nos quotidie oculis fidei Chriſtum Dn. videre poſſumus, in arbore vitæ, ſive, in Euchariſtia.*

§. 3. *Templa Catholica conferuntur cum Palatiis Regum.*

§. 4. *Cur Deus voluerit tanta magnificentia extrui Templum Salomonis.*

§. 5. *Templum illud dignitate ſuperant noſtra Eccleſia.*

§. 6. *Eccleſia quævis Catholica, eſt locus terribilis domus Domini, terra Sancta.*

§. 7. *Eccleſias ingredi debemus cum magna modeſtia & reverentia.*

§. 8. *Ad quam excitare nos debet reveren-*

verentia Angelorum & Sanctorum, ſtantium circa thronum Agni.

§. 9. *Exemplum Angelorum nos excitare debet, ut in Eccleſiis Deum laudemus.*

§. 10. *Catholica aliqua Baſilica, præſertim Imperialis Bambergenſis, confertur cum cœlo.*

§. 11. *Eccleſia aliqua, præſertim dum ſacrificium Miſſæ in illa offertur, confertur cum monte Calvariæ.*

§. 12. *Epilogus eſt invectiva in immodeſtos in Eccleſiis.*

§. 1. *Unde Zachæo deſiderium, videndi Chriſtum*

PRobabile eſt, Zachæo, de quo agit lectum Evangelium, homini amanti divitias & opes, relatum aliquid fuiſſe, de concione Chriſti Domini, in qua dixerat, *habebitis theſaurum in cœlo*, Matth. 19. v. 21. & illa, in qua claris verbis mentionem fecerat *theſauri abſconditi in agro*, Matth. 13. v. 44. *theſauri non deficientis*, Luc. 12. v. 33. ex quâ relatione in Zachæo deſiderium exarſit, videndi illum hominem, qui tales theſauros promitteret. Fortaſſis aliqui ex ſuis ſociis, ex converſis Publicanis, qui jam egerant cum Chriſto D. illi etiam narrarunt, quàm Chriſtus Dn. eſſet mitis, ſuavis, affabilis, benignus, & dulcis homo, ut adhuc ardentius deſiderarit videre illum: Verùm quia Chriſtus D. per vias publicas incedebat, plerumque ſtipatus & cinctus magnâ hominum multitudine, ipſe ſtatura puſillus erat, vel potius, veriſſimum eſt illud S. Ambroſii l. 8. in Sanctum Lucam; *Nemo poteſt Jeſum videre, conſtitutus in terra:* ideo Zachæus noluit in terra manere, ſed arborem conſcendit, ex qua tranſeuntem Jeſum cum magno ſuo commodo conſpexit: hæc arbor primus illi gradus fuit ad cœlum; forte deinde ſæpius Zachæus arborem illã tranſivit, & ſuavibus his verbis ſalutavit, *O felix lignum! tu es beata illa arbor, quæ mihi Jeſum oſtendit; tu ſatisfeciſti ardentibus meis deſideriis! in tuis ramis me vidit Jeſus, & ego illum. In te reperi omne bonum: ſub tua umbra, ſub tuis radicibus reperi theſaurum, quem quærebam.*

§. 2. *Nos quotidie oculis fidei Chriſtum videre poſſumus in Arbore Vitæ ſive in Euchariſtia.*

Dum hæc me dicentem audiant, qui Jeſum amant, & videre deſiderant, fortaſſis cogitant; O ſi talis arbor in Bambergenſibus creſceret hortis, ſi talis palma, ſi talis ſycomorus, ſi talis cedrus, de qua Jeſum Dilectum noſtrum videre poſſemus; cùm in terra conſtitutis illum conſpicere non liceat, mox talem arborem conſcenderemus. Faciam ſatis piis veſtris deſideriis, Amatores Jeſu! venite hodie mecum ad hanc Imperialem Eccleſiam, à Sanctiſſimo Rege, & Sanctiſſimâ Reginâ, S. Henrico, & S. Cunegunde fundatam & ædificatam, cujus anniverſariam dedicationem hodie celebramus; & in altari vobis oſtendam Sanctiſſimam Euchariſtiam, quæ à Sanctis Patribus variis, vocatur Arbor vitæ, in qua ſub ſpeciebus Sanctiſſimæ Hoſtiæ nobis in terris admirabili modo præſens eſt Chriſtus Salvator noſter; ut oculis fidei illum contemplemur, & ſuaviter per ardentes preces cum illo converſemur: quantam vene-

Digitized by Google

venerationem ob hanc ſacramentalem Chriſti D. in terris præſentiam, debeamus templis & Eccleſiis, pluribus vobis proponam.

§. 3. *Templa Catholica conferuntur cum palatiis Regum.*

Voculæ hujus, Templi ſignificatio nobis exponit quanta ſit dignitas cujuslibet loci, qui à Catholicis vocatur Templum: in lingua enim hebraica, templum dicitur Hechal, id eſt, regia Baſilica, vel Palatium, aut habitatio alicujus Regis: in quibus ædificiis mundi hujus Monarchæ ſuam magnificentiam ſolent oſtendere; v. g. ſummus Pontifex Romæ in Vaticano & monte Quirinali, Rex Hiſpaniarum in Monaſterio & Palatio S. Laurentii in Eſcurial, Galliarum Rex apud Bellos fontes, ſuperba Genua in Italia, in admirandis ædium molibus, ex candidiſsimo marmore conſtructis. Reges omnes anteceſſores & ſucceſſores longè ſuperavit magnificentiſsimus & ditiſſimus Regum, Salomon; de cujus regia in monte Sion, 3. Reg. c. 10. v. 20 *non fuiſſe factum tale opus in univerſis regnis.* Joſeph. lib. 3. Antiq. c. 2. poſtquam illam deſcripſit ab amplitudine, ab immanibus ſubſtructionibus & fundamentis, à cubiculorum feneſtrarumque multitudine, &c. demum ait: *In ſumma totum ædificium è marmore candido, & cedro, & auro, atque argento conſtabat; diſpoſitis per parietes & laquearia, variis lapillis auro incluſis.* In palatio tam magnifico, tam divite & eleganti habitare voluit Rex Salomon; & cur miramur à Majoribus noſtris tam vaſtas & immanes exſtructas eſſe Eccleſiarum moles, templorumque ſtructuras, ad ſtuporem politas & ornatas, pro habitatione Regis Regum in terris, in Sanctiſsimo Sacramento Euchariſtiæ? Palatia Regum, aulas Principum ingredimur cùm magnâ modeſtiâ & reverentiâ, quia Reges & Principes in illis habitant; æquum eſt, ut compoſitione longè majori ingrediamur domum, de quo in nocturno 3. officii; Templum Dei ſanctum eſt, Dei ſtructura eſt, Dei ædificatio eſt.

§. 4. *Cur Deus voluerit tanta magnificentia exſtrui templum Salomonis.*

De Templo, quod Salomon ex theſauris à parente David relictis, Domino exſtruxit, ait S. Chryſoſtomus hom. 17. in ep. ad Hebr. *Juſſit Deus templum Salomonis cùm magna magnificentiâ fieri, ut Hebræi, qui corporalibus magis attrahebantur & alliciebantur, per illud majeſtatem Dei conciperent & agnoſcerent:* Hinc omnia ad magnificentiam fuerunt compoſita: Materiam quod attinet, fuit pretioſiſſima: de lignis dicitur 3. Reg. 6. *Cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur.* De lapidibus 2. Paral. 3. *Stravit pavimentum templi pretioſiſſimo marmore, decore multo.* De metallis, nihil erat in templo, quod non auro & argento tegeretur. Primarius Architectus fuit ipſe Rex Salomon, uſus opera Opificum, quos undique evocarat, architecturæ peritiſſimos. Murorum longitudo fuit mille pedum, latitudo centum, ex lapidibus albis de monte Libano. Mille quadringentas quinquaginta ſeptem columnas habuit hæc baſilica, ex candidiſſimo marmore, quindecim pedes altas, tam craſſas, ut viri tres expanſis brachiis eas complecti non poſ-

Digitized by Google

poſſent: Per bis mille ducentas, quadraginta ſex feneſtras Sol ſuis radiis & luce hoc templum illuſtravit; (plura ſtupenda videri poſſunt apud Sacræ Scripturæ Interpretes) Talem baſilicam præparavit Rex Salomon, quia Deus promiſerat, ſe velle in illa habitare, per peculiarem quandam aſſiſtentiam in ſede Propitiatorii, quod ibi vellet exaudire preces populi, & peculiares gratias illi exhibere: Variis locis in libris Regum & Pſalmis hujus aſſiſtentiæ, ſive divinæ habitationis in templo fit mentio.

§. 5. Templum Salomonis dignitate ſuperant noſtra Eccleſia.

Ex quo ſequitur; quod licet Judæorum templum arte, divitiis, & reliqua magnificentia, noſtra templa, quæ hodie in toto terrarum orbe videmus, longè ſuperarit, ut etiam Vaticana Baſilica, admiranda ſtructura, vel celeberrima Sancti Laurentii moles in Hiſpania, aliaque ſtupenda per orbem ædificia, illi nullo modo comparari poſſint; noſtræ tamen Eccleſiæ propter alias cauſas illud longè ſuperent & excedant. In templo Salomonis aſſervata fuit Arca, de cujus ſede Dominus ſummo ſacerdoti reſponſa dabat: in Eccleſia aliqua Catholica præſentem nobis habemus SS. Euchariſtiam, & ſub illius ſpeciebus Deum ipſum, & Chriſtum Salvatorem, ejus Corpus, Carnem & Sanguinem, realiter & ſubſtantialiter: In illo mactata fuerunt pecora, boves, vaccæ, vituli, &c. in noſtris Eccleſiis, quotidie immolatur in ſacrificio Miſſæ Agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi: in illo variis ritibus effuſus fuit ſanguis hircorum, & animalium: in hac v.g. Eccleſia, cujus annuam Dedicationem hodie celebramus, quotidie Deo rurſum offertur, vero & reali ſacrificio atque holocauſto, ille ſanguis quem Salvator mundi effudit in ara Sanctiſſimæ Crucis in monte Calvariæ. In illo latuit Dominus, tectus in nube, ex qua per Angelum aliquem reſponſa dedit: in hac Eccleſia inter Angelorum choros realiter nobiſcum habitat ipſe Deus.

§. 6. Eccleſia quævis Catholica eſt locus terribilis, domus Dei, terra Sancta.

Nunquid æquum eſt, ut cum Jacobo exclamemus ex cap. 28. v. 16 Gen. *Terribilis eſt locus iſte; verè Dominus eſt in loco iſto; non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cæli*; & cui ?viderat Jacob in ſomno ſcalam, ex terris in cœlos uſque protenſam: in illa vidit aſcendentes & deſcendentes Angelos: ob tale ſpectaculum, clamavit; *Terribilis eſt locus iſte*, &c. quid diceret, ſi hodie redivivus in hac Eccleſia videret Deum Creatorem & Salvatorem ſuum: De illo in monte Oreb, ubi Moyſes vidit ardentem rubum, in medio flammarum, à quibus tamen non conſumebatur, ait illi vox de cœlo, Exod. 3. v. 5. *ſolve calceamenta de pedibus tuis, locus in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Quid dicemus de hac Eccleſia, in qua inter flammas amoris, in rubo Euchariſtico nobis adeſt, & nobiſcum habitat Rex tremendæ Majeſtatis? hoc dicamus, Templum Dei ſanctum eſt, Dei ſtructura eſt, Dei habitatio eſt.

§. 7. Eccleſias ingredi debemus cũ magna reverẽtia, & modeſtia.

Si verò Eccleſia hæc ſit Regia & Domus Dei, ſi templũ Domini, ſi Baſilica Altiſſimi; cogitemus quæſo, an non quivis ædem hanc ingreſſurus

 dicere

dicere debeat cum Davide pſ.5. v.8. *Introibo in domum tuam; adorabo ad templum ſanctum, in timore tuo*, id eſt, cum veneratione, reverentia, modeſtia, cum humilitate & demiſſione. Libro adverſus Luciferianos dixit S. Hieronymus: *ſi verè crederem! illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorreſcerem, ore pallerem, jacerem ad Domini mei pedes, eosq; fletu profunderem, crine tangerem, hærerem certo trunco crucis, nec prius diſcederem, quàm miſericordiam impetrarem.* Innuit vir ſanctus, ob defectum fidei, multos non timere Deum, non pœnitere de peccatis, &c. ſicut oporteret. Idem in præſenti materia ego dicere poſſum; ſi nos Catholici vivâ & actuali fide crederemus (fide habituali id credere neceſſe eſt) articulum hunc fidei noſtræ; in Eccleſiis verè & realiter in ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ, Chriſtum D. nobis eſſe præſentem; ſine dubio Eccleſiam ingreſſuri, ad orandum, ad audiendã miſſam, prius corda noſtra mundaremus, ſine dubio manibus tunderemus pectora, genas lacrymis rigaremus, &c. ad impetrandam miſercordiam.

§ 8. *Ad quam excitare nos debet reverentia Angelorum & Sanctorũ, ſtantium circa Thronum Agni.*

Non mirabimur tantam à nobis exigi reverentiam & devotionem in templis, ſi conſideremus quã demiſſione etiam Angelici Spiritus, imò Cherubini & Seraphini aſſiſtant coram throno Divinæ Majeſtati, cum omnibus omnium aliorum Sanctorum choris. Apoc. c.7. v.11. vidit S. Joannes omnes Angelos in circuitu throni, cadentes in facies ſuas, & adorantes Dominum. cap. 5. v. 8. vidit viginti quatuor ſeniores, abjicientes coronas & palmas ſuas ad pedes Agni. Alios vidit aſtantes cum thuribulis aureis in manibus ſuis: alios, pſallentes cytharis; innumerabilem turbam audivit clamantem; *benedictio, claritas, ſapientia, honor, fortitudo, ſit, Agno, & ſedenti in throno in ſæcula.* Advertite Auditores, quid nobis agendum ſit, cùm in Eccleſia hac flectimus coram altari, in quo in throno Euchariſtico præſens nobis adeſt, idem ille Agnus, qui regnat in cœlis, idem Filius Dei, Chriſtus Jeſus Salvator noſter: ſaltem corde & devotione internâ cadere debemus in facies noſtras, ut Deum adoremus in ſpiritu & veritate; aſtare debemus cum thuribulis aureis, & in illis offerre odoramenta ſuavia ferventis orationis: coram Deo noſtro, coram Agno, in eccleſiis, eò tendere debent cogitationes & deſideria noſtra, ut animâ & corpore, laudemus & adoremus Deum noſtrum. Ardentes carbones in aureis thuribilis eſſe debẽt, ardentes actus amoris erga Deum.

§. 9. *Exemplũ Angelorũ nos excitare debet, ut in Eccleſiis Deum laudemus*

Ad Dei laudem in templis, nil ita nos accendere poteſt, & debet, ac exemplum Angelorum, & Sanctorum, laudantium Deum in cœlis: ita contingere ſolet, ut ſuaviter præcinenti Philomelæ, ad primos radios auroræ, mox ſuaviſſimâ harmoniâ, & dulciſſimis choris reſpondeant aliæ. Suaviſſima Philomela in ſuis pſalmis eſt regius Pſaltes David, quoties os ſuũ aperit, ut laudet Dominum tantâ ſuavitate, ut dicat; pſ.83. v.3. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*

Digitized by Google

vivum; ſed inſinuat, à quibus didicerit ita laudere Deum, cum eodem Pſalmo dicit, beatos, qui habitant in domo Domini, & in ſæcula ſæculorum laudabunt illum: ſi nos, quoties Eccleſiam ingrederemur, cogitaremus & crederemus nos intrare quẽdam paradiſum, in quo inter lilia & amœniſſimas arbores dilectus noſter paſcitur: ubi cubat in meridie amoris: ſi oculis internis aſpiceremus illis arboribus inſidentes cœleſtes Philomelas, ſive ſanctos Angelos, ſi audiremus ſuaviſſimos illorum concentus, quibus Deum & Chriſtum D. in Euchariſtia præſentem laudant: ſine dubio miſceremus noſtas voces: ſine dubio exultaret cor noſtrum, & caro noſtra, in Deo vivo: verùm quidem eſt, cœleſtes philomelæ vivunt in paradiſo, nos adhuc gemimus in hac lacrymarum valle: quid inde? ſæpe philomela inter ſpinas cantillat ſuaviſſime: & nos inter ſpinas miſeræ hujus vitæ, Deum tamen, præſertim in Eccleſiis laudare poſſumus, ſicut paſſeres & turtures nidos ponere poſſumus in altari: donec beati in illa pulcerrima domo Dei, in cœlis, æternum Deum laudemus.

§. 10. *Catholica aliqua Baſilica, præſertim Bambergenſis confertur cũ cœlo.*

S. Bernardus nos monet, ut illis affectibus templa intremus, quibus cœlum ingrederemur: idem petit D. Nilus, *Eccleſiam ut cœlum adi, & nihil in ea, aut loquere, aut age, quod terram ſapiat.* S. Chryſoſtomus ait, *Eccleſia eſt regnum Dei, quod ſi non credis, aſpice ad hanc menſam.* Proinde ſicut in cœlo omnia ſunt munda, locus, Angeli, Sancti; nihil coinquinatum: ita in terris, Eccleſiæ, altaria, &c. debent eſſe munda, & qui in illis Deum laudare volunt, puriſſimi & liberi, ſaltem à macula peccati alicujus gravioris. Manus mundas in Eccleſiis elevare debemus ad Deum. In cœlo magna eſt modeſtia, & ſummum ſilentium; cum tali ſilentio & modeſtia in Eccleſiis, nos in terris Deum laudemus. In cœlis plateæ ſunt ex auro mundiſſimo, muri ex cryſtallo, fundamenta & portæ ex lapidibus pretioſis, omnia ſunt pulcra & elegantia; quæ loci Majeſtas Sanctos excitat, ad magis laudandum Deum. Sic in terris, in Eccleſiis, altaria, muri, parietes, columnæ, ornantur auro, argento, ſplendidis gemmis, picturis, pretioſis tapetibus, arboribus, aliiſque ornamentis: de quodam Nepotiano ait S. Hieron, in epithaphio ad Heliodorum: *Erat ſollicitus, ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine.* (O ſi Nepotianus aliquis hodie intraret quaſdam Eccleſias) ſi pavimenta terſa, ſi ſacrarium mundum, &c. Baſilicas diverſis floribus & arborum comis, vitiumque pampinis adumbravit. Gaudeo me hodiernâ die in Eccleſia hac Imperiali Bambergenſi videre pavimentum tam terſum, parietes tam candidos, imò inauratos: altaria tam nitida, ſupellectilem tam pretioſam ex auro & argento: recreant me B. Virginis, S. Henrici, S. Cunegundis ſtatuæ ex tam nobili metallo: placet mihi triumphalis Chriſti reſurgentis columna ex Jaſpide: cum ſolario in utroq; choro S. Petri & S. Georgii, cum voluptate aſpicio ingentes altarium columnas fuſas ex ære; taceo reliqua: eò ten-

tendunt omnia, ut templi hujus majeſtas nobis repræſentet aliquod cœlum in terris: ut in cymbalis & organis Deum laudemus: ad hunc finem cum Davide diligimus decorem Domus Domini.

§. 11. *Eccleſia aliqua præſertim dum ſacrificium miſſæ in illis offertur, confertur cū monte Calvariæ*

Oblitus ſum nominis piisſimi Auctoris, qui ſuper verba illa S. Petri; 1. Epiſt. cap. 2. v. 5. *Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum*; hoc devotioni noſtræ ſuggerit conſilium, ut ingredientes Eccleſiam, præſertim audituri Miſſam, illâ devotione, illis intentionibus, illis ſanctis cogitationibus, & actibus virtutum, intremus; quibus aſcenderemus in montem Calvariæ, ſi ibi Chriſtus Salvator noſter, in quem credimus, ſperamus & amamus, iterum eſſet affigendus cruci; ſine dubio, eſſemus modeſti, ſtaremus in ſilentio, attoniti propter dolorum Chriſti magnitudinem, & amoris immenſitatem (poteſt fieri pulcra inductio eorum, quæ faceremus in monte Calvariæ:) cùm verò quotidie in Eccleſiis Catholicorum, ſacrificium nil aliud ſit, quàm paſſionis illius renovatio, &c. facile inde concludere licet, quo modo, quâ devotione, templa ſive Domum Dei debeamus ingredi.

§. 12. *Epilogus eſt invectiva in immodeſtos in Eccleſiis.*

Quid ad hæc dicent illi, qui Domum Dei, Regiam Regis Regum, Eccleſiam hanc gravibus ſæpe ſceleribus contaminant, nugando, ridendò, fabulando, imò laſciviendo in templis. Horret animus illa cogitare, multò minùs eloqui. Hortos & prata quærere ſolent filii vanitatis, ut coronent ſe roſis: hodie impudentes & projecti quidam peccatores Eccleſias quærunt, & loca ſanctisſima, ut in illis, ſuis concupiſcentiis oculorum ſaltem & cordis ſatisfaciant: Cohorrui cum his diebus legi in quodam Auctore, tales irremediabilem incurrere perditionem. Et illud in S. Chryſoſtomo ſer. 26. *periculum deſperationis incurrit, qui in ipſis Dominantis oculis* (puto illum velle dicere, coram ſanctisſimo Sacramento altaris) *illum offendit, excuſatione caret, qui facinus ipſo Judice teſte committit.* Et illud S. Bernardi; *Impudentia peccatoris ut* (tali loco ſancto) *non horreat, non contremiſcat, jam deſperatio eſt.* Ex his fiat vehemens Epilogus, ſive acris in tales invectiva, loco & auditoribus accommoda.

F I N I S.

Gloria ſit Chriſto noſtro Matrique Mariæ.

Digitized by Google